Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
B
8
NAPOLI

Digitized by Google

XVIII
B. 8
1

Digitized by Google

Digitized by Google

XVIII
B
1

Digitized by Google

GVILIELMI BARCLAII

DE

POTESTATE PAPÆ:

An & quatenus in Reges & Principes ſe-culares ius & imperium habeat,

Liber Poſthumus.

Eiuſdem

DE REGNO ET REGALI POTESTATE:

Aduerſus

BVCHANANVM, BRVTVM, BOVCHERIVM, & reliquos Monarchomachos,

Libri VI.

EDITIO

Nunc ſecundò in Germaniâ adornata emendatior.

HANOVIÆ,

M. DC. XVII.

Digitized by Google

Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; & quæ Dei, Deo.

BENEVOLO Lectori S.

HVNC librum à Guilielmo Barclaio, & genere & moribus illuſtri viro, diu elaboratum, necdum tamẽ exactum ad vltimam limam, primùm curis, mox ſenecta, fato denique interueniente, accipe, mi Lector, vt & opus tuo ſeculo vtile, & cum Mundo duraturum. Tot vigilias extingui cum authore noluimus, ſed potius authorem in iis perennare. Maieſtas argumenti & quotidianus vſus; tũ aperta & ſubtilis diſputandi ratio, non conuitiis atrox, non tranſuerſa affectibus, & præterea authoris integritas & in religione conſtantia, hunc librum ita commendabunt, vt tantum in

Virtutis & Veritatis exilio repudiari poſſit. Argumentum antea vel infame vel ſuſpectum; hæreticis eo abutentibus ad Pontificis & Religionum deſpectum, & maxima *Spiritualium* rerum hanc *Temporalē* corrumpentibus cauſam. Eccleſiam Palmæ facillimè componas: Vt hæc in onera nititur, ſic illa in hæreſium pondera animoſior exurgit. Quicquid ſectarii hoc ſeculo ſuſceperūt oppugnandum, ſanctius & religioſius coluimus. Plura templa peregrinantibus aperta, plures *Indulgentiæ* conceſſæ merentibus, titulique ſanctæ Virgini non ſuprà pietatem, ſed ſupra morem additi. Præcipuè Pontificem Romanum, cui poteſtatem omnem abrogabant, à Nouatorum furore aſſeruimus. Sublata ex Scholis quæſtio ſupra Concilium necne eſſet. Nihil Conciones, nihil ſubſellia, quàm eius prærogatiuas detonare; quæ profectò, in Spiritua-

ritualibus ſummæ ſunt. Deniq; videbatur ad externam gloriam fuiſſe Apoſtolicę ſedi exoptandus hic hęreſeos turbo. Sed veteri mortalitatis malo aut in ſuperſtitionem religiones degenerãt, aut à cælis ad humana commoda abducuntur. Igitur multi dum Spiritualia Pontificis iura propugnant, illam quoque poteſtatem aſtruxere, quam à quingentis demum annis ſedes Romana in temporalem autoritatem Principum vſurpauit; ſi monimẽtis credimus, nõ ſæpius aut atrocius Principibus quàm Pontificib. funeſtam. Illam, inquam, non pauci aſtruebant, vel cæca pietate & hæreticorũ odio, vel Hierarchæ ſuo (qui enim præter Eccleſiaſticos?) ſtudentes, & quaſi ex domini maieſtate addituri ſeruituti dignitatem. Mox vulgus (in quo ſciolos omnes pono, id eſt, magnam Latinè ſcientium partem) ſtatim adduci ad religioſam inepti-

Digitized by Google

am, vt quicquid magni iſti & cauti magiſtri præcepiſſent, tuerentur, & preterea in Pontifice ipſum Numen aut Regibus præfici aut repudiari crederent. At alii quibus mens altior, nec empta Eccleſiaſticis opib. hũc errorem credulorum, aut prudentum verſutiam deuouere vel ridere. Raro tamen vox publica aut libera tam iuſtè querentium exſonuit. Quidam hanc vanitatem contempſere. (Nam reuera quid abſurdius quàm Principum faſces omni iure, omni lege liberos, Romanæ Purpuræ mancipare, nec armorum vi nec rationis, ſed miſeris argumẽtis, conſequentiis detortis & ſimilitudinibus; quæ ſaltem non iis validiora ſunt quibus Hæretici volunt Spiritualem poteſtatem à Pontifice extorquere?) Alii non publicam omnium Regum, ſed priuatas, vt incidebãt, certorum Principum cauſas egerunt. Multi denique timuerunt.

runt ne turbidis rebus, & ſtulta vulgi pietate viderentur, non tam amore veritatis quàm Pontificis odio iſtam quæſtionem excuſſiſſe.
Nam & præclarum Politici nomen quàm nuper turpiter violatũ, quàm malè audiuerit, non poſſumus niſi cum ſempiterno ſenſu noſtrarum miſeriarũ obliuiſci. Nunquam tamen defuerũt, qui his noſtris temporibus, ex illo malorum freto, eaſdem procellas expectarent quæ in noſtros Maiores ſæuierunt. Nam quæ in immensâ libertate Pontificum vel cauſa vel religio hos turbines à Principibus prohibeat? cùm priuatæ inimicitiæ Mauarram Ioanni Regi abſtulerint; & nuper Philippus ille Catholicus, hereſis in ſuo populo in ſua prole vltor, Sixti V. animoſa conſilia vix euaſerit. Res certa; ſed quia in cunabulis extincta, obſcurior, Sixtum cõceptâ iam in Hiſpanum ſæuâ illâ Excommu-

nicationis formula, ſubita febre eſſe ſublatum. Quòd ni interueniſſet illa mors, quæ fax, quæ tempeſtas Eccleſiæ imminebat; Italia & Hiſpania bellis, & per hoc hæreſibus, aperta? Adeò cæleſte Pontificatus munus plus mortalium affectuum ob illud obeuntibus accipit, quàm in eos diuinitatis infundit. Nec, vt modò dicebam, defuerunt qui particulares cauſas ſuſciperent, vt qui antea pro Rege Chriſtianiſſimo, & nuper pro Venetis ſcripſerunt. Sed omnes in partibus erant; nec adhuc extitit qui procul à factionib. hanc quæſtionem aggrederetur. Ecce tandem in hoc libro vox hominis Catholici non præoccupata, non corrupta; & in ea ſenſus Catholicorum omnium qui nec ineptiũt, nec ſua iudicia ad priuatas vtilitates cogunt. Quid autem hunc authorem impulerit, illuſtris memorię virum, vt de hac Pontificis poteſtate ſcriberet,

beret, vt ab eius intimis accepi ſic referam. Nam de eius religione tot teſtes ſunt quot illum aut in Lotharingia, aut Andibus, nouerunt. Acerrimus Catholicæ ac Romanæ fidei aſſertor, ne quidem minima impietatis aut hæreſeos ſuſpicione inundatus. Ipſa quoque Ieſuitarum ſententiâ vir eximiæ ſupra doctos religionis, & ſupra Laicos pietatis. Iſtum librum ante annos plus minus viginti exorſus eſt, furentibus bellis, & penè in ſupremo Galliç fato. Henricus III. parricidio Monachi ceciderat, & Lotharingia, vbi tunc degebat, ad miſeri fœderis ſocietatẽ acceſſerat. Barclaius in ſententia conſtãs, cum res parum verbis iuuaretur, ſcriptis incubuit; Reges tum à Pontificis tum à populi poteſtate aſſerens. Et quidem *De regno* libros, quibus popularem ambitum exagitabat nulla diſſimulatione conſcripſit. Sed hoc opus ſecre-

tò aggreſſus eſt, cùm tunc aliquid Pontifici negare hęreſis cenſeretur. Sedatis tandem rebus ipſe per ociũ recenſere primas curas, & opus iam maturum Clementi VIII. Pontif. Maxim. vouere. Verùm domeſticis negotiis auocatus à communi curâ, retraxit à typographiâ iam fugientem fœtum. Nec infelix mora fuit, quanquam longa & annorum penè decem. Multa in eo addita, emendata plura, ſed & detractis leuioribus ingens volumen cõmodè ad pauca reuocatum. Accendebant hominem & pietate & iam ſenectâ liberiorem illæ turbæ quas multi ominabantur; cùm Pontifex in Anglum Venetoſque diſtrictus, illum quidem iam à ſacris noſtris alienũ acerbare, hos autem alienare videbatur. Sed tam pium conatum intercepit felix & in Chriſto obitus. Amici autem hũc poſthumum fœtum à paterno ſepulchro exeme-

runt.

runt. Accipe igitur, Lector, hoc ſcriptum, quod vt imperfectum ſinecaret, ita & morte. Non videbis ineptias Boſii, aut Doctorem Martham, homines omni riſu dignos, (nam grauiora ſupplicia nō omnino deſipientibus relinquo) ſed robuſta argumēta, graui iuſtoq; pondere ferientia. Quòd ſi aliquis hoc opus refellere inſtituet, velim ne oratoria fraude tantum leuia quædam carpat, in quibus nec ipſe author multum ſubſidii poſuerit: Sed ipſam vim rationum excutiat; diluendi aut aſſerendi vitia accuſet. Si quis aliter faxit, ſciat Guilielmi Barclaii cineres loqui poſſe. Vale, & fruere.

SANCTISSIMO PATRI AC DOMINO CLEMENTI VIII. *Pontifici Maximo*

GVIL. BARCLAIVS S. P.

SI à Petro in hunc diē tuæ ſanctitati ſimiles Epiſcopos Roma vidiſſet (Summe Chriſtianorum pater & Præſul) non fuiſſet hoc tempore iſti quæſtioni locus. Moderatio; & nomine tno digna æquabilitas, aut non aperuiſſet aditum huic rei, aut grauiori præiudicio firmaſſet. Quæſtionem de temporali tuæ ſedis in Reges & Principes poteſtate hic excuſſi, quæ tantis motibus tantoq; ſanguine agitata, nō ſæpius Principes quàm Eccleſiam afflixit. Tuoq; nomini dicaui, ne aut defugiſſe authoritatem tuam viderer, aut Regum potius quàm Eccleſiæ rem geſſiſſe:

Quod

Quod ſi id nō ad guſtum omnium, cogitent velim, nulla medicamina ſine amaritudine ſalubritatem infudere. Argumentum fortaſſe inuidioſum, ſcrupuloſis hominibus, aut inimicis meam mentem ſenſumque torquentibus: quod tamen Sanctiſsime Pater, tum veritatis ſtudio ſuſcepi, tum quòd hanc poteſtatem ſemper cenſui omnium fluctuum fontem eſſe, quibus hodie hæreſis tuum nauigiū laceſsit. Iulius II. Pontifex repentinis inimicitiis mutatus, non modò in Ludouum XII. Galliæ Regem detonuit, ſed & Iohanni Nauarræ Regi, quòd in auxiliis Galli fuiſſet; imperium abrogauit. Et quidem Ludouici fortuna hoc Pontificium fulmen à Gallia ſubmouit. Sed Nauarrenus, cum à latere Hiſpanum haberet, Pyrenæis autem excluderetur à Gallia, Romanæ iræ & Ibericæ ambitioni impar fuit. Spoliatus maiori parte regni receſsit in Galliam, vbi amplas clientelas, & gentiles habebat. Superuenit incendium quod Lu-

therus

therus conflauit, & Ioannis Nauarreni hæredes proprio odio incitati facile ad partes abſceſſerunt quæ in ſedem Romanam coibant. Horum igitur Optimatum ſtudiis hæreſis primum per Galliam diſperſa eſt, quæ per ipſius flammas, mox per bella in hunc diem durauit. Henricum autem VIII. Angliæ Regem quis dubitat eiuſdem poteſtatis odio non tam à religione quàm à Pontifice ſeceſſiſſe? Clemens VII. ſe Henricum Regni iure priuare edixerat; & ille non iniuſta fortaſſe, ſed cæca & intemperanti iracundia exarſit. Angliam occaſione Schiſmatis hæreticis patefecit, qui mox ſub Edwardo VI. validi auita ſacra ſuſtulerunt. Scotia autem vicinia & communione Angliæ tentata, cum ſub Iacobo V. reſtitiſſet, tandem ſub Maria initiis imbuta, & mox inſinuante ſe veneno corrupta eſt. Ita quicquid hæreticorum in Gallia Britanniaque hodie eſt, id eſt illorum vnicum robur, hoc temporalis poteſtatis miſerabili calore,

tanquam peſtilenti ouo conceptum eſt & educatum. Vide, Pater Sanctiſsime, quàm nõ expediat Eccleſiæ iſtud imperiũ vindicare, quod veluti Seiani equus proprios dominos peruertit. Hoc igitur opus, nõ Principum, ſed religionis & veritatis ſtudio aggreſſus ſum, tibiq; ſummo paſtori, ſyncero & ſupplici animo obtuli, cuius eſt de lepra iudicare. Si quid erit in his ſcriptis quod probum aut vtile putabis, ego ſanè tanti teſtis ſuauiſsima memoria meam ſenectutem oblectabo. Sin probato fortaſſe ſtudio meo, tamen improbabis ſententiam, erit apud poſteros moderationis tuæ ſignum quòd innoxia libertas diſputandi ſub te nemini fraudi fuerit. Sit hoc moderationis tuæ, at nunquam pertinaciæ meæ ſignum: quicquid enim huius negotii eſt, tuo examini relinquo, vt hoc libello non tam quid ſentiam exprompſiſſe, quàm à tua Sanctitate quid ſentire debeam, videar quæſiiſſe. Vale.

GVIL. BARCLAII I.C.

DE POTESTATE PAPÆ,

AN, ET QVATENVS, IN REGES ET PRINCIPES SECVLARES IUS & Imperium habeat,

LIBER POSTHVMVS.

MVLTI de hac quæſtione, noſtro præſertim ſeculo, multa variè & varias ob cauſas ſcripſerunt: ſed nemo doctiùs & luculentiùs, quàm illuſtriſſimus Cardinalis, & eruditiſſimus Theologus *Rob. Bellarminus,* in libris quos de ſummo ſiue Romano Pontifice inſcripſit: qui ſi vt ſpiritualem & Eccleſiaſticam Pontificis Romani poteſtatem egregiè cõprobauit, ita temporalem illam poteſtatem, quam ex quorundam Theologorum ſententia dicit eum habere indirectè, ſolidioribus authoritatum & rationum momentis ſtabilire potuiſſet; non eſſet quod in illo tractatu aut iure carperet aliquis, aut deſideraret. Si itaq; complures tum Theologi, tum Iuriſconſulti, alii poſt alios, in eandem hanc quæſtionem excutiẽdam incubuerũt, nec priorum de ea iudicium ſequentium ſcriptorum ſententiis præiudicauit; cur non & ego aliquẽ indagandæ veritatis locum, (quandoquidem in eo ſtudio ætatem conſumpſi) meo mihi quodammodo iure vendicẽ?

Sed antequam ordior quid de hac re ſentiam explicare, diligens à me cautio & præmunitio adhibenda eſt, *ne vel aliquod inde ſequatur ſcandalum puſillorum, qui æſtimant Papam eſſe vnum Deum, qui habet poteſtatem omnem in cœlo & in terra* (vt Gerſonis [1] verbis vtar) vel adiumentum aliquod accedere videatur nouatorũ calumniis, quibus ſedem Apoſtolicam conſectantur, vt ſupremo animarum Paſtori poteſta-

1 In reſolut circa materiam excõmun. cõſider. 11.

A teſta-

Digitized by Google

teſtatem omnem abrogent. Monendus igitur imprimis lector eſt, omni me reuerentiâ & beneuolentiâ Sedem illam proſequi, nec id aut hîc aut alibi agere, vt debitæ poteſtatis & dignitatis aliquid decedat Vicario CHRISTI, & ſucceſſori SS. Apoſtolorũ Petri & Pauli; quorum patrocinio adiutum me quotidie, piè planeque mihi perſuadeo: ſed eo tantùm animo eſſe, vt quæ illa poteſtas ſit & quanta, quam in Pontifice Romano, id eſt, ſummo Pontifice & Papa, (vt vocant) Chriſtiani omnes agnoſcere debeant, ſine fuco & fallaciis, ſine ſtudio & odio perquiram: & vt earum affectionum vacuus, quæ in alterutram partem mentes hominum inclinant, Deum ſolum præ oculis habeam; ne fortè redeunte Domino, vel inutiliter expenſi, vel abſconditi talenti reus poſtuler.

Eos itaq; obſecro qui ante me, bono vt opinor animo, ſcripſerunt, ne indignentur aut ſuccenſeant, ſi ab illorum opinione receſſero. *Neq; enim*, vt cum S. Auguſtino dicam, [1] *quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſalua reuerentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet diuino adiutorio ab aliis intellecta, vel à nobis. Qualis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum*, vt aut gratis ſcilicet admittant, aut cum ratione reprehendant. Sed ad rem.

1 Ep. 111. ad Fortunatianũ Epiſc. de videndo Deo, refertur diſtin. 9. can. 10.

Duplex Catholicorũ quidem hominum (nam alii quid ſentiant nihil moror) ſed nimis Pontifici addictorum de hac quæſtione opinio eſt. Vna Canoniſtarum, qui *Papæ iura omnia cœleſtis & terreſtris Imperii à Deo conceſſa*, & quicquid in hoc terrarum Orbe poteſtatis eſt, ſiue temporalis & ciuilis, ſiue Spiritualis & Eccleſiaſticæ, id omne in *Petrum* & eius ſucceſſores à Chriſto collatũ eſſe affirmant; cui principio nulla non facile annectunt, quoties de abſoluta poteſtate, ſiue de plenitudine poteſtatis (vt loquuntur) ſummi Pontificis, aliqua ſuboritur diſputatio. Altera opinio eſt quorundam Theologorum, quibus fundamentum hoc Canoniſtarũ meritò diſplicet, quòd neque Scripturæ authoritate, neque Apoſtolorum traditione, neque veteris Eccleſiæ praxi, neque antiquorum Patrum doctrina & teſtimoniis liquidò comprobetur. Hi ergo iſtam illorum opinionem ſolidiſſimis rationibus conuellunt: ſed ita tamen

men

men vt ex eius abdicatione, nihil iuris & poteſtatis temporalis Pontifici depereat, quin id ei alio modo in tuto collocent, integrumque conſeruent. Sic igitur ſtatuunt, *Pontificem vt Pontificem non habere directè vllam temporalem poteſtatem, ſed ſolum ſpiritualem: tamen ratione ſpiritualis habere ſaltem indirectè poteſtatem quandam, eamque ſummam, diſponendi de temporalibus rebus omnium Chriſtianorum.* Atque ita quicquid illi recto ordine, id iſti obliquè & per conſequentias Papæ tribuunt; vt ratio tantum diuerſa, res eadem ſit.

Mihi verò hanc animo quæſtionem verſanti, neutra iſtarum opinionum, quantum ad temporalem poteſtatem, ſatis firma viſa eſt; Canoniſtarum tamen quàm Theologorum, ſi inter ſe conferantur, facilius poſſe defendi: cùm ſaltem non repugnet ordini naturæ, quo quis Imperium ſibi in alios conceſſum iure ſuo exercet: ac proinde nihil contineat ἀδύνατον. At verò Theologorum ſententia, vt eſt à ſuis aſſertoribus propoſita, naturalem rerum ordinem euertit, qui vult ne quis poteſtate & Imperio in alios vtatur, quod neque ſibi nominatim cōceſſum eſt, neque ad explicandas res ſuæ fidei mādatas prorſus eſt neceſſarium. Theologi itaque iſti Canoniſtarum opinionem probiſſimè refellunt, ſed pace ipſorum dicam, nec ipſi melius ſentiunt; vt inde dignoſci poſſit, quanto cuique facilius ſit in aliorum ſcriptis falſum deprehendere, quàm in ſuis verum aſtruere.

Eſt & inter ipſos Theologos de hac re contentio: nam multi Canoniſtis ſe ſocios addiderunt, ſeu quòd veri ſpecie decepti ſint: ſeu quòd ſedem *Petri* nulla non laude dignam, nimio & cæco affectu proſequentes, hoc etiam poteſtatis & dignitatis apice ornare voluerunt: ſeu denique, quòd ſingularibus Pontificum beneficiis deuincti, iſto eos referendæ gratiæ ſtudio ſibi arctius conciliare, ne dicam immodica aſſentatione demereri, cupierunt. Atque horum, vt opinor, in numero eſt, qui nuper de congregatione Oratorii exortus, [1] acriorem ſe cæteris aſtipulatorem Canoniſtarum obtulit; quem propterea vir doctiſſimus, & nobilis Concionator, ſi quis in Ieſuitis eſt, cum ab eo quid de hac *Bozii* opinione ſentiret, percōtaret, Papalem paraſitū vocabat. Nā libris editis enixe contendit, *Omnē vim regiā, omniumq́ rerū, quæ in terris ſunt, poteſtatem & dominiū datū eſſe Romano Pontifici iure diui-* Tho. Bozius.

 no: &

no; & quicquid poteſtatis vſpiam terrarum habent Reges & Principes ſeculares, tam fideles quàm infideles, id totum à Papa pendere, & quantum ad executionem temporalem tantummodo ab eo in illos deriuatum: ita vt ipſe, velut totius Mundi dominus, regna & principatus, cui & quando voluerit, dare vel auferre poſſit, quãuis nemo ſciat cauſam cur ita faciat. *Ac proinde*, inquit, *potuit Indias Occidentales Caſtellæ, Oriẽtales verò Luſitaniæ Regibus adiudicare & addicere, quamuis cũcti homines ignorarent connexionem rationis qua addicebantur, vt ſupra dicebamus.*

Huius itaq; opinionis tuendæ fiducia erectus, multos excellentes Theologos (in quibus eſt vir ille maximus &
1 Lib. 2. cap. 11. nunquam ſatis laudatus Bellarminus) grauiter incuſat,[1] &
2 Lib. 5. c. vlt. nouos Theologos vocat:[2] aitq; eos *apertiſſimè falſa, & aduerſus omnem veritatem pugnantia docere*, eò quòd dicant Chriſtum, vt hominem, non fuiſſe Regem temporalẽ, nec vllum dominium temporale in terris habuiſſe, nec exercuiſſe vllam regiam poteſtatẽ (iſtis enim aſſertionibus euertuntur præcipua deliriorum Bozii fundamenta) cùm tamen magni illi Theologi veriſſima, ac proprio Saluatoris
3 Matth. 8. Luc. 9. teſtimonio confirmata aſſerant. *Vulpes*, inquit, [3] *foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autẽ hominis non habet vbi caput reclinet.* Vbi ergo eius regnum? vbi dominium temporale? quis animo cõcipiat, Regem aliquem aut dominum eſſe poſſe, cuius neque regnum vllum, neq; rei alicuius dominium in rerum natura ſit? Scimus Chriſtum, quà Dei filius eſt, Regẽ gloriæ, Regem Regum, cœli & terræ rerumque omnium dominũ eſſe, vnà cum Patre & Spiritu Sancto æternum regnantem: at hoc quid ad regnum temporale? quid ad ſceptrum faſceſque ſecularis maieſtatis? Legi equidem diligenter quæ in hanc rem Bozius edidit; ſed nihil ſolidæ rationis ad ſententiæ ſuæ confirmationẽ, non alicuius fallaciæ & captionis admiſtione corruptum, nihil vetuſtæ & probatæ authoritatis, non adulterinæ interpretationis fuco deprauatum inueni. Fuit olim in eodem errore Henricus Seguſianus Cardinalis Hoſtienſis, cuius noua tunc & inaudita opinio Bonifacium VIII. hominẽ per ſe quidem gloriæ auidum, velut nouis ambitionũ facibus non multò pòſt ſupra modum videtur accendiſſe. Sed bene nunc res vertunt, quòd Hoſtienſis illa opinio (quã Canoniſtæ poſtmodum ſequuti ſunt, quamque Bozius iam amplectitur) à Theologis quibuſdam firmiſſima ratione

damnata ſit; Et quòd Eccleſia Dei eum nunc habeat Pontificem Max. nempe Clementem VIII. qui non ſolùm pietate & doctrina, ſed humilitate, iuſtitia, charitate, cæteriſque virtutibus tanto Paſtore dignis, inſignem ſe & conſpicuum orbi præbet; vt non ſit quòd metuamus tantũ Pontificem, tam putida opinione, quæ ſolis ineptiis, & captiũculis verborum ſuffulta eſt, commotum & infectum iri, vt *aliquid* ſibi indebitum arroget. Neq; Bozius tam temera-*rias* aſſertiones tanto Pontifici dedicaſſet, niſi omnia auderet audacia. Superuacui ocii eſſet, errores & ineptias eius omnes, minutatim perſtringere. Tantùm, ne hominẽ gratis reprehendiſſe videar, vnum deliriorum & argutiarũ eius teſtimonium ſubiiciam, vt Lector ex vnguibus de animali iudicet.

Cap. II.

PRincipio ſciendũ eſt duas illas poteſtates, quibus Mũdus in officio continetur, Eccleſiaſticam ſcilicet, & Politicam, ita iure diuino diſtinctas & ſeparatas eſſe, vt (quamuis ambæ à Deo ſint [1]) vtraque ſuis terminis concluſa, in alterius fines inuadere ſuo iure nequeat, neutriq; in alteram Imperium ſit [2], vt pulchrè, & ſuauiter S. Bernhardus docet libro 1. de Conſider. ad Eugenium [3], & inter recentiores Theologos Ioan. Driedo. [4] Eamq; ipſam harum poteſtatum diſcretionem Magnus ille Hoſius Epiſc. Cordubenſis, ad Conſtantium Imp. Arianũ ſcribens, apertiſſimè oſtendit: cuius ſententia, in S. Athanaſii Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, in hunc modum relata eſt: *Tibi Deus Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne, quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo.* [5] *Neq; igitur fas eſt nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, Imperator.* Hinc eſt, ex hac inquam poteſtatum diſtinctione, quòd Innocentius & Panormitanus concludunt, [6] Laicos non teneri obedire Papæ in iis quæ non ſunt ſpiritualia, ſiue quæ non concernũt animam, vt loquuntur: niſi fortè in illis degant terris, quę ſubſunt temporali iuriſdictioni Papæ. Atque ita reſtringi debet iuſiurandum illud profeſſionis fidei in Bulla Pii IV.

1 Rom. 13.

2 Can. duo ſunt. can. cum ad verũ 96. diſt. ca. nouit. de iudic. cap. per venerabilẽ. qui filii ſunt legit.

3 Cap. 6.

4 Lib. 2. de liber. Chriſt. cap. 2.

5 Matth. 22. Marc. 12.

6 In cap. inquiſitioni de ſent. excomm.

vbi dicitur: *Romano Pontifici, &c. veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.* quando laicus eſt qui iurat.

Negat tamen Bozius hanc iſtarum poteſtatum diſtinctionem & temporalem ſub Eccleſiaſtica contineri, eique directè ſubiectam eſſe, oppidò quam imprudenter, affirmat. Sed animaduertebat ſe perſpicua ſanctiſſimi Pontificis Nicolai I. confeſſione premi, qui in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem docet,[1] quod licet olim *Pagani Imperatores ijdem & maximi Pontifices dicerentur*, tamen *cum ad verum ventum eſt, eundem Regem atque Pontificem, vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ſic actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in infernum demergi, vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices, pro curſu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus vterentur, &c.*

1 Diſt. can. cum ad verū 96. diſt.

Cum igitur hoc ſummi Pontificis teſtimonio vtramque poteſtatem ſuis propriis actibus, dignitatibus, & officiis, ita ſeiunctam & ſeparatam ab altera cerneret, vt neque poteſtas temporalis iura ſpiritualis poteſtatis, neque hæc illius, vſurpare ſine iniuria poſſit: vt inde homo ingenioſus ſe extricaret ad inauditæ interpretationis diuerticulum confugit: in quo ſe ridiculum, nec tam in inueniendo artificioſum, quàm in efferendo temerarium oſtendit. *Aduertendum vero*, [2] inquit, *in his Nicolai dictis. Primo non aſſerere ipſum laicalem poteſtatem diſiungi à ſpirituali, vt eam non habeat eccleſiaſticus, ſed vt ſecularis non habeat eccleſiaſticam: propterea inquit diſcretas eſſe has poteſtates, non omninò, quaſi alteri altera non ſubordinetur ac ſit ſubiecta, ſed diſcretas eſſe ait officiis, actibus, dignitate: ſimulque cum dixiſſet, nec Imperator iura Pontificatus arripuit, non viciſſim dixit, Pontifex non arripuit iura Imperatoris. Non ait Iura, vt Nauarra in cap. nouit. perperam, neque, vti credo, aduertens retulit, ſed ait Nomen.*

2 Lib. 1. cap. 12.

Quid facias tam futili aucupe verborum? quem putares ſtuduiſſe, vt Pontifex Nicolaus non Paſtor ſed impoſtor, nec docere ſed deridere Imperatorem videatur. Quid enim? Nunquid de verbis ac non de rebus, de nomine ac non de iure & poteſtate, inter Papam & Imperatorem ſermo?

mo? aut nunquid Pontifex, vt obſcura verbi ambiguitate, vel mutatione, Imperatorem caperet, ac nõ potius vt ſimplice veritatis oratione inſtrueret, illam epiſtolam cõſcripſit? Scitum eſt leges rebus non verbis imponi [1]: & hæc epiſtola veluti Eccleſiaſtica quædam lex eſt. Quod ergo ait Nicolaus, *nec Pontifex nomen Imperatoriũ vſurpauit*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, *ius, ſiue iura, Imperatoris non vſurpauit*: quod aduertẽs doctiſſimus Canoniſta pariter & Theologus Nauarrus, aliique omnibus ſeculis in ſcientiis illis exercitati, *nomen & iura*, pro eodem in illa epiſtola acceperunt; quæ tamen ab iſto verborum captatore, vel inſcienter, vel malitioſè, aliò & aliò perperam detorta ſunt. *Scire leges non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem* [2].

Sed & hanc Bozii interpretatiõnẽ refellit, quòd Papa iſtis verbis, *Vt Pagani Imperatores iidẽ & Maximi Põtifices dicerẽtur* (id eſt, *nominarentur*) non de inani & ſolo nomine intellexerit, quaſi Imperatores vocarentur tantùm Pontifices, ſed de iure & officio; quòd iura atque officia omnia ſcilicet, & dignitates vtrique poteſtati conuenientes vnà cum nominibus occuparent: quod cùm ſit veriſſimũ, nec id Bozius negare audeat, cõſequens profectò eſt, aut nullam illic antidiaſtolen, nec perfectam inter horum & illorum temporum Pontifices & Imperatores, differentiam conſtitui à Nicolao, aut per *nomen Imperatorium*, intelligere eum iura omnia Imperialia: vt quemadmodum poſt Chriſtum agnitum & receptum Imperatores non amplius iura pontificatus, ita nec Pontifices, iura Imperatoria ſibi arripuerint. Denique ſi Papa ſe nomen tantummodo Imperatorium repudiare, ius verò & poteſtatem retinere illo in loco ſignificaſſet: an non meritò Imperator reponeret, ſe non tam de nomine quàm de iure eſſe ſolicitum? quò ſibi nomen, ſi alius ius ac poteſtatem habeat? Dixiſſet certè, nec tam grauem tuliſſet iniuriam, ſi tale quid ex verbis Nicolai Pontificis poſſe colligi credidiſſet.

At non dixit has poteſtates eſſe *omnino* ſeparatas, inquit Bozius. Fateor, & id prouidè, ne Pontificiis adulatoribus, aut aliis malè feriatis hominibus facilem calumniãdi anſam præberet: id enim verbum Bozius interpretaretur, *omnino quantum ad executionem ſcilicet*: plus igitur & explicatiùs dixit, nẽpe has poteſtates propriis actibus, officiis, & dignitatibus eſſe diſcretas, vt manifeſtè oſtẽderet nullo modo eſſe coniunctas, nec alteram alteri eſſe ſubiectam,

[1] L. 2. C. com. de legat.

[2] L. Scire leges. D. de legib.

quamuis ambæ in eadem perſona poſſint concurrere. Idem enim & Princeps temporalis & Pontifex eſſe poteſt: ſed nec vt Papa temporalium, nec vt Princeps ſpiritualium rerum actus, officia, dignitates, cæteraque iura ſibi poterit vendicare. Si ergo neque dignitatibus, neque officiis, neque actibus coniunctæ ſunt hæ poteſtates, dicat nobis Bozius, ecqua in re ſunt coniunctæ? Si dixerit, in eo quod *altera alteri ſubordinetur & ſubiecta ſit*: idipſum eſt quod negamus, quodque ſi verum eſſet, ſequeretur neceſſariò poteſtates illas, neque dignitatibus, neque officiis, ſed tantum actibus eſſe diſcretas; atque ita hanc Nicolai Pontificis ſententiam falſam eſſe. Nam dignitas, itemque officium, quod eſt in ſubordinato, non poteſt non eſſe in ſubordinante, cum ab eo in ſubordinatum deriuetur; inde eſt vt Princeps ſe violatum putet, dum eius miniſtri in exequendis officiis impediuntur; & Papa ſe ac ſedem Apoſtolicam contemni, ex ſpreta Legati à ſe miſſi authoritate arbitratur. At verò res omnes & perſonæ præſumuntur eſſe liberæ & non ſubiectæ, niſi contrarium probetur. Quæ cũ ita ſint, ridiculum planè eſt, & Boziani cerebri commentũ, quod ait, ex ſuperioribus Nicolai Papæ dictis apparere eũ *non aſſerere laicalem poteſtatem diſiungi à ſpirituali, vt eam non habeat eccleſiaſticus, ſed vt ſecularis non habeat eccleſiaſticam.* Vnde enim poterit apparere? cum ne verbum quidem in illa epiſtola extet, ex quo id probabili aliqua ratione colligi poſſit. Atque hactenus de iſto Bozii errore ſatis. Equidem non arbitror quemquam vſque adeo inſanire, vt non potius Hoſio quam Bozio fidem in huius rei definitione, in harum inquam poteſtatum diſtinctione adhibeat.

CAP. III.

ADnecterem hic alia Boziani erroris exempla, ni ſcirem opinionem illam quam ſopitam & pene extinctam conatur animare, vſque adeo iam abſurdam eruditis videri & tot perſpicuis rationibus eſſe conuulſam, vt iam non ſit metuendum, multos ea captum iri. Nam in primis certum eſt, neque Bozium, neque eius aſtipulatores omnes, quantumlibet ſacras literas & ſcripta Patrum terant & torqueant, vnquam inde certum aliquod teſtimonium prolaturos, quo illa quam ſomniant, temporalis Papæ iuriſdictio & poteſtas, in Principes & populos totius Orbis, liquido confirmetur.

Sed

Sed nec vllum veſtigium talis poteſtatis temporalis per manus traditæ ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, in ſeptingenteſimum, ne dicam milleſimum annum à Chriſto paſſo reperitur. Qua de cauſa doctiſſimus Bellarminus in iſtius opinionis refutatione, hoc validiſſimo argumento ſcitè & ſuccinctè vtitur.[1] *Si res ita ſe haberet* (quod Papa ſcilicet ſit Dominus temporalis totius Orbis) *deberet id conſtare ex Scripturis, aut certe ex Apoſtolorum traditione. Ex Scripturis nihil habemus niſi datas Pontifici claues regni cœlorum : de clauibus regni terrarum nulla mentio, traditionem Apoſtolorum nullam aduerſarii proferunt.* Quæ res, ſimulq; ingens Theologos inter & Canoniſtas, & vtrorumque inter ſe, de hac re diſſenſio, dum hi directam, illi indirectam poteſtatem aſtruunt, facit vt quæſtio hæc de temporali poteſtate Papæ, dubia & incerta, ac tota in hominum opinione poſita videatur: ac proinde ſolutionis eius veritatem lumine rationis, & diſſerendi ſubtilitate eſſe perueſtigandã: nec eſſe de fide, vt loquuntur, de ea hoc aut illo modo ſentire. Quæ enim fidei ſunt, ea ab omnibus & vno modo tenenda ſunt.

[1] Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 3.

Ad me autem quod attinet, quanquam ore animoque profiteor, ſummum Pontificem Vrbis Romæ Antiſtitem (vtpote vicarium Chriſti, & legitimum D. Petri ſucceſſorem, atque adeo vniuerſalem & ſupremum Eccleſię Paſtorem) ſpirituali poteſtate ſuper omnes Reges & Monarchas Chriſtianos præditum eſſe, inque eos imperium habere & exercere poſſe, quod in omnes animas Petro Apoſtolo datum fuiſſe Scriptura teſtatur, ligandi ſcilicet & ſoluendi; Non tamen propterea adducor, vt æquè credam eum Reges & Principes ſeculares in ſua poteſtate temporali continere, aut illis in Deum vel homines delinquentibus, vel ſuo alioqui munere abutẽtibus, imperium abrogare, ſceptraq; auferre & aliis conferre, vllo modo poſſe: aut deniq; ius aliquod temporale in homines laicos, cuiuſcũque ſint ordinis vel conditionis, obtinere; niſi id ciuilibus & legitimis modis acquiſierit. Quòd opinionem id aſſerentem à multis quidem tentatã, ſed à nullo ſatis firma ratione probatam hactenus animaduerterim: & pro ſententia negãte grauiores multo & certiores rationes afferri poſſe videantur. Equidem pro meo in ſedem Apoſtolicam ſtudio, id ei iuris competere, certis & indubitatis argumentis oſtendi poſſe vehemẽter cuperem, eò paratus inclinare, quo ratio potior & authoritas propendent. Sed propius ad diſputationem veniamus.

Papam temporali poteſtate in Reges & Principes dominari, perſpicuè falſum eſſe; vel ex eo conſtat, quod abſurdum & iniquum ſit dicere, Principes Ethnicos duriore & deteriore conditione ab Eccleſia eſſe receptos, quam ſingulos quoſque de multitudine: vel Papam habere maiorem nunc poteſtatem in Principes politicos Chriſtianos, quàm olim D. Petrus & cæteri Apoſtoli in quemlibet priuatum hominem Eccleſiæ filium. At hi nullum ius & poteſtatem temporalem habuerunt tunc tẽporis in Chriſtianos laicos: ergo nec Papa in Principes ſeculares poteſtatem vllam temporalem nunc habet. Aſſumptio inde probatur, quod certo certius ſit, eccleſiaſticam poteſtatem fuiſſe omnino ſeparatam à politica, tempore Apoſtolorum (Bozii ineptias nunc non moror) & hanc totam penes Ethnicos Principes extra Eccleſiam fuiſſe: adeo vt ipſi Apoſtoli in poteſtate temporali Ethnicorum fuerint, idque & Albertus Pigghius, [1] & Robertus Bellarminus, [2] aliique Theologi inſignes ingenuè fatentur. Chriſtus enim venit, *non ſoluere legem, ſed adimplere*; nec naturæ & gentium iura tollere, aut quenquam temporali rerum ſuarum dominio excludere: itaque ſicut ante eum Reges politicâ poteſtate ſubditis præerant, ita etiam poſteaquã aduenit, & à nobis deinde in cœlos receſſit, eam ipſam poteſtatem Apoſtolorum doctrina confirmatam nullaque ex parte delibatam retinuerunt. Si itaque Petrus cæterique Apoſtoli, antequam Chriſtum ſequerentur, temporali Principum Ethnicorum ditioni & iuriſdictioni ſubiiciebantur (quod negari non poteſt) nec Dominus vllibi disertè & nominatim ipſos ab illa naturalis & gentium iuris obligatione liberauit: cõſequitur neceſſariò, manſiſſe eos ſub eodem iugo etiam poſt Apoſtolatum, cum id nihil prędicationem & propagationem Euangelii potuerit impedire. Nam etſi fuiſſent verbo Saluatoris liberati, quid contuliſſet quæſo eorum exemptio ad Euangelium ſeminandum? aut quid amplius pauci illi & pauperes homines, vinculo temporalis poteſtatis in conſcientia ſoluti, efficere potuiſſent, quam relicti in priſtina conditione parendi? Siquidem ius illud libertatis, ſi quod fuiſſent nacti, illiberali & iniuſto Principum & populorum infidelium facto impeditum, ac inutile fuiſſet. Sed & eos aliorum ciuium inſtar Principibus ſubditos extitiſſe, ex ipſorum doctrina & factis apparet, quippe id illis exprobrari nõ poteſt, quod

[1] Lib. 5. cap. 7. Hierar. Eccleſ.
[2] Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29.

Chri-

Chriſtus Scribis & Phariſæis exprobrat, aliud eos feciſſe, aliud docuiſſe. Docuerunt autem Chriſtianis ſubiectionē & obedientiam, de qua loquimur, Regibus & Principibus exhibendam [1]. Qua de cauſa Paulus ipſe ad Cæſarem appellauit, & iuſſit Chriſtianos omnes ſubiectos eſſe temporali poteſtati Ethnicorū. [2] *non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Nam quod quidam dicunt D. Paulum non de temporali poteſtate ſecularium Principum illic loqui, ſed de poteſtate in genere, vt quiſque ſuo ſuperiori obediat, laicus laico, eccleſiaſticus eccleſiaſtico, mera cauillatio eſt, & reſponſum viris doctis ac Theologis indignū. Nulla ſiquidem tunc temporis alia quàm politica & temporalis poteſtas vulgò ab hominibus agnoſcebatur; & Apoſtolus diuino ſpiritu afflatus ita ſuas epiſtolas conſcripſit, vt non ſolum conuerſos ad fidem erudiret, ſuique officii commoneret, ne exiſtimarent ſe ita Chriſti ſanguine redemptos, vt nulli amplius poteſtati ſeculari obedire tenerentur, (quod quorundam animis, Chriſtiani nominis dignitate & libertate fretis, perperam inſederat) ſed etiam vt Ethnicis & infidelibus oſtenderet, legem Chriſtianam nullius ſuum auferre, nec eſſe vllo modo temporali Regum & Imperatorum authoritati & poteſtati contrariam. De ſola igitur temporali poteſtate intelligi debere eo loco Apoſtolum apparet, quod tunc temporis alia nulla, vt dictū eſt, agnoſceretur. Et eo quidem ſenſu antiqui Patres Apoſtolū ibi ſemper interpretati ſunt, vnde D. Auguſtinus in eius loci expoſitione, fatetur ſeipſum, & per conſequēs in ſua perſona Prælatos omnes Eccleſiæ, temporali poteſtati ſubditos eſſe; cuius verba, quoniam magnam huic diſputationi lucem adferunt, integra aſcribam. Sic ergo ille [3] *Quod autem ait, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: rectiſſimè admonet, ne quis ex eo quòd à Domino ſuo in libertatem vocatus eſt, factus Chriſtianus, extollatur in ſuperbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere ſeruādum eſſe ordinem ſuum, vt poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, exiſtimet non ſe eſſe ſubdendum. Cum enim conſtemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali ſumus, etiam rebus temporalibus ad ſubſidium degendæ huius vitæ vtamur, oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus, id eſt, hominibus res humanas cum aliquo honore adminiſtrantibus. Ex illa vero parte qua credimus Deo, & in regnum* eius

[1] Ad Rom. 13.

[2] 1. Petr. 2.

[3] In lib. expoſitionis quarundā propoſ. ex epiſt. ad Rom.

eius vocamur, non nos oportet eſſe ſubditos cuiquam homini, idipſum in nobis euertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus eſt. Si quis ergo putat, quoniam Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe vectigal reddendum, aut tributum, aut non eſſe exhibendum honorem debitum eis qui hæc curant poteſtatibus, in magno errore verſatur. Item ſi quis putat ſe eſſe ſubdendum, vt etiam in ſua fide habere poteſtatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliqua ſublimitate præcellit, in maiorem errorem labitur. Sed modus iſte ſeruandus eſt, quem Dominus ipſe præſcribit, vt reddamus Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ Dei ſunt.

Multa hîc paucis complectitur Auguſtinus, quæ varias aſſertiones noſtras ſpatſim hoc libro poſitas fulciũt. Nam & primùm docet, quod iam diximus, Chriſtianæ religionis profeſſionem non eximere quenquam à temporalis poteſtatis ſubiectione: ex quo duo neceſſario ſequuntur, quorum alterum eſt, Apoſtolos cæteroſque Chriſtianos omnes temporali Ethnicorum Principum & Magiſtratuum poteſtati fuiſſe ſubiectos, ac proinde neque D. Petrum neque alium vllum Apoſtolum aliqua temporali poteſtate in Chriſtianos præditum fuiſſe, quòd ea tota penes Ethnicos eſſet, vt hoc capite oſtendimus. Alterum verò, non licuiſſe primis illis Chriſtianis ab Ethnicorum Principum imperio deficere, & alios ſibi Principes & Reges conſtituere, etiamſi vires illis ad id perficiẽdum ſuppetiſſent, vt falsò putat Bellarminus.[1] quia non erant liberati à iugo poteſtatis temporalis, cui ante ſuſceptam Chriſti fidem ſubiiciebãtur. quod etiam infrà cap. 21. prolixa diſſertatione oſtendemus. Deinde intelligit locum illum Apoſtoli de temporali poteſtate tantùm, ſicut & nos hoc capite. Tertio cùm generaliter de illa ſubiectione loquatur, eoque ſermone vtatur in quo ſeipſum includit, neminem verò excipit, ſatis apertè indicat, Clericos iuxtà ac Laicos tẽporali poteſtati in hac vita ſubditos eſſe. Poſtremo illuſtrẽ nobis doctrinam tradit, de duplici officio ſubditorũ, erga Deum ſcilicet, & Regem, ſiue poteſtatem temporalem, quomodo debeãt vtrique ſeruire, & quod ſuum eſt reddere; quam nos doctrinã ſecuti ſumus hoc libro, & in libris de Regno. Sit ergo hoc poſitũ, locum illum D. Pauli, de quo ſuprà, non niſi de poteſtate tẽporali ab eo ſcriptum eſſe. Fatemur tamen ſententiam illam de obedientia præſtanda, ad ſpiritualẽ quoque poteſtatẽ, propter omnimodam ſimilitudinẽ, & *identitatẽ rationis,*

[1] Lib. 5. de Rom. Pontifice, cap. 7.

nis, vt aiunt rectiſſimè accommodari poſſe [1]. [1] L. illud D. ad leg. Aquil.
i ergo nullam temporalem poteſtatem habuerunt tūc
oſtoli in priuatos homines regeneratos, & filios Eccle-
factos, qui fieri poteſt vt ſucceſſores Apoſtolorum eam
teſtatem in Principes ad Eccleſiam venientes nacti ſint?
uandoquidem ex parte ſucceſſorum repugnat, eos plus
ris habere in filios ſpirituales virtute poteſtatis Eccleſia-
ticæ, quam habuerunt ipſi Apoſtoli quibus ſuccedunt. Ex
parte verò Principū quid indignius & iniquius dici poteſt,
quàm eos fidem Chriſti profitentes, duriore iugo preſſum
ri, quā ſingulos de multitudine? At priuati homines quan-
do in ſpiritualem Eccleſiæ ditionē concedebant, nihil pa-
trimonii aut iuris temporalis amittebant, exceptis rebus
illis, quas ſponte obtulerant, & in communem vſum con-
tulerant, vt ex actis Apoſtolorū patet, [2] vbi Ananias morte [2] Cap. 5.
mendacium luit, increpitus, à D. Petro his verbis: *Nonne
manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* Si-
militer ergo & Principes vbi Chriſto nomen dabant, ius
omne ſuum temporale (imperium dico & poteſtatem poli-
ticam) integrum & intactum retinebant. Nec iuuat ad-
uerſariorum cauſam, dicere Apoſtolos ideo non habuiſſe
temporalem poteſtatem in ſui ſeculi Principes, quia non-
dum facti erant Chriſtiani: ſecundū illud, [3] *Quid enim mi-
hi de ijs qui foris ſunt iudicare?* Papam verò nunc illam pote-
ſtatē habere, quia facti ſunt Chriſtiani & filii Eccleſię, cu-
ius ipſe ſupremus Princeps & caput in terris eſt atq; omni-
um Chriſtianorum pater: & rectum naturæ ac rationis or-
dinem poſtulare, vt filius patri, non pater filio ſubiiciatur.
Hæc inquam adeò nihili ratio eſt, vt mirum ſit locum ei a-
liquem à viris Doctis datum eſſe. Nam illa ſubiectio ſpiri-
tualis, per quam Principes facti ſunt filii Papæ, penitus di-
ſtincta & ſeparata eſt à ſubiectione temporali, ita vt altera
alteram non ſequatur. Sed quemadmodum Præſes vel Cō-
ſul, interea dum Magiſtratum gerit, poteſt ſe in adoptio-
nem alii dare, [4] atque ita in familiam patris adoptiui & pa-
triam poteſtatem tranſire: cum tamen per illum actum le-
gitimū nec faſces conſulares, nec aliud quicquam iure ma-
giſtratus ſibi competens in adoptantem transferat: ita Re-
ges & Principes, atq; omnes omnino homines, cum in Ec-
cleſiæ gremium ſe cōferunt, & ſummo Pontifici tanquam
patri in adoptionem dant, inſignia imperii, & quicquid vſ-
piam temporalis iuriſdictionis aut patrimonii habent, eo-
dem

[3] 1. Cor. 5.
[4] L. 3. D. de adopt.

dem planè iure quo antè, libera, integra, atque intacta ſibi retinent. atque ita Pontifex nihil amplius temporalis poteſtatis per illam adoptionem ſpiritualem acquirit, quam ante adoptionem habuerat. quod pluribus infra demonſtrabitur [1].

[1] Cap. 14. Huc accedit, quòd florente plurimùm republica Chriſtiana, tum multitudine credentium, tum ſanctimonia Pontificum, tum eruditione & exemplis Doctorum, atque à malis interim Principibus, etiam filiis Eccleſiæ per regenerationem factis, vexata, atque iactata, nulla de hoc principatu & iuriſdictione temporali Papæ in Principes ſeculares, non dicam expreſſa & manifeſta declaratio, ſed ne leuiſſima quidem mentio inter Eccleſiaſticos facta ſit: quæ tamen ſi in Petri perſonam à Domino fuiſſet collata, aut eius ſucceſſoribus aliquo modo competiſſet, licet eam re vera, ſiue de facto, vt loquuntur, non exercuiſſent, haudquaquam à tot tantiſque viris ſanctis & ſapientibus, ac præ Dei & Eccleſiæ cauſa nihil non contemnentibus, fuiſſet tam alto ſilentio & tam diu prætermiſſa. Quid inquam minus credibile, quàm omnes illorum temporum Pontifices, zelo & ſtudio Eccleſiæ gubernandæ flagrantes, hanc ſui officii paſtoralis partem, ſi modò partem eſſe cenſuiſſent, (in qua eorum ſucceſſores quidam, maximum fidei protegendæ præſidium collocarunt) ita negligere voluiſſe, vt ea aduerſus Imperatores hæreticos, tot tantiſque occaſionibus nequaquam vterentur. Nemo tamen inter eos extitit, qui ſe Imperatoribus iure Diuino ſuperiorem in temporalibus, vel ſcripto vel verbo vnquam ſignificauerit: quin potius, vt quiſque doctrina & ſanctitate magis excelluit, ita Imperatorem ſubmiſſius obſeruans, eius ſubditum & ſeruum ſe eſſe profeſſus eſt. B. Gregorius Magnus multorum inſtar ſit, qui in quadam ad Mauricium Imp. epiſtola. [2] *Ego autem indignus pietatis veſtræ famulus*, inquit. & paulò poſt, *ad hoc enim poteſtas ſuper omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data eſt.* (*dominorum* dixit, vt Imperatorem ſimul & Auguſtam comprehenderet, cum qua Mauricius Imperium in dotem accepit) En vt ſanctiſſimus hic Pontifex teſtatur, Imperatori poteſtatem cęlitus datam ſuper ipſum Papam. *ſuper omnes*, inquit, *homines*: ſuper Papam ergo ſi homo eſt. Vtrum autem vt Epiſcopus & Papa, an vt homo priuatus id ſcripſerit, ad mentem ſenſumque authoris non intereſt. cum idem vtrouis caſu & ſenſiſſe

[2] Lib. 2. epiſt. 61. indict. 11.

ſenſiſſe eum & ſcripſiſſe credendum ſit. ad inſtitutum noſtrum ſatis eſt ſcire, qualiter ſeculi illius Pontifices ergaImperatorem ſe geſſerint. Non enim vereor, ne vir doctus aliquis dicat, Gregorium in illa epiſtola, per humilitatem, ita Imperatorem exaltaſſe, & ſubiectione non debita ſe ei ſubmiſiſſe. quòd ſi ſciolus fortè aliquis obiiciat, ei reſponſum volo, grauem tam ſancto Pontifici ab eo iniuriam inferri, quòd dicat illum humilitatis cauſa mentiri, & mentiri magno cum Eccleſiæ & dignitatis Pontificalis præiudicio, vt non iam officioſum, ſed pernicioſum mendacium fuerit. Audiat S. Auguſtinum. [1] *Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaueras.* Gregorium autem non fictè & officioſè, ſed ex animo locutum eſſe, teſtantur quæ ſub finem illius epiſtolæ expreſſius de ſua ſubiectione & obedientia erga Imperatorem neceſſaria ſcribit. Tulerat Mauricius legem, quam Gregorius, licet iniquam, & Eccleſiaſticæ libertati nonnihil aduerſantem, accepto Imperiali de ea publicanda mandato, ad varias regiones promulgandam tranſmiſit. Ita igitur epiſtolam illam concludit. *Ego quidem iuſſioni ſubiectus, eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitti feci: & quia lex ipſa Omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſſimis dominis nuntiaui. Vtrobique ergo, quæ debui, exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi minimè tacui.*

[1] Serm. 29. de verb. Apoſtoli, tom. 10.

O diuinum Antiſtitem, & ſententiam nullis non ſequẽtium ſeculorum Pontificibus inculcandam! Sed proh Numen! quò benigna illa & humilis confeſſio à noſtris ſeculis exulauit? cui paulatim ſuccreuit hæc minax & faſtuoſa aduerſus Reges & Imperatores oratio. *Nos in ſupremo iuſtitiæ throno collocati, ſupremam in omnes Reges & Principes vniuerſæ terræ, cunctoſque populos, gentes, & nationes, non humanaſed diuina inſtitutione, nobis traditam poteſtatem obtinentes, declaramus, iubemus, præcipimus.* [2] &c. quæ verba falſa & inania vel ex eo eſſe patet, quòd Papa in Principes & populos infideles, qui multitudine Chriſtianos ſuperant, neque temporalem neque ſpiritualem poteſtatem habeat. vt Bellarminus in libris de Romano Pontifice firmiſſima rationeoſtendit [3].

[2] Ex Bulla Pii V. aduerſ. Regin. Angl. & Sixti V. contra Regem Franciæ.

[3] Lib. 5. cap. 2.

Hæc igitur & his ſimilia, quẽ nõ in tãtę mutationis ſtatus & imperii Põtificalis admirationẽ trahãt? aut cui non iuſtã inqui-

inquirendi cauſam offerant, cur priores Pontifices florẽtiſſimo Eccleſiæ ſeculo, ſe Principum famulos, ſeruos, & ſubditos agnouerint, eorumque imperio in temporalibus obſequuti ſint, cum illis nihilominus in ſpiritualibus præeſſent: poſteriores autem, ſe Regum, Principum, gentium, & nationum omnium Dominos profiteantur. Multis certè ea res, eruditis & Catholicis hominibus, non mediocrem de huius mutationis iure dubitandi cauſam præbet, imò vero credendi tam ingens & abſolutum imperium temporale, in perſonis Pontificum, non ab Omnipotente Deo, ſed ab impotente hominum quorundam cupiditate originem habuiſſe: nec à Chriſto Domino in Petrum initio diuinitus collatum, ſed ab aliquot Petri Succeſſoribus, poſt multas ætates, humano more fuiſſe vſurpatum. nempe Põtifices quoſdam auctis in immenſum opibus, cæcæ ambitioni atque odio indulgentes, ſenſim eam ſibi poteſtatem vindicaſſe, qua ſibi licere quicquid eſt vſpiam regnorum & principatuum adimere dareque contenderent. Homines ſanè erant, &, vt cæteri mortales interdum appetentiores vanitatis: qualis ille qui ſolo odio Philippi Pulchri Regis Franciç decretalem conſtitutionem edidit,[1] quç tot ſcandala, tot pericula peperit, vt ſtatum à Bonifacio ſucceſſore metuerit abrogari.[2] Auxit verò in illis, & aluit id vitii mira & miſera palponum quorundam adulatio, qui ineptis aſſertionibus, cuiuſmodi nunc ſunt Boziana Deliria, Papæ omnia licere, omniaque iure diuino ſubiecta eſſe affirmabant. quo minus mirari oportet, nõnullos ipſorum, Pontificalis & Apoſtolicæ modeſtiæ vſqueadeo eſſe oblitos, vt potentiæ amplificandæ ſtudio in fines alienos incurrerint. De quibus Gaguinus vir Doctus & religioſus, *Hanc tam late patentem & vſurpatam authoritatem* (vt ille vocat) obiter taxans.[3] *Itaque ea eſt*, inquit, *hodie illorum ſublimitas & amplitudo, vt parui habitis Regibus, licere illis omnia glorientur. Neque quiſquam ad Pontificatum mea ætate venit, qui dignitate adepta, non ſtatim ſuos nepotes magnis opibus & principatu donauerit.* Et ante Gaguinum diu S. Bernardus.[4] *An non limina Apoſtolorum iam plus ambitio quàm deuotio terit?* Hinc Platina[5] *Moratur autem hoc modo Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis, terrorem potius quàm religionem inijcere conabatur: quique dare regna & auferre, pellere homines ac reducere, pro arbitrio animi conabatur.* Atque idem Gaguinus alibi:[6] *Talem vitæ exitum habuit*

1 Cap. clericis de immu. eccl. in 6.
2 Clement. de immunit. eccleſ. vbi gloſſ. id notat.
3 Hiſt. li. 10. hiſt. Franc. in vita Caroli VII.
4 lib. 3. de conſider. ad Eugen.
5 In vita Bonifacii VIII.
6 Lib. 7. hiſt. in vita Philip. Pulchri.

habuit contemptor omnium hominum Bonifacius, qui Chriſti præceptorum minimè recordatus, adimere & conferre regna pro ſuo arbitrio conabatur, cum non ignoraret eius ſe loco verſari in terris, cuius regnum non de hoc mundo & terrenis rebus, ſed de cœleſtibus eſſet: quique dolo & malis artibus epiſcopatum Romanũ ſibi quæſiuerat, & Cœleſtinum (ſanctiſſimum virum) *à quo dignitatem receperat, in carcere, dum vixit, habuerat.*

CAP. IV.

DVas autem res potiſſimum inuenio, quæ anſam Pontificibus tantam poteſtatem arrogandi videtur præbuiſſe. Harum vna eſt, ingens ille honos, qui, vt par erat, Principibus & populis Chriſtianis ſummo animarum paſtori deferebatur, & deferri adhuc debet: atque etiam præiudicata ſanctitatis opinio de ſede illa beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ inter omnes in omni dignitate & authoritate ſpirituali vna eminet: eoque maximis copiis & facultatibus præ cæteris aucta eſt & ornata. His de cauſis facile omnes adducebantur, vt crederent, nec Papam pro ſua ſanctitate alieni iuris quicquam ſibi velle aſſumere: nec fas eſſe Chriſtiano iuſſa Pontificia vllo modo detrectare. Inde factum, vt huius tantæ reuerentiæ & beneuolentiæ fiducia erecti Pontifices nonnulli, quibus animus ad gloriam procliuior, iſtam ad ſe poteſtatem in Reges traherent, primis ſucceſſoribus, Petri fuiſſe deceſſoribus prorſus ignotam. Eo acceſſit præoccupatum vulgi & illiteratorum iudicium, qui hac ſanctitatis opinione imbuti, Papam nec dicto nec facto errare poſſe credebant: atque etiam Clericorum & Canoniſtarum quorundam ſcriptio, qui, ſeu veritatis ignoratione lapſi, ſeu in Principis ſui Papæ, à quo vno pendebant, adulationem effuſi, quicquid toto orbe terrarum poteſtatis eſt in eius ſolius perſonam contulerunt: illis blandimentis atque illecebris Pontifices ſponte ſua ad gloriam currentes, velut nouis ambitionum facibus, accenſi ſunt. Omnes enim, quotquot ſedem illam legitime tenuerunt, pari cum Petro authoritate regimini Eccleſiæ præfuere, ſed non omnes Petri zelo accenſi, paribus eam ſtudiis gubernarunt. Proh dolor, & nonnullos conſtat per vim & ſcelus in locum illum irrepſiſſe, alios irrupiſſe, & ſanctiſſimam cathedram moribus inquinatiſſimis fœdauiſſe: alios vero, quanquam legitime ad eius faſtigium dignitatis euectos,

ctos, ambitioſa dominandi libidine exarſiſſe, & magna Regum ac Principum ſecularium æmulatione, fines imperii ſui, quod initiò merè fuit ſpirituale, temporalis poteſtatis acceſſione proferre, nullo non artificio eſſe annixos. quod ſtudium licet principiò videbatur nonnullis ad ornamentũ tantæ dignitatis pertinere, qua Chriſti in terris Vicarius, & B. Petri ſucceſſor fungitur, tamen vbi eorum aliqui eò arrogantiæ deuenerunt, vt non ſolum Reges de ſolio deiicere, ſed regna etiam ampliſſima in præmium imo in prædam dare & occupanti concedere, ſibi licere, in animum inducerent: tum certè nemo ſanus inſanam illam animi elationem non magnopere improbauit, & vel lachrymas vel indignationem tenuit. Quis tum non ingemuit vel infrendit, cum ſuperbiſſimus ille Pontifex, cuius modò meminimus, potentiſſimo Monarchæ Philippo Pulchro regnum abrogare, & Alberto Auſtriæ Duci vnà cum Imperio conferre oppidò quàm arroganter præſumpſit? Nec id alia de cauſa, quàm quòd Rex Legatum ipſius minitantem ſibi audacius in carcerem miſiſſet: quaſi eo facto Rex Franciæ (quem paulò antè Innocentius III. ingenuè faſſus erat [1] non habere ſuperiorem in temporalibus) regnum tanquam Papæ cliens & beneficiarius commiſiſſet. Ita enim per Archidiaconum Narbonenſem Regi mãdat, *regnum Franciæ ob eius contumaciam, & violatum ius gentium, ad Romanam Eccleſiam eſſe deuolutum.* quod quid aliud ſonat, quàm regnum illud, omnium opinione liberrimum & florentiſſimum, eiuſque exemplo cætera omnia regna Chriſtiana, Eccleſiæ Romanæ atque adeo Papæ beneficia ſeu feuda eſſe? cùm non aliter ad illam Eccleſiam propter contumaciam & *feloniam*, vt vocant, deuolui poſſint, quàm ſi ipſa dominium directum temporale illorum regnorum obtineat.

1 Cap. per venerabilem. qui fil. ſint legit.

Alteram tantæ iuriſdictionis temporalis occupandæ anſam, præbuit gladius excommunicationis maximum ſpiritualis imperii propugnaculum, qui tanto terrori erat, vt populus minas Pontificias, excommunicationis fulmine, quo iure quaque iniuriâ communitas, neque contemnere, neque negligere auderet: aut in concionibus frequẽter ea vox perſonaret, *omnem excommunicationem, etiam iniuſtam, eſſe timendam.* & ſolius Pontificis eſſe, æſtimare iuſta ſit an iniuſta. Etiam illud, *cum excommunicatis nec cibum eſſe ſumendum, nec vlla in re communicandum eſſe.* [2] quibus monitio-

2 Can. ſicut. can. excommunicatos. 11. q. 3.

nitionibus & minis conterriti plerumque Principum excommunicatorũ ſubditi, ab obſequio deficiebant: & quod extremum in eiuſmodi malis erat, Papa in excommunicatum à ſe Principem, Principes alios partim ſimili anathematis interminatione, partim blandimentis & largitionibus concitabat. Itaque Principes illi, quos iſta Pontificum inuidia premebat, tot vndique periculis inuoluti, tot caſibus expoſiti ſceptri potius ſubmiſſione iratum Pontificem placare, vexationemque redimere maluerũt, quàm omnia inteſtinis ſeditionibus, publicoque incendio, ſuâ causâ miſcere. Hæc via Pontificibus compendiaria fuit ad metũ Regibus & Principibus iniiciẽdum, & victoriam pene ſine certamine parandam. nonnulli tamen infractis animis aduerſus eiuſmodi conatus Pontificios reſtiterunt tanto robore, vt inde orta calamitas Papam quàm Principẽ magis afflixerit. Sed hîc Lector monendus eſt ſententiam illam omnium vocibus celebratam, *excommunicationem omnem eſſe timendam*, cum hac exceptione intelligi debere, *extra quam ſi manifeſtè conſtet eſſe iniuſtam*. tunc enim nec curanda, nec timenda eſt, modò abſit ab excommunicato contemptus & præſumptio: nec eum enim in quem fertur, ſed à quo fertur afficit atque lædit. Cuius generis excommunicatio illa videtur, quæ in ſubditos profertur, eo quod Regi vel Principi ſuo excommunicato pareant in iis quæ temporalis ſunt iuriſdictionis, & Dei mandatis non repugnant: vt infrà commodiore loco demonſtrabitur [1]. Præterea nec illud vniuersè verum eſt; *cum excommunicatis non eſſe communicandum, aut cibum ſumendum*. Neque enim id verum eſt, vbi periculum impendet, ne ex eiuſmodi ſeparatione magnum in Eccleſia malum oriatur, vt ſolet Principe excommunicato, ſi ſubditi eius cõmunione abſtineant: nam vix vllus Principum tam perditus eſt, qui non inueniat amicos & clientes, quorum opera & armata manu cauſam ſuam quamlibet iniuſtam, magno cum Eccleſiæ ac Reipublicæ intertrimento, tueatur: cuius rei, & patrũ memoria & noſtra ætate, exempla luctuoſa in Chriſtianis gẽtibus extiterunt, vbi inquã tale quid timetur, corporũ ſeparatio non eſt neceſſaria, *ſed ſufficit à talibus corde ſeiungi, vita moribusq́; diſtingui, propter compenſationem cuſtodiẽdæ pacis & vnitatis, propter ſalutem infirmorum*, vt præclarè docet S. Auguſtinus. [2] ex quo ſequi videtur Papam inconſideratè facere, qui ſubditis communione Principum interdicit,

1 Cap. 21.

2 Lib. 3. contra Epiſt. Parm. ca. 2.

quoties inde ſeceſſio & turba non mediocris Eccleſiæ vel Reipublicæ impendet, imò nec teneri ſubditos in eiuſmodi caſu, Papæ ſeparationem corporum imperanti obedire. Sed ea de re vberiùs ſuo loco.

Ex his & ſimilibus apparet, quod dixi, Pontifices poſtremis Eccleſiæ ſeculis temporalem iſtam in Principes poteſtatem ſenſim ſibi vſurpaſſe, quam nemo omnium deceſſorum neque primis neque mediis temporibus vnquam agnouit. Et verò Gregorius VII. partim publica offenſa Henrici IV. Imperatoris, partim priuata iniuria permotus, id iuris dandi & auferendi regna, apertè ſibi primus omnium aſſeruit, affirmans Chriſtum Petro & eius ſucceſſoribus omnia Mundi ſceptra dediſſe, hoc verſiculo,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Verùm nihil aliud Gregorius eo facto, quàm cruentas & furioſas tragœdias excitauit; nec infœliciter deſtinata, vi & armis prohibitus perfecit. Quod autem Eccleſia poteſtatem eiuſmodi primis temporibus non habuerit, ac ne quidem habere ſe crediderit, ex illa quam attulimus Hoſii epiſtola, ad Conſtantium Ariana hereſi infectum, & Romanum Pontificem Liberium, alioſque Orthodoxos Epiſcopos exiliis, variiſque moleſtiis vexantem, liquidò comprobatur. Nam loquitur ibi vir magnus non in priuati hominis Chriſtiani, neque in ſimplicis Epiſcopi perſona, ſed totius ordinis Eccleſiaſtici, atque adeo ſummi Pontificis nomine: & aut verum dicit aut falſum. Si verum, conſtat Eccleſiam tunc temporis ſenſiſſe, nullam ſe in Reges & Principes Chriſtianos temporalem iuriſdictionem, ne quidem ob hereſin, quod crimen grauiſſimum & pernicioſiſſimum eſt, habere. Sin falſum, quamobrem? an vt Imperatori aſſentaretur? ſcilicet, qui tunc verè dicere potuit, *loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum & non confundebar* [1]: An quia rei veritatem, & eccleſiaſticam doctrinam
Pſal. 118. Vau. ignorabat? equidem non arbitror quenquam id ei viro aſcripturum, qui pleroſque coetaneos ſuos doctrina & eloquentia nō æquauit modò, ſed & experientia propter ætatem anteiuit: qui cùm ſæpius Conciliis & cœtui ſanctorum Patrum interfuiſſet; eorumque de iure ac poteſtate Eccleſiæ ſententias audiiſſet, non potuit ignorare, quid ibi eſſet de malis Principibus, & Eccleſiæ in eos iuriſdictione definitum. Addo, quod caput eſt, hanc nobiliſſimi Confeſſoris ad Conſtantium ſententiam à S. Athanaſio laudatā, à nullo au-

lo autem ſanctorum Patrum eius ætatis aut ſequentium ſeculorum improbatam, vt meritò præiudicatam de hac ſententia opinionem habeamus.

Cap. V.

DE Bozii & Canoniſtarum ineptia, qui Papæ Dominium & Imperium totius orbis iure diuino tributum eſſe dicunt, ſatis iam, ſuperque diſſerui. Neque enim in ea refutanda operam conſumere mihi neceſſe eſt, cùm ſit communi Theologorum calculo iampridem exploſa. Nunc ad alteram opinionem tranſeamus, quam Theologi, quibus illa Canoniſtarum diſplicet, reiectæ loco ſubſtituunt: & an ſit cum veritate coniuncta videamus. Hanc autem ita capite primo propoſuit; *Papam habere poteſtatem temporalem indirectè, & aliquo modo, id eſt, ratione, ſua ſpiritualis Monarchia: habere* inquam *ſummam poteſtatem etiam temporalem diſponendi de temporalibus rebus omnium Chriſtianorum*, quæ ſententia ſi vera eſt, quicquid Pontifici per abnegationem directæ poteſtatis ſubtractum eſt, id ei per obliquam & indirectam hanc imperandi viam cumulatè reſtituitur. Sed vereor ne vera non ſit, & expugnetur iiſdem machinis, quibus illa Canoniſtarum conuellitur. Nam Theologi, & doctè præ ceteris Bellarminus, Canoniſtarum opinionē, quæ Papæ totius orbis Dominium tribuit, & Regibus ac Principibus ſecularibus executionem tantum à Papa demandatam, hac ratione redarguunt, quòd ipſimet Pontifices ingenuè fateantur (vt variis ipſorum epiſtolis expreſſum eſt) Imperia & regna temporalia à Deo Principib. eſſe tributa: & quicquid habent Reges & Imperatores, ſiue poteſtatis ſiue executionis, id illos à Chriſto habere. vnde idem Bellarminus argumentum illud aduerſus Canoniſtas hoc dilemmate ſcitè concludit. [1] *Peto igitur*, inquit, *vel poteſt ſummus Pontifex auferre à Regibus & Imperatoribus hanc executionem, tanquam ſummus ipſe Rex & Imperator, aut non poteſt? Si poteſt, ergo eſt maior Chriſto: ſi non poteſt, ergo non habet verè poteſtatem regiam.* [1] Lib.5. de Rom. Pont. cap.3.

Quidni & nobis, eiuſdem generis argumento aduerſus alteram hanc Theologorum opinionem, vti liceat? Regna & imperia dantur à Deo, vt multi ſanctiſſimi Pontifices teſtantur. Qua ratione B. Gregorius in quadam ad Mauricium Imperatorem epiſtola, [2] his verbis orditur. *Piiſſimus atque à Deo conſtitutus dominus noſter.* & in alia ad Conſtan- [2] Lib.4. indict. 13. epiſt.32.

[1] Eodem lib. epiſt. 34.

tiam Auguſtam, [1] *Veſtra itaque pietas*, inquit, *quam Omnipotens Deus, cum ſereniſſimo domino, vniuerſo Mundo præeſſe conſtituit, illi per fauorem iuſtitiæ famulatum ſuum reddat, à quo ius tantæ poteſtatis accepit*. Quid multis? ipſa Scriptura teſtatur Reges & Imperatores à Deo poteſtatem accipere, cuius ſunt in eo vicarii, vt ait Lyranus ad illud Sapientiæ. 6. *data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo qui interrogabit opera veſtra.* quid igitur vetat, quo minus aliquis ex Bellarmino contra Bellarminum hoc dilemmate vtatur. Aut poteſt ſummus Pontifex aliquo modo, hoc eſt, directè vel indirectè, auferre Regibus & Imperatoribus regna atque imperia, aliiſque cõferre: aut non poteſt. Si poteſt, ergo eſt aliquo modo maior Deo, quia quod Deus dedit ipſe aufert: minor enim vel par non poteſt auferre quod à maiore vel æquali conceſſum eſt. Ac ne vicarius quidem eius qui conceſſit, ſine expreſſo domini mandato: ne quis nobis reponat Papam tanquam Chriſti vicarium id facere: cùm ipſe nullum de ea re mandatum, neque expreſſum neque tacitum accepiſſe inueniatur. Vt ex ſequentibus facile apparebit. Si non poteſt, ergo falſum eſt quod dicunt, eum habere ſummam poteſtatem indirectè diſponendi de omnibus rebus temporalibus Chriſtianorum, & deponendi de ſolio Reges & Imperatores, aliofque in eorum locum ſufficiendi. Perpendant velim, vt ſuum ipſos argumentum premat. nec hoc ſolum, ſed aliud etiam longè efficaciſſimum, quod ex eodem Bellarmini libro & capite ſuprà retulimus. [2] quodq; hoc loco ad inſtitutum noſtrum optimo iure in hunc modum adaptabimus.

[2] Cap. 3.

Si verum eſt Papam habere poteſtatem temporalem indirectè diſponendi de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum; aut eam habet iure Diuino aut iure humano. Si iure Diuino, *deberet id conſtare ex Scripturis, aut certè ex Apoſtolorum traditione. Ex Scripturis nihil habemus niſi datas Pontifici claues regni cælorum: de clauibus regni terrarum nulla mentio fit: traditionem Apoſtolorum nullam aduerſarii proferunt*, neque ſcilicet Canoniſtæ neque Theologi. Si iure humano; proferant ius illud, vt vna cum iis ſentiamus. Quod ſi dixerint, neque expreſſo Dei verbo, neq; traditione Apoſtolorum ad huius poteſtatis confirmationem opus eſſe, cum indirectè tantum & ex quadam ſequela Pontifici competat, tanquam inſeparabilis quædam acceſſio & appendix poteſtatis illius ſpiritualis, qua ſupremus animarũ

Paſtor in omnes Chriſtiani gregis oues prædítus eſt. Nos
rurſus ab iis petemus aliquod eius acceſsionis & coniũctionis
teſtimonium ex Scripturis vel traditione Apoſtolorũ:
petemus inquam, vt ex Scripturis vel Apoſtolorum traditione
doceant, hanc eſſe acceſſionem, & ſequelam neceſſariam
& inſeparabilem illius poteſtatis ſpiritualis q̃ habet
ſummus Pontifex: atque ad munus Pontificale pertinere
aliquo modo, (hoc eſt indirectè, vt loquũtur) diſponere de
omnibus rebus temporalibus Chriſtianorum: cùm neutiquam
ſit veriſimile, ſi id eius officio conuenit, tantam poteſtatis
amplitudinẽ, & qua nihil in rebus humanis præcelſius,
tum à Chriſto Saluatore, tum ab Apoſtolis & eorum
ſucceſſoribus, tam alto ſilentio in Eccleſia tot ſeculis fuiſſe
prætermiſſam. Nam ſi vtraq; poteſtas ab altera, ſpiritualis
ſc. à temporali, & contrà, ſeparari poſſit: locus erit ſententiæ,
quæ ꝙ directè fieri nõ permittitur, id nec indirectè fieri
poſſe ſtatuit. Ita enim prudentes definierunt, quoties aliquid
directè fieri prohibetur, id nec indirectè quidem ſiue
per conſequentiam fieri poſſe: niſi id ꝙ prohibitum eſt, ſequatur
neceſſariò ad aliud iure permiſſum, ita vt permiſſum
ſine prohibito non poſſit procedere, & niſi (vt cum Iuriſconſulto
dicam) *vtriusq; cauſa ita commixta ſit, vt ſeparari
non poſſit.*[1] Vnde eum qui ſolus rem alienare non poteſt, ne — 1 L. 5. §. generaliter. D. de don. inter vir. & vxor.
cedere quidem poſſe liti ſuper ea motæ cõcluditur.[2] quod
nimirum obliquè & indirectè hoc modo rem alienaret. Si
igitur Papa, quatenus Papa, nullam temporalem iuriſdictionem — 2 Panorm. in cap. dudum. 54. de elect. & cap. cùm pridem. de pact.
directè habet in Chriſtianos, ꝙ illi concedunt, ſuperiore
iuris ſententia effici videtur, eum nullam ne indirectè
quidem habere poſſe. Quapropter vt ſuam hominib.
ſententiam perſuadeant, debent ex Scripturis aut Apoſtolorum
traditionib. teſtimoniũ proferre: vel ſaltem docere
temporalem poteſtatem, de qua loquuntur, ita coniunctã
eſſe cum ſpirituali, vt ab ea diuelli & ſeparari, vt in quã ſpiritualis
ſine ea conſiſtere, nullo modo poſsit. quod quoniam
præſtare nequierunt, nihil niſi opiniones incertas ſunt ſequuti,
& rationes quæ non ſatis videntur concludere quod
aſſumunt. quas ſuo ordine & loco examinabimus.

CAP. VI.

SVperiorem ſententiam de poteſtate temporali, quam
dicũt Papam habere indirectè, fortiter impugnat, quòd
neq; vſus, neq; exemplũ, neque mentio vlla talis Ponti-

ficiæ poteſtatis, annis circiter mille in Eccleſia fuerit: cùm multi interea Principes Chriſtiani impiè, crudeliter, peruerſe, & magno Eccleſiæ detrimento, regnis atque Imperiis abuterentur: ex quo duorum alterum conſequi neceſſe eſt, aut illorum ſcilicet temporum Pontifices officio ſuo defuiſſe, aut ſequẽtium temporum Pontifices maiore cum poteſtate & imperio Eccleſię præſediſſe, & etiamnum præſidere; quòd hi temporalem iſtam poteſtatem apertè ſibi vindicarint, eamq; in Reges ac Principes exercere pro arbitrio conati ſint: illi verò ius tale ad ſe pertinere neq; dictis neque factis vnquam agnouerint. Non ignoro quę ad excuſandos primos illos Paſtores reſponſa à nonnullis edita ſunt, ſed ſcio eſſe eiuſmodi, quæ ſi examuſſim perpendantur, nullius æqui rerum æſtimatoris iudicio comprobentur. Ea igitur audiamus.

Prodiit libellus Romæ excuſus anno Domini M. D. LXXXVIII. ſub fictitio nomine Franciſci Romuli cum hac inſcriptione euulgatus. *Reſponſio ad præcipua capita Apologiæ, quæ falsò catholica inſcribitur, pro ſucceſſione Henrici Nauarreni in Francorum regnum.* Cuius libri author, quem Bellarminus ſatis nouit & amat, conatur hanc grauiſſimā obiectionem diluere ex mutatione ſtatus Eccleſiæ, & diuerſa temporum ac perſonarū ratione & conditione, quæ iuris varietatem ſæpe inducunt. Ita enim ille: [1] *Iam vero, quod quarto loco aduerſarius obiicit de maiorum noſtrorum conſuetudine, qui Principes multos Hereticos paſſi ſunt, vt Conſtantium & Valentem Arianos, Anaſtaſium Eutychianum, Heraclium Monothelitam, & ſi qui ſunt alij, ad rem nihil facit. Neque enim Eccleſia temere & inconſideratè poteſtate ſua debet abuti. Porro non rarò accidit, vt tanta ſit quorundam Regum cum improbitate ac ſæuitia iuncta potentia, vt Eccleſiaſtica cenſura neq; ad eos coërcendos quicquam proſit, & Catholicis populis in quos Principes irritati magis ſæuiunt, plurimum obſit. Quid enim quæſo profuiſſet quondam Eccleſiæ, ſi tẽtaſſet vel Oſtrogothos Reges in Italia, vel in Hiſpania wiſegothos, aut wandalos in Africa excommunicare, ac de ſolio deturbare, quamuis id facere iure optimo potuiſſet? quod idem de Conſtantio, Valente, & aliis ſupra nominatis intelligi debet. ſiquidem ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium ſubeundum Epiſcopi, quàm ad Principes coërcendos parati eſſe deberent. At vbi vidit Eccleſia ſua poteſtati locum aliquem aperiri, vel cum ipſorum Principū ſpirituali vtilitate, vel certè ſine detrimento & pernicie populorum, non ſibi*

[1] Cap. 18.

ſibi defuit, vt exempla paulò antè allata demonſtrant. Sic enim Eccleſia Leonem Iſaurum Imperii parte, & Henricum quartum toto Imperio, & Childericum regno Franciæ ſpoliandos eſſe iudicauit, vt re ipſa deinceps & Leo parte Imperii, & Henricus Imperio toto, & Childericus regno caruerit. Itaque veteres illos Imperatores, Conſtantium, Valentem, & cæteros non ideo tolerauit Eccleſia (vt aduerſarius ſomniat) quòd legitimè in Imperium ſucceſſiſſent, alioquienim Leonem etiam, Henricum, & Childericum, qui non minus legitimè ſucceſſerunt, pertuliſſet: ſed quod illos ſine populi detrimento coercere non poterat, iſtos poterat.

Hæc ille; in quibus duplicem diuerſitatis cauſam reddit, cur Eccleſia Conſtantium, Iulianum, Valentem, Valentinianum iuniorem, Anaſtaſium, Heraclium, & alios Principes hæreticos tolerauerit: Leonem verò Iſaurum, Henricum IV. Childericum, & ſequentium ſeculorum Principes damnoſos nequaquam pertulerit. Vnam quidem, *quòd ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium ſubeundū Epiſcopi quàm ad Principes coercendos parati eſſe deberent.* Alteram verò, quòd Conſtantium, Iulianum, Valentē, & cæteros illius ordinis ſuprà nominatos, Eccleſia ſiue ſummus Pontifex, *ſine populi detrimento coercere non poterat*: Leonem autē, Henricū, Childericū, & ſequentes poterat; ideo illos pertulit, iſtos non pertulit. Sed videamus ne vtraq; diuerſitatis ratio falſa ſit, & in meris mirisq; mendaciis fundata: & nemo tamen hactenus meliorem aſſignauit, aut, vt arbitror, aſſignare poterit, niſi illam ſolam, quæ aduerſariorum cauſam penitus deſtruit, nempe Eccleſiam priores illos Imperatores & Principes toleraſſe, quia nondū in eam irrepſerat cæca illa ambitio, qua Pontifices ſequentes tēporalē, de qua loquimur, iuriſdictionem auiditate gloriæ vſurparunt. Itaque illius temporis Pontifices ſpirituali imperio contentos, quod in omnes æquali iure exercebant, temporali poteſtate, quam ad ſe non pertinere ſciebant, prorſus abſtinuiſſe: ita Eccleſiæ cauſam diuino iudicio cōmendantes, malorum Principum conuerſionem aut euerſionem, vti Deo placitum, humiliter patienterque expectaſſe. Sed redeo ad rationes ab iſto authore redditas, vt quàm ſint vitioſæ videamus.

Et verò, ne quid diſſimulem, prior eius ratio, ſeu cauſā diuerſitatis, indigna mihi videtur, quæ ab vllo Catholico, nedum Theologo in medium afferatur, quam ego propterea legere ſine lachrymis vix ſuſtineo. Quid enim? an

nos

nos incidimus in ea tempora, quibus Epiſcopi milites potius quàm Martyres eſſe debeant? aut legem Dei, atque Eccleſiam, prælijs quàm prædicationibus potius defendere? At non hoc dicit, inquiet aliquis. Quid ergo? aut prorſus nihil, aut omnino tale quid dicit: vult quippe horum & illorum temporum differentiam, quantum ad Principum coercitionem, in eo conſiſtere, quòd tunc potius ad martyrium ſubeundum parati eſſe debuerint Epiſcopi, quàm ad redigendos in ordinem Principes: Quod cum ita ſit, quis non innato iudicio, & naturali dialectica facilè deprehendat, aut rationẽ illam ex diſſimilibus non conſiſtere, aut id in altera parte collocandum quod nos poſuimus? Et tamen audacter affirmem, nullum vnquam à Conſtantino Magno tempus offerendi ſe martyrio Epiſcopis opportunius & magis neceſſarium extitiſſe. Leo vndique prædam inhiat, Lupus aſtat ad caulas; Reges & Principes potentiſſimi, plurimæ nationes & populi in Chriſti gregem ſe accingunt, & iſte non retur tempus exigere, vt Epiſcopi exponant ſe martyrio, & animam pro ouibus ponant? Ergone florente Eccleſia, ac per totum orbem diffuſa, Epiſcopi nihil niſi martyrium ſperare & expectare debebant: nunc verò cùm eò deuentum ſit, vt ipſa grauiter agitata, ac velut in angulum Europæ conjecta ſit, Epiſcopi tanquam extra metum, ad coercendos Principes, ac non potius ad martyrium animos intendant? An quia nunc ingentes comitatus, & pedeſtres atq; equeſtres copias alunt, quibus ſe, vitam, corpuſque tueantur, & Eccleſiam ab iniuria tot Principum & populorum eam vaſtantium, vi & armis vindicent? An potius quia pauci nũc ea mente legeque Epiſcopatus accipiunt, vt illis aut animi aut corporis moleſtiis augantur, quas *in perſecutionibus & confeſſione fidei* Paſtores bonos perpeti oporteat: ſed vt vitam mollius & cum voluptate tranſigant; & ex bonis pauperum & patrimonio Chriſti, cognatorum familias illuſtrent. An denique quia ex eo quod mercenarii tantũ Paſtores ſunt, lupo veniente & gregem laniante, ſibi fugam capeſſere & martyrium declinare ius faſque eſſe credunt. Hæc equidem non ad iniuriam vel inuidiam ordinis Eccleſiaſtici profero, quem ſemper à puero obſeruaui. Nec dubito multos eſſe qui commiſſum ſibi gregem vigilantiſſimè cuſtodiant, parati in omnẽ euentum mandatas ſuæ fidei oues obiectu corporum tueri, & Chriſti cõfeſſionem

nem ſanguine conſignare. Sed totum ad ſuperioris reſpõſi reprehenſionẽ dico, ſimulq; ad ignominiã eorum qui dignitates Eccleſię nunc paſſim affectant nullo Eccleſiaſticę vitæ deſiderio, ſed vt ipſi magnificè & lautè agitent, & quas Eccleſiaſticæ vitæ puritas opes promeruit, impurè & magno cũm Eccleſiæ ſcandalo, in vſus vetitos, certè nõ neceſſarios, expendant. O tempora, ô mores! Iam maxima pars Reipub. Chriſtianæ ab annis plus minus centũ periit. Hoc ipſo quod Epiſcoporũ & Sacerdotũ plerique, ad militiam quàm martyrium promptiores, ſuperioris reſponſi ſenſum inconſideratè ſequuti ſunt: rati nimirum, ꝙ res non erat, hæreſin armis facilè oppreſſum iri, ipſis interea ſuæ vitæ modum tenẽtibus, i.e. priſtinam voluptatẽ, & deſidiam alentibus: itaq; *videbant lupũ venientẽ & fugiebant:* neq; pauci ad ipſos lupos transfugerunt. *Haud ignota loquor*, Scotia mihi & Anglia teſtes ſunt, aliæq; in hæreſin prolapſæ regiones, in quibus licet nonnulli viriliter reſtiterint, pars maxima Eccleſiaſticorũ ne primam quidem incurſionẽ ſuſtinuerunt, ſtatim fęda proditione defectionẽ moliti, partim vt liberius viuendi poteſtate à nouatoribus permiſſa promiſſaque fruerentur, partim ne præſentib. commodis ſpoliati, ad mendicitatẽ peruenirẽt: ꝙ ſi, vt olim primi illi Patres, ſe ad martyrium accinxiſſent, monſtrũ illud immaniſſimũ in ipſa infantia ſuſtuliſſent. Fieri poteſt vt illius libelli author bono animo, & ſi vllo dolo malo, talia ſcripſerit, ſed fieri profectò non poteſt, vt in hoc rerum Eccleſiæ ſtatu, ea vllius ponderis aut momenti cenſeantur. Nam cùm totus pene orbis Eccleſiæ Catholicæ velut nexu mãcipioque tenebatur, dicit ea tunc fuiſſe tempora quibus Epiſcopi ad martyrium ſubeundum quàm ad Principes in ordinem cogendos paratiores eſſe debebant: nũc verò, cùm partim infideles, partim hæretici totam Aſiam, Africam, Europam, vno aut altero regno excepto, peruaſerint, atque Eccleſia ad tàntas ferè, quantas vnquam, redacta ſit anguſtias, non eandem officii neceſſitatem Epiſcopis putat incumbere. Nimia certe hæc eſt vel in perſcrutando indiligentia, vel in iudicando & monendo indulgentia: nec debuit vir doctus & Theologus, qualis videtur ille author, Prælatis Eccleſię in magnam viuendi licentiam velut tempeſtate quadã delatis, tam facilem deſerẽdi officii viam oſtẽdere, vt exiſtimẽt ſe iam nõ tã ad martyriũ paratos, q̃ ad bellũ in malos principes ciendum, quos certũ eſt, ſine bello in ordinem redigi, & regnis priuari, nunquã poſſe. Quantò

illi rectius qui (ſiue primi Ieſuitarum, ſiue alterius ordinis fuerint: nihil enim præter auditum habeo) obuiam ſe Cardinalibus Romæ ferebant, & ſuam illis cum pōpa pro more prætereuntibus mollitiem, luxum, indiligentiam, aſperrimis verbis increpabant, quòd orta paulò ante turbulentiſſima Lutheranæ hereſis tempeſtate, tempus illud aliam Prælatis Eccleſiæ vitam adferebat, alioſque mores poſtulabat. Ex his igitur perſpicuum eſt, allucinari plane authorem *Reſponſionis*, conſtituendo rationem differentiæ in priſcorum & horum temporum diſſimilitudine, quantum ad Epiſcoporum & Prælatorum Eccleſiæ officium, ſtatum, & conditionem attinet.

Cap. VII.

ALtera ratio quam adfert nihilo melior eſt. Eccleſiam nempe non ideo pertuliſſe Conſtantium, Valentem, & cæteros, quia legitimè in Imperium ſucceſſerant, non magis quàm Leonem, Henricum, & Childericum, qui non minus legitimè ſucceſſerant. *ſed quia illos ſine populi detrimento coercere non poterat, iſtos poterat.* Nam hoc falſiſſimum eſt, & miror Bellarminum hanc alibi rationem ſecutum eſſe [1]. Falſiſſimum dico eſt, non potuiſſe Eccleſiā coercere illos æquè facilè atque iſtos, ne dicam facilius, & ſine detrimento populi, ſiue id armis tentare, ſiue arte aliqua, & hominis deuoti opera vti voluiſſet. Iam enim totus orbis ſub Conſtantio Chriſtianus fuit (vt ex epiſtola Conſtantini Magni ad Eccleſiam, ab Euſebio [2] & Nicephoro [3] relata conſtat) & eius pars maxima Orthodoxa; ita vt vires illis ad opprimendum Imperatorem nequaquā defuerint, ſi fas aut pium crediſſent armis aduerſus legitimum Principem decertare: Et ſane credibile eſt Deum ipſum milites ſuos, non odio vel ambitione, ſed ſolo Eccleſiam ſartam tectam ſeruandi ſtudio in id bellum incumbentes, facili & non diſpendioſa victoria ornaturum. Quid, quod multitudo magna Monachorum in Ægypto Lybiaque, atque alii per Aſiam & Europam viri pii innumerabiles verſabantur? in quibus haud dubiè multi erant non minoris zeli, quàm ille zelus, qui Henricum III. Regem Frāciæ iugulauit, ſed maiore ſcientia gratiaque illuſtrati, quibus zelo inconſiderato, præcipiti, & temerario modum conſtituebant. Hi facilè (ſi licuiſſet) Imperatorem ſine vllo tumultu bellico & armorum ſtrepitu confeciſſent, & ſi quod in eum

[1] Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 7.
[2] Lib. 3. de vit. Conſt.
[3] Lib. 8. cap. 25.

cum Eccleſia ius habuiſſet, ſine populi detrimento exequi potuiſſent.

De Iuliano Conſtantij ſucceſſore quid dicam? Non eum, credo, Eccleſia ſine vllo populi detrimento coercere potuit? cùm Apoſtata fœdiſſimus, & qualis nemo alter inuentus eſt inter Chriſtianos Imperator, exercitum ferè totum ex Chriſtianis haberet, nam & ſtatim ab eius interitu cum Iouinianus omnium ſuffragijs Imperator electus, proclamaſſet ſe Chriſtianum eſſe, ac propterea nolle exercitui Ethnicorũ præeſſe?[1] reſponderũt milites, *& exclamauerũt communiter vniuerſi? ne dubites Imperator, néve repellas imperium noſtrum, vt improbum: Imperator es enim Chriſtianorum futurus, qui in pietatis diſciplina educati ſunt: nos enim Chriſtiani ſumus: & grandiores quidem inter nos doctrinam Conſtantini perceperunt, minores verò illis Conſtantius inſtruxit. Neq; iſtius proximè mortui diuturnum Imperij tempus fuit, vt circumuentis quibuſdam ad infigendum malum ſuffecerit.* Cogitet velim, & recogitet, tam author illius libelli quàm lector huius, an non potuerit facilè Eccleſia tantis copijs adiuta impium illum Imperatorem ſine populi intertrimento tollere: præſertim cùm Imperatores tunc à ſolis militibus crearentur, quibus inter prima religionis tempora, ſpemque martyrij, nihil erat antiquius quàm Antiſtibus legem Numinis & voluntatem edicentibus credere & parere. Quòd ſi in ſanctiſſimorum patrum illis ſcholis didiciſſent, fas eſſe Eccleſiæ impio Principi abrogare imperium, ſubditiſque licere eiuſmodi dominum ſeu aperta vi, ſeu per inſidias tollere, nihil eis facilius quàm Iuliano imperium abrogare, vel vitam eripere, & alium pro arbitrio ſufficere ſine tumultu vllo ſiue periculo, publicáve iactura. quippe ad exercitum ius nominandi Imperatoris, ex longa tunc conſuetudine, ſpectare putabatur: vt & re ipſa, Iouinianus primùm, mox Valentinianus ambo Chriſti Confeſſores, poſt exceſſum Iuliani, ab eodem exercitu ad imperiũ ſunt ſubuecti. Quid, quod etſi non totus exercitus in Chriſti hoſtem conſpiraſſet; attamen ſoli illi milites, de quibus ex Nazianzeno in libris noſtris de Regno,[2] meminimus vna cum Iouiniano tunc Confeſſore, Iulianum nullo negotio ſuſtuliſſent; vtpote quos, ſi audaciam & fortitudinem ſpectemus, vſus rei militaris: ſi oportunitatem, facilis militum tũc temporis ad Imperatores acceſſus: ſi voluntatem, ardor animorum martyrii deſiderio flagrãtium, & quiduis pro fidei defenſio-

1 Ruffin. lib. 2. hiſt. eccleſ. cap. 1. Socra. Schol. lib. 3. cap. 22. Theodoret. lib. 4. cap. 1.

2 Lib. 4. cap. 5.

ſenſione molientium, ad Eccleſiam à ſceleratiſſimi hominis perfidia & tyrannide, claro aliquo facinore liberandā, longè promtiores reddidiſſet, quàm vel vlla furioſum monachum veſana temeritas. Quid, quod Chriſtiani eo tempore inclytos Euangelii tubicines, Athanaſium, Baſilium, vtrumque Gregorium, Cyrillum, Epiphanium, Hilarium, Hoſium, alioſque complures doctrinâ & virtute inſignes Pontifices audiebāt, qui neque quid iuris Eccleſia in Principes haberet, propter doctrinam ignorare, neque cognitum & perſpectum tam neceſſario Reip. Chriſtianæ tempore ſilere aut diſſimulare, propter ſummā vitæ ſanctitatē atq; in aduerſis conſtantiam potuerunt? Quid, quod populum diuini illi Antiſtites docebant, nullum niſi in patientiâ & lachrymis remedium aduerſus Apoſtatā ſupereſſe? Orat. 1. in Iulian. ita enim Nazianzenus [1]. *Hæc*, inquit, *Iulianus deliberabat* (loquitur de iis quæ crudelis Apoſtata aduerſus Eccleſiam meditabatur) *quemadmodum ſecretorum illius ſodales & teſtes propalarunt: coercitus eſt tamē Dei clemētia, ac lachrymis Chriſtianorum, quæ multa iam & à multis erant effuſa, quum ſolum hoc contra perſecutorē haberēt remedium.* Quæſo aduerte animum ſis, Lector, & perpende Nazianzenum hoc loco. Negat Chriſtianos, hoc eſt, Eccleſiam, habuiſſe vllum remedium præter lachrymas aduerſus perſecutionem Iuliani, cùm tamen certum ſit eos pro ſe totum Iuliani exercitum habuiſſe. Non igitur ſenſit hic Pontifex qui κατ' ἐξοχὴν Theologus eſt appellatus, Eccleſiam ius vllum habere in Imperatorem impiiſſimum ad commouendum aduerſus eum exercitū Chriſtianum: alioqui falſum eſſet Chriſtiaſecutorem præter lachrymas. habebant n. exercitum, qui iuſſus nos ſiue Eccleſiā non habuiſſe aliud remedium contra perab Eccleſia, propter Dei cauſam facile à Iuliano defeciſſet.

Iam verò quod de Conſtantio & Iuliano diximus, ſcilicet nullo negotio in ordinē ab Eccleſia cogi & ſceptris vitaque priuari ſine vllo populi incommodo potuiſſe, id in Valente & Valentiniano iuniore multò eſt euidentius. Quandoquidem Valens præcipuos exercitus ſui duces & præfectos habuit viros ſummè Catholicos, per quos ipſe reſes & ſecors bella conficiebat: nempe Terentium, Traianum, Arintheū, Victorem & alios, qui fidem Catholicam conſtanter profitebantur, ſuamq; Imp. hæreſin & θεομαχίαν in os intrepidè exprobrabant. ſed in tā religioſa liber-

tate,

tate, manus abſtinuerũt, nec vltra admonitionẽ proceſſit indignatio: quòd ſcirent ſe vitia Principis indicare tantùm debere, non etiam vindicare. Itaque in omnibus quæ ſecularis erant Imperii, morem gerebant Hæretico, quẽ facilè de medio tollere potuiſſent, & Monarchiam totã, maximo afflictæ Eccleſię commodo, ad Valentinianũ Principẽ Catholicum, vnde proceſſerat, reducere. An non poterant hi belli Duces fœdus inter ſe aduerſus Principem ſuum Hæreticum icere, ſi id iure licuiſſet? An non expediebat Eccleſiæ Imperatorẽ Hæreticum Catholicis non imperare? An deniq; Eccleſia doctis & vigilacibus tunc Paſtorib. caruit, eoq; ius ſuum temporale aut ignorauit aut neglexit? Nam quod ſolum ſupereſt, nulla ætas Chriſtianos Prælatis ſuis magis morigeros, quàm illa habuit: vt ſi non ius imperandi Principibus temporalia, ſed iuris tantùm executio Eccleſiam defeciſſet, nec tardè eam populus & exercitus, Cõſtantii, Iuliani, & Valentis tyrannide liberaturus fuiſſe videatur. Cuius rei fidem facit teſtimonium illuſtre D. Auguſtini [1] inter Canones relatam. [2] *Iulianus extitit infidelis Imperator*, inquit: *Nónne extitit Apoſtata, iniquus, idololatra? Milites Chriſtiani ſeruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebant ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat. Quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, preponebant illi Deum. Quando autem dicebat producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant dominum æternum à domino temporali: & tamen ſubditi erant propter dominum æternum etiam domino temporali.* Quis hîc non videt facillimum fuiſſe Eccleſiæ coercere omni modo Iulianum, ſi temporalem aliquam in eum poteſtatem habuiſſet? quippe ventum tunc fuiſſet ad cauſam Chriſti, quo caſu Imper. Chriſtum, id eſt Dominum æternum domino temporali milites præponerent. Nam & Eccleſiæ cauſa, Chriſti cauſa eſt. Aut ergo Pontifices Romani, ſiue ſummi Pontifices, atque adeo tota Eccleſia, tunc pro certo crediderunt, nullam ſe iuriſdictionem & poteſtatem temporalem vllo modo habere in Principes ſeculares, aut certè defuerũt officio ſuo, nec tam ſolicitè gregẽ ſuæ fidei mandatum curauerunt, quã poſt multa ſecula recentiores noſtri Pontifices, qui ad paſtoralis ſui muneris partem pertinere contẽdunt, Principes & Monarchas omnes, nõ ſolùm ob hæreſin aut ſchiſma, ſed ex aliis etiã cauſis tẽporali pœna coercere, & regnis atq; Imperiis, ſi id illis viſũ eſt, ſpoliare.

[1] In Pſal. 124.
[2] 11. quæſt. 3. can. 98.

cùm

cum ceteroquin neq; ipſi vitæ ſanctitate, & doctrina, cum primis illis Pontificibus conferendi ſint, neque iam populus Chriſtianus tam dicto audiens, atque primis illis temporibus extitit. Quapropter, ſi verum amamus, fatendum eſt, neminem vtrorumque temporum Pontifices in hac re vel accuſare vel excuſare poſſe. Extra prȩuaricationem aut calumniam, alterutrorũ laus alteris ad vituperium cedet. Sed pergamus.

Cap. VIII.

IVnior Valentinianus omnium qui in hunc diem, non ſolùm Imperio, ſed Regno aut Principatui cuiquã præfuerunt, facillimè ab Eccleſia coerceri potuit. Nam nõ ſolùm ſummi Epiſcopi, id eſt, Pontificis Romani iuſſu ab Imperio reiici, ſed & ſolius Epiſcopi Mediolanenſis, Ambroſii ſcilicet, nutu & arbitrio à propriis militibus & ſtipatoribus deſeri, & ad priuati hominis ſtatum redigi potuit. *Ante lucem*, inquit Ambroſius, [1] *Vbi pedem limine extuli, circumfuſo milite occupatur baſilica: idq́; à militibus Imperatori mandatum dicitur, vt ſi prodire vellet, haberet copiam, ſe tamen præſtò futuros, ſi viderent eum cum Catholicis conuenire: alioquin ſe ad eum cœtum, quẽ Ambroſius cogeret, tranſituros. Prodire de Arianis nullus audebat, quia nec quiſquã de ciuibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiã Gotthi, quibus vt olim plauſtrum ſedes erat, ita nunc plauſtrum Eccleſia eſt.* & pòſt in eadem epiſtola de ſeipſo loquens, *Ego tyrannus appellor, & plus etiam quàm tyrannus*, inquit. *Nam cùm Imperatorem Comites obſecrarent, vt i prodiret ad Eccleſiam, idq́; petitu militum facere ſe dicerent, reſpondit: Si vobis iuſſerit Ambroſius, vinctum me tradetis.* Quid ad hæc aduerſarii? an non vnus iſte locus ſat eſt, qui omnibus linguam occludat? Omitto quod Maximus cum valida manu ex Britanniæ & Galliæ partibus collecta in Italiam contendebat, curaturus (vt ille dicebat) ne quid vltra religio Catholica detrimenti caperet: & Eccleſiæ iam à Valentiniano deprauatæ in priſtinũ ſtatum reponerentur; quod & ipſi Valentiniano per literas ſignificauerat. qui tamen non vnicus illi ſcopus; ſed (quod à nonnullis noſtro ſeculo factitatum) hoc colore pietatis flagrantem regnandi cupiditatem tegebat. Nam conſtitutum illi erat, occiſo iam apud Lugdunum Gratiano, in Valentiniani Imperium inuadere. Itaque eius aduentu perterritus Valentinianus, ex Italia in Illyrium ad Theodo-

[1] Ad ſororẽ ſuam Marcellinã epiſt. 33. lib. 5.

ſum, Orientis Imperatorem profugit. Res notatu digna: Hæreticus à Catholico fugatus, ad Catholicum auxilii cauſa fugit: à quo & reprehenſus eſt propter hæreſin, & propter reuerentiam Maieſtatis humaniter exceptus, atque in regnum reſtitutus. Et quia Eccleſia rebellionem religionis ergo aduerſus legitimum Principem non laudauit, Maximus neque reformator Imperii dictus eſt, neque reſtaurator Eccleſiæ, ſed rebellis & tyrannus [1].

Hæc cum ita ſint, deſinant nunc velim aduerſarii commento ſuo nobis imponere: aut ſaltem dicant vnde id hauſerint? An apud probatum ſcriptorem vſpiam legerint, Chriſtianos ita viribus & copiis ſuis tunc diffidiſſe, vt ne tentare quidem auſi fuerint, quod fortiter aggreſſi facile perfeciſſent? aut tentaſſe ſaltem, ſed belli fortunam humanaque omnia expertos impiis Principibus ſuccubuiſſe? Adeóne illis animus & voluntas defendendæ Eccleſiæ deerat? Adeóne illos religionis ardor & *zelus domus Dei* deficiebat? Adeóne Concionatoribus eruditis & buccinis Euangelii deſtituebantur, vt quid iuris in Principem peruerſum & hæreticum Pontifici aut populo ſit, minimè intelligerét? Replicent aduerſarii omnium annalium memoriam, & verſent quouſque volent ſcripta Eccleſiaſtica & profana, nuſquam profectò inuenient, Eccleſiam illis ſeculis (cum fuerit multò quàm nunc potentior) aliquid in Principum quantumuis malorum perniciem eſſe molitã, aut eis Imperium abrogare conatã, vt eſt à nobis in libris noſtris de Regno, perſpicuè fuſéque demonſtratum [2]. At ex iis, contra quæ in ſanctorum Patrum ſcriptis de principum ſecularium poteſtate legimus, conſtat omnes ea ætate ſenſiſſe, nullam vel Epiſcopo Romano ſiue ſummo Põtifici, vel Eccleſiæ vniuerſæ temporalem poteſtatem, vllo modo, vlláve ex cauſa in eos competere: ſed ſolius Dei iudicio, quantum ad pœnas temporales relinquendos. Atq; hæc, vt videtur, cauſa fuit, cur illi Patres non niſi perrarò atque obiter de libertate & impunitate Principum meminerint: quòd nimirum de ea tunc controuerſia non fuerit; ſed vna omnium ſententia, quam inde ab Apoſtolis ex prędicatione maiorum, velut per manus acceperant: Principem in temporalibus ſolum Deum iudicem habere, licet in ſpiritualibus Eccleſiæ iudicio ſubiiciatur.

Huius rei teſtem inprimis Tertullianum produco, qui de Imperatoribus loquens. [3] *Sentiunt*, inquit, *Deum eſſe ſo-*

C *lum*,

1 Sozomen. l. 7. ca. 13. Niceph. lib. 12. cap. 20.

2 Lib. 3. cap. 5. & lib. 4. cap. 5.

3 In apologet. aduerſ. gentes.

lum, in cuius ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes Deos & ſuper omnes homines. & [1] alibi, *Colimus Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutũ, ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet: ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Hæc ille, non ex ſua ſed communi Chriſtianorum omnium perſona, velut certam & indubitatam totius Eccleſiæ doctrinam, profitetur. Nec aliquis hoc argumentum ſic eludat, quòd Imperatores tunc fuerint extra Eccleſiã, ac proinde non ſubiecti Eccleſiæ. Nam lex Chriſti iure ſuo neminem priuat (quod ipſimet aduerſarii fatentur) ac proinde, vt ſupra oſtendimus, Reges & Imperatores accedendo ad Eccleſiam, nihil iuris ſui temporalis amittunt [2].

1 Ad Scapulam Præſid. Carthag.

2 Cap. 3.

Secundo loco prodibit S. Ambroſius, qui de Dauide adulterio homicidium cumulante ſcribens. [3] *Rex vtiq; erat,* inquit, *nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum. Neq; enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperij poteſtate.*

3 In Lib. qui inſcribitur Apologia Dauid:

Tertio B. Gregorius Archiepiſcopus Turonenſis, [4] qui Francorum Regem Chilpericum Sacerdotes Dei calumnioſè vexantem, & iniurioſè tractantem, his verbis alloquitur. *Si quis de nobis, ô Rex, iuſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt: ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, ſed, ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te damnabit, niſi is qui ſe pronunciauit eſſe iuſtitiam?*

4 Lib. 5. hiſt. cap. 7. Aimoin. lib. 3. cap. 26.

Quartò D. Gregorius Magnus, Gregorii Turonenſis feré coætaneus, qui cùm Pontifex Maximus eſſet, Imperatoris ſe famulum & ſubditum eſſe faſſus eſt; ipſique Imperatori poteſtatem cælitus datam in omnes homines, humaniter humiliterq; agnouit, vti paulò ante retulimus. [5]

5 Cap. 3.

Quinto, præclarus Antiſtes, Otto Epiſcopus Friſingẽſis, [6] *Soli Reges,* inquit, *vtpote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſeculi legibus non cohibentur. Vnde eſt illud tam Regis quã Prophetæ, TIBI SOLI PECCAVI.* & Mox, *Cùm enim iuxta Apoſtolum, omni mortali horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis: Regibus tamen, qui nullum præter ipſum ſupra ſe habent quem metuant, eo erit horribilius, quo ipſi cæteris poſſunt peccare liberius.*

6 In epiſtola ad Freder. Oenobarbum.

Poſſum & alios non paucos ad huius rei fidem accire: ſed quid pluribus opus eſt? *in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum* [7]. Si contrariæ opiniones aſſertores tot anti-

7 Matth. 18.

antiquorum Patrum teſtimonia, imò ſi vel vnum aliquod proferre poſſint, quo disertè ſcriptum ſit Eccleſiam, vel eius caput Summum Pōtificem, habere temporalem vllam poteſtatē in Reges & Principes ſeculares, & poſſe eos temporalibus pœnis quoquo modo, directè ſcilicet vel indirectè, coercere, aut regno, regníve parte multare: non equidem recuſabo, quo minus lis tota ſecūdum ipſos ſine prouocatione iudicetur. Nihil enim eſt quod malim quàm certam rationem inueniri poſſe, per quam aduerſariæ opinionis ſententia liquidò confirmetur: ſed dum id fruſtra expecto, interea Veritas me victum vinctumque, ſecum in aliam partem abducit.

Hoc igitur ab aduerſariis nunc quæro: Nunquid veriſimile ſit hos ſanctos & antiquos Patres, qui de ſumma Regum & Imperatorū poteſtate impunitateque, ſcripſerunt, adeo negligentes fuiſſe, vt per incuriam non admonuerint ſui ſeculi Principes huius Pontificię poteſtatis temporalis, aut eam admonitionem tabulis conſignatam nō reliquerint: quò Principes non ſolùm occulta Dei iudicia extimeſcant, ſed etiam Eccleſiaſticam & Pontificalem iuriſdictionem temporalem, per quam deiici loco poſſint, quoties id Eccleſia, vel eius caput Papa, è religione atque è Republica eſſe putauerit? Certè id ſiluiſſe, ſi verum erat, fallere fuit Reges & Principes, quibus literis & prædicationibus perſuaſerant, eos poſſe à ſolo Deo in temporalibus iudicari. An fingemus ignaros adeò & inſcios fuiſſe authoritatis Eccleſiæ, vt tali eam poteſtate præditam eſſe non intellexerint? An denique adeo meticuloſos & puſillanimos, vt quod ſcirent, id Principibus nunciare nō ſint auſi? Si nihil horum priſcis illis Patribus imputari poteſt, cur aliam, quæſo, nunc nouam poteſtatem, nullâ certâ neque authoritate neq; ratione fundatam, ſed poſtremis ſeculis ab hominibus quibuſdam ſummo Pontifici miſere addictis excogitatam populoque obtruſam amplectamur, & nouum iugum Principibus imponamus?

CAP. IX.

Priorem partem ſecundæ rationis aduerſariorum falſiſſimam eſſe iam planè oſtendi, *Eccleſiam ſcilicet, ideò tolleraſſe Conſtantium, Iulianū, Valentem, & cæteros Principes Hereticos, quia non potuit eos ſine populi detrimēto coercere.* Poſteriorem partem nunc æquè falſam eſſe demonſtrabo,

nempe Henricum IV. Imperatorem, & alios Principes in quos poſteriores Pontifices ius ſibi tẽporale arrogarũt, potuiſſe ab Eccleſia ſine populi detrimento coerceri. Quod priuſquam aggrediar, obſecro atque obteſtor non modò lectorem beneuolum, ſed ipſoſmet aduerſarios, vt quæſtione pertractata perpendant animo, & temperatè, ac ſyncerè æſtiment, an non facilius Eccleſiæ fuerit in primos iſtos Principes, ſupradictis modis & mediis animaduertere, quã dictum Henricum quartum per Rudolfum Sueuum, vel Philippum Pulchrum per Albertum Auſtriacum in ordinẽ cogere? quorum alter Papæ arrogantiam riſit & repreſſit: [1] alter verò æmulum aduerſarium ſibi à Põtifice datũ, poſt varias vario marte dimicationes, poſtremo tandem prælio confecit. [2] & Papam, à quo fuit excommunicatus, Romã eiectum perpetuo exilio multauit.

1 Phil. Pulcher. authores Platin. Gaguin. & alii.

2 Marian. Scotus in Chronico an. 1080.

Quanto cum populi detrimento Papa temporalem illã in Henricum IV. poteſtatem exercere conatus ſit, teſtatur Otto Friſingenſis (quem Bellarminus & genere, & eruditione, & vitæ probitate nobiliſſimum meritò vocat [3]) qui de excommunicatione & depoſitione dicti Henrici facta à Gregorio VII. ſic ſcribit. [4] *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam inuenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum: niſi fortè quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breue tempus à Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodoſius à beato Ambroſio propter cruentã cædẽ, à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus ſit.* vbi animaduertendum eſt, Ottonẽ planè profiteri ſe nullum de priuatione regni exemplum præcedẽtibus ſeculis inuenire; licet de excommunicatione duo iſta, ſi nõ vera, at ſaltem verorũ ſpeciem habentia proponat. Deinde verò paucis interiectis [5] ſic ſcribit: *Quanta autem mala, quot bella, bellorumq́; diſcrimina inde ſubſequuta ſint: quoties miſera Roma obſeſſa, capta, vaſtata, quod Papa ſuper Papam, ſicut Rex ſuper Regem poſitus fuerit, tædet memorare. Deniq; tot mala, tot ſchiſmata, tot tàm animarum quàm corporum pericula, huius tempeſtatis turbo inuoluit, vt ſolus ex perſecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miſeriæ infelicitatem ſufficeret comprobandã. Vnde à quodam Eccleſiaſtico ſcriptore denſiſſimis Ægypti tenebris comparatur. Prædictus enim Pontifex Gregorius à Rege vrbe pellitur, Gibertusq́; Rauennatenſis Epiſcopus in locum eius ſubtruditur. Porrò Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis*

3 Lib. 1. cap. 4. de tranſlat. Imp. & lib. 4. de Roman. Pont. ca. 13.

4 Lib. 6. Chron. cap. 35.

5 Ca. 36. ſiue vlt.

nis ſua tempore, dixiſſe fertur. Dilexi iuſtitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in Principe ſuo regnum ab Eccleſia præciſum grauiter percuſſum fuit, Eccleſia quoq; tanto Paſtore, qui inter omnes Sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli ac authoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit.

Hoccíne eſt Principem ſine populi detrimento coercere? Qui ſcribunt Romanum Pontificem (quem Eccleſiæ nomine intelligunt) non tolleraſſe hunc Imperatorē, quia poterat eum ſine populi detrimēto coercere, aut hunc authorem non legerint, aut nominis & exiſtimationis ſuæ curam nullam gerant, neceſſe eſt; qui tam manifeſto mēdacio ſe implicent. Si hoc prius ignorabant, diſcant nunc ſaltem ex hoc ſcriptore grauiſſimo, falſum id eſſe quod pro vero inſcienter proponunt: & cogitent velim, candideque iudicent, an nō ſatius fuiſſet Gregorium Papam vitia & mores deſperatos Henrici, inſtar Conſtantii, Iuliani, Valentis, & aliorum Imperatorum Eccleſiam vexantium perferre, ac Dei bonitatem lachrymis & precibus pro eius ſalute vel interitu exorare, quàm tot ſchiſmata & cædes, tot populorum & vrbium direptiones, tot in ſedem Apoſtolicam contumelias, in Pontifices bella, aliaſque furibundas tragœdias cum totius populi pernicie, vno facto inſolente & inaudito, minimeque neceſſario excitare, excitataſque annos plures magno Eccleſiæ malo alere & fouere? Fieri poteſt vt bono id animo fecerit Gregorius (Deus de intentione iudicet.) At fieri non poteſt, vt rectè, prudenter, & ex officio fecerit, & quin largiter errauerit, more & conſilio humano, cùm id ſibi tribueret quod ſuum ſanè non erat; deponendi ſcilicet & abdicādi Imperatoris munus, inque eius locum alterius ſubſtituendi poteſtatem; ac ſi ad eum regni illius humani dominiū pertinuiſſet. quod ſatis verſiculus ille indicat ab Ottone relatus, & à nobis ſupra tranſcriptus. *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.* Conſtat autem non ſemper rectè, & ex Dei voluntate fieri, quod pietatis feruore & bono zelo, etiā à viris cæteroquin optimis, agitur. Moyſes, dum Hebræi defendendi zelo occidit Ægyptium, peccauit. Oza zelo fulciendi arcam Domini nutantem, eam tetigit & interiit. Petrus zelo tuendi Dominum & Magiſtrum, Malcho auriculam abſcidit, & reprehenſus eſt. Hinc Doct. Ambroſius ad Theodoſium.

1 Lib.5.epiſt. 29.

[1] *Noui te pium, clementem, mitem atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem: ſed plerumque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam* [2]. zelus inconſideratus non rarò ad ſcelus impellit.

2 Rom.10.

Culpa igitur Gregorii Papæ mihi permagna in hoc negotio videtur; quod non animaduerterit ad ſupremi Paſtoris officium pertinere, vnius facinus impunitum potius relinquere, quam eius vindicandi deſiderio innocẽtem atque innoxiam multitudinem periculo inuoluere. Ac proinde ne excommunicare quidem Imperatorem illum debuit, in cuius ſceleris ſocietatem tantus hominum numerus coierat, vt ſeparari ſine ſchiſmate, & vnitatis Eccleſiæ diſſolutione nequiret. Id multis antè ſeculis, magnũ Eccleſiæ lumen Auguſtinus ſanctè & ſapienter admonuit, [3] atque ex Apoſtoli Pauli ſcriptis luculenter comprobauit: cuius ſententiam Eccleſia adeò gratam & ratam habet, vt eam in Canones retulerit [4]: digna ergo quam huc tranſcribam: & quæ non atramento ſed auro, nec in charta peritura, ſed ſilice vel adamante, aut ſi quid illis durius & diuturnius eſt, exaretur. *Non poteſt*, inquit, *eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cum ille corripitur qui non habet ſociam multitudinem. Cum verò idem morbus plurimos occupauerit; nihil aliud bonis reſtat quàm dolor & gemitus, vt per illud ſignum, quod Ezechieli ſancto reuelatur* [5], *illæſi euadere ab illorum vaſtatione mereantur. Ne cum voluerint colligere zizania, eradicent ſimul & triticum: nec per diligentiam ſegetem Domini purgent, ſed per temeritatem ipſi potius inter purgamenta numerentur. Ideoque idem Apoſtolus cum iam multos comperiſſet, & immundos luxuria, & fornicationibus inquinatos, ad eoſdem Corinthios in ſecunda epiſtola ſcribens, non itidem præcepit vt cum talibus nec cibum ſumerent. Multi enim erant, nec dici de his poterat*, [6] *Si quis frater nominatur fornicator, aut idolis ſeruiens, aut auarus, aut aliquid tale cum eiuſmodi nec cibum quidem ſimul ſumere: ſed ait.* [7] *Ne iterum cum venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & luxuria & fornicatione quam geſſerunt: Per luctum ſuum potius eos diuino flagello coercendos minans, quàm per illam correptionẽ vt cæteri ab eorum coniunctione ſe abſtineant.* & paulo poſt, *reuera ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit, diuinæ diſciplinæ ſeueræ miſericordia neceſſaria eſt.* [8] *nam conſilia ſeparationis* (hoc eſt communicationis) *& inania ſunt,*

3 Lib. 3. cap.2. contra epiſt. Parmeniani.

4 Can. non poteſt.23.q.4.

5 Ezechiel.9.

6 1.Corin.5.

7 2.Corin.12.

8 Id eſt, totum diuino iudicio & vltioni relinquendum eſt.

ſunt, & pernicioſa atque ſacrilega: quia & impia & ſuperba ſiũt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigunt animoſos malos.

Hæc cùm ita ſint, nemo vt arbitror, ex collatione doctrinæ S. Auguſtini, quæ & Eccleſiæ eſt, cum geſtis à Gregorio in Henricum, non perſpicuè cernet, Papam magnopere erraſſe, qui Imperatorem, cuius partes ingens Clericorum & Laicorum multitudo ſequebatur, cum manifeſto maximi ſchiſmatis periculo excommunicauerit: multoq; amplius, cùm eum Imperii iure (in quod ipſemet Pontifex ius nullum habebat) odioſa ſententia nixus eſt ſpoliare: vt mirum non ſit, ſi (quod Sigebertus ſcribit) eundem Gregorium paulò ante mortem pœnituerit omnium, quæ aduerſus Imperatorem geſſerat.

Libet Sigeberti locum referre, quòd non ſuam ipſius opinionem aduerſariis ſuſpectam, eò quòd Henrici partes ſequutus ſit, ſed hiſtoricam narrationem alterius authoris contineat. *Hildebrandus Papa*, inquit, [1] *qui & Gregorius ſe-* In Chronogtap.
ptimus, apud Salernum exulans moritur. De hoc ita ſcriptum re- ann.1085.
peri. Volumus vos ſcire qui Eccleſiaſtica cura ſoliciti eſtis, quod Dominus Apoſtolicus Hildebrãdus qui & Gregorius, nunc in extremis poſitus ad ſe vocauit vnum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris, & confeſſus eſt Deo, & ſancto Petro, & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in Paſtorali cura, quæ ei ad regendum commiſſa erat, & ſuadente diabolo cõtra humanum genus iram & odium concitaſſe. — Tunc demum miſit prædictum confeſſorem ad Imperatorem & ad totam Eccleſiam, vt optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat, & tam citò induebat ſe Angelica veſte, & dimiſit ac diſſoluit vincula omnium bannorum ſuorum Imperatori, & omni populo Chriſtiano, viuis & defunctis, Clericis & Laicis, & iuſſit ſuos abire de domo Deoderici, & amicos Imperatoris aſcendere.

CAP. X.

Redeo nunc ad Epiſcopum Friſingenſem, genere, pietate, & eruditione, vti diximus, nobiliſſimum, atque harum rerum teſtem penè oculatum. Is cùm in loco à nobis producto, tũ in aliis, non obſcurè indicat non probari à ſe decretum illud Papæ de abdicando Imperatore, ſed nouum, inſolens, atque iniuſtum videri. Nam primùm quod ad facti illius nouitatem & inſolentiam, ſic ſcribit, *lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta,*

Digitized by Google

& nuſquam inuenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum. Et rurſus libro primo de geſtis Friderici [1]; *Gregorius ſeptimus*, inquit, *qui tunc orbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à ſuis deſtitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cuius rei nouitate eò vehementius indignatione motum ſuſcepit Imperium, quò nunquam ante hac tempora huiuſmodi ſententiam in Principem Romanorum promulgatam cognouerat.* Iniuſtitiam verò & iniquitatem facti variis modis declarat. Primùm quod inter mala & damna, quæ ex illo Papæ decreto nata ſunt, ponat mutationem & deiectionem Papæ & Regis, *quod Papa ſuper Papam ſicut Rex ſuper Regem poſitus fuerit.* quibus verbis oſtendit vtrumque pari iure, ſeu potius pari iniuria factum eſſe, vt ſicut iniuſtè Papa ſuper Papam ab Imperatore, ita etiam iniuſtè Rex ſuper Regem à Papa *poſitus ſit.* Deinde quod ait, *quia ergo in Principe ſuo regnum, &c.* id quid aliud ſonat, quàm propter violatum in Principe Imperium, violatam fuiſſe in Pontifice Eccleſiam, ſiue propter percuſſum regnũ in perſona Principis, percuſſam fuiſſe Eccleſiam in perſona Pontificis. inter quæ cùm nullum iuris aut iniuriæ diſcrimen faciat, nec poſſit vtrumque iuſtè fieri; conſequens eſt, vt vtrumque iniuſtè factum eſſe exiſtimet.

1 Cap. 1.

Præterea tam defectionem Rudolfi, quem Papa Imperatorem creauerat, quàm inſurrectionem filii ipſius Henrici excommunicati, apertè & ſimpliciter rebellionem vocat: quod vtique nunquam dixiſſet, ſi Henricum iure priuatum imperio credidiſſet. Nam rebellium eſſe non poteſt, niſi aduerſus ſuperiorem, ac proinde nec in Henricum eſſe potuit, qui, ſi iuſtè abdicatus & *depoſitus eſt*, amplius ſuperior non erat. De Rudolfo itaque ſic ſcribit [2]: *Nec multo poſt tempore duo præfati duces Guelfo & Rudolfus, qua occaſione dubium, Principi rebellantes, Saxonibus iunguntur.* Et mox; *At Romanus Pontifex Gregorius, qui iam, vt dictum eſt, Principes aduerſus Imperatorem concitabat, omnibus vt alium crearent, latenter & manifeſtè ſcribebat.* Scire autem hic obiter oportet, quod ait *qua occaſione dubium*, de priuata occaſione intelligendum, cuiuſmodi multæ ſolent inter Magnates & Regem oboriri: vt noſtra ætate inter Borbonium & Franciſcum Regem, Guyſium & Henricum, Auriacum & Philippum: nam vterque & Guelfo & Rudolfus publicam occaſionem prætendebant, nempe efferatos

2 Libr. 1. de geſt. Friderici. cap. 6.

ſeratos Henrici mores, & quod à papa excommunicatus eſſet ac regno depoſitus; vt ſcribit Albert. Schafnaburgenſis [1], atque ita priuatum odium, vt rebellantibus mos eſt, prætextu publico velauerunt. De filio autem Noſter Epiſcopus Friſingenſis ſic loquitur; [2] *Anno dehinc iterum ſequente, natale Domini Moguntiæ Imperatore celebrante, Henricus filius eius rebellionem contra patrem in Noricis partibus, conſilio Theobaldi Marchionis, & Berengarij comitis, ſub ſpecie religionis, eò quod pater eius à Romanis Pontificibus excommunicatus eſſet molitur: aſcitiſque ſibi quibuſdam ex Orientali Frãtia, Alemania, Baioria, Principibus, Saxoniam terram & gentem contra Regem facile animandam ingreditur.* Lector hic duo obſeruet. Alterum quod hic author ſcientia & pietate conſpicuus, hanc inſurrectionem Henrici filii in Henricum patrem, rebellionem vocet. Alterum, quod Henricum patrem, & hic & alibi ſemper, Regem & Imperatorem nominet, quamuis excommunicatus & regno priuatus per ſententiam Pontificis, ante annos plus minus viginti quinque fuiſſet; & primum Rudolfus, deinde Hermannus à Papa & rebellibus in eius locum ſuffectus. ex quo ſatis indicat exiſtimare ſe ſummum Pontificem ius abdicandi Reges nullum habere, aut aliquid ſtatuendi de ipſorum imperio temporali: ac proinde decretum illud Gregorii nec iuſtum nec legitimum fuiſſe: alioqui neque Rex appellari Henricus, neq; eius aduerſarii rebelles, ſine Romani Pontificis iniuria potuerunt.

1 De rebus German.

2 Lib. 7. Chron. cap. 8.

Eſt & alius eiuſdem authoris locus, [3] in quo idipſum manifeſtius declarat, Papam ſcilicet per illam excommunicationem & abdicationem nihil iuris regni Henrico ademiſſe. Nam poſtquam narrauit Bertolſum Rudolfi generum (quem vt dictum eſt Papa Regem creauerat) perempto ſocero, ducatum Sueuiæ tanquam ſibi à ſocero cõceſſum vſurpaſſe, & ex altera parte Henricum (Papæ iudicio depoſitum) conceſſiſſe eundem ducatum nobili cuidam Sueuiæ, cui Friderico nomen, qui Bertolſum ad pacis conditiones, & ad *exfeſtucationem ducatus* adegit addit. *Bertolfus iſte, quamuis in hoc negotio Imperio ſimul & iuſtitiæ ceſſerit, tamen ſtrenuiſſimus ac fortiſſimus fuiſſe traditur.* En vt nihil circuitione vſus, affirmat Imperium & iuſtitiam ab Henrico ſtare, in quem Pontifex ſententiam depoſitionis multò antè tulerat; nõ autem à Rudolfo, quãuis Pontificia authoritate ad Regnũ vocato, cum epigraphe iam bis ſuperius relata, *Petra dedit Petro &c.*

3 Lib. 1. de geſt. Friderici. cap. 8.

Denique cùm ſeriò dicat & doceat, *Reges nullum præter Deum ſupra ſe habere quem metuant.* Nonne hoc ipſo ſatis admonet, nihil iuris temporalis Pontifici Romano eſſe, vt de ipſorum regnis & imperiis vllo modo diſponat? Et verò licet aliud non eſſet, quo facinus illud Gregorii Pontificis improbetur, ſanè tot lugubres & calamitoſi euentus, tot funeſti ac miſerabiles caſus, qui ex illa Papæ in Imperatorem tunc primum occupata & vſurpata iuriſdictione orti, vniuerſum Imperium totos viginti quinq; annos afflixerunt, & Eccleſiam continuo ſchiſmate lacerarunt, nobis argumento eſſe poſſunt, decretum illud non afflatu diuino, ſed humano impetu factum eſſe: nec ab ordinaria ſanctæ ſedis Apoſtolicæ iuriſdictione, ſed vel ab extraordinaria ſedem tenentis ambitione, vel iuris ſui ignoratione & zelo inconſiderato proceſſiſſe. Neque enim veriſimile eſt Deum, qui iuſtitiæ author & Eccleſiæ protector eſt, quique primas ſpiritualis poteſtatis Eccleſiæ executiones, præſentibus miraculis & horrendo effectu formidabiles reddidit, non eodem modo primam illam tantæ tamque ſublimis authoritatis & iuris Eccleſiæ ſuæ executionẽ, ſingulari aliquo miraculo vel extraordinario auxilio ſecundare voluiſſe: cũ præſertim tot precibus à Pontifice in auxiliũ eſſet vocatus, ipſique Apoſtoli ſolenni obſecratione rogati, his verbis. *Agite igitur Apoſtolorum ſanctiſſimi Principes, & quod dixi veſtra authoritate interpoſita confirmate, vt omnes nunc demum intelligant, ſi poteſtis in cœlo ligare & ſoluere, in terra quoque Imperia, Regna, Principatus, & quicquid habere mortales poſſunt, auferre & dare vos poſſe. Ediſcant nunc Reges huius exemplo, & omnes ſeculi Principes, quid in cœlo poſitis, quantique apud Deum ſitis, ac deinceps timeant ſancta Eccleſiæ mandata contemnere. Hoc autem iudicium citò in Henricum exercete, vt intelligant omnes, iniquitatis filium non fortuitò, ſed veſtra opera è regno cadere. Hoc tamen à vobis optauerim, vt pœnitentia ductus in die iudicij veſtro rogatu gratiam à Domino conſequatur. Actum Romæ Nonis Martij indictione tertia* [1]. His & ſimilibus precationibus ad Deum Principes Apoſtolorum fuſis inquè Henricum execrationibus & imprecationibus ſolenni more coniectis, quis Deum, qui Eccleſiam per beatos ſuos Apoſtolos continua protectione cuſtodit, non facilè paſſurum ſe exorari, & primam hanc Pontificis ſupplicationem in tantæ authoritatis Eccleſiæ manifeſtandæ exordio

[1] Platin. in vita huius Pontif.

dio non ſtatim fuiſſe auditurum arbitretur, ſi talis ad Eccleſiam authoritas pertinuiſſet? Cùm tamen planè contrà, nihil non infauſtum Pontifici, Pontificiæque partis authoribus & fautoribus acciderit, triumphante interim & Imperium tenente Henrico. Nam quod à filio tandem poſt annos viginti quinque paſſus eſt, *ſub ſpecie religionis*, vt ait Friſingenſis, id parum aut nihil ad hanc rem pertinet: prætextus hic tantùm filio peſſimo fuit, qui ante diem patrios in annos inquirebat. Vera autem cauſa, ambitio, & ardens dominandi libido, *quæ multos mortales falſos fieri ſubegit.* [1] & patres in filios, & hos in illos, ſæuis & furialibus odiis ſæpe armauit, vt vberius alibi oſtendimus: [2] Belliſſimè quidam, [3] *patris longior vita malo filio ſeruitus videtur.*

1 Saluſt.
2 Lib.6.de regno.cap.4.
3 Gaguin. in vita Ludou. Pii.

Cap. XI.

Ex his, vt opinor, ſatis patet, Eccleſiam non tolleraſſe olim Conſtantium, Iulianum, Valentem, & alios malos Principes, quòd ſuis tunc copiis & viribus diffideret, nec quòd eos ſine magno populi incommodo in ordinem cogere nequiret. Nam re vera facilius, & minore populi detrimento, veteres illos coercere potuit, quàm non ſolum Henricum IV. cuius cauſa tam diuturnum ſchiſma ortum eſt, ſed vel Othonem IV. vel Fridericum II. vel Philippum Pulchrum, vel Ludouicum XII. vel Ioannem Nauarrum, & alios, in quos Pontifices ſucceſſu rerum tumidi, ſententias excommunicationis & priuationis regnorũ protulerunt; non ob hæreſin, neque ob malè obitum imperium, neque ad ſupplicationem ſubditorũ, ſed proprio motu, priuato inquam odio incenſi infenſique. Non denique quòd ſtatus Eccleſiæ illâ ætate Epiſcopos magis quã hoc ſeculo ad martyrium paratos eſſe voluerit. Tunc enim Eccleſia tutiſſimo loco erat, atque in portu, vt dicitur, nauigabat: vtpote fundata iampridem Apoſtolicis inſtitutis, & ſatis ſuperque labore ac ſanguine Martyrum ſtabilita. Quinimo is tunc Eccleſiæ ſtatus erat, vt multò minus quã hoc tempore Epiſcopis ad martyrium paratis opus eſſet: quòd tota tunc multitudo, velut recente Martyrum ſanguine aſperſa, nihil niſi martyrium redoleret: adeo vt non minus exemplo gregis Paſtor, quàm ſinguli de grege exẽplo Paſtoris, officii ſui commoneretur.

At nunc ſecus, proh dolor! ſe res habet: Eccleſia grauiſſimis tempeſtatibus agitata eſt, aç tantũ non obruta Hereti-

tico-

ticorum impetu, multis eorum ipſorum qui Catholici dici cupiunt ita affectis, vt nec magnas exantlare moleſtias, nedum exequi mortem, pro vera religione velint: quapropter vt incaleſcat ille tepor, & homines ad expeditiſſimam viam & quaſi compendiariam ſalutis excitentur, quis non videt opus eſſe Epiſcopis, qui verbo & exemplo viam mõſtrent: & ad martyrium potius, quàm ad arma & inſurrectiones, in quæ natura procliues ſumus, & ſemetipſos cõponant & alios adhortentur? Quis non paternam Clementis VIII. pietatem cum ſumma prudentia coniunctã, quà Reges & Principes Chriſtianos ad concordiam reducere, & in concordia retinere annititur, infinitis partibus Eccleſiæ vtiliorem iudicet, quàm Iulii II. loricati furores Martios, quibus Italiam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniã, cæteraſque gentes Chriſtianas, hoſtilibus animis inter ſe committere, impiè & inhumaniter conitebatur?

Hæc cùm ita ſint, ſane vel priſcos Eccleſiæ patres grauiter deliquiſſe fateamur, quod ſontes illos, & execrandos fidei deſertores, non ſolum pertulerint, &, cùm facilè poſſent, non peremerint; ſed obſeruarint comiter, & regalibus titulis atque honorib. dignati ſint: vel eos eiuſmodi Principibus pepercíſſe propter reuerentiam Maieſtatis, & ſolo Deo inferiorem in temporalibus poteſtatem, arbitremur neceſſe eſt: vel certè præter cauſas ab aduerſariis redditas, aliam adhuc ſubeſſe meliorem credamus, quam nemo ipſorum hactenus prodidit, nec vt ſuſpicor, vnquã prodet.

Nam quod quidam ſeditioſus in opere illo infami, quod aduerſus Reges ſcripſit, [1] vt vim ſuperioris obiectionis de antiquorum Patrum tolerantia eludat, *quaſi verò*, inquit, ***eadem inſtituenda Eccleſiæ ratio, atque inſtituta eſſe credenda ſit, ac non prius plantari & irrigari vineam, quàm incidi oporteat: ſed tum demum id*** poteſtatis ***datum eſt Eccleſiæ, cùm id Propheta impletum eſt: Erunt Reges nutritii tui, & vultu in terra dimiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.*** [2] id certè eſt eiuſmodi quod vix reſponſione dignum putem, cùm nec authorem ipſum ſat quid dicat ſcire arbitrer. Quid enim? An non putida Eccleſiæ membra ab eius infantia & primordiis abſcindi ſolebant? An neſcit inciſionem illam ſpiritualem, quæ propria Eccleſiæ eſt, vnà cum ipſa Eccleſia cœpiſſe? Quid Ananias, quid Corinthius, annõ ab Eccleſia amputati? Hoc ſi ignorat, malus Theologus, & peior vinitor credendus eſt; ſiquidem in plantatione reſecat

[1] Lib. 3. cap. 18. de inſt. Henr. 4. abdicatione.

[2] Eſaiæ 94.

hic etiam quicquid in vite ſuperfluum eſt & inutile, nec prominere terra putridas aut vitiatas gemmas ſinit: mox eam, vbi paululum excreuerit, pampinat, ne infructuoſis colibus oneretur. Quod ſi de inciſione corporali intelligat, ſcire debet Eccleſiam nòn noſſe ſanguinem, non ſolere inquam extremo ſupplicio quenquam afficere, niſi fortè per miraculum, vt in perſona Ananiæ & Saphiræ [1], contingat. Sed quid? an Eccleſiam temporibus Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini nondum perfectè inſtitutam fuiſſe retur? aut non ſatis plantatam & irrigatam, vt iam tūc commodè incidi potuerit? Certè B. Auguſtinus alicubi aſſerit [2] paucos ſuo ſeculo vſpiam inueniri, qui de Chriſto malè ſentirent. Cur ergo Valentem, Valentinianum, Heracliū, & alios ſimiles tolerauit Eccleſia? Nam à Conſtantino Magno impletum erat id propl etiæ quod allegat. At nondum tempus incidendi vineam Domini. Egregia ratio ſcilicet, atque inter alias eius viri ineptias, quas alibi ſeorſus indicauimus, [3] collocanda. Nunc ad indirectæ poteſtatis propugnatores tranſeamus.

1 Act. 5.

2 Tract. 27. in Ioan.

3 Lib. 5. & 6. de Regno.

CAP. XII.

HOrum opinionem capite primo & capite quinto ſuprà propoſui: ea eſt, *Papam ratione ſuæ ſpiritualis Monarchiæ habere poteſtatem temporalem indirectè, eamque ſummam diſponendi de temporalibus rebus omnium Chriſtianorum, & poſſe mutare regna, & vni auferre atque alteri conferre, ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem.* [4] Cui ſententiæ tam multa repugnant, vt eam omnino improbabilem, ne dicam incredibilem, exiſtimem. Nam inprimis quid ei magis contrarium, quàm quòd tota antiquitas Chriſtiana ſemper cenſuit, Reges ſolo Deo minores eſſe, ſolum Deum iudicem habere, nullis legibus humanis ſubiici, nulliſque pœnis temporalibus plecti vel coerceri poſſe, [5] ac proinde quod iuris authores dixerunt, *Princeps legibus ſolutus eſt* [6], id Græci de legibus pœnalibus præcipuè intelligunt; ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται. id eſt, videlicet ſi quid delinquat nō punitur. Nihil horum cum aduerſariorum opinione poteſt conſiſtere. Nam ſi verum eſt, Papam de Regnis rebuſq; Principum ſecularium poſſe diſponere, & ab iis ſceptra omnemque dignitatem auferre, conſequitur neceſſariò Papam Regibus ſuperiorem atque etiam iudicem in temporalibus eſſe, ac præterea Reges omnes temporalibus pœnis ſub-

4 Aduerſariorū ſententia toti antiquitati eccleſiaſticæ contradicit.

5 Vide cap. 1.

6 L. Princeps. D. de legib.

ſubiici poſſe: quod ſuperiori veterum ſententiæ ex diametro vt aiunt opponitur. conſecutionis neceſſitas inde patet, quòd qui alium legitimè iudicat, is ſuperior ſit eo quē iudicat neceſſe eſt. (Nam par in parem non habet imperium,[1] multo minus inferior in ſuperiorem) & quòd regni priuatio, ſicut bonorum publicatio, inter pœnas temporales eaſque grauiſſimas numeranda ſit.

1 L. Nam magiſtratus, D. de recep. qui arbi.

Quid quod ipſi Pontifices fatentur, Reges non habere ſuperiorem in temporalibus[2]. Habent & non habent, ſimul vera eſſe nequeunt. falſum ergo eſt Reges non habere ſuperiorem in temporalibus, ſi alius iis poſſit iure temporalia auferre alterique conferre.[3] ſi enim hic non ſit actus ſuperioritatis, vt ita loquar, non video equidem quid ſit eſſe ſuperiorem: aut ſi Regem cauſâ cognitâ condemnare, & regali dignitate multare, non ſit Regis iudicem eſſe; nullam neque iudicii neque iudicis notionem à maiorib. traditam & relictam eſſe fatendum eſt. Nam quod in verbis, *directè & indirectè*, diſcrimen ſtatuunt, id non ad facultatem iudicandi & effectum iudicii, ſed ſolùm, ad modum & rationem acquirendi tantam poteſtatem pertinet. Canoniſtæ enim dicunt Papam directè dominium temporale totius orbis à Chriſto accepiſſe. Hi verò negant eum accepiſſe tale dominium directè, quaſi dicas per ſe, ſimpliciter, & ſine alterius rei conſideratione; ſed tantùm indirectè, hoc eſt per conſequentiam, ratione illius poteſtatis ſpiritualis q̄ directè à Domino accepit. hæc igitur ex verbis iſtis differentia, ad initium & modum acquirendi temporalem poteſtatem, non autem ad eius vim & effectū referri debet. Vtrumuis enim dicas, nihil ad Pontificalis iudicii in Reges firmitatem & efficaciam omnino intereſt: niſi fortè quis dicat Papam, ſi vir malus fuerit, liberius indirectè quam directè in Regum corpora & fortunas poſſe graſſari.

2 Cap. per venerabilem qui fil. ſunt legit.

3 Repugnat cõfeſſioni Pontificum.

Quod ſi aduerſariorum ſententiæ locus ſit, Reges & Principes Chriſtiani non erunt ſolum vaſalli & clientes Papæ in temporalibus, ſed quod vilius eſt, quaſi precariò Regna & Principatus ab eo poſſidebunt. Id facilè ex ipſis aduerſariorum principiis ſic oſtendo. Summus Pontifex poteſt alicui regnum auferre, & alteri conferre, ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem: Atqui iudicare & decernere an ſit neceſſarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio, æquumne ſit an iniquum, nemo poteſt iudicare:[4] ergo vbi libitum ei erit, poterit quemlibet regno pri-

4 Can. patet. can. aliorum 9. q. 3.

priuare, & illud alteri conferre. Propoſitio in hac ratiocinatione, eſt ipſamet ſententia aduerſariorum. Aſſumptio verò inter omnes Catholicos extra controuerſiam eſt: nemo enim niſi Hæreticus negabit, curam animarum ad Petri ſucceſſorem & Chriſti vicarium pertinere. Concluſio denique ex præmiſſis neceſſariò ſequitur; quia ſi volet Pōtifex Regnum aliquod ab vno in alium transferre, poterit dicere, ſe iudicare, ad animarum ſalutem id eſſe neceſſarium: & de eius quidem iudicio, vt dictum eſt, iudicare nemo debet. Atque ita ſemper in eius voluntate ſitum erit, vtrum velit ſceptra Regibus adimere. quod quid eſt aliud, quam Reges omnes velut iure precarii regna ad nutum Pontificis auferenda detinere [1]? Ecce quàm lubrico in loco Reges & Principes Chriſtiani conſiſterent, ſi verum eſſet, Papam habere poteſtatem indirectè diſponendi de omnib. rebus temporalibus Chriſtianorum, qui eam poteſtatem ſuo ſemper arbitrio iudicioque metietur, vt nihil irato illi facilius futurum ſit, quàm indirectæ poteſtatis exercendæ cauſam prætexere, quoties eum aut priuatas iniurias vlciſcendi libido, aut ambitioſè dominandi cupiditas inceſſerit; aut etiam vbi ſe læſum ſpretúmve, quamuis ſine publica offenſione, eſſe credet. Cuius rei illuſtria documenta præbuerunt Bonifacius VIII. & Iulius II. vt alios taceam, cùm magno multorum ſcandalo, conceptum in Reges potentiſſimos odium, obliqua hac indirectæ poteſtatis via effundere conarentur. Quod igitur de beneficiis Clericorum tradunt Pontificii iuris interpretes, *omnia* ſcilicet *manualia eſſe reſpectu Papæ*: idem de Regnis dici poſſet, ſi iſta ei in Reges poteſtas temporalis indirectè concedatur, quaſi in manu & poteſtate eius ſit, aliis ſubinde atque aliis tanquam precario poſſeſſoribus ea auferre & conferre. Sed mitto hanc ab incommodo ſiue abſurdo rationem, quæ licet aduerſus Bozium & Canoniſtas nullius ſit momenti, quòd ipſi id quicquid eſt incommodi admittant, fateanturque Reges nihil niſi mandatam à Papa executionem in regnis obtinere, tamen eſt efficax contra Theologos, & omnes indirectæ poteſtatis aſſertores.

Sed & omnis poteſtas, omneque dominium & iuriſdictio, aut iure diuino acquiritur, aut iure humano: & qui aliquid poſſidet ſeu tenet, ſi neutro horum poſſideat, iniuſtè poſſidet, vt præclarè in Donatiſtas ratiocinatur Auguſtinus [2]. Fieri igitur non poteſt, vt Papa imperium ali-

1 L. I. D. de prec.

2 Tract. 6. ad c. 1. Ioan. can. quo iure diſt. 8.

aliquod temporale in Reges & Principes ſeculares iuſtè exerceat, niſi conſtet id ei iure diuino vel humano eſſe tributũ. At nullus neq; in diuinis neque in humanis legib. locus reperitur, qui talẽ illi poteſtatẽ conferat. cùm tamen contrà, Regũ Dominatio & authoritas multis ſacrarum literarum teſtimoniis apertè cõmendata ſit & probata, vt cùm dicitur, *Per me Reges regnant. Data eſt à Domino poteſtas vobis. Reges gentium dominantur eorum. Cor Regis in manu Dei. Dabo illis Regem in furore meo. Time Dominum, fili mi, & Regẽ. Deum timete, Regem honorificate*, & paſſim id genus ſimilia.

Poſtremò, quandoquidem poteſtas & iuriſdictio iſta tẽporalis Papæ, de qua nobis ſermo, neque expreſſo Dei verbo in Scripturis comprehenſa, neque ex traditione Apoſtolorum quaſi per manus recepta; neque vſu & conſuetudine in Eccleſia per totos mille annos & amplius obſeruata, aut ab vllo Pontifice occupata; neque ab antiquis Eccleſiæ Patribus laudata & probata, imò ne memorata quidem inuenitur; quæ nos, obſecro, credendi neceſſitas, cogat eam admittere? aut qua nobis eam authoritate perſuadeant? Rationibus, inquiunt, & exemplis noſtra probatur ſententia. quàm vellem inquam id verum eſſe. Sed ſcire inprimis oportet, eas tantùm rationes huic ipſorum ſententiæ probandæ idoneas eſſe, ex quibus apodixes & demonſtrationes euidentes conficiuntur, quales nemo illorũ adhuc attulit, aut vt arbitror afferre potuit. Nam quod ad probabiles & veriſimiles tantùm rationes attinet, ex quib. ſyllogiſmi Dialectici conſtant, illarum non ea vis eſt, vt per eas ſummum Regibus & Principibus imperium abiudicetur: cùm ne quidem in quotidianis minimarum rerum cõtrouerſiis aliquid euinci poſſit, niſi manifeſtis & euidentibus teſtimoniis vel teſtibus res petitoris eſſe comprobetur. & ideo *actore non probante, qui conuenitur, etſi nihil ipſe praeſtat, obtinebit* [1]. In exemplis autem infirmum atque inualidum omnino pręſidium eſt, quia quid factum ſit tantummodo, non quid fieri debuit, oſtendunt: exceptis iis quę ſacrarum literarum teſtimonio laudi vel vituperio dantur. Quę cùm ita ſint, videamus nunc quibus rationibus ſententiã ſuam aduerſarii confirment.

[1] L. qui accuſare. C. de edend. l. actor. C. de prob. cap. 1. de probat.

Cap. XIII.

NEmo omnium, vt antè dixi, Pontificiæ partis, rationes aut diligentius collegit, aut argutius propoſuit, aut

aut breuius & ſubtilius concluſit, quàm inſignis Theologus Bellarminus, quem honoris cauſa nomino, qui licet quantum honeſtè potuit, & plus etiam quàm debuit, Papæ authoritati in temporalibus tribuit: ſatisfacere tamen non potuit ambitioni imperioſiſſimi hominis Sixti V. *qui ſe ſupremam in omnes Reges & Principes vniuerſa terra, cunctosque populos, gentes, & nationes non humana ſed diuina inſtitutione ſibi traditam poteſtatem obtinere* affirmabat [1]. Itaque parum abfuit quin omnia Doctoris illius opera, quæ hæreſin ſummo hodie ſucceſſu oppugnant, Pontificia cenſura magno cum Eccleſiæ detrimento aboleret. vt illius ordinis patres, cuius tunc erat Bellarminus, ſeriò mihi narrarunt. Quæ res me reficit, ſi fortè, quod nolim, Pontifex aliquis pari ambitione præditus, librorum meorum lectione ob ſimilē cauſam Catholicis interdicet. Quicquid volet ſanè faciat, at nunquam efficiet, vt ego Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam fidem, in qua à puero ad grauem hanc ſenectutem verſatus ſum, vnquam deſeram; aut in alia fidei profeſſione moriar, quam quæ à Pio IV. præſcripta eſt. Rationes igitur ex Bellarmino huc referemus; ſunt enim numero quinque, relictis aliis, maximè verò nugis Bozianis, quæ indignæ ſunt, in quarum refutatione vir doctus ſe exerceat.

In Bulla contra Henric. III. Fráciæ Regem.

Prima ratio eſt, quam his verbis proponit Bellarminus. *Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reip. Chriſtiana: ergo poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus, & diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale. omnis enim ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo.* Et ne quis fortè rationem hanc eludat per inficiationē propoſitionis, eam illicò tribus argumentis, ſiue mediis, vt aiunt, demonſtrare conatur, hoc modo.

Quod autem poteſtas politica, non ſolùm vt Chriſtiana, ſed etiam vt politica, ſit ſubiecta Eccleſiaſtica, vt talis eſt: primo demōſtratur ex finibus vtriuſque. Nam finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, vt patet. quia felicitas temporalis non eſt abſolutè vltimus finis, & ideo referri debet in felicitatem æternam: conſtat autem ex Ariſtotele lib. 1. Ethic. cap. 1. ita ſubordinari facultates, vt ſubordinantur fines.

Secundo, Reges & Pontifices, Clerici & Laici, non faciunt duas Reſpub ſed vnam, id eſt, vnam Eccleſiam. Sumus enim omnes vnum corpus. Rom 12 & 1. Corinth. 12 at in omni corpore membra ſunt connexa, & dependentia vnum ab alio: non autem rectè

 aſſeritur,

aſſeritur, ſpiritualia pendere à temporalibus, ergo temporalia à ſpiritualibus pendent, illisq́; ſubiiciuntur.

Tertio, ſi temporalis adminiſtratio impedit ſpirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum adminiſtrandi, etiam cum detrimento temporalis boni, ergo ſignum eſt ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali. Hæc ille.

Quibus vt ordine ſatisfiat, reſpondeo, falſum inprimis eſſe, quod pro vero, certo, & ſolido fundamento in hac prima ratione nobis obtruditur: falſum inquam, ciuilem poteſtatem ſubiectam eſſe ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reipublicæ Chriſtianæ: niſi id ita intelligant, ſubiectam eſſe in ſpiritualibus, & è diuerſo hanc illi in temporalibus obedire oportere. Siquidem hæ duæ poteſtates ita ſunt partes Reipublicæ Chriſtianæ, vt neutri in alterū imperium ſit, vtpote quæ cùm liberæ & ſui iuris eſſent, mutuo amore coierunt. Vtraque ergo alteram in ſuo ordine & munere *recognoſcit* & veneratur, & ſuam vtraque functionem arbitratu ſuo exercet: tantùm inter eas conſpirans quidam conſenſus & ſocietas eſt, ad Chriſtianam Rempub. conſeruandam: vtraque enim poteſtate, ſiue (vt Genebrardi [1] verbis vtar) *vtroque magiſtratu Eccleſiaſtico & Politico Eccleſia continetur, munitur, & viget.* ad quam protegendam & ſartam tectam conſeruandam

In Pſal. 2.

—alterius ſic

Altera poſcit opem res, & coniurat amicè,

Vt quamdiu ſocietatem retinent, Reſpublica Chriſtiana innumeris concordiæ & pacis commodis effloreſcat: At vbi coitam diſſoluunt, ſpiritualis quidem poteſtas, licet diuina virtute præſtans, imbecillior tamen in oculis hominum & corporalibus auxiliis deſtituta plerumque contemnitur: temporalis verò quantumuis potens atque fortis, in ſuam ipſius perniciem per omne ſcelus & inſaniam properat, nimirum cæleſti gratia deſtituta, qua per ſpiritualis poteſtatis coitionem fruebatur. Nihilo tamen magis poteſtas Eccleſiaſtica ſuas vlciſci iniurias per ſe, niſi armis ſpiritualibus, vel poteſtas temporalis in Eccleſiaſticam ſæuire, niſi viſibilibus & corporalibus telis poteſt. Cuius rei vtinam non tot luctuoſis exemplis & ſuperiorum ſeculorum monimenta, & noſtra nos ætas memoriaque admonerent. Atque hoc nimirum illud eſt, quod, vt antè dixi, Hoſius ad Conſtantium Arianum. *Neque fas eſt nobis*, inquit,

quit, *in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, Imperator.* & quod D. Bernardus ad Eugenium Papam.[1] *habent hæc infima & terrena iudices ſuos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis?* Non ſunt igitur hæ poteſtates. Eccleſiaſtica & Politica, ita partes Reipubl. Chriſtianæ, vt altera in alteram planè dominetur: ſed ita ſunt partes, vt quæ cùm eſſent ſeparatæ & inter ſe diſſidentes, ſingulari tandem concordia ſe coniunxerunt, vt vtraque alteri opem & operam ſuam præſtaret, mutuiſque officiis & muniis ſeſe inuicem demererentur. Nec quòd poteſtas Eccleſiaſtica ſanctior & excellentior ſit Politica, idcirco hanc illi ſubiectam eſſe concedendum eſt: ſed tantùm (vt fit non rarò in ſocietate ciuili) illam digniorem & diuitiorem huic ignobiliori & minus locupleti, ad vtriuſque vtilitatem ſe adiunxiſſe; ita vt ambæ in illa ſocietate liberæ maneant, neutraque ab altera vllo modo pendeat. Itaque perbellè in hanc ſententiam Driedo[2]: *Chriſtus*, inquit, *vtriuſque poteſtatis officia diſcreuit, vt vna diuinis & ſpiritualibus rebus atque perſonis, altera profanis ac mundanis præſideret.* & mox, *En planè vides Chriſtum diſcreuiſſe vtriuſque poteſtatis officia. Diſtinctio igitur Eccleſiaſticæ poteſtatis Papalis à poteſtate ſeculari ac imperiali eſt de iure diuino facta.* & pòſt eodem capite, *Vnde Papa & Imperator ſunt in Eccleſia non tanquam duo rectores ſummi inter ſe diuiſi, quorum neuter alterum cognoſcit, aut veneratur tanquam ſuperiorem* (Nam hic illum in ſpiritualibus, hunc ille in temporalibus recognoſcere ac venerari tanquam ſuperiorem debet, & ſecundum antiquam gloſſam in can. Hadrianus. 63. diſt. quemadmodum ille huic in ſpiritualibus, ita hic illi in temporalibus pater eſt) *quia regnum ſic contra ſe diuiſum deſolabitur. Neq; item ſunt tanquam duo iudices ſubordinati, ſic vt alter ſuam iuriſdictionem accipiat ab altero. Sed ſunt tanquam rectores duo, qui ſunt vnius Dei miniſtri, diuerſis officiis deputati, ita vt Imperator præſit ſecularibus cauſis & perſonis ad pacificum conuictum huius ſeculi: Papa verò præſit ſpiritualibus ad lucrum Chriſtianæ fidei & charitatis.*

1 Lib. 1. de conſider. cap. 6.

2 Lib. 2. de libert. Eccleſiaſt. cap. 2.

Sed & ipſemet Bellarminus[3]. *Nota*, inquit, *quemadmodum non eſt idem ſydus Sol & Luna, & ſicut Lunam non inſtituit Sol, ſed Deus: ita quoque non eſſe idem Pontificatum & Imperium nec vnum ab alio abſolutè pendere.* Sunt quidem Sol & Luna duo luminaria magna[4], quæ Pontifex Innocentius

3 Lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 3.

4 Geneſ. 1.

1 Cap. ſolitæ de maiorit. & obedient.

per allegoriam interpretatur [1]. *duas dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas, & regalis poteſtas:* & illam Soli, hanc Lunæ comparat. Vnde hoc modo diſputo. Quemadmodum Luna non minus Luna eſt, nec minus per ſe conſiſtit, tunc cùm à Sole recedit, & mutuatum ab eo lumen errans amittit, quàm cùm eius radiis pleno orbe atque aſpectu illuſtratur; & neutro caſu aut hæc ab illo, aut ille ab hac dependet: ſed ambo inſtitutionis ſuæ ordinem & modum tenentes, Deo mundoque deſeruiunt. Sic etiam poteſtas Regalis ſiue politica, propriis ſubnixa viribus per ſe ſemper conſiſtit: & licet magnum quidem lumen ad benè beatéque viuendum à Pontificali & ſpirituali poteſtate accipiat, tamen eius neque acceſſu neque receſſu vlla ex parte in ſua *οὐσίᾳ* ſiue eſſentia mutatur, minuitur vel augetur: multoque minus aduenienti ſubiicitur. Supereſt vt vitia argumentorum, quibus primam iſtam rationem fulciri Bellarminus putat, ſingillatim indicemus.

CAP. XIV.

QVod igitur ad primam attinet, nego conſtanter talē ordinationem vel ſubordinationem finium harum poteſtatum eſſe, quatenus ipſæ poteſtates tales ſunt. Nam finis Politicæ ſeu ciuilis poteſtatis, quatenus politica eſt, nihil aliud abſolutè complectitur quam felicitatem temporalem, commune ſcilicet bonum, & vitæ degendæ ordinatam tranquillitatem, vt ipſemet alibi Bellarminus fatetur. *Politica poteſtas*, inquit, *habet ſuos Principes, leges, iudicia &c. & ſimiliter Eccleſiaſtica ſuos Epiſcopos, Canones, iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem; iſta ſalutem æternā.* Nec vlterius progreditur hæc poteſtas ciuilis, nullumque aliū in finem refertur, vt talis eſt. Nam quod ad æternam felicitatem aſpirat, id non à ſeipſa habet: non, inquam, quatenus politica eſt, eò tanquam in vltimum ſcopum conatus ſuos dirigit: ſed quà ſpiritualis, ſiue eccleſiaſticæ poteſtatis ſocietate & conſiliis adiuuatur. vt patet ex innumeris populis & ciuitatibus, apud quos ciuilis poteſtas ſeuerè viguit, licet exiguam vel planè nullam æternæ felicitatis, de qua loquimur, notionem habuerint. Hoc etiam indicat

2 1. ad Timot. 2. Apoſtolus [2], cùm iubeat orare pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, *vt tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate:* tranquillitatem vitæ nimirum politicæ gubernationi, pietatem & caſtitatem Chriſtianæ diſciplinæ

ciplinæ adſcribens. Itaque, vt vno verbo dicam, ſciendum eſt fines actionum humanarum in intentione eſſe, & non in intellectu, id eſt, non quod intellectus diſcurſu rationis excogitare poteſt, id finis actionis eſt; ſed quod voluntas agendo conſequi cupit, dum animus actionem meditatur, id actionis finis eſt. Vnde Nauarrus [1] rectè ait, finem poteſtatis laicæ eſſe *vitam bonam, beatam, & quietam temporalem mortalium, quæ & finis eſt legum ab ipſa emanantium. Poteſtatis verò eccleſiaſticæ finem eſſe vitam æternam ſupernaturalem: eandemque eſſe finem legum ab ipſa emanantium.* Proſequerer hæc pluribus, ni rem acutis hominibus, vel ex ipſa Philoſophia ſatis perſpectam iudicarem.

In relect. cap. nouit. num. 90. de iudic.

Secundum verò argumentum vſque adeo friuolum eſt & fallax, vt nihil inſcitius dici, aut vitioſius colligi poſſit, quàm quod eo concluditur. Ecqua enim anus tam excors eſt, vt neſciat non valere hanc conſequutionem, *Sunt membra vnius corporis; ergo vnum ab alio pendet.* Nam neque pes à pede; neque brachium à brachio, neque humerus ab humero pendet, ſed alicui tertio & medio connexa ſunt per ſe, vel per alia membra quibus adhærent. An non eadem ratiocinandi forma, & eodem planè argumento colligitur: brachia vniuſcuiuſque hominis ſunt membra vnius corporis: *at in omni corpore membra ſunt connexa & dependentia vnum ab alio: non autem rectè aſſeritur* dextrum pendere à ſiniſtro: ergo ſiniſtrum cuiuslibet hominis brachium pendet à dextro, eique ſubiicitur? Quis eiuſcemodi argumenta futilitatis plena non rideat? Ego miſeras iſtas demonſtrationes odi, quæ rem qua de agitur argutiis, præſtigiis, & captionibus inuoluunt potius, quàm explanant. Vt enim brachia ad humeros, & humeri ad collum & caput annectuntur: nec dextrum brachium, dexterve humerus, ſiniſtro, vel contrà, ſubiicitur: ita poteſtas ſpiritualis & temporalis, ſiue Eccleſiaſtica & Politica, licet membra ſint vnius corporis politici, & partes vnius Reipublicæ atque Eccleſiæ Chriſtianæ, neutra tamen alteri ſubiicitur; neutraque alterius fines & iuriſdictionem ſine ſcelere poteſt inuadere: ſed ambæ, velut vnius corporis humeri, ad caput qui Chriſtus eſt annectuntur, quarum hæc, Politica ſcilicet, vitæ degendæ præcepta, quibus ſocietatis humanæ tranquillitas continetur, ciuibus & ſubditis præſcribit: illa verò ad immortalitatis & felicitatis æternæ contemplationem ſupernatura-

lem (quæ & cum politica tranquillitate, & ſine ea interdum ſubſiſtit) animos hominum erigit informatque. ex quibus ſequitur, ſeparatas eſſe has poteſtates in eadem Republica Chriſtiana, ita vt neutra alteri, quatenus talis eſt, ſubiiciatur. Et verò niſi hoc ipſe Bellarminus fateatur, ſua eum doctrina alibi tradita redarguet. Nam libro tertio de Romano Pontifice, cap. 19. vbi nugas Synodi Smalchaldicæ Lutheranorum refutat, atque ad illud eorum argumentum reſpondet, quo dicunt *Papam ſe Deum facere cum nolit ab Eccleſia aut ab vllo iudicari*. oſtendit vitioſam eſſe conſequentiam, argumento ducto à Regibus, qui & ipſi quoque nullum in terris Iudicem habent quantum ad temporalia. *Reges terræ*, inquit, *certè Iudicem in terris, quo ad res politicas attinet, nullum agnoſcunt: Nũ igitur tot erunt Dÿ quot ſunt Reges?* Quid aliud eſt quæſo Reges non habere iudicem in terris, *quo ad res politicas*, quam quod nos contendimus, ſeparatam eſſe poteſtatem Politicam ab Eccleſiaſtica, & de illa ſummum Pontificem nullo modo diſponere vel iudicare poſſe? Nam ſi poſſet, certè aut Reges haberent iudicem in terris etiam *quo ad res politicas*, aut Papa ſemper in cæleſtibus habitaret. Fieri ergo non poteſt, quin Bellarminus aut à ſeipſo diſſideat, aut in memoria lapſus ſit, aut, quod non credo, veritatem variare ſtudeat, cùm alibi aſſumat pro certo & conceſſo, Reges nullum habere iudicem in terris quo ad res politicas; alibi verò Regibus & Principibus omnibus iudicem ferat Pontificem, qui eos iudicare & deponere, ac de regnis rebuſque ipſorum omnibus arbitratu ſuo diſponere poſſit. Nam quod in verbis iſtis, *directè, & indirectè*, diſcrimen ſtatuit, id ad formam & modum procedendi tantùm ſpectat, non autem ad vim & effectum iudicii: ſemper enim verum eſt, eum habere iudicem in terris quo ad temporalia, quem Papa quoquo modo, ſeu directè ſeu indirectè, in temporalibus iudicat. Et verò quid intereſt ad miſeriam & calamitatem Regis à Papa iudicati & regno priuati, vtrum Papa directè id fecerit, veluti ſi in Siculum aut Neapolitanum Regem, tanquam directus dominus feudi in vaſallum, ſententiam ferat: an verò indirectè, vt in Reges alios, qui ei nullo clientelari iure ſubiecti ſunt; ſi modò vtramque ſententiam par pœna ſequatur? Et hæc quidem de ſecundo argumento ſatis. Nunc tertium quam vim habeat diſpiciamus.

Tertium

Tertium igitur argumentum quàm ſubleſtum ſit, vel ex eo patet, quod nihil inde colligi ab authore potuerit, quã quòd *ſignum ſit ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali.* Suſcepit rem demonſtrandam, & ſignum tantùm profert, & illud quidem non τεκμήριον, ſed εἰκὸς, quod ſæpe nos falſo indicio decipit. Ad argumentum igitur reſpondetur, negando conſequentiam. Quamuis enim verum ſit, Principem temporalem teneri mutare regiminis modum, ſi eo impediatur bonum ſpirituale: non tamẽ inde efficitur neceſſaria conſequutione, ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali: ſed hoc tantùm, ſpirituale bonum tẽporali bono eſſe præſtantius; quod verum eſt, & nos fatemur. Non enim ſi vnum alio dignius eſt, protinus conſequitur minus dignum à magis digno pendere, eique ſubſterni. Poſſunt namque generibus ſiue ordinibus adeo diuerſis contineri, vt neutrum ab altero pendeat, aut ſubiectionis vinculo teneatur. Concedimus itaque Principem in caſu propoſito mutare debere formam politicæ adminiſtrationis; & vt id faciat, ab Eccleſia, vel eius capite & ſummo Paſtore in terris Papa, cogi poſſe: ſed pœnis tantùm ſpiritualibus, quarum metus viro bono quibuſcunque ſuppliciis grauior eſt (nam vel Ethnico teſte, [1] *metus diuini ſupplicii multos à ſcelere reuocauit*) non autem pœnis temporalibus, qualis eſt bonorum amiſſio, regnique priuatio, cùm Princeps in temporalibus nullum ſuperiorem agnoſcat. Itaque quantum ad has pœnas attinet, diuino iudicio & vltioni reliquendus eſt. Hinc Iſidorus, cuius ſententia inter Canones refertur, [2] *Siue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſiue ſoluatur, ille ab iis rationẽ exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam tradidit.*

1 Cic. l. 2. de legib.

2 23. q. 5. can. Principes in ſi.

CAP. XV.

ETſi poſtremum iſtud argumentum per ea quæ diximus iam ſatis eneruatum eſt, operæpretium tamen erit adhuc longius excurrere, & totũ animi noſtri ſenſum de ea re vberius explicare. Sciendum igitur, ſic nos ſtatuere, Reges, & Principes omnes Chriſtianos, quà Eccleſiæ filii ſunt, Eccleſiaſticæ poteſtati eſſe ſubiectos, eique, quoties ſpiritualia imperat parere debere: ꝙ ni faxint, Eccleſia, pro ſuo in illos imperio & iuriſdictione, animaduertere in eos Eccleſiaſticis cẽſuris, & ancipiti ſpirit⁹ gladio poteſt (licet non ſemper debeat vt ſuperius oſtendi [3]) ſed eo ſolo

3 Cap. 2.

ſolo gladio, non etiam viſibili & temporali: quorum hic politicæ tantum & ſeculari poteſtati commiſſus eſt. vnde quoties gladii temporalis auxilio ſpiritualis poteſtas indiget, fidem atque amicitiam ſolet ſociæ ciuilis poteſtatis implorare. E contrario autem Principes & Prælatos Eccleſiaſticos Principibus politicis in temporalibus eſſe ſubiectos, & non ſecus obedire debere in omnibus, quę ad politicam diſpenſationem pertinent, quàm hi illis ſpiritualia imperantibus parere tenentur: dummodo talia ſint, quæ neque fidei Catholicæ neque bonis moribus aduerſentur. Quin imo nec ipſummet ſummum Pontificem alia ratione ab hac temporali ſubiectione excludi, quàm quòd Regum beneficio Rex ipſe factus ſit, Princeps inquã politicus, neminem in temporalibus ſuperiorem agnoſcens. idque fatetur acerrimus ille iuriſdictionis Eccleſiaſticæ aſſertor, quem plerique Bellarminum eſſe affirmãt, in ſua reſponſione *ad præcipua capita Apologiæ &c.*[1] *Generalis*, inquit, *& veriſſima eſt illa ſententia, debere omnes omnino ſuperiori poteſtati obtemperare. Sed quia poteſtas eſt duplex, ſpiritualis & temporalis, Eccleſiaſtica & Politica, quarum altera Epiſcoporum, altera Regum eſt: Epiſcopi Regibus in temporalibus rebus, & Reges Epiſcopis in ſpiritualibus ſubiecti eſſe debebunt, vt copioſè diſputant Gelaſius primus in epiſt ad Anaſtaſium, & Nicolaus primus in epiſt. ad Michaelem. quoniam verò Roman. Epiſcopus non modò ſummus eſt Princeps Eccleſiaſticus, cui omnes Chriſtiani diuino iure ſubijciuntur, ſed eſt quoque in ſuis prouinciis Princeps temporalis; neque vllum in temporalibus ſuperiorem agnoſcit, vt neque reliqui abſoluti ac ſupremi Principes in ſuis regnis & ditionibus, inde fit, vt ipſe nullam ſupra ſe poteſtatem in terris habeat.* Non ergo quia ſummus Pontifex eſt, & pater ſpiritualis omnium Chriſtianorum, ideo à ſubiectione tẽporali liberatur, ſed quia temporalem principatum nemini ſubiectum obtinet. In iis itaque quæ ad Reipublicæ ſalutem, & ciuilem ſocietatem ſpectant, nec ordinationi diuinæ refragantur, Clerici non minus ſummo Principi temporali parere, quam ceteri ciues tenentur: vt ipſemet Bellarminus egregiè oſtendit,[2] addita etiam ratione, *quia Clerici, præterquam quod Clerici ſunt, ſunt etiam ciues, & partes quædam Reipublicæ politicæ. Non ſunt exempti clerici vllo modo*, inquit, *ab obligatione legum ciuilium, quæ non repugnant ſacris Canonibus vel officio Clericali.* & quamuis dicat ſe non de obligatione coactiua loqui, tamen verius eſt eos ad obſequiũ legum

[1] Pag. 114.

[2] In lib. de Clericis cap. 28.

legum vbi cauſa poſtulat, à temporali Iudice cogi poſſe, vt nec in ea re exemptionis ſuæ beneficio gaudeant. quod ab Imperatorum & Principum legibus eos accepiſſe ſatis cõſtat. Fruſtra enim legum auxilium inuocat qui contra eas committit.

Hinc eſt, ex hac inquam Clericorũ & Laicorum in Republica ſocietate, quòd in conuentibus publicis, Clerici de temporalibus negotiis conſulturi, primo poſt Principem loco conſidunt. Poteſtas itaque ſpiritualis (poteſtatis verbo poteſtate præditos ſignificari tritum eſt) politicæ poteſtati, & hæc illi viciſſim, pro ſuo vtraque imperio, imperat atque paret. Atq; hoc nimirum eſt de quo B. Gregorius Pontifex Mauricium Imperatorem admonet [1]. *Sacerdotibus, inquit, non ex terrena poteſtate dominus noſter citius indignetur, ſed excellenti conſideratione, propter eũ cuius ſerui ſunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat* Dominetur nimirum quatenus ciues ſunt, & partes Reipublicæ, reuerentiam impendat, quà Dei ſacerdotes & patres ſpirituales, quibus ipſe Imperator vt Eccleſiæ filius ſubiicitur. Et has quidem inter vtramque poteſtatem parendi imperandique vices Salomon ſingulari exemplo demonſtrauit, [2] qui ſummum Sacerdotem Abiatharẽ capitis reum pronunciare non timuit, quod coniuranti Adoniæ cõſenſiſſet. Ait enim hiſtoria, *Abiathar quoque ſacerdoti dixit Rex. Vade in Anathoth ad agrum tuum, & quidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti Arcam Domini corã Dauid patre meo, & ſuſtinuiſti laborẽ in omnib. quæ laborauit pater meus. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet ſacerdos Domini.* En vt Salomon oſtendit ius ſibi in ſacerdotes ex cauſa politica & temporali eſſe: cùm tamen ſatis conſtet in veteri lege Sacerdotes præfuiſſe Regibus, eiſque imperare ac reſiſtere ſolitos, in omnib. quæ ad cultum diuinum & miniſterium Sacerdotale pertinebant.

Quod autẽ Bellarminus cõtendit [3]. Salomonẽ non vt Regẽ hoc feciſſe, ſed vt Prophetã & executorẽ Diuinę iuſtitiæ, eius ego interpretationis probationẽ aliquã requiro, cùm id neutiquã ex Scripturis appareat: eoque mera diuinatione nitatur. Nam nulla ibi neque mandati ſpeciatim à Domino dati, neque extraordinariæ poteſtatis Delegatæ mentio fit: quin planè contrà, Salomon ipſe apertè ſatis indicat, ſe vt Regem, pro ordinaria imperii poteſtate, quod iure regni erat adeptus, iudiciũ illud exercuiſſe, hac præfa-

1 Lib. 4. Epiſt. 75.

2 Reg. 3. cap. 2.

3 Li. 2. de Rom. Pontif. cap. 29.

tione vſus. *Viuit Dominus qui firmauit me, & collocauit me ſuper ſolium Dauid patris mei*, &c. Et verò non de re ſpirituali vel Eccleſiaſtica, ſed de temporali & politico negotio agebatur, cuius iudicem legitimum & ordinarium eſſe Regem, vt Regem. Salomon non ignorabat: & ideo non alio iure in Adoniam, alio in Abiatharem ſententiam pronunciaſſe legitur. Deinde quod Bellarminus pro interpretationis ſuæ firmamento arripit, verba ſcilicet illa, *vt impleatur ſermo Domini*, &c. leuiſſimum quidem eſt, ne dicam abſurdum. quid hoc enim ad modum implendi pertinet? quis neſcit eiuſmodi Scripturæ dictum, tam de eo verificari, quod iure communi & ordinaria poteſtate perficitur, vt hoc loco; quam de eo quod vel extra ordinem mirabili quodam euentu, vel per hominum impietatem & tyrannidem completum eſt? Impii cùm crucifixiſſent Saluatorem, *diuiſerunt veſtimenta eius, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam*. [1] ſiue, *vt Scriptura impleretur*. [2] Verba igitur eiuſmodi in Scripturis apponi tantùm ſolent, ad prædictionis & prophetiæ veritatem oſtendendam, vt inde argumentum ſumere ad aliud colligendum, planè ridiculum & pueriſe videatur. Erat quidem eo caſu Salomon executor diuinæ iuſtitiæ, nihil moror: erat & Propheta, eſto, quid tum poſtea? At regia tamen authoritate, & iure communi, ne leuiſſima quidem ſpecialis mandati mentione facta, id eum feciſſe legitur. Nec vllus in Scripturis locus eſt, ex quo hanc ei iuriſdictionem nominatim mandatam fuiſſe legamus: veriſimile porrò non eſt, authorem hiſtoriæ diuino ſpiritu afflatum, tam differentes tantæ rei tantiq; momenti cauſas, ſine vllo indicio vel admonito prætermittere voluiſſe, ſi Rex alio iure & authoritate in Adoniam laicū, alio in Abiatharem Sacerdotem ſententiam protuliſſet.

1 Mat. 27.
2 Ioan. 19.

3 Eod. lib. & ca.

Æque fallitur vir idē doctiſſimus, [3] cum ait, *non mirum eſſe ſi in teſtamēto veteri, ſumma poſtea fuiſſet temporalis, in nouo ſpiritualis: quia in veteri teſtamento promiſſiones tantū tēporales fuerunt, & in nouo ſpirituales & æternæ*. Nā neq; in vetere Teſtamento ſumma poteſtas omnino temporalis fuit, neque in nouo ſpiritualis eſt: ſed in ſuo vtraque regno, hoc eſt, in ſuæ poteſtatis iuriſdictione, vt pareſt, tunc dominabatur, & adhuc imperat: Iam tunc, inquam, ſuis ambę finibus cōtentæ, alienis abſtinebant, vt nec temporalis poteſtas ſpiritualem iuriſdictionem, & Sacerdotale munus, nec ſpiritualis temporalem pro ſuo iure inuaderet. [4] Ius autē quod

4 2. Paralip. 26.

in

in Clericos Salomon illa tempeſtate Principibus competere oſtendit, à Regibus in noua lege, & Republica Chriſtiana agnitum & retentum eſt. Inde priuilegia, quæ Principum nonnulli inſignes pietate Eccleſiaſticis perſonis cõceſſerunt [1]: nam quorſum illis Priuilegia, ſi iure communi Regibus ſubiecti non fuiſſent? quandoquidem communi auxilio, & mero iure munitis exemptiſq;, nullo priuilegio, vel extraordinario auxilio opus eſt [2].

Et his quidem conſentiunt, quæ ipſemet Bellarminus rectiſſimè contra Canoniſtas aſſerit. [3] *Exemptionem* nempe *Clericorum in rebus politicis, tam quoad perſonas, quàm quoad bona, iure humano introductam eſſe, non diuino.* idque confirmat tum authoritate Apoſtoli (cuius illud, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,* [4] tam Clericos quam Laicos, teſte Chryſoſtomo includit) tum teſtimoniis antiquorum Patrum: tum denique quod, vt ipſe ait, *nullum proferri poteſt Dei verbum, quo iſta exemptio confirmetur.* Addo ego, grauiſſimũ eius rei argumentũ eſſe, q̃ in florentiſſimo Eccleſiæ ſtatu, & ſub illis Principibus, qui ſummũ Pontificẽ Paſtorẽ Eccleſiæ vniuerſalis, & Chriſti vicariũ agnoſcebant, Imperialibus legibus conſtitutum & obſeruatũ fuerit, vt Clerici de criminibus ciuilibus reſponderent apud iudices ſeculares, & ab eiſdem condemnarentur, ſi rei criminis eſſent inuenti [5]. Et verò, nequa erremus, ſciendum eſt, non omnia iſta libertatis perſonarum & rerum priuilegia, quibus nunc Clerici fruuntur, ab iiſdem Principibus, neque eodem tempore, fuiſſe conceſſa. Nam primum Conſtãtinus Magnus tantùm illis ſingulari priuilegio indulſit, ne nominationibus & ſuſceptionibus eſſent obnoxii, id eſt, ne nominati ſiue electi cogerentur magiſtratum gerere, aut tutelam aliquam adminiſtrare, vel annonis aut tributis colligendis & recipiendis præeſſe; cùm antea aliorum ciuium more ad ea omnia ſine excuſatione vocarentur. Anno poſtea octauo vacationem & excuſationem munerum omnium ciuilium, eiuſdem Principis beneficio acceperunt, vt patet ex illius Imperatoris cõſtitutionibus. [6] in quibus hãc priuilegii ſui rationẽ reddit. Ne ſcilicet Clerici *ſacrilego liuore quorundã à diuinis obſequiis auocentur.* Et quidem notatu digna res, aduerſus ingratam quorundam Clericorum temeritatem, qui immunitatis ſuæ originẽ Principibus ſecularib. accepto ferre faſtidiũt, quòd idem piiſſimus Princeps exemptiones illas priuile-

gia

[1] Extant in Cod. & Decret. atque in Hiſt. Eccleſ.

[2] L. in cauſæ 16. D. de minor. li. 1. de conſtit. Princ.

[3] Tom. 1. Contro. 5. lib. 1. c. 28.

[4] Rom. 13.

[5] Nouell. vt Clerici 83. §. Si tamen collat. 6.

[6] L. 1. & 2. Cod. Theod. de Epiſc. & Cleric. lib. 16.

biius vllum in ipſorũ corpora bona ve vindicaturi. Si enim quæ ſua propria credebant, ſolo pietatis zelo tam profusè largiebantur, quanto magis ab alienis & nullo iure debitis abſtinuiſſent?

Exemptiones ergo & priuilegia, quæ Principes Chriſtiani Eccleſiaſticis perſonis, honeſtatis & reuerentiæ cauſa, conceſſerunt, ſat oſtendunt, imò conuincunt, eoſdem Principes temporali poteſtate cunctis Sacerdotibus eſſe maiores: nec ſummum Pontificẽ & Principem Sacerdotũ, atque adeò Chriſti Vicarium, alia ratione eximi, & diuerſo iure cenſeri, quàm quòd ipſe Princeps quoq; temporalis ſit, & duplicem perſonam ſuſtineat, ſucceſſoris nimirũ Petri in regimine Eccleſiæ, & Principis ſecularis in tẽporali imperio, quod aliorum Principum largitate accepit.

CAP. XVI.

EAdem opera refelli manifeſtè poteſt differentia, quã conſtituit inter Principes Ethnicos, & Principes Chriſtianos, quantum ad dominationem temporalem in Eccleſiaſticos attinet: qui locus præteriri hic ſine vitio nequit. Ait enim [1] Pontificem fuiſſe ſubiectum *ciuiliter & de facto* Ethnicis Principibus, *quia lex Chriſtiana neminem priuat ſuo iure & dominio: ſicut ergo ante Chriſtianam legem homines ſubiecti erant Imperatoribus & Regibus, ita etiam poſtea. At verò cùm Principes Chriſtiani facti ſunt, & ſponte leges Euãgelii ſuſceperunt, continuò ſe, tanquam oues Paſtori, & membra capiti, ſubiecerunt præſidi Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; & proinde ab illo iudicari, non illum iudicare deinceps debent.* Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 29.

Maximum in diſſerendo vitium eſt, ea quæ de vno aliquo certa de cauſa dicũtur, vel ab vno aliquo certa de cauſa remouentur, alii planè diuerſo ac diſſimili, & cui non eadem cauſa cohæret, attribuere, vel eripere: aut quæ diſtinctione aliqua ſecerni ac ſeparari debent, ea indiſtinctè confuſeque concludere. Quod vitium quis non in ſuperiore hac Bellarmini ratiocinatione perſpicuè deprehendat? in qua id generaliter & indefinitè de vtraque poteſtatis & iudicii ſpecie concluditur, quod de altera tantùm verè recteque dici debuit. Nam quod Principes ad Chriſtum conuerſi ſeſe, *tanquam oues Paſtori & membra capiti, ſubiecerunt præſidi Eccleſiaſticæ Hierarchiæ,* id nõ niſi de ſubiectione ſpirituali intelligi, citra calumniam, poteſt. Quandoquidẽ non alia ratione efficiebantur filii eius & oues, quàm quòd

ab eo ſpiritu regenerati in Chriſto Ieſu erant, atque in fide Eccleſiæ gubernati. Proinde in omnibus quæ ſpiritualis iuriſdictionis ſunt, verum eſt eos ab illo, non illum ab iis debere iudicari. At hæc quid ad ciuile iudicium & temporalem iuriſdictionem ſubmiſſio? Nunquid tam diuerſas & ſeparatas ſpecies permiſcere & confundere oportuit? & quod de altera tantùm verum fuit aſſerere, de vtraque generaliter & indefinitè pronunciare? Si dixiſſet, *ac proinde ab illo iudicari in ſpiritualibus, non illum iudicare deinceps debet*, rectè ſane argumentum concluſiſſet. At illud ſimpliciter & abſolutè, *ab illo eos iudicari poſſe*, vitioſa collectio eſt. quippe duplex eſt iudicii ſpecies, quarum alterâ tantũ poſſunt Principes à Pontifice iudicari, alterâ verò ab iis iudicaretur ipſe, niſi temporale Imperium nulli alii ſubiectũ fuiſſet adeptus. Nunquid veniente ad Eccleſiá Conſtantino Magno, Imperium Romanũ, quod ante baptiſmum eius erat, in ditionem ac poteſtatem Silueſtri Pontificis ilico trãſiit? & Imperator tam auidus gloriæ temporalem Papæ illius ſupra ſe poteſtatem agnouit? Nunquid aut Francicum Clodouæus, aut Scoticum Donaldus primus, aut alii ſua regna, ſimul atque fidem amplexi ſunt, in manum & poteſtatem temporalem Pontificis transtulerunt? Scitum eſt illud Pauli I.C. [1] *ante omnia animaduertendum eſt, ne conuentio in alia re facta, aut cum alia perſona, in alia re aliáve perſona noceat*. Replicet igitur Bellarminus quantum volet annales omnium nationum; Scripturas, & Hiſtorias perlegat, nullum in iis locum inueniet, ex quo colligi poſſit, primos illos Principes Chriſtianos, cùm Eccleſiæ nomen darent, ſceptra ſubmiſiſſe Pontifici, & ſummo ſe magiſtratu temporali ſpecialiter & nominatim abdicaſſe. At verò conſtare oportet, Principes ſcientes prudentes conceſſiſſe in ditionem ac poteſtatem temporalem Pontificis; vel fatendũ, ipſos eo iure & conditione, quantum ad regalem dignitatem attinet, poſt baptiſmum permanſiſſe, quo fuerant antequam ſacris Chriſtianis initiarentur. *Nam*, vel ipſomet teſte, [2] *lex Chriſtiana neminem priuat ſuo iure & dominio*. At verò antequam Chriſto nomen darent, ciuiliter de iure & de facto, vt ille ait, dominabantur Pontifici, & eum iudicare in temporalibus iure poterant: ergo ſimiliter & poſt baptiſmum iure potuerunt. Quod ſi ita eſt, fieri nullo modo poteſt, vt ipſi ab illo in temporalibus iudicentur: cùm ſit impoſſibile aliquem eſſe ſuperiorem & inferiorem in eodem

1 L. Si vnus 27. § ante omnia. D. de paſt.

2 Lib. 2. de Rom. Pont. ca. 29.

dem poteſtatis genere, reſpectu vnius & eiuſdem. Verum quidem eſt, Principes illos Chriſtianos, ob reuerentiã quã non ſummum ſolùm Pontificem, ſed ceteros etiam Epiſcopos, atque adeò Sacerdotes omnes proſequebantur, id iudicii petrarò ſibi aſſumpſiſſe, Sed hoc voluntatis tantũmodo, non etiam poteſtatis defectum arguit. Quapropter vt Conſul, vel Præſes, cùm ſe in adoptionem dat, nihil eorũ quæ iure magiſtratus ei competunt, in patris adoptiui familiam & poteſtatem transfert, vel transferre poteſt; ſed integrè omnia, ſibi reſeruat: ita Principes cùm ſe initiò in adoptionem ſpiritualem Hierarchæ Eccleſiaſtico tradiderunt, nihil eorum quæ ad ius regni, & ſtatum publicum ciuilem pertinebant, amittere illo facto potuerunt: quòd harum poteſtatum ſeparata natura ſit, vt quamuis iugatæ in eadem Republica Chriſtiana concinnè apteque cohæreant; tamen neutra, quà talis eſt, alteri ſubiiciatur aut imperet, neutraque alteram neceſſariò comitetur: ſed alterutra tum acquiri ſine altera, tum amitti vel retineri poſſit.

Iam vero quoniam eruditiſſimus Bellarminus ſimilitudinibus plurimùm delectatur: & præterea vulgarem iſtam *de indirecta poteſtate temporali ſummi Pontificis* opinionẽ nullo vel ſacrarũ literarum, vel antiquorum Patrum teſtimonio probat: ſed tantum argumentis quibuſdam à ſimili petitis, (ſubleſto admodum & debili ad demonſtrandum fundamento) operæpretium me facturum arbitror, ſi noſtram quoque de ea re ſententiam, ſimilitudine multò accommodatiſſima confirmauero.

Filiusfamilias, licet militet, vel magiſtratũ gerat, & publica poteſtate fungatur, patri, in cuius ſacris conſtitutus eſt, iure diuino atque humano ſubiicitur, eique quatenus filius eſt parere debet: [1] & rurſum pater, cui hæc in filium poteſtas eſt, ipſi filio, vt magiſtratui, ſubiicitur: alio tamẽ atque alio poteſtatis genere. Alter enim, quà parens, Imperium ſibi in filium vendicat, quo delinquentem & committentem in leges familiares, aut in ſe aliquid molientẽ, aut alioqui filio probo indigna facientẽ, multet, puniat, & coerceat, nõ iure quidem magiſtratus, ſed authoritate patriæ poteſtatis: nec pœnis quibuslibet, ſed certis tantùm à iure conceſſis. Itaque malè meritum exhæredare, domo eiicere, familiæ & agnationis iure priuare, aliiſq; domeſticis remediis coercere poteſt [2]. At neque magiſtratũ ei abrogare, neq; caſtrenſia bona auferre, neq; publico iudicio

con-

1 Eph. 6. Coloſ. 3. L. Si maritus 7. C. de patr. pot §. Filiusfamilias: n- ſtit. quibus mod. ius poteſt. ſoluit.

2 L. 3. C. de patr. poteſt.

condemnare, aut multam vel pœnam aliam lege ob ſcelus debitum irrogare, directè vel indirectè poteſt: quòd hæc patriæ poteſtatis modum & iuriſdictionem excedant. Alter verò, quamuis filius, & nexu patris detentus, tamẽ quatenus eſt magiſtratus publico cum Imperio, in patrem dominatur, eique in publicis negotiis poteſt, atque etiam in priuatis non domeſticis, perinde ac cæteris ciuibus imperare. *Si quis filiusfamilias eſt*, inquit Vlpianus,[1] *& magiſtratum gerat, patrem ſuum, in cuius eſt poteſtate, cogere poterit, ſuſpectam dicentem hæreditatem, adire & reſtituere.* hinc *ſi Conſul vel Præſes filiusfamilias ſit, poterit apud ſemetipſum vel emancipari, vel in adoptionem dari*[2]. Qua de cauſa pater filio magiſtratum habenti, haud ſecus ac ſi eſſet extraneus, non ſolùm obedire, ſed etiam aſſurgere tenetur, & eum omni honore atque cultu qui magiſtratui debetur venerari[3].

1 L. ille à quo 13. in fin. D. ad Sc. Treb.

2 L. 3. D. de adop.

3 Liu. lib. 24. Valer. Max. li. 2. c. 2. Plut. in apothec. Rõ. Gell. l. 2. c. 2.

Eodem planè modo ſummus Pontifex, qui ſpiritualis omnium Chriſtianorum pater eſt, Regibus & Principibus, perinde ac cæteris fidelibus, paterna poteſtate Eccleſiaſtica, vt Chriſti in ea re vicarius præſidet: ob eamque cauſam Reges, ſi quid in Deum vel Eccleſiam cõmiſerint, ſpiritualibus pœnis acerbiùs caſtigare, & domo atque familiâ Dei eiicere, regnique cæleſtis exhæredes facere poteſt (at quàm timenda & tremenda Chriſtianis animis ſupplicia?) quòd hæc omnia patriæ poteſtatis ſpiritualis propria ſint. At neque principatum & dominationem temporalẽ auferre, neque pœnis ciuilibus eos afficere poteſt, quòd nullam in eos politicam & temporalem iuriſdictionẽ nactus ſit, per quam talis animaduerſio expediri debeat: & patria illa poteſtas ſpiritualis, qua Pontifex præditus eſt, à politica & temporali finibus, officiis, etiam perſonis plurimum ſeparetur. Vt enim ſpiritualem Deus Pontifici, & cæteris Sacerdotibus, ſic politicã Regi, & qui ſub eo ſunt magiſtratibus, æterna diſpenſatione commiſit. *Non eſt poteſtas niſi à Deo*[4].

4 Rom. 13.

Huc pertinet antiqua illa gloſſa, quam Cardinalis de Cuſa[5] ſcribit fuiſſe appoſitam ad Cano. Hadrianus Papa. diſt. 63. in quo Canone traditur Papam cum vniuerſa Synodo conceſſiſſe Patriciatus dignitatem Carolo Magno. dicebat enim gloſſa, Patricium fuiſſe patrem Papę in temporalibus, ſicut Papa eius pater in ſpiritualibus. Atq; idem Cardinalis eodem libro,[6] de Germanorum Imperatorum Electoribus loquens, *Vnde Electores*, inquit, *qui communi*

5 L. 3. de concor. cathol. c. 3.

6 Cap. 4.

muni conſenſu omnium Alemanorum, & aliorum qui Imperio ſubiecti erant, tempore ſeculi Henrici conſtituti ſunt, radicalem vim habent ab ipſo communi omnium conſenſu, qui ſibi naturali iure Imperatorem conſtituere poterant: non ab ipſo Romano Pontifice, in cuius poteſtate non eſt, dare cuicunque prouincia per Mũdum Regẽ vel Imperatorem, ipſa non conſentiente. Addit & alia ibidem Cardinalis ille, magnus quidem & Theologus & Philoſophus, quibus diſtinctionem noſtram confirmat, & Imperatores ac Reges tum præeſſe Pontifici, tum ſubeſſe declarat. Atque hæc de prima ratione Bellarmini, & argumentis ad eam demonſtrandam adductis.

CAP. XVII.

SEquitur ſecunda, quæ duplici argumẽto concluditur. *Secunda ratio*, inquit, *Reſpublica Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiẽs in ordine ad finem ſuum. Tales enim ſunt omnes Reſpublicæ benè inſtitutæ. ergo debet habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum. ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas vtendi & diſponendi de temporalibus rebus: quia alioqui poſſent mali Principes impunè fouere hæreticos, & euertere religionem. igitur & hanc poteſtatẽ habet. Item poteſt qualibet Reſpublica, quia perfecta & ſibi ſufficiens eſſe debet, imperare alteri Reipublicæ non ſibi ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, imò etiam deponere eius Principem. & alium inſtituere, quando non poteſt aliter ſe defendere ab eius iniuriis: ergo multo magis poterit ſpiritualis Reſpublica imperare temporali Reipublicæ ſibi ſubiectæ, & cogere ad mutandam adminiſtrationem, & deponere Principes, atq; alios inſtituere, quando aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri.*

Reſpondeo, tam variè hic peccatum eſſe, vt veriſimile ſit authorẽ vel hoc totum quicquid eſt ex alio perfunctoriè & oſcitanter tranſcripſiſſe, vel, ſi totum eius eſt, non ſatis eorum quæ prius dixerat meminiſſe. Nam paulò antè, cùm niteretur alio argumento probare, politicam poteſtatem eſſe ſubiectam Eccleſiaſticæ, aſſeruit has duas poteſtates eſſe partes tantùm vnius Reipublicæ, & tantùm vnam Rempublicam conſtituere. *Prima ratio*, inquit, *eſt eiuſmodi; poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reipublicæ Chriſtianæ.* Et iterum, *Secundo Reges & Pontifices, Clerici & Laici, non faciunt duas Reſpublicas, ſed vnam.* At hoc loco tranſmutat has duas Poteſtates, in duas Reſpublicas, quas proinde ita ſeparari ac

 diſiungi

diſiungi oportet, vt Reges & Laici conſtituant politicam & temporalem Rempublicam, Pontifices & Clerici ſpiritualem ſiue Eccleſiaſticam. quo nihil abſurdius, aut minus appoſitè, quantum ad pręſens inſtitutum, dici poteſt. Nam aut loquitur hîc de poteſtate Eccleſiaſtica ſeparata prorſus à poteſtate ciuili, vt olim fuit tempore Apoſtolorum, & nunc eſt iis in locis, vbi Chriſtiani inter Ethnicos aut infideles degunt: quo caſu ſatis conſtat poteſtatem illam, ſiue Rempublicam Eccleſiaſticam, vt ille vocat, aut eius Principem & Hierarchã, nihil quicquam iuris, ne quidem ſpiritualis, habere in Principem politicum: quòd neutiquã

1 1. ad Cor. 5. filius ſit Eccleſiæ [1]. Aut loquitur de poteſtate Eccleſiaſtica coniuncta cum ciuili, vt in Republica Christiana: & tunc perperam facit duas Reſpublicas, vnam Eccleſiaſticam, & alteram Politicam: cùm ſint duæ tantùm poteſtates vnius Reipublicæ Chriſtianæ, vniuſque Eccleſiæ & myſtici corporis Chriſti partes & membra, vt ipſemet antea tradidit.

Deinde falſum eſt quod aſſumit, poteſtatem ſcilicet vtendi & diſponẽdi de temporalibus rebus neceſſariam eſſe ad finem ſpiritualem, &c. Nam ipſe Princeps Apoſtolorũ apertè docet, nullum ſibi ius eiuſmodi fuiſſe in res temporales Chriſtianorum, præter illas quas ipſi ſponte contulerant obtulerantque Eccleſiæ, cùm ait [2], *Anania cur tentauit ſathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?*

2 Act. 5.

Si Apoſtolis facultas fuiſſet diſponendi de rebus temporalibus Chriſtianorum, non vtique dixiſſet Petrus, Nónne? &c. cùm ei ſtatim reponere poſſet Ananias: imò verò tibi poteſtas eſt de rebus meis diſponendi, & propterea veritus ne eas mihi fortè ex cauſa auferres, pretii partem occului. ſed quia Eccleſia hanc poteſtatem non habebat; ipſe ſine cauſa erat *Spiritui ſancto* mentitus. Quid, quòd ex iſto Bellarmini fundamento ſequeretur, Eccleſiam *primæuam ſiue primitiuam* non habuiſſe omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum? Nam hac poteſtate diſponendi de rebus temporalib. Chriſtianorum, inuitis dominis, trecenis, & amplius, poſt Chriſti paſſionem annis, ſub Ethnicis Principibus agẽs, omninò caruit: quo tempore tamen infinitam hominum multitudinem, ac penè maximam Orbis partem, Chriſto nomen dediſſe, & multò quàm vnquam ſeueriorẽ in Eccleſia diſciplinam viguiſſe, ſatis conſtat: vt nefas ſit dicere Eccle-

ſiam

ſiam tũc omnibus mediis neceſſariis iuris & facti ad finem ſuum adipiſcendum inſtructam non fuiſſe. *Opera enim Dei perfecta ſunt.* Et verò non mediocrem Christo iniuriam faciat, qui deſtitutam mediis neceſſariis Eccleſiam ab eo relictam, atque Apoſtolis traditam arbitretur. Quidquid Eccleſiæ neceſſarium fuit ad ſuum finem conſequendum, id à Chriſto abundè collatum eſt Apoſtolis; cum dixit, *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarii veſtri* [1]. Quicunque igitur Dominum commendaſſe Eccleſiam ſuam Petro intelligit, & ei ter mandaſſe, vt agnos & oues ſuas paſcat, [2] nec ei ad illos paſcendos, & finem mandati explendum neceſſaria omnia & iuris & facti tribuiſſe exiſtimat, is mihi Atheo ſimilis videtur, & de diuina prouidentia, potentia, ac bonitate dubitare. Fingamus eum non dediſſe omnem poteſtatem ad executionem tanti mandati neceſſariam; nunquid alia nõ dandi cauſa excogitari poteſt, quàm quòd aut ignorabat Dominus quid facto opus eſſet, aut eius dandi facultatem non habebat, aut, quod extremæ malitię eſt, ſeruos & amicos ſuos decipere volebat, id illis munus imperando, quod eos per impotentiam exequi non poſſe certò ſciret? Ex his perſpicuum eſt, temporale Imperium, & poteſtatem deponendi Principes, nullo modo neceſſariam eſſe Eccleſiæ ad finem ſuum conſequẽdum: licet humana conſideratione videri aliquando vtile poſſit: Deus enim, qui *quæ ſtulta ſunt mundi elegit, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit, vt confundat fortia* [4], ſciens Eccleſiam nõ niſi ſpiritualibus armis indigere, eam illis ita ab initio inſtruxit, vt omnem humanam potentiam ſuperaret, diciq́ue verè potuerit, *à Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris* [5]. Præclarè vt cætera, D. Bernardus ad Eugenium Papam [6]. *Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris. Abſque his tamen credidit ſatis poſſe impleri ſalutare mandatũ.* Si amas me paſce Oues meas: *in his ſucceſſiſti non Petro ſed Conſtantino.* Quãuis itaque poteſtas temporalis, de qua nobis ſermo, hominibus videri potuerit Eccleſiæ neceſſaria, Deo tamen neque neceſſaria neque vtilis viſa eſt, ob eam fortè rationem, quam rerum euentus atque experientia poſteritatem docuit: ne humano ſcilicet Imperio freti Apoſtoli,

1 Luc.21
2 Ioh.21.
3 Apoſtolos Chriſti ſeruos & amicos eſſe.
4 1.Cor.1.
5 Pſal.117.
6 Lib.4.c.3.

& eorum ſucceſſores, ſpiritualia ſegnius curarent, & quam in virtute verbi diuini, Deique auxilio ſingulari, ſpem ponere debebant, eam in armis & authoritate ac poteſtate temporali potiſſimum collocarent. Et verò ſi quis ſtatum Eccleſiæ à Chriſto paſſo in hunc diem, oculis atque animo in hiſtoriis colluſtret, cernet omninò illam citò creuiſſe, ac diu floruiſſe, ſub Pontificibus ſua ditione, id eſt, ſpirituali iuriſdictione contentis, qui Chriſti humilitatis diſcipuli, vnicum Eccleſiæ tuendæ præſidium in virtute prædicationis Euangelii, & ſedula diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſeruatione, ſine vlla poteſtatis temporalis mentione, eſſe poſitum iudicabant. Et rurſus ex quo Pontifices quidam ad ſummũ, quod habent, ſpirituale Imperium, ſummũ quoq; temporale adiungere atque annectere conati ſunt, Eccleſiam & numero credentium & moribus præſidentiũ indies defeciſſe; & remiſſa, ſeu verius omiſſa, illa antiquæ diſciplinæ ſeueritate, multos Eccleſiæ miniſtros ſua munera ſegnius & negligentius obiiſſe.

Omitto, quòd, ſi ratio iſtorum bona eſſet, ſequeretur e-contrario, Rempublicam temporalem, vt illi loquuntur, habere poteſtatem diſponẽdi de rebus ſpiritualibus, & deponendi ſupremum Reipublicæ Eccleſiaſticæ Principem: quia *debet eſſe perfecta & ſibi ſufficiens in ordine ad finem ſuum, & habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum.* Sed neceſſaria eſt ad finem temporalem poteſtas diſponendi de rebus ſpiritualibus, & deponẽdi Principem Eccleſiaſticum. quia alioqui poſſunt mali Principes Eccleſiaſtici turbare ſtatum & quietem Reipublicæ temporalis, & impedire finem ciuilis gubernationis, vt de facto nõnulli ſummi Pontifices aliquando perturbarunt: igitur hanc poteſtatem habet Reſpub. temporalis. Conſequens planè falſum eſt & abſurdum. (Nam Princeps temporalis, quatenus talis eſt, nullam habet poteſtatem ſpiritualem) proinde & illud quoque falſum eſt. cui hoc eſt conſequens.

Sed, vt dici ſolet, *dare abſurdum, non eſt ſoluere argumentũ,* Reſpondeo igitur aliter ad priorem partem huius ſecũdæ rationis. Non eſſe ſcilicet hîc duas Reſpublicas, vt ille retur, ſed vnam tantùm; in qua ſunt duæ poteſtates, ſiue duo Magiſtratus, Eccleſiaſticus, & Politicus, quorum vterque habet ea quibus neceſſariò indiget ad ſuum finem obtinẽdum; alter nempe ſpiritualem, alter temporalem iuriſdictionem: & neque hanc iuriſdictionem illi poteſtati, neq;

illam

illam huic prorſus eſſe neceſſariam. Alioqui fatendũ eſt, vtramque poteſtatem mediis neceſſariis fuiſſe deſtitutam, tunc cùm ſeparatæ, vt olim, fuerunt: quod planè falſum eſſe iam oſtẽdi, tam ex fine temporalis ſiue politicæ gubernationis, quatenus talis eſt, [1] quàm ex ſtatu Eccleſiæ ſub Ethnicis infidelib. Principibus conſtitutæ [2]. Ad hunc modum in vna eademque *ciuili politia*, in vna inquam Ciuitate aut Regno, plures Magiſtratus diſtinctis officiis, poteſtate, atque Imperio, præditi inueniuntur, qui Rempub. in partibus ſibi mandatam gubernant; quorum quilibet poteſtatem neceſſariam ad muneris ſui finem conſequendum, à Rege vel Repub. accipit; ita vt nemo eorum poſſit vel audeat alterius iuriſdictionem atque Imperium inuadere, ſibique arrogare. Non ſi Conſulibus aliquid Tribunitiæ poteſtatis deeſt, vel contrà Tribunis abeſt Imperium Cõſulare, idcircò dici poteſt, vtrique alterius poteſtatem neceſſariam eſſe ad ſuum finem conſequendum: Nam vterq; magiſtratus, ſecundum ſuæ inſtitutionis rationem, perfectus, atque omni poteſtate neceſſaria ad muneris ſui executionem munitus eſt.

1 Su. cap. 14.
2 Sum. hoc cap.

Vel vt notiora exempla proferamus. Quemadmodum in eodem regno, & ſub vno Rege, duo ampliſſimi magiſtratus ſunt, quorum alterum Cancellarius, alterum Conſtabulus Rege mandante gerit. (Illi *νομοφυλακία* & iuris ac iudiciorum cura præcipua incumbit: huic armorum adminiſtratio ac totius diſciplinæ militaris præfectura cõmittitur) & vterque pro ratione & qualitate ſui officii perfectus eſt, atque omnem poteſtatem neceſſariam ad muneris ſui executionem, finiſque eius conſequutionem à Rege obtinet. Nec, ſi alter fortè alterius exercitium vel incuria vel iniuria impediat, poteſt impeditus propria authoritate alteri magiſtratum abrogare, aut eius iuriſdictionem vſurpare, aut eum denique ad peccati ſui emendationem, niſi modis legitimis à Rege ſibi cum officio conceſſis adigere: ſed vtrumque de alterius commiſſo ad Regem, à quo ipſi diſtinctam officiis poteſtatem accepérũt, referre oportet; vt ipſe læſum vlciſcatur, & quid de cauſa ſtatuendum ſit, Imperio iudicioque ſuo arbitretur. Quãdiu autem hi magiſtratus in regno concordes ſunt, alter alterius ius tuetur, & quod ei deeſt, de ſuo ſupplere conſueuit. Vt ſi paganus, vt iudicium eludat, in caſtra ad exercitum proficiſcatur, auxilio Præfecti militiæ implorato, ad eum vnde fugerat lo-

ſunt, & quibus iure rebelli vti poteſt: corporeis nimirum & viſibilibus, quorũ impetu corpora hoſtiũ ſternit, præſidia inuadit, ciuitates expugnat, ac totum Reipublicæ aduerſantis ſtatum euertit. At Reſpublica ſpiritualis quam vocat, toto hoc armorum genere deficitur, & quoniam ex Clericis tãtum compoſita eſt, ſolis armis ſpiritualibus, precibus ſcilicet & lachrymis, pugnare illi fas eſt. *Talia enim ſunt munimenta ſacerdotum: aliter nec debent nec poſſunt reſiſtere* [1]. Nam & materialem gladium omnes in perſona Petri iubentur recondere. Quo igitur modo ſpiritualis Reſpublica, Rempublicam temporalem, fulminum ſpiritualium contemptricem, vt *adminiſtrationis* ſuæ modum & formam *commutet*, cogere, aut *eius principem deponere, & alium inſtituere poſſit?* Quod ſi quis fortè proponat, Rempub. Eccleſiaſticam in rei tantæ executione profanis ſecularium hominum armis adiutum iri (Principes enim, & reliqui omnes Chriſtiani, nutritii & defenſores Eccleſiæ eſſe debent) ei ſtatim reſpondebitur, Rempublicam Eccleſiaſticam eo caſu non cogere Rempub. temporalem, ſed eſſe tantum cauſam, cur alia Reſpublica temporalis, cuius auxilio ſpiritualis illa defenſa eſt & protecta, iniuriã Eccleſiæ factam vindicet. Non ſecus ac ſi iniuriæ vel cladis acceptæ in vnius ciuis perſona, tota Reſpub ſe vindicem præbeat; quo modo in omnes Beniamitas, ob ſtupratam vnius Leuitæ vxorem, à cæteris tribubus Iſrael acerbiſſimè ſæuitum eſſe conſtat [2]. ſic Græci olim Menelai iniuriam Troianô excidio vlti ſunt: & Romani necem à Teuca Illyriorum Regina L. Coruncano allatam, duriſſimo bello vindicarunt, & Reginam Illyrico excedere, ac tributum quotannis pendere coegerunt [3]. Nunquis hîc Beniamitas, Troianos, Illyricos, à Leuita Menelao, aut Coruncano iam mortuo domitos & compreſſos eſſe dixerit, ac non potius ab iis qui iſtorum ergo bella ſuſceperunt, hoſteſq; domuerunt? Nunquis ſimiliter Eccleſiaſticam Rempublicam eſſe dixerit, quæ temporalem iniuriam & laſciuientem, in ordinem cogat, ac non potius aliam Rempublicam temporalem, quæ Eccleſiaſticæ Reipublicæ cauſa bellum ſuſcipit; & ſine cuius auxilio Eccleſia ipſa, atque omnes eius ordines protriti & conculcati iacerent? Quid ſi nulla temporalis Reſpub. ſit, quæ velit vel audeat armis cũ Republica Eccleſiaſticæ inimica contendere? quib. tunc ſe modis vindicet? Quid multis? licet ſuam illis comparationem

1 Can. non. pila. can. conuenior, 23. q. 8.

2 Iud. cap. pen. & vlt.

3 Polyb. l. 2.

nem concluſionemque concedamus, nihil inde effici poteſt niſi Papam habere talem poteſtatem diſponendi de rebus tempotalibus Chriſtianorum, & eorum Principes deponendi, qualem vel Rex Franciæ in Anglos, Hiſpanos, alioſue populos vicinos ſibi iniurios, vel horum ſinguli in res Regeſque Francorum ipſis infeſtos habere dignoſcuntur; quæ qualis quantaque ſit, ferro tantùm cerni poteſt.

Cap. XIX.

HÆc quanquam ſecundæ rationi refutandæ ſufficiunt, tamen ne quid in hiſce doctiſſimi viri ſcriptis prætercam, quod intactum, aut negligentius tractatum, lectori errorem creare, ſcrupulumue iniicere poſſit, operæpretium eſt, id etiam quale ſit excutere, quod ad rationis ſuæ firmamentum ex S. Bernardo in libris de conſideratione ad Eugenium [1] affert. Monet quidem Bernardus, gladium materialem eſſe militis manu, ad nutum ſacerdotis & iuſſum Imperatoris exercendum: quod nos certè fatemur. bella namq; & iuſtius ſuſcipiuntur, & fœlicius conficiuntur, quando Eccleſiaſtica ſanctitas cum regali authoritate conſpirat. Sed animaduertēdum eſt, Doctorem illum tribuere tātummodo nutum ſacerdoti, hoc eſt, belli gerendi conſenſum & voluntatem: iuſſum verò & imperium Imperatori. ex quo perſpicuum eſt, non eum alia ratione dicere gladium materialem ad Eccleſiam pertinere, quàm quod in Repub. Chriſtiana, licet imperium belli ſit penes Imperatores, & Reges, ac Principes, tamen iuſtius bella gerantur, vbi Eccleſiaſticæ poteſtatis conſenſus acceſſit, quæ poteſt Dei ſpiritu gubernata, inter æquū vel iniquum, pium vel impium, ſolertius iudicare. Sed quid ſi Imperator nolit ad nutum ſacerdotis gladium ſtringere? imo quid ſi planè contra nutum ſacerdotis ſtrinxerit? Nunquid aliquam S. Bernardus hoc caſu poteſtatem tēporalem ſacerdoti tribuit in Imperatorem? hoc enim eſt quod hic quærimus, & in quo tota noſtra verſatur diſputatio. nullam ſanè; quin potius nullam ei competere poſſe docet, cùm dicat materialem gladium (quo verbo ſumma poteſtas temporalis ſignificatur [2]) ab Eccleſia exerceri non poſſe: ſed tantùm manu militis & iuſſu Imperatoris. Quod idem apertius tradit Gratianus, [3] Bernardi ferè coætaneus. *Cum Petrus*, inquit, *qui primus Apoſtolorum à Domino fuerat electus, materialem gladium exerceret, vt Magi-*

1 Libr. 4. cap. 3.

2 Imperium. D. de iuriſd. Paul. & 13. ad Rom.

3 23. q. 8. in pr.

ſtrum à Iudæorum iniuria defenſaret, audiuit, Conuerte gladium tuum in vaginam, omnis enim qui gladium acceperit, gladio peribit: ac ſi apertè ei diceretur, Hactenus tibi, tuiſque prædeceſſoribus, inimicos Dei gladio temporali licuit perſequi: deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum, id eſt, tibi hactenus conceſſum, in vaginam conuerte: & tamen ſpiritualem gladium, quod eſt verbum Dei, in mactatione veteris vitæ exerce. Omnis enim præter illum, vel authoritatem eius, qui legitima poteſtate vtitur, qui, vt ait Apoſtolus, [1] *non ſine cauſa gladium portat, cui etiam omnis anima ſubdita eſſe debet: omnis inquam, qui præter authoritatem huiuſmodi, gladium acceperit, gladio peribit.*

1 Rom. 13.

Si hæc Bernardi & Gratiani vera ſunt, fieri nullo modo poteſt, vt Papa in Imperatorem, aut alios Principes ſeculares, temporalem poteſtatem vnquam iure exerceat: exerceri quippe niſi gladio nequit, & gladius non niſi horum iuſſu à milite ſtringi debet: atque ita poteſtas hæc temporalis, inanis prorſus & inutilis in perſona Papæ eſſet, cum eius illi executio denegetur. niſi fortè Imperator aliquis tã fatali fatuitate laboret, vt milites contra ſe arma geſtare iubeat, aut tanta ſanctitate & iuſtitia præditus ſit, vt ne ſibi ipſi quidem parcendum, ſi deliquerit, edicto caueat. Huc pertinet quod D. Ambroſius ſcribit, [2]. materialem ſcilicet gladium Sacerdotibus vſque ad Euangelium tantummodo fuiſſe conceſſum. *Lex*, inquit, *ferire non vetat, & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, Sat eſt, dicit Chriſtus, quaſi licuerit vſq; ad Euangelium, vt ſit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.*

2 Lib. 10. comment. in Euan. Lucæ.

Præterea ſciendum eſt, locum illum Euangelii de duob. gladiis, [3] quem nobis obiectant, non neceſſariò intelligẽdum eſſe de gladio ſpirituali & temporali: imò verò longè congruentius eſſe ſermoni Saluatoris illic habito, vt intelligatur de gladio ſpirituali & de gladio paſſionis, ſicut Ambroſius doctè pieque ibidem exponit. Nam Chriſtus extremo illo ante paſſionem cum Diſcipulis colloquio, eos admonuit longè alia conditione mittendos eſſe ad prædicationẽ Euangelii, poſt ipſius mortẽ, cùm mandatum hoc acceperint, *euntes in mundũ vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ* [4], quã antea ab eo miſſi fuerant, dum adhuc in terris inter viuos ageret: quaſi dixiſſet, hactenus vos ita miſi, vt neq; ſacculo, neq; perâ, neq; calceamẽtis indigeretis: at poſthac mittã vos ad prædicationẽ Euangelii, & erit vobis

3 Luc. 22.

4 Marc. 16.

vobis ſacculo opus & perâ, ſolicitudinis nimirum & patiētiæ: atque etiam duobus gladiis, ſpirituali ſcilicet & paſſionis, de quo dictum eſt, [1] *tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Eſt enim gladius ſpiritualis*, inquit ibi D. Ambroſius, *vt vendas patrimonium, emas verbum quo nuda mentis penetralia veſtiuntur. Eſt etiam gladius paſſionis, vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuiis ematur tibi ſacri corona martyrii, quod ex benedictionibus dominicis colligere potes, qui ſummam omnium coronarum, ſi quis perſecutionem patiatur pro iuſtitia, prædicauit. Denique vt ſcias qua de paſſione locutus eſt, ne turbaret diſcipulorum animos, de ſe exemplum protulit dicens. Quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: quod cum iniuſtis deputatus eſt* [2]. Hęc ille. quibus poſtremò adiungam, quod ipſemet Bellarminus, in libris de ſummo Pontifice, [3] contēdat non eum ſenſum eſſe illius loci Euangelii, vt intelligatur de ſpirituali & temporali gladio. *Reſpondeo*, inquit, *ad literā, nullam fieri mentionem in eo loco Euangelii de gladio ſpirituali vel temporali Pontificis, ſed ſolùm Dominum illis verbis admonere voluiſſe diſcipulos, tēpore paſſionis ſuæ in iis anguſtiis, & metu ipſo futuros fuiſſe, in quibus eſſe ſolent, qui tunicam vendunt vt emant gladium*. Vnde aſſerit S. Bernardum & Bonifaciū VIII. Papam, myſticè tantùm hunc locum, de duobus gladiis interpretatos eſſe.

[1] Luc. 2.

[2] Eſaiæ 53.

[3] Lib. 5. cap. 3.

Quòd cùm ita ſit, conſtetque tum ex interpretatione Patrum, tum ex confeſſione ipſius Bellarmini, verba Saluatoris non de gladiis iſtis, de quibus nos digladiamur, verè, propriè, ac ſtrictè eſſe accipienda, perperam ſanè allegatur ſcriptum illud Bernardi, ad probandum, Papam habere poteſtatem temporalem vllo caſu in Principes Chriſtianos, vel gladium temporalem eſſe ſub gladio ſpirituali; quod nec dicit ibi S. Bernardus, nec dicere ſine calumnia potuit. Quamuis igitur maximè concedamus, locum illum Scripturæ, de ſpirituali & temporali gladio eſſe myſticè accipiendum, tamen ad hoc tantùm valebit illa Bernardi expoſitio, vt intelligamus, Reges & Principes Chriſtianos conſilio Eccleſiæ, ſiue ſummi Pontificis, bellum gerere debere pro Eccleſia: quod nemo ſanus vnquam negauerit. Atque ita Chriſtus (ſi eius verba myſticè eo modo interpretemur) oſtenſis duobus gladiis, dixit, *Satis eſt.* non vt gladium alterum alteri ſubiiciendum, vel vtrumq; in manu Pontificis & Sacerdotū futurū eſſe ſignificaret (ea quippe expoſitio vitioſa eſt, & tū rectæ rationi, tū anti-

antiquorum Patrum doctrinæ repugnat, qua traditur Reges & Imperatores ſolum Deum in temporalibus ſuperiorem habere) ſed vt admoneret vtriuſque gladii, ſpiritualis & temporalis, concurſum aliquando fore in Republica Chriſtiana, Principibus ad fidem conuerſis; & illis duobus Eccleſiam vndique ab iniuria tutum ad defenſum iri.

Sed quoniam in hunc inſignem D. Bernardi locum incidimus, velim perpendat mecum obiter in eo lector, quod neſcio an vllus antehac animaduerterit. Quid eſt quòd de gladio temporali ad Eugenium Papam ſcribens, primùm dicat, *tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus.* Deinde, paucis interiectis, ſubiiciat, eundem gladium nutu ſacerdotis eſſe exercendum, nec addat *forſitan?* Nunquid illud *forſitan*, aut abundat in priore ſententia, aut in poſteriore deſideratur? Nempe id conſultò vir ſanctus ac prudẽs: vt perſonam Pontificis ab authoritate & officio Pontificali, ſiue ſacerdotali, ſubtiliter diſtingueret, doceretq; permagni referre, vtrum Papa an Eugenius, licet idem & Papa & Eugenius ſit, aliquid aut vetet, aut iubeat: vtrum inquã Pontifex, vt homo animi perturbationibus obnoxius, gladium non pro Eccleſia ex officii debito, ſed deprauatæ affectionis incitamento ſtringi cupiat: an verò vt Sacerdos, id eſt, vir bonus & pius, non ſuis ſed publicis commodis ſeruiens, gladio exercendo & bello gerendo annuat abnuátve. Quaſi diceret; Eugeni Pontifex Maxime, gladius temporalis non ſimpliciter & abſolutè tuo nutu euaginandus eſt, ſed forſitan: tunc ſcilicet, cùm ob euidentem Eccleſiæ vtilitatem, id illis ſobrio ſanoque conſilio ſuadebis, qui gladium in ſua poteſtate habent: non autem tunc, cùm aut veteres inimicitias cum aliquo exercere, aut recens odium effundere, aut ambitioſam dominandi cupiditatem explere cupiens, Principes & populos Chriſtianos inter ſe committere, aut ipſorum vni bellum indicere atque inferre cogitabis. Illa enim ſacerdotis, iſta hominis: illa Pontificis, iſta Eugenii, aut alterius Pontificatum tenentis, cogitatio actioque dicenda eſt. Atque hæc quidem verbis illis ſenſiſſe Bernardum, res geſtæ à Pontificibus quibuſdam impensè iracundis & ſuperbis, haud obſcurè declararunt. Sed ad inſtitutum reuertamur.

CAP. XX.

TErtia apud Bellarminum ratio eſt. *Non licet Chriſtianis tolerare Regem infidelem, aut Hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hæreſin, vel infidelitatem: at iudicare an Rex pertrahat ad hæreſin, necne, pertinet ad Pontificem, cui eſt commiſſa cura religionis: ergo Pontificis eſt iudicare, Regem eſſe deponendum, vel non deponendum.* & huius quidem rationis propoſitionem tribus argumentis probare conatur.

Ad eam igitur reſpondeo. Quod ait, *non licere Chriſtianis tolerare Regem hæreticum vel infidelem, &c.* id adeo falſum eſſe, quàm quod falſiſſimum: alioqui damnanda tota antiquitas, quæ Reges Hæreticos & Infideles, Eccleſiam Dei deſtruere conantes, ſubmiſsè pertulit; *non ſolùm propter iram, ſed propter conſcientiam*; hoc eſt, non quod deficerentur viribus ad impios Principes exigendos, ſed quod id ſibi per Dei legem non licere iudicarent. Verùm quoniam hunc errorem perniciosiſſimum in libris contra Monarchomachos,[1] atque etiam ſuperius hoc libro,[2] iam ſatis refutauimus: non eſt quod eius falſitati arguendæ hîc amplius immoremur. Id tantùm ſupereſt, vt vitia argumentorum, quibus falſam ſuam propoſitionem probare nititur, breuiter indicemus.

1 Lib. 3. cap. 6. 7. 8. 9. & ſeqq. & li. 4. cap. 5. & 6.
2 Cap. 7.

Primum argumentum ducit ex Deuteronomio,[3] vbi prohibetur populus eligere Regem qui non ſit de fratribus ſuis, id eſt, qui non ſit Iudæus: ne videlicet pertrahat eos ad idololatriam: ergo etiam Chriſtiani prohibentur eligere non Chriſtianum. Hoc totum verum ſit. Deinde ex his partibus conceſſis progreditur hoc modo. *Rurſum, eiuſdem periculi & damni eſt, eligere non Chriſtianum, & non deponere non Chriſtianum, vt notum eſt: ergo tenentur Chriſtiani non pati ſupra ſe Regem non Chriſtianum, ſi ille conetur auertere populum à fide.*

3 Cap. 17.

Reſpondeo, conſequentiam hanc minimè bonam eſſe, & eiuſmodi vitioſis ac fallacibus argumentis multos à veritate auocari. Captio autem in eo eſt, quòd ſtatuat ac pro certo aſſumat, idem ius eſſe vbicunque eſt idem damnum vel periculum; quod plane falſum eſſe mox demonſtrabitur. nec ei ſimile eſt quod tradunt Iuriſconſulti, *vbi eadem ratio eſt, ius idem eſſe debet*[4]. Animaduertendum igitur, eum non dicere, *eiuſdem peccati eſſe eligere non Chriſtianum, & non*

4 L. illud 32 D. ad leg Aquil.

depo-

deponere non Chriſtianum. quòd ſi id dixiſſet, negaſſem vtique antecedens: ſed dicit, *eiuſdem periculi & damni eſſe.* ex quo perperam deinde colligit, Chriſtianos teneri non pati ſupra ſe Regem non Chriſtianum. Non enim ſequitur, vbicunque idem damnum & periculum vertitur, eandem faciendi poteſtatem concedi debere ei qui in damno vel periculo verſatur: nec vbicunque par damnum eſt & periculum, ibi par quoque peccatum meritúmve ſubeſſe: idque exemplis facilè probari poteſt. Qui plagas accipit, aut fortunis ſpoliatur, idem periculum & damnum ſubit, ſiue per vim à latrone, aut milite deſertore, ſiue à magiſtratu per iniquam ſententiam opprimatur: ſed non idem aduerſus vtrumque remedium comparatum eſt. in direptorem irruere, & eum, ſe ſuaque tuendo, occidere ius faſque eſt [1]: ſeruato, vt aiunt, moderamine inculpatæ tutelæ. At magiſtratui iniquam ſententiam, pro poteſtate imperii, exequenti, propter rerum iudicatarum authoritatem reſtare non licet [2]. Ecce quamuis vtrobique idem damnũ & iactura ſpoliati ſit, tamen non idem ius vtrobique obtinet. Rurſus eiuſdem periculi & damni eſt, in nauigium cogitatò conſcendere, cuius carinam ſcis eſſe quaſſatam; & illud intrare quod putas eſſe probum, cùm re vera rimoſum ac diſſolutum ſit. eiuſdem dico periculi eſt, ſed non eiuſdem peccati. priore caſu tentas Deum, tibique tua ſponte necem paras: poſteriore verò, ſi humanam diligentiam adhibuiſti, nihil peccas qui ignarus tali te naui commiſeris. Sic eiuſdem periculi & damni eſt, mulierem, quam inſigniter moroſam & iurgioſam eſſe noſti, propter fortunas vel formam ducere: & in eam alias incidere quam neſcias eſſe talem. & tamen qui ſciens prudens in tam manifeſtum diſcrimen ſe coniecerit, haud leuiter peccare videtur, qui in vitæ degendæ modo, & ratione ineunda, Deum tentet. At qui ſortis ſuæ, & mulieris malitiæ ignarus, talem duxerit, non modò in Numen non committit, ſed quotidianis moleſtiis miſeriiſque, ſi eas forti & patienti animo perferat, velut ſpecie quadam martyrii demeretur. Poſſem multa id genus exempla proferre, quibus argumentum iſtud Bellarmini captioſum eſſe conuincam. Quemadmodum ergo non ſequitur, ſi is qui nouit mulierem eſſe impensè improbam, & ita peruerſam, vt ſpes nulla ſit cum ea tranquillè viuendi, non debet eam ſibi vxorem aſciſcere (quod eo facto in apertum ſe diſcrimen coniiciat) vt is etiam qui talem

1 L. vt vim D. de Iuſt. & iur. cap. 2. de homicid. L. 2. C. quand. liceat vnicuique ſine indig.

2 L. Seruo inuito. 65. §. cum Prætor. D. ad Sc. Trebell.

talem mulierem fortuitò & imprudenter nactus eſt, debeat eam, non obſtante matrimonii vinculo, deſerere vel repudiare; quamuis eiuſdem periculi & damni res ſit, ſi eam retineat. Ita etiam non ſequitur, Si Chriſtiani tenentur nō eligere Regem non Chriſtianum vel Hæreticum; vt teneantur quoque non pati iam electum. quia multa impediunt faciendum, quæ factum non diſſoluunt, vt vberius alibi oſtendimus. Atque hęc quidem ad argumenti iſtius vim eneruandam ſatis.

CAP. XXI.

SEd cogor tamen hîc diutius inſiſtere, vt alium adhuc errorem indicem & conuellam, quem ſuperiori argumento tanquam ſupplementum adiungit. Nam vt cōfirmet illud quod dixit, *Chriſtianos teneri non pati ſuper ſe Regem non Chriſtianum. &c.* & ne quis de ea ſententia dubitet, propterea quòd Chriſtiani olim multos Principes partim Ethnicos, partim Hæreticos, ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo, tolerarunt ſimul & coluerunt, eo ipſo quod Principes erant: vt inquam obiectionem hanc efficaciſſimam, & ſuperioris ſententiæ ſuæ peremptoriā aliqua ſolutione præoccuparet ſtatim ſubiicit. *Quod ſi Chriſtiani olim non depoſuerunt Neronem, & Diocletianum, & Iulianum Apoſtatam, ac Valentem Arianum, & ſimiles, id fuit quia deerant vires temporales Chriſtianis. Nam quòd alioqui iure potuiſſent id facere, patet ex Apoſtolo 1. Corinth. 6. vbi iubet conſtitui nouos Iudices Chriſtianis temporalium cauſſarum, ne cogerentur Chriſtiani cauſſam dicere coram Iudice Chriſti perſecutore. Sicut enim noui Iudices conſtitui potuerunt, ita & noui Principes, & Reges, propter eandem cauſam ſi vires adfuiſſent.*

Multa hic ſunt reprehenſione digna, & quæ miror equidem ab homine tam erudito, & in authoribus ſacris profaniſque exercitato, literis vnquam eſſe mandata. Nam primùm quod ait, defectionem virium in cauſa fuiſſe, cur Chriſtiani olim non depoſuerint Neronem, Diocletianū, Iulianum, Valentem, & ſimiles; id falſiſſimū eſſe, teſtimoniis perſpicuis & indubitatis, in libris noſtris, *De Regno*, [1] atque etiam ſuprà hoc libro, [2] iam ſatis ſuperq; oſtēdimus: & mox etiā demōſtrabimus ex principiis ab eo ipſo poſitis atque conceſſis. Deinde nihil ineptius, aut magis à ratione alienum, imò verò, pace tanti viri dictū ſit, nihil magis deluſorium & captatorium, quàm ad illius falſæ ſententiæ fidem

[1] Lib 4. cap. 5. & lib. 3. cap. 10. cum ſeqq.
[2] Cap. 6. 7. 8.

diſiungi oportet, vt Reges & Laici conſtituant politicam & temporalem Rempublicam, Pontifices & Clerici ſpiritualem ſiue Eccleſiaſticam. quo nihil abſurdius, aut minus appoſitè, quantum ad pręſens inſtitutum, dici poteſt. Nam aut loquitur hîc de poteſtate Eccleſiaſtica ſeparata prorſus à poteſtate ciuili, vt olim fuit tempore Apoſtolorum, & nunc eſt iis in locis, vbi Chriſtiani inter Ethnicos aut infideles degunt: quo caſu ſatis conſtat poteſtatem illam, ſiue Rempublicam Eccleſiaſticam, vt ille vocat, aut eius Principem & Hierarchã, nihil quicquam iuris, ne quidem ſpiritualis, habere in Principem politicum: quòd neutiquã
1 1. ad Cor. 5. filius ſit Eccleſiæ [1]. Aut loquitur de poteſtate Eccleſiaſtica coniuncta cum ciuili, vt in Republica Chriſtiana: & tunc perperam facit duas Reſpublicas, vnam Eccleſiaſticam, & alteram Politicam: cùm ſint duæ tantùm poteſtates vnius Reipublicæ Chriſtianæ, vniuſque Eccleſiæ & myſtici corporis Chriſti partes & membra, vt ipſemet antea tradidit.

Deinde falſum eſt quod aſſumit, poteſtatem ſcilicet vtendi & diſponẽdi de temporalibus rebus neceſſariam eſſe ad finem ſpiritualem, &c. Nam ipſe Princeps Apoſtolorũ apertè docet, nullum ſibi ius eiuſmodi fuiſſe in res temporales Chriſtianorum, præter illas quas ipſi ſponte contulerant
2 Act. 5. obtulerantque Eccleſiæ, cùm ait [2], *Anania cur tentauit ſathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* Si Apoſtolis facultas fuiſſet diſponendi de rebus temporalibus Chriſtianorum, non vtique dixiſſet Petrus, Nónne? &c. cùm ei ſtatim reponere poſſet Ananias: imò verò tibi poteſtas eſt de rebus meis diſponendi, & propterea veritus ne eas mihi fortè ex cauſa auferres, pretii partem occului. ſed quia Eccleſia hanc poteſtatem non habebat; ipſe ſine cauſa erat *Spiritui ſancto* mentitus. Quid, quòd ex iſto Bellarmini fundamento ſequeretur, Eccleſiam *primæuam ſiue primitiuam* non habuiſſe omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum? Nam hac poteſtate diſponendi de rebus temporalib. Chriſtianorum, inuitis dominis, trecenis, & amplius, poſt Chriſti paſſionem annis, ſub Ethnicis Principibus agẽs, omninò caruit: quo tempore tamen infinitam hominum multitudinem, ac penè maximam Orbis partem, Chriſto nomen dediſſe, & multò quàm vnquam ſeueriorẽ in Eccleſia diſciplinam viguiſſe, ſatis conſtat: vt nefas ſit dicere Eccle-

ſiam

ſiam tūc omnibus mediis neceſſariis iuris & facti ad finem ſuum adipiſcendum inſtructam non fuiſſe. *Opera enim Dei perfecta ſunt*. Et verò non mediocrem Chriſto iniuriam faciat, qui deſtitutam mediis neceſſariis Eccleſiam ab eo relictam, atque Apoſtolis traditam arbitretur. Quidquid Eccleſiæ neceſſarium fuit ad ſuum finem conſequendum, id à Chriſto abundè collatum eſt Apoſtolis; cum dixit, *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarii veſtri* [1]. Quicunque igitur Dominum commendaſſe Eccleſiam ſuam Petro intelligit, & ei ter mandaſſe, vt agnos & oues ſuas paſcat, [2] nec ei ad illos paſcendos, & finem mandati explendum neceſſaria omnia & iuris & facti tribuiſſe exiſtimat, is mihi Atheo ſimilis videtur, & de diuina prouidentia, potentia, ac bonitate dubitare. Fingamus eum non dediſſe omnem poteſtatem ad executionem tanti mandati neceſſariam; nunquid alia nō dandi cauſa excogitari poteſt, quàm quòd aut ignorabat Dominus quid facto opus eſſet, aut eius dandi facultatem non habebat, aut, quod extremæ malitię eſt, ſeruos & amicos ſuos decipere volebat, id illis munus imperando, quod eos per impotentiam exequi non poſſe certò ſciret? [3] Ex his perſpicuum eſt, temporale Imperium, & poteſtatem deponendi Principes, nullo modo neceſſariam eſſe Eccleſiæ ad finem ſuum conſequēdum: licet humana conſideratione videri aliquando vtile poſſit: Deus enim, qui *quæ ſtulta ſunt mundi elegit, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit, vt confundat fortia* [4], ſciens Eccleſiam nō niſi ſpiritualibus armis indigere, eam illis ita ab initio inſtruxit, vt omnem humanam potentiam ſuperaret, diciq́ue verè potuerit, *à Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris* [5]. Præclarè vt cætera, D. Bernardus ad Eugenium Papam [6]. *Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris. Abſque his tamen credidit ſatis poſſe impleri ſalutare mandatū*. Si amas me paſce Oues meas: *in his ſucceſſiſti non Petro ſed Conſtantino*. Quāuis itaque poteſtas temporalis, de qua nobis ſermo, hominibus videri potuerit Eccleſiæ neceſſaria, Deo tamen neque neceſſaria neque vtilis viſa eſt, ob eam fortè rationem, quam rerum euentus atque experientia poſteritatem docuit: ne humano ſcilicet Imperio freti Apoſtoli,

1 Luc. 21.
2 Ioh. 21.
3 Apoſtolos Chriſti ſeruos & amicos eſſe.
4 1. Cor. 1.
5 Pſal. 117.
6 Lib. 4. c. 3.

& eorum ſucceſſores, ſpiritualia ſegnius curarent, & quam in virtute verbi diuini, Deique auxilio ſingulari, ſpem ponere debebant, eam in armis & authoritate ac poteſtate temporali potiſſimum collocarent. Et verò ſi quis ſtatum Eccleſiæ à Chriſto paſſo in hunc diem, oculis atque animo in hiſtoriis colluſtret, cernet omninò illam citò creuiſſe, ac diu floruiſſe, ſub Pontificibus ſua ditione, id eſt, ſpirituali iuriſdictione contentis, qui Chriſti humilitatis diſcipuli, vnicum Eccleſiæ tuendæ præſidium in virtute prædicationis Euangelii, & ſedula diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſeruatione, ſine vlla poteſtatis temporalis mentione, eſſe poſitum iudicabant. Et rurſus ex quo Pontifices quidam ad ſummũ, quod habent, ſpirituale Imperium, ſummũ quoq, temporale adiungere atque annectere conati ſunt, Eccleſiam & numero credentium & moribus pręſidentiũ indies defeciſſe; & remiſſa, ſeu verius omiſſa, illa antiquæ diſciplinæ ſeueritate, multos Eccleſiæ miniſtros ſua munera ſegnius & negligentius obiiſſe.

Omitto, quòd, ſi ratio iſtorum bona eſſet, ſequeretur e contrario, Rempublicam temporalem, vt illi loquuntur, habere poteſtatem diſponẽdi de rebus ſpiritualibus, & deponendi ſupremum Reipublicæ Eccleſiaſticæ Principem: quia *debet eſſe perfecta & ſibi ſufficiens in ordine ad finem ſuum, & habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum.* Sed neceſſaria eſt ad finem temporalem poteſtas diſponendi de rebus ſpiritualibus, & deponẽdi Principem Eccleſiaſticum, quia alioqui poſſunt mali Principes Eccleſiaſtici turbare ſtatum & quietem Reipublicæ temporalis, & impedire finem ciuilis gubernationis, vt de facto nõnulli ſummi Pontifices aliquando perturbarunt: igitur hanc poteſtatem habet Reſpub. temporalis. Conſequens planè falſum eſt & abſurdum. (Nam Princeps temporalis, quatenus talis eſt, nullam habet poteſtatem ſpiritualem) proinde & illud quoque falſum eſt, cui hoc eſt conſequens.

Sed, vt dici ſolet, *dare abſurdum, non eſt ſoluere argumentũ,* Reſpondeo igitur aliter ad priorem partem huius ſecũdæ rationis. Non eſſe ſcilicet hîc duas Reſpublicas, vt ille retur, ſed vnam tantùm; in qua ſunt duæ poteſtates, ſiue duo Magiſtratus, Eccleſiaſticus, & Politicus, quorum vterque habet ea quibus neceſſariò indiget ad ſuum finem obtinẽdum; alter nempe ſpiritualem, alter temporalem iuriſdictionem: & neque hanc iuriſdictionem illi poteſtati, neq; illam

illam huic prorſus eſſe neceſſariam. Alioqui fatendũ eſt, vtramque poteſtatem mediis neceſſariis fuiſſe deſtitutam, tunc cùm ſeparatæ, vt olim, fuerunt: quod planè falſum eſſe iam oſtẽdi, tam ex fine temporalis ſiue politicæ gubernationis, quatenus talis eſt, [1] quàm ex ſtatu Eccleſiæ ſub Ethnicis infidelib. Principibus conſtitutæ [2]. Ad hunc modum in vna eademque *ciuili politia*, in vna inquam Ciuitate aut Regno, plures Magiſtratus diſtinctis officiis, poteſtate, atque Imperio, præditi inueniuntur, qui Rempub. in partibus ſibi mandatam gubernant; quorum quilibet poteſtatem neceſſariam ad muneris ſui finem conſequendum, à Rege vel Repub. accipit; ita vt nemo eorum poſſit vel audeat alterius iuriſdictionem atque Imperium inuadere, ſibique arrogare. Non ſi Conſulibus aliquid Tribunitiæ poteſtatis deeſt, vel contrà Tribunis abeſt Imperium Cõſulare, idcircò dici poteſt, vtrique alterius poteſtatem neceſſariam eſſe ad ſuum finem conſequendum: Nam vterq; magiſtratus, ſecundum ſuæ inſtitutionis rationem, perfectus, atque omni poteſtate neceſſaria ad muneris ſui executionem munitus eſt.

1 Su. cap. 14.
2 Sum. hoc cap.

Vel vt notiora exempla proferamus. Quemadmodum in eodem regno, & ſub vno Rege, duo ampliſſimi magiſtratus ſunt, quorum alterum Cancellarius, alterum Conſtablus Rege mandante gerit. (Illi νομοφυλακία & iuris ac iudiciorum cura præcipua incumbit: huic armorum adminiſtratio ac totius diſciplinæ militaris præfectura cõmittitur) & vterque pro ratione & qualitate ſui officii perfectus eſt, atque omnem poteſtatem neceſſariam ad muneris ſui executionem, finiſque eius conſequutionem à Rege obtinet. Nec, ſi alter fortè alterius exercitium vel incuria vel iniuria impediat, poteſt impeditus propria authoritate alteri magiſtratum abrogare, aut eius iuriſdictionem vſurpare, aut eum denique ad peccati ſui emendationem, niſi modis legitimis à Rege ſibi cum officio conceſſis adigere: ſed vtrumque de alterius commiſſo ad Regem, à quo ipſi diſtinctam officiis poteſtatem accẽperũt, referre oportet; vt ipſe læſum vlciſcatur, & quid de cauſa ſtatuendum ſit, Imperio iudicioque ſuo arbitretur. Quãdiu autem hi magiſtratus in regno concordes ſunt, alter alterius ius tuetur, & quod ei deeſt, de ſuo ſupplere conſueuit. Vt ſi paganus, vt iudicium eludat, in caſtra ad exercitum proficiſcatur, auxilio Præfecti militiæ implorato, ad eum vnde fugerat lo-

eum remitti ſoleat. & contra, ſi militiæ deſertor ab exercitu in vrbem ſe proripit, magiſtratus vrbanus à militari rogatus, eum mox in caſtra puniendum releget. Aſt vbi diſſentiunt, ea ſtatim Reipublicæ vulnera imponunt, quibus poteſt ſolus Princeps occurrere ac mederi; quod ipſis inter ſe ius faſque non ſit alieno imperio vti: & huic ſolùm arma tractare, illi iudicia tantùm exercere liceat. Simili planè modo ſummi illi magiſtratus Reipub. Chriſtianæ, Rex & Pontifex, poteſtatem aliam atque aliam, vtramque in ſuo genere perfectam, à communi omnium Rege & Domino, Deo Opt. Max. accipiunt, & diſtinctis imperiis atque officiis populo præficiuntur. Atque hi quidem, donec conſentiunt, ad vtriuſque poteſtatis tutelam, ſibi inuicem de ſuo commodant: vt & poteſtas Eccleſiaſtica ſeditioſos & rebelles in Principem ſecularem ſubditos, cæleſti & ſpirituali mucrone feriat: & viciſſim poteſt temporalis & Politica Hæreticos, Schiſmaticos, & alios à fide deficientes, aut alioqui piæ matri Eccleſiæ non parentes, armata manu perſequatur, [1] & temporalibus ſuppliciis, pœniſque ciuilibus acriter coerceat. Aſt vbi ſcinduntur in contraria ſtudia, ſibique inuicē aduerſantur, tota Reſpublica Chriſtiana vel protinus concidit, vel ſaltem grauiſſimè ſauciatur: quòd nemo ſit, niſi ſolus Deus, qui cauſæ illius cognitor, iniuriæque vltor legitimus eſſe poſſit.

[1] Can. Principes.23. q.5.

Cap XVIII.

Cupienti mihi ad alia tranſire, morulam iniecit dubitatio quædam de ſenſu poſterioris argumenti ſecundæ rationis, his verbis ab authore concepti [2]. *Item poteſt qualibet Reſpublica, quia perfecta & ſibi ſufficiens eſſe debet, imperare alteri Reipublicæ non ſibi ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, imò etiam deponere eius Principem, & alium inſtituere, quando non poteſt aliter ſe defendere ab eius iniurijs.* Nam, vt ingennè fatear, cum hæc primùm apud eum legiſſem, ſubſtiti aliquandiu, vt quis verborum iſtorum ſenſus, quantique ponderis & momenti eſſet argumentum, penitus intelligerem. videbatur enim non planè & explicatè illud proponere, quòd modos nullos cogendæ vicinæ Reipub. & eius Principis deponendi, nobis patefaceret. Et cùm diu omnia mente verſaſſem, aut hoc ænigma eſſe ſtatui, aut hunc verba eius ſenſum interpretationemque admittere; Qualibet Reſpub. contra aliam Rempu-

[2] Cap. proximo Sum.

Rempublicam, armis animiſque ſibi infeſtam, cùm aliter ſe ab eius iniuria tueri nequeat, bellum iuſtum indicere atque inferre poteſt, eamque prœliis & armis victricib. ad pacis conditiones cogere: vel ſi non ſatis ſibi adhuc proſpectum ea cautione retur (quia fortè cum populo natura fero difrago & rebelli negotium eſt) totam gentem in ſuam ditionem ac poteſtatem redigere, eique leges & iura dare, Principem abdicare, imperium auferre, totam deniq; Reipublicæ adminiſtrationem ſuo arbitrio in aliam formam commutare. Quòd ſi hic verus ſit, vt & eſſe arbitror, horũ verborum intellectus, argumentum illud neqnicquam ſanè à Bellarmino adductum eſt; Nec enim inde colligitur quod ipſe concludit, nempe *multò magis poſſe ſpiritualem Rempublicam imperare temporali Reipublica ſibi ſubiecta, & cogere ad mutandam adminiſtrationem, & deponere Principes atque alios inſtituere, &c.* tum quia non ſunt hoc caſu duæ Reſpublicæ, vt ille falsò aſſumit, ſed vna tantum Chriſtiana, duabus poteſtatibus nixa, quarum neutra alteri ſubiicitur, vt eſt iam abunde in ſuperioribus demonſtratũ: tum etiam quia ſi ei concedamus, eſſe duas Reſpublicas inter ſe diſtinctas, Eccleſiaſticam ſiue ſpiritualem & temporalem, neceſſe quidem eſt fateatur in illa tantum contineri Pontifices & Clericos, in hac verò Principes ſeculares & Laicos omnes; ſiue iſtam ex ſolis Eccleſiaſticis, hanc ex ſolis laicis componi. licet enim Laici & Clerici ſimul vnam Eccleſiã, & vnam Rempublicam Chriſtianam conſtituant, non tamen faciunt ſimul vnam Rempublicam Eccleſiaſticam & ſpirituale, prout diſtinguitur à tẽporali; neque vnam Rempublicam temporalẽ & ſecularem: ſed ſecundũ diuiſionem & ſeparationem ſupradictam, Laici temporalem, & Eccleſiaſtici ſpiritualem, in caſu quo temporalis à ſpirituali hoc modo diſtinguitur. Iam verò cùm Reſpub. Eccleſiaſtica ſolos Clericos contineat, quorum arma non alia eſſe debẽt, niſi preces & lachrymæ, quî fieri poteſt, vt illa inermis & imbecilla, armatam Rempublicam temporalem mutare adminiſtrationem niſi fortè per miraculum cogat?

Nihil ergo hac comparatione & conſecutione Bellarmini ineptius, quandoquidem à Rebus publicis ſimili armorum vſu & apparatu inſtructis, ad Reſpublicas, quarum altera prorſus inermis eſt, ratiocinando procedit. Quoties n. vna Reſpub. alterius iniurias aut inferẽdas propulſat, aut acceptas vlciſcitur, iis armis contendit quæ ſibi conceſſa

 ſunt,

ſunt, & quibus iure rebelli vti poteſt: corporeis nimirum & viſibilibus, quorū impetu corpora hoſtiū ſternit, præſidia inuadit, ciuitates expugnat, ac totum Reipublicæ aduerſantis ſtatum euertit. At Reſpublica ſpiritualis quam vocat, toto hoc armorum genere deficitur, & quoniam ex Clericis tātum compoſita eſt, ſolis armis ſpiritualibus, precibus ſcilicet & lachrymis, pugnare illi fas eſt. *Talia enim ſunt munimenta ſacerdotum: aliter nec debent nec poſſunt reſiſtere* [1]. Nam & materialem gladium omnes in perſona Petri iubentur recondere. Quo igitur modo ſpiritualis Reſpublica, Rempublicam temporalem, fulminum ſpiritualium contemptricem, vt *adminiſtrationis* ſuæ modum & formam *commutet*, cogere, aut *eius principem deponere, & alium inſtituere poſſit?* Quod ſi quis fortè proponat, Rempub. Eccleſiaſticam in rei tantæ executione profanis ſecularium hominum armis adiutum iri (Principes enim, & reliqui omnes Chriſtiani, nutritii & defenſores Eccleſiæ eſſe debent) ei ſtatim reſpondebitur, Rempublicam Eccleſiaſticam eo caſu non cogere Rempub. temporalem, ſed eſſe tantum cauſam, cur alia Reſpublica temporalis, cuius auxilio ſpiritualis illa defenſa eſt & protecta, iniuriā Eccleſiæ factam vindicet. Non ſecus ac ſi iniuriæ vel cladis acceptæ in vnius ciuis perſona, tota Reſpub. ſe vindicem præbeat: quo modo in omnes Beniamitas, ob ſtupratam vnius Leuitæ vxorem, à cæteris tribubus Iſrael acerbiſſimè ſæuitum eſſe conſtat [2]. ſic Græci olim Menelai iniuriam Troianō excidio vlti ſunt: & Romani necem à Teuca Illyriorum Regina L. Coruncano allatam, duriſſimo bello vindicarunt, & Reginam Illyrico excedere, ac tributum quotannis pendere coegerunt [3]. Nunquis hîc Beniamitas, Troianos, Illyricos, à Leuita Menelao, aut Coruncano iam mortuo domitos & compreſſos eſſe dixerit, ac non potius ab iis qui iſtorum ergo bella ſuſceperunt, hoſteſq; domuerunt? Nunquis ſimiliter Eccleſiaſticam Rempublicam eſſe dixerit, quæ temporalem iniuriam & laſciuientem, in ordinem cogat; ac non potius aliam Rempublicam temporalem, quæ Eccleſiaſticæ Reipublicæ cauſa bellum ſuſcipit; & ſine cuius auxilio Eccleſia ipſa, atque omnes eius ordines protriti & conculcati iacerent? Quid ſi nulla temporalis Reſpub. ſit, quæ velit vel audeat armis cū Republica Eccleſiaſticæ inimica contendere? quib. tunc ſe modis vindicet? Quid multis? licet ſuam illis comparationem

1 Can. non. pila. can. conuenior, 23. q. 8.

2 Iud. cap. pen. & vlt.

3 Polyb. l. 2.

nem concluſionemque concedamus, nihil inde effici poteſt niſi Papam habere talem poteſtatem diſponendi de rebus temporalibus Chriſtianorum, & eorum Principes deponendi, qualem vel Rex Franciæ in Anglos, Hiſpanos, alioſue populos vicinos ſibi iniurios, vel horum ſinguli in res Regeſque Francorum ipſis infeſtos habere dignoſcuntur; quæ qualis quantaque ſit, ferro tantùm cerni poteſt.

CAP. XIX.

HÆc quanquam ſecundæ rationi refutandæ ſufficiunt, tamen ne quid in hiſce doctiſſimi viri ſcriptis prætereaṁ, quod intactum, aut negligentius tractatum, lectori errorem creare, ſcrupulumue iniicere poſſit, operæpretium eſt, id etiam quale ſit excutere, quod ad rationis ſuæ firmamentum ex S. Bernardo in libris de conſideratione ad Eugenium [1] affert. Monet quidem Bernardus, gladium materialem eſſe militis manu, ad nutum ſacerdotis & iuſſum Imperatoris exercendum: quod nos certè fatemur. bella namq; & iuſtius ſuſcipiuntur, & fœlicius conficiuntur, quando Eccleſiaſtica ſanctitas cum regali authoritate conſpirat. Sed animaduertẽdum eſt, Doctorem illum tribuere tãtummodo nutum ſacerdoti, hoc eſt, belli gerendi conſenſum & voluntatem: iuſſum verò & imperium Imperatori. ex quo perſpicuum eſt, non eum alia ratione dicere gladium materialem ad Eccleſiam pertinere, quàm quod in Repub. Chriſtiana, licet imperium belli ſit penes Imperatores, & Reges, ac Principes, tamen iuſtius bella gerantur, vbi Eccleſiaſticæ poteſtatis conſenſus acceſſit, quæ poteſt Dei ſpiritu gubernata, inter æquũ vel iniquum, pium vel impium, ſolertius iudicare. Sed quid ſi Imperator nolit ad nutum ſacerdotis gladium ſtringere? imo quid ſi planè contra nutum ſacerdotis ſtrinxerit? Nunquid aliquam S. Bernardus hoc caſu poteſtatem tẽporalem ſacerdoti tribuit in Imperatorem? hoc enim eſt quod hic quærimus, & in quo tota noſtra verſatur diſputatio. nullam ſanè; quin potius nullam ei competere poſſe docet, cùm dicat materialem gladium (quo verbo ſumma poteſtas temporalis ſignificatur [2]) ab Eccleſia exerceri non poſſe: ſed tantùm manu militis & iuſſu Imperatoris. Quod idem apertius tradit Gratianus, [3] Bernardi ferè coætaneus. *Cum Petrus, inquit, qui primus Apoſtolorum à Domino fuerat electus, materialem gladium exerceret, vt Magi-*

1 Libr. 4. cap. 3.

2 Imperium. D. de iuriſd. Paul. a. 13. ad Rom.

3 23. q. 8. in pr.

ſtrum à Iudæorum iniuria defenſaret, audiuit, Conuerte gladium tuum in vaginam, omnis enim qui gladium acceperit, gladio peribit: ac ſi apertè ei diceretur, Hactenus tibi, tuiſque prædeceſſoribus, inimicos Dei gladio temporali licuit perſequi: deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum, id eſt, tibi hactenus conceſſum, in vaginam conuerte: & tamen ſpiritualem gladium, quod eſt verbum Dei, in mactatione veteris vitæ exerce. Omnis enim præter illum, vel authoritatem eius, qui legitima poteſtate vtitur, qui, vt ait Apoſtolus, [1] *non ſine cauſa gladium portat, cui etiam omnis anima ſubdita eſſe debet: omnis inquam, qui præter authoritatem huiuſmodi, gladium acceperit, gladio peribit.*

1 Rom. 13.

Si hæc Bernardi & Gratiani vera ſunt, fieri nullo modo poteſt, vt Papa in Imperatorem, aut alios Principes ſeculares, temporalem poteſtatem vnquam iure exerceat: exerceri quippe niſi gladio nequit, & gladius non niſi horum iuſſu à milite ſtringi debet: atque ita poteſtas hæc temporalis, inanis prorſus & inutilis in perſona Papæ eſſet, cum eius illi executio denegetur. niſi fortè Imperator aliquis tã fatali fatuitate laboret, vt milites contra ſe arma geſtare iubeat, aut tanta ſanctitate & iuſtitia præditus ſit, vt ne ſibi ipſi quidem parcendum, ſi deliquerit, edicto caueat. Huc pertinet quod D. Ambroſius ſcribit, [2]. materialem ſcilicet gladium Sacerdotibus vſque ad Euangelium tantummodo fuiſſe conceſſum. *Lex*, inquit, *ferire non vetat, & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, Sat eſt, dicit Chriſtus, quaſi licuerit vſq; ad Euangelium, vt ſit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.*

2 Lib. 10. comment. in Euan. Lucæ.

Præterea ſciendum eſt, locum illum Euangelii de duob. gladiis, [3] quem nobis obiectant, non neceſſariò intelligẽdum eſſe de gladio ſpirituali & temporali: imò verò longè congruentius eſſe ſermoni Saluatoris illic habito, vt intelligatur de gladio ſpirituali & de gladio paſſionis, ſicut Ambroſius doctè pieque ibidem exponit. Nam Chriſtus extremo illo ante paſſionem cum Diſcipulis colloquio, eos admonuit longè alia conditione mittendos eſſe ad prædicationẽ Euangelii, poſt ipſius mortẽ, cùm mandatum hoc acceperint, *euntes in mundũ vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ* [4], quã antea ab eo miſſi fuerant, dum adhuc in terris inter viuos ageret: quaſi dixiſſet, hactenus vos ita miſi, vt neq; ſacculo, neq; perâ, neq; calceamẽtis indigeretis: at poſthac mittã vos ad prædicationẽ Euangelii, & erit vobis

3 Luc. 22.

4 Marc. 16.

vobis ſacculo opus & perâ, ſolicitudinis nimirum & patiētiæ: atque etiam duobus gladiis, ſpirituali ſcilicet & paſſionis, de quo dictum eſt, [1] *tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Eſt enim gladius ſpiritualis*, inquit ibi D. Ambroſius, *vt vendas patrimonium, emas verbum quo nuda mentis penetralia veſtiuntur. Eſt etiam gladius paſſionis, vt exuas corpus, & immolata carnis exuuiis ematur tibi ſacri corona martyrii, quod ex benedictionibus dominicis colligere potes, qui ſummam omnium coronarum, ſi quis perſecutionem patiatur pro iuſtitia, prædicauit. Denique vt ſcias qua de paſſione locutus eſt, ne turbaret diſcipulorum animos, de ſe exemplum protulit dicens. Quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: quod cum iniuſtis deputatus eſt* [2]. Hęc ille. quibus poſtremò adiungam, quod ipſemet Bellarminus, in libris de ſummo Pontifice, [3] contēdat non eum ſenſum eſſe illius loci Euangelii, vt intelligatur de ſpirituali & temporali gladio. *Reſpondeo*, inquit, *ad literā, nullam fieri mentionem in eo loco Euangelii de gladio ſpirituali vel temporali Pontificis, ſed ſolùm Dominum illis verbis admonere voluiſſe diſcipulos, tēpore paſſionis ſuæ in iis anguſtiis, & metu ipſo futuros fuiſſe, in quibus eſſe ſolent, qui tunicam vendunt vt emant gladium.* Vnde aſſerit S. Bernardum & Bonifaciū VIII. Papam, myſticè tantùm hunc locum, de duobus gladiis interpretatos eſſe.

1 Luc. 2.
2 Eſaiæ 53.
3 Lib. 5. cap. 3.

Quòd cùm ita ſit, conſtetque tum ex interpretatione Patrum, tum ex confeſſione ipſius Bellarmini, verba Saluatoris non de gladiis iſtis, de quibus nos digladiamur, verè, propriè, ac ſtrictè eſſe accipienda, perperam ſanè allegatur ſcriptum illud Bernardi, ad probandum, Papam habere poteſtatem temporalem vllo caſu in Principes Chriſtianos, vel gladium temporalem eſſe ſub gladio ſpirituali; quod nec dicit ibi S. Bernardus, nec dicere ſine calumnia potuit. Quamuis igitur maximè concedamus, locum illum Scripturæ, de ſpirituali & temporali gladio eſſe myſticè accipiendum, tamen ad hoc tantùm valebit illa Bernardi expoſitio, vt intelligamus, Reges & Principes Chriſtianos conſilio Eccleſiæ, ſiue ſummi Pontificis, bellum gerere debere pro Eccleſia: quod nemo ſanus vnquam negauerit. Atque ita Chriſtus (ſi eius verba myſticè eo modo interpretemur) oſtenſis duobus gladiis, dixit, *Satis eſt.* non vt gladium alterum alteri ſubiiciendum, vel vtrumq; in manu Pontificis & Sacerdotū futurū eſſe ſignificaret (ea quippe expoſitio vitioſa eſt, & tū rectè rationi, tū

anti-

antiquorum Patrum doctrinæ repugnat, qua traditur Reges & Imperatores ſolum Deum in temporalibus ſuperiorem habere) ſed vt admoneret vtriuſque gladii, ſpiritualis & temporalis, concurſum aliquando fore in Republica Chriſtiana, Principibus ad fidem conuerſis; & illis duobus Eccleſiam vndique ab iniuria tutum ad defenſum iri.

Sed quoniam in hunc inſignem D. Bernardi locum incidimus, velim perpendat mecum obiter in eo lector, quod neſcio an vllus antehac animaduerterit. Quid eſt quòd de gladio temporali ad Eugenium Papam ſcribens, primùm dicat, *tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus*. Deinde, paucis interiectis, ſubiiciat, eundem gladium nutu ſacerdotis eſſe exercendum, nec addat *forſitan?* Nunquid illud *forſitan*, aut abundat in priore ſententia, aut in poſteriore deſideratur? Nempe id conſultò vir ſanctus ac prudẽs: vt perſonam Pontificis ab authoritate & officio Pontificali, ſiue ſacerdotali, ſubtiliter diſtingueret, doceretq; permagni referre, vtrum Papa an Eugenius, licet idem & Papa & Eugenius ſit, aliquid aut vetet, aut iubeat: vtrum inquã Pontifex, vt homo animi perturbationibus obnoxius, gladium non pro Eccleſia ex officii debito, ſed deprauatæ affectionis incitamento ſtringi cupiat: an verò vt Sacerdos, id eſt, vir bonus & pius, non ſuis ſed publicis commodis ſeruiens, gladio exercendo & bello gerendo annuat abnuátve. Quaſi diceret; Eugeni Pontifex Maxime, gladius temporalis non ſimpliciter & abſolutè tuo nutu euaginandus eſt, ſed forſitan: tunc ſcilicet, cùm ob euidentem Eccleſiæ vtilitatem, id illis ſobrio ſanoque conſilio ſuadebis, qui gladium in ſua poteſtate habent: non autem tunc, cùm aut veteres inimicitias cum aliquo exercere, aut recens odium effundere, aut ambitioſam dominandi cupiditatem explere cupiens, Principes & populos Chriſtianos inter ſe committere, aut ipſorum vni bellum indicere atque inferre cogitabis. Illa enim ſacerdotis, iſta hominis: illa Pontificis, iſta Eugenii, aut alterius Pontificatum tenentis, cogitatio actioque dicenda eſt. Atque hæc quidem verbis illis ſenſiſſe Bernardum, res geſtæ à Pontificibus quibuſdam impensè iracundis & ſuperbis, haud obſcurè declararunt. Sed ad inſtitutum reuertamur.

Cap. XX.

Tertia apud Bellarminum ratio eſt. *Non licet Chriſtianis tolerare Regem infidelem, aut Hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hæreſin, vel infidelitatem: at iudicare an Rex pertrahat ad hæreſin, necne, pertinet ad Pontificem, cui eſt commiſſa cura religionis: ergo Pontificis eſt iudicare, Regem eſſe deponendum, vel non deponendum.* & huius quidem rationis propoſitionem tribus argumentis probare conatur.

Ad eam igitur reſpondeo. Quod ait, *non licere Chriſtianis tolerare Regem hæreticum vel infidelem, &c.* id adeo falſum eſſe, quàm quod falſiſſimum: alioqui damnanda tota antiquitas, quæ Reges Hæreticos & Infideles, Eccleſiam Dei deſtruere conantes, ſubmiſsè pertulit; *non ſolùm propter iram, ſed propter conſcientiam*; hoc eſt, non quod deficerentur viribus ad impios Principes exigendos, ſed quod id ſibi per Dei legem non licere iudicarent. Verùm quoniam hunc errorem perniciosiſſimum in libris contra Monarchomachos,[1] atque etiam ſuperius hoc libro,[2] iam ſatis refutauimus: non eſt quod eius falſitati arguendæ hîc amplius immoremur. Id tantùm ſupereſt, vt vitia argumentorum, quibus falſam ſuam propoſitionem probare nititur, breuiter indicemus.

1 Lib. 3. cap. 6. 7. 8. 9. & ſeqq. & li. 4. cap. 5. & 6.
2 Cap. 7.

Primum argumentum ducit ex Deuteronomio,[3] vbi prohibetur populus eligere Regem qui non ſit de fratribus ſuis, id eſt, qui non ſit Iudæus: ne videlicet pertrahat eos ad idololatriam: ergo etiam Chriſtiani prohibentur eligere non Chriſtianum. Hoc totum verum ſit. Deinde ex his partibus conceſſis progreditur hoc modo. *Rurſum, eiuſdem periculi & damni eſt, eligere non Chriſtianum, & non deponere non Chriſtianum, vt notum eſt: ergo tenentur Chriſtiani non pati ſupra ſe Regem non Chriſtianum, ſi ille conetur auertere populum à fide.*

3 Cap. 17.

Reſpondeo, conſequentiam hanc minimè bonam eſſe, & eiuſmodi vitioſis ac fallacibus argumentis multos à veritate auocari. Captio autem in eo eſt, quòd ſtatuat ac pro certo aſſumat, idem ius eſſe vbicunque eſt idem damnum vel periculum; quod plane falſum eſſe mox demonſtrabitur. nec ei ſimile eſt quod tradunt Iuriſconſulti, *vbi eadem ratio eſt, ius idem eſſe debet*[4]. Animaduertendum igitur, eum non dicere, *eiuſdem peccati eſſe eligere non Chriſtianum, & non depo-*

4 L. illud 32 D. ad leg. Aquil.

deponere non Chriſtianum. quòd ſi id dixiſſet, negaſſem vtique antecedens: ſed dicit, *eiuſdem periculi & damni eſſe.* ex quo perperam deinde colligit, Chriſtianos teneri non pati ſupra ſe Regem non Chriſtianum. Non enim ſequitur, vbicunque idem damnum & periculum vertitur, eandem faciendi poteſtatem concedi debere ei qui in damno vel periculo verſatur: nec vbicunque par damnum eſt & periculum, ibi par quoque peccatum meritúmve ſubeſſe: idque exemplis facilè probari poteſt. Qui plagas accipit, aut fortunis ſpoliatur, idem periculum & damnum ſubit, ſiue per vim à latrone, aut milite deſertore, ſiue à magiſtratu per iniquam ſententiam opprimatur: ſed non idem aduerſus vtrumque remedium comparatum eſt. in direptorem irruere, & eum, ſe ſuaque tuendo, occidere ius faſque eſt [1]: ſeruato, vt aiunt, moderamine inculpatæ tutelæ. At magiſtratui iniquam ſententiam, pro poteſtate imperii, exequenti, propter rerum iudicatarum authoritatem reſtare non licet [2]. Ecce quamuis vtrobique idem damnũ & iactura ſpoliati ſit, tamen non idem ius vtrobique obtinet. Rurſus eiuſdem periculi & damni eſt, in nauigium cogitatò conſcendere, cuius carinam ſcis eſſe quaſſatam; & illud intrare quod putas eſſe probum, cùm re vera rimoſum ac diſſolutum ſit. eiuſdem dico periculi eſt, ſed non eiuſdem peccati. priore caſu tentas Deum, tibique tua ſponte necem paras: poſteriore verò, ſi humanam diligentiam adhibuiſti, nihil peccas qui ignarus tali te naui commiſeris. Sic eiuſdem periculi & damni eſt, mulierem, quam inſigniter moroſam & iurgioſam eſſe noſti, propter fortunas vel formam ducere: & in eam alias incidere quam neſcias eſſe talem. & tamen qui ſciens prudens in tam manifeſtum diſcrimen ſe coniecerit, haud leuiter peccare videtur, qui in vitæ degendæ modo, & ratione ineunda, Deum tentet. At qui ſortis ſuæ, & mulieris malitiæ ignarus, talem duxerit, non modò in Numen non committit, ſed quotidianis moleſtiis miſeriiſque, ſi eas forti & patienti animo perferat, velut ſpecie quadam martyrii demeretur. Poſſem multa id genus exempla proferre, quibus argumentum iſtud Bellarmini captioſum eſſe conuincam. Quemadmodum ergo non ſequitur, ſi is qui nouit mulierem eſſe impensè improbam, & ita peruerſam, vt ſpes nulla ſit cum ea tranquillè viuendi, non debet eam ſibi vxorem aſciſcere (quod eo facto in apertum ſe diſcrimen coniiciat) vt is etiam qui talem

[1] L. vt vim D. de Iuſt. & iur. cap. 2. de homicid. L. 2. C. quand. liceat vnicuique ſiue indig.

[2] L. Seruo inuito. 65. §. cum Prætor. D. ad Sc. Trebell.

talem mulierem fortuitò & imprudenter nactus eſt, debeat eam, non obſtante matrimonii vinculo, deſerere vel repudiare; quamuis eiuſdem periculi & damni res ſit, ſi eam retineat. Ita etiam non ſequitur, Si Chriſtiani tenentur nō eligere Regem non Chriſtianum vel Hæreticum; vt teneantur quoque non pati iam electum. quia multa impediunt faciendum, quæ factum non diſſoluunt, vt vberius alibi oſtendimus. Atque hæc quidem ad argumenti iſtius vim eneruandam ſatis.

Cap. XXI.

Sed cogor tamen hîc diutius inſiſtere, vt alium adhuc errorem indicem & conuellam, quem ſuperiori argumento tanquam ſupplementum adiungit. Nam vt cōfirmet illud quod dixit, *Chriſtianos teneri non pati ſuper ſe Regem non Chriſtianum. &c.* & ne quis de ea ſententia dubitet, propterea quòd Chriſtiani olim multos Principes partim Ethnicos, partim Hæreticos, ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo, tolerarunt ſimul & coluerunt, eo ipſo quod Principes erant: vt inquam obiectionem hanc efficaciſſimam, & ſuperioris ſententiæ ſuæ peremptoriā aliqua ſolutione præoccuparet ſtatim ſubiicit. *Quod ſi Chriſtiani olim non depoſuerunt Neronem, & Diocletianum, & Iulianum Apoſtatam, ac Valentem Arianum, & ſimiles, id fuit quia deerant vires temporales Chriſtianis. Nam quòd alioqui iure potuiſſent id facere, patet ex Apoſtolo* 1. *Corinth.* 6. *vbi iubet conſtitui nouos Iudices Chriſtianis temporalium cauſſarum, ne cogerentur Chriſtiani cauſſam dicere coram Iudice Chriſti perſecutore. Sicut enim noui Iudices conſtitui potuerunt, ita & noui Principes, & Reges, propter eandem cauſam ſi vires adfuiſſent.*

Multa hic ſunt reprehenſione digna, & quæ miror equidem ab homine tam erudito, & in authoribus ſacris profaniſque exercitato, literis vnquam eſſe mandata. Nam primùm quod ait, defectionem virium in cauſa fuiſſe, cur Chriſtiani olim non depoſuerint Neronem, Diocletianū, Iulianum, Valentem, & ſimiles; id falſiſſimū eſſe, teſtimoniis perſpicuis & indubitatis, in libris noſtris, *De Regno*, [1] atque etiam ſuprà hoc libro, [2] iam ſatis ſuperq; oſtēdimus: & mox etiā demōſtrabimus ex principiis ab eo ipſo poſitis atque conceſſis. Deinde nihil ineptius, aut magis à ratione alienum, imò verò, pace tanti viri dictū ſit, nihil magis deluſorium & captatorium, quàm ad illius falſæ ſententiæ fidem

1 Lib. 4. cap. 5. & lib. 3. cap. 10. cum ſeqq.

2 Cap. 6. 7. 8.

dem faciendam; Apoſtoli Pauli authoritatem *allegare*; in cuius ſcriptis ne verbum quidem eſt, quod vel ad literam, vt aiunt, vel figuratè & per interpretationem, talis ſententiæ confirmandæ, ſine calumnia & cauillatione, accommodari poſſit. Et verò, vt liberè loquar, licenter nimis doctrina Pauli abutuntur, qui ex illa eius Epiſtola ad Corinth.
1 Cap.6. prima [1], colligunt licuiſſe Chriſtianis, Principes Ethnicos vel Hæreticos deponere, & alios in eorum locum inſtituere. Reprehendit quidem Apoſtolus acriter eo loco Chriſtianos, tum quia ſe inuicem litibus vexabant, & iudicia omninò habebant: tum etiam quia ad tribunalia Iudicum Ethnicorum & infidelium, quibus nomen omne Chriſtianum erat exoſum, alii alios pertrahebant. Sed hoc ille tamen, non vt ea reprehenſione doceret aut ſignificaret, nullam Magiſtratibus Ethnicis temporalem iuriſdictionẽ in Chriſtianos fuiſſe, aut potuiſſe Chriſtianos ylla pactione efficere, ne Ethnici in ipſos politicè dominarentur. Verùm vt oſtenderet, indignum eſſe religione & profeſſione Chriſtiana, eos qui recens in Chriſto regenerati erant, & in eius
2 1.Corinth.1. ſocietatem vocati, [2] malle litigare apud Iudices infideles, quàm fratrum, id eſt, Chriſtianorum arbitrio iudicioque, negotia, & controuerſias obortas ſopire atque cõponere.

Non itaque abrogat Apoſtolus imperium Ethnicis hoc ſermone, nec indicat Chriſtianos ab illis poſſe deficere: ſed tantùm improbat, & vitio vertit quorundam Chriſtianorum procacitatem & pertinaciam, quòd cùm haberẽt fratres, hoc eſt, eiuſdem religionis homines, qui de communi conſenſu Iudices conſtituti, cauſas ipſorum iuſtè ac ſapiẽter intra priuatos parietes, amica affectione diſceptarent, iis non contenti, ad Iudices infideles & iniquos, & Chriſtianis omnibus infenſos, magno cum religionis ſcandalo, contentioſius prouocabant. Vnde in eum locum D. Thomas, *Sed videtur*, inquit, *eſſe contra id quod dicitur* 1. Pet. 1. *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis. Pertinet enim ad authoritatem Principis iudicare de ſubditis. Eſt ergo contra ius diuinum prohibere quod eius iudicio non ſtetur, ſi ſit infidelis. Sed dicendum, quòd Apoſtolus non prohibet, quin fideles ſub infidelibus Principibus conſtituti, eorum iudicio compareant, ſi vocentur: hoc enim eſſet contra ſubiectionem quæ debetur Principibus: ſed prohibet quòd fideles non eligant voluntariè infidelium iudicium.* Idem ferè in eundem locum ſcribit Theodoretus. &

nus. & Lyranus: *Apoſtolus, inquit, non prohibet hic fideles ſub Principibus infidelibus conſtitutos comparere coram eis quando vocantur; hoc enim eſſet contra ſubiectionem quæ Principibus debetur: ſed prohibet ne voluntariè recurrant ad Iudices infideles in illis negotiis quæ determinari poſſunt per fideles.* Nihil ergo iubet Apoſtolus eo loco, quod Iudicum infidelium iuriſdictionem & imperium in Chriſtianos aut tollat, aut minuat, aut ei aliquo modo præiudicet. imò verò nihil contra eiuſmodi ſubiectionem iuſtè iubere potuit, cùm ſit iuris naturalis Dei authoritate confirmati, vt, teſte D. Ambroſio, ipſemet Apoſtolus alibi docet [1]. Hæc igitur Iudicum conſtitutio, de qua loquimur, nullo modo eximebat Chriſtianos à ſubiectione & iuriſdictione magiſtratuum Ethnicorum, ſed tantùm auferebat illis neceſſitatem interpellandi iudices infideles, cùm haberent iudices inter ſe communi conſenſu conſtitutos, quorum ſententiis obortæ controuerſiæ componi potuerunt. Erant autem hi Iudices re vera Arbitri ſine imperio, ſine prehenſione, voluntariam tantùm iuriſdictionem exercentes; & ideo ſi vel refractarius Chriſtianus, vel Ethnicus aliquis Chriſtianũ ad Iudicem infidelem vocaſſet, nihil vocato profuiſſet Iudicum illorum Chriſtianorũ authoritas, quo minus Ethnico tribunali ſe ſiſtere teneretur; teneretur inquam in conſcientia, propter ſubiectionem quam ſuperioribus iure naturali debemus. 1 Rom. 13. ep.

Præterea ſi quis locum illum Apoſtoli non limis oculis percutſerit, animaduertet eum id ibi negotii ſibi dare, vt ad Euangelicam perfectionem, quæ conſilii magis quàm præcepti eſt, Chriſtianos animos erudiat; cùm eos hortetur vt potius iniuriam ferant & fraudem patiantur, quàm vt iudicia inter ſe exerceant ſecundum illud Saluatoris [2] *ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram; & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et ita Eccleſiæ Patres, Ambroſius, Primaſius, Theodoretus, reliquique omnes locum illum intellexerunt. Nam quod ait, *Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habetis inter vos. quare non magis fraudem patimini?* &c. id niſi de vitæ perfectione, ſiue de perfectiſſimo vitæ ſtatu intelligatur, vix eſt vt admitti poſſit: cùm inter omnes conſtet, eos non delinquere, qui iniuriis & contumeliis oppreſſi, ſubleuari ſe atque iuuari à Iudice poſtulant. Facit igitur D. Paulus eo loco, ſicut bonus mul- 2 Matth. 5.

F totum

torum liberorum parens, qui filios inter ſe diſſidentes meritò increpat, tum quòd fraternum amorem diſſentionibus ac diſcordiis violent, tum etiam quòd exortas inter ſe controuerſias, non de fratrum potius conſilio tranſigere, quàm forenſi ſtrepitu inuoluere, & iudiciali calculo decidere ac terminare malint.

Hæc cùm ita ſe habeant, Deum immortalem! quæ iſthæc miſerabilis cæcitas & inſcitia, vel certè malitia, eſt, velle ex illis Pauli verbis colligere, ius fuiſſe Chriſtianis deponere Imperatores & Magiſtratus omnes Ethnicos, ſi vires illis ad eam rem ſuppetiiſſent? cùm præſertim ipſemet Apoſtolus alibi [1] præciſè iubeat Chriſtianos omnes *neceſſitate* ſubditos eſſe iiſdem illis poteſtatibus Ethnicis, *non ſolùm propter iram*, ne ſi defectionem ſcilicet molirentur, iratis & infenſis poteſtatibus pœnas darent: *ſed etiam propter conſcientiam*, quòd nimirum ſana & ſalua conſcientia, ſubtrahere ſe eorum iuriſdictioni & ſubiectioni, quæ Dei ordinatio eſt, aut eis reſiſtere, nullo modo poſſent. hoc enim eſt, neceſſitate ſubditos eſſe propter conſcientiam, ſiue *propter Deum*, vt præcipit D. Petrus [2]. Adhæc quoque primi ab Apoſtolis Chriſtiani omnes, Imperatorem, quamuis Ethnicum & perſecutorem fidei, à Deo conſtitutum, & ſolo Deo minorem eſſe ingenuè fatebantur [3]. Si itaque Chriſtiani propter conſcientiam neceſſe habebant parere Ethnicis magiſtratibus, nonne certum eſt eos, non quia facti, ſed quia iuris poteſtatem non habebant, omni rebellionis & defectionis molimine abſtinuiſſe? Aut ſi Deo ſolo minor erat Imperator, & maiorem minor deponere non poſſit, qui poterant eum ſubditi Chriſtiani deponere? Nunquid aut Apoſtolus ſecum ipſe pugnat, aut aliud Petrus, aliud Paulus docuerunt? aut nunquid priſci illi Patres qui Apoſtolis ſucceſſerunt, ius ſuum omne erga Reges & Magiſtratus infideles vel hæreticos ignorabant? nam vires illis facto exequendo pares, & pluſquam ſufficientes fuiſſe, pluribus alibi demonſtrauimus [4].

Ex his igitur perſpicuum eſt, Apoſtoli Pauli authoritatē nihil quicquam ad ſuperiorem Bellarmini ſententiam de Regibus deponendis pertinere, ac proinde largiter ab eo erratum eſſe, quòd in re tam ſeria, tantique momenti, Apoſtolicæ authoritatis fuco lectori impoſuerit. Si conſtitutio ſiue creatio Iudicum, Apoſtoli iuſſu facta à Chriſtianis, Iudicum infidelium authoritatem, imperium, & iuriſdictio-

1 Rom. 13.

2 1. Petr. 2.

3 Tertullian. ad Scapul. & in Apologet.

4 Lib. 3 de Regno. cap. 10. 11. 12. 13. & li. 4. c. 5. & 6.

dictionem ſuſtuliſſet, aut aliqua ex parte abrogaſſet, vel ab eorum ſubiectione Chriſtianos exemiſſet, nihil fuiſſet Bellarmini argumento validius; nihilque eius ſententia verius. Sed quoniam illa iudicum conſtitutio non magis Poteſtatibus Ethnicis præiudicabat, quàm vel regum fabariorum creatio in vigilia Epiphaniæ, vel Principum & iudicum à laſciuiente iuuentute in Bacchanalibus, vero Regi, Magiſtratibuſque præiudicat, nullum inde pro eius ſententia argumentum elici poſſe certum eſt.

Quoniam autem ſingula perſequimur, admonere oportet, D. Thomam alicubi in ea opinione eſſe [1], vt exiſtimet ius dominij & prælationis Ethnicorum Principum iuſtè vllus auferri poſſe, *per ſententiam vel ordinationem Eccleſiæ, authoritatem Dei habentis*, vt ille ait. D. Thomæ magna apud me authoritas eſt, ſed nõ tanta, vt omnes eius diſputationes pro Canonicis Scripturis habeam; vel vt rationẽ vincat aut legem. eius ego Manes veneror, & doctrinam ſuſpicio. Sed non eſt tamen cur illa eius opinione aliquis moueatur: tum quia nullam ſuæ ſententiæ vel rationem idoneam & efficacem, vel authoritatem profert: tum etiam quia in explicatione epiſtolæ Pauli ad Corint. 1. [2] contrarium planè ſentit: tum denique quia neminem ſecum antiquorum Patrum conſentientem habet, & rationes multæ, authoritateſque in contrarium ſuppetunt. Ratio autem quam adfert eſt, *quia infideles merito ſuæ infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper fideles, qui transferuntur in filios Dei.* Mala ratio, & tanto viro indigna: quaſi verò ſi quis meretur priuari officio, beneficio, dignitate, authoritate, aliòue iure aliquo quod poſſidet, idcircò ſtatim ſpoliari poſſit ab alio, quàm ab eo à quo id accepit, retinetque, vel ab alio expreſſum mandatum & poteſtatem ab ipſo habente. Quis neſcit Cancellarium, Coneſtablum, aliosque Magiſtratus à Rege datos, mereri quidem amittere dignitatem ſuam, ſi qua in re ſuo officio abutantur? at eam tamen nemo illis auferre poteſt, quamdiu eos Princeps, à quo ſolo pendent, dignitate ſua fungi patitur. Simili modo Principes infideles, licet *merito ſuæ infidelitatis mereantur poteſtatem amittere*: tamen quia ſunt à Deo conſtituti, & ſolo Deo minores, non poſſunt niſi à Deo deſtitui imperio ac deponi. Et verò idem Thomas, in expoſitione epiſtolæ Pauli ſuperius hoc capite relata, ſatis aperte indicat, Eccleſiam nõ habere eam authoritatem qua poſſit Ethnicos

F 2 depo-

[1] 22.q.10. art.10.

[2] Cap.6.

deponere: ait enim eſſe contra ius diuinum, prohibere ne Principum infidelium iudicio ſtetur à ſubditis. Conſtat autem, Eccleſiam nihil contra ius diuinum, vel iubere, vel prohibere poſſe. Porrò tollere Principibus infidelibus *ius Domini & Prælationis*, eſt re vera prohibere, ne ipſorum iudicio ſtetur: Eccleſia ergo eam poteſtatem non habet. Et verò peruoluat quiſquis velit hiſtorias, nuſquam inueniet Eccleſiam id ſibi iuris aſſumpſiſſe, vt de Principibus Infidelibus ſiue Ethnicis iudicaret. Nec ſolùm propter ſcandalum abſtinuit, vt putat Thomas eo loco, ſed propter defectum poteſtatis, quia non erat iudex infidelium, ſecundum

1. Corint. 5. illud Apoſtoli [1], *quid mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Et quia Principes à Deo conſtituti, ſolum Deum ſupra ſe iudicem habent, à quo ſolo deponi poſſunt. Nec ad rem pertinet, quòd Paulus, dum iubet ſeruos Chriſtianos dominis ſuis infidelibus omnem honorem exhibere, illud ſolum addit, *ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.* non enim id dixit, quaſi ea ſola de cauſa ſerui dominis obedire debeant, ſed quòd præcipuè ea de cauſa. expreſſit itaque maximum malum quod inde oriri potuit, vt ſeruos à contemptu dominorum deterreret, nempe ſcandalum publicum totius Eccleſiæ Dei & doctrinæ Chriſtianæ. Non vult ergo Apoſtolus iis verbis, ſeruos poſſe ſe licitè ſubtrahere iugo ſeruitutis, inuitis dominis, ſi id ſine ſcandalo poſſent Eccleſiæ; furtum enim ſui facerent [2], iure gentium; ſed vult oſtendere eos non ſolùm peccare, quod alibi apertè docet [3], ſed etiam publicum toti Eccleſiæ ſcandalum generare: quod ſingulorum peccatis longè grauius & pernicioſius eſt. & ſuper omnia euitandum.

2 L. ancilla 60. D. de furt. l. 1. C. de ſer. fugit.
3 Rom 13. ad Philip. 6. Coloſſ. 3.

Reliquum igitur nunc eſt, vt, quod ſumus polliciti, ſuperiorem Bellarmini ſententiam de iure abdicandorum ſiue deponendorum Regum & Principum Ethnicorũ, falſam eſſe, ex principiis ab eo poſitis & conceſſis, demonſtremus. Res eſt expedita, nec factu difficilis. Nam libro ſecundo de Romano Pontifice [4], fatetur, Apoſtolos, & reliquos Chriſtianos omnes, æquè ſubiectos fuiſſe Principib. Ethnicis, in ciuilibus omnibus cauſis, atque cæteros homines. verba eius hæc ſunt. *Reſpondeo, primùm dici poſſet Paulum appellaſſe ad Cæſarem, quia de facto erat iudex ipſius, etſi non de iure: ita enim reſpondet Ioannes de Turrecremata lib 2. cap. 96. ſumma de Eccleſia. Secundo dici poteſt, & melius, cum Alberto Pighio lib. 5. Hierarchia Eccleſiaſtica cap. 7. diſcrimen eſſe inter*

4 Cap. 29.

Prin-

Principes Ethnicos & Chriſtianos. Nam quo tempore Principes erant Ethnici, non erat Pontifex iudex illorum, ſed è contrario illis ſubiectus erat in ciuilibus omnibus cauſis, non minus quàm cæteri homines. Quòd enim non eſſet Pontifex iudex illorum, patet: quia non eſt iudex niſi fidelium, iuxta illud, 1 Corint. 6. Quid ad me de his, qui foris ſunt, iudicare. Quòd verò è contrario eſſet ipſe illis ſubiectus ciuiliter, de iure, & de facto, patet etiam. Nam lex Chriſtiana neminem priuat ſuo iure & dominio. Sicut ergo ante Chriſtianam legem homines ſubiecti erant Imperatoribus, & Regibus: ita etiam poſtea. Quare Petrus & Paulus paſſim hortantur fideles, vt ſubditi ſint Principibus, vt patet ad Rom. 13. ad Titum 3. & 1. Pet. 2. Meritò itaque Paulus Cæſarem appellauit, eumque iudicem agnouit, cùm accuſaretur ſeditionis & tumultus in populo excitati. Hæc ille, ex quibus patet non ſolùm defectum virium in cauſa fuiſſe, cur primi Chriſtiani non depoſuerint Principes Ethnicos, ſed etiam quia ius omne, diuinum, & humanum, tali facto repugnabat. idque eodem libro, eodemque capite apertius docet, cùm dicat *iudicare, punire, deponere*, ad ſuperiorem tantùm pertinere, quod veriſſimum eſt, & communi hominum iudicio extra controuerſiam confirmatur.

Iam verò ex his certiſſimis principiis, ab eo poſitis & cōceſſis, quilibet ratiocinandi peritus facile colliget, Chriſtianos, quantumuis numero & viribus potentes extitiſſent, non potuiſſe iure deponere Neronem, Diocletianum, & cæteros Ethnicos & impios Principes. idque hac firmiſſima & indiſſolubili demonſtratione concluditur.

Subiecti non poſſunt iure iudicare, punire, vel deponere ſuperiorem:

Atqui omnes Chriſtiani erant ſubiecti Neroni, Diocletiano,

Et cæteris Imperatoribus ac Regibus Ethnicis.

Ergo non poterant eiuſmodi Imperatores vel Reges deponere.

Propoſitio ab eo conceſſa eſt, itemque ſubſumptio, & certiſſima veritate nituntur. Concluſio autem ex antecedentibus neceſſaria conſecutione pendet, atque ex diametro opponitur ei quod dixit, *Chriſtianos olim iure potuiſſe deponere Neronem, Diocletianum* &c. ſed quia viribus temporalibus deficiebantur, eo conſilio abſtinuiſſe. Falſum igitur illud eſt, & reprehenſione dignum; ſiquidem aientia & negantia ſimul vera eſſe nequeunt. Hinc etiam

patet falſitas opinionis D. Thomæ, quam ſuprà hoc capite refutauimus.

CAP. XXII.

DIxi Bellarminum triplici argumento vſum eſſe, ad tertiæ rationis ſuæ confirmationem; quæ eſt, *non licere Chriſtianis tolerare Regem infidelem vel hæreticum &c.* ex quibus primi iam vitia notaui: reliqua autem duo cuiuſmodi ſint, & quam vim habeant, hoc capite & ſequenti perueſtigandum eſt. Secundum igitur argumentum hoc eſt. *Tolerare Regem hæreticum vel infidelem, conantem pertrahere homines ad ſuam ſectam, eſt exponere religionem euidentiſſimo periculo. At non tenentur Chriſtiani, imò nec debent,, cum euidenti periculo religionis tolerare Regem infidelem. Nam quando ius diuinum & humanum pugnant, debet ſeruari ius diuinum, omiſſo humano. de iure autem diuino eſt ſeruare veram fidem & religionem, quæ vna tantùm eſt, non multæ: de iure autem humano eſt, quod hunc aut illum habeamus Regem.*

Ad hæc reſpondeo, Bellarminum & alios, vnde ipſe iſta acceperit, non rectè, neque ex arte hic ratiocinari: ſed duo argumenta ſimul confusè & permixtim ſine forma proponere. Nam pro eo quod aſſumit, *at non tenentur Chriſtiani, imò, nec debent, cum euidenti periculo religionis tolerare Regem infidelem.* reponi debet in bona dialectica. *at non tenentur Chriſtiani, imò nec debent, exponere religionem euidentiſſimo periculo.* vt inde concludatur, *non licere Chriſtianis tolerare Regem infidelem vel hæreticum.* Nam aſſumptio quam ipſe ponit, nihil ferè aliud eſt, quàm ipſa propoſitio controuerſa. Sed vt aliquid ei largiamur, demus eum optima forma ratiocinationem confeciſſe, & ad vim argumenti reſpondeamus. Dico igitur propoſitionem eius falſam eſſe, dico inquam, non verum eſſe, quòd *tolerare Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad ſuam ſectam, eſt exponere religionem euidentiſſimo periculo.* ſed eſt tantùm pati religionem verſari in periculo, in quod incidit vitio Regis hæretici aut infidelis, & cui iam ſine culpa populi expoſita eſt: cum nullum eius liberandæ iuſtum & legitimum remediũ, præter conſtantiam & tolerantiam, populo ſuperſit. Hoc autem Chriſtianis vitio verti non poteſt, niſi eadem opera priſcos illos Patres, & Chriſtianos omnes acriter incuſemus, qui Conſtantio, Iuliano, Valenti, & aliis Catholicæ religio-

religionis deſertoribus, ꝙ Imperiũ legitimè eſſent adepti, ſine vlla tergiuerſatione, aut minimo rebellionis indicio, ſubmiſsè paruerunt, & quos tollere de medio vel deponere facillimè potuerunt, eos, quia Imperatores & Reges erant, ſunt omni honore, obſequio, & reuerentia proſequuti. Hi ergo ſancti Patres, & optimi eo ſeculo Chriſtiani, tolerarunt quidem Reges hæreticos & infideles, quanquam eos deponendi maxima facultas & opportunitas (ſi vires tantũ temporales ſpectemus) ipſis ſuppeteret: at eos tamẽ nemo ſani cerebri vnquam dixerit expoſuiſſe religionem euidentiſſimo periculo, per eiuſmodi patientiam & tolerantiam Chriſtianam. De eo autem Rege tolerando loquor, qui vel Ethnicus ab Ethnicis eſt conſtitutus, vbi Chriſtiani nõ dominantur: vel qui cùm inauguraretur, in Chriſtianis eſt habitus. Nam eligere nullo iure cogente, ſuper ſe Regem, quem ſciunt eſſe hæreticum vel infidelem, eſt verè exponere religionem euidentiſſimo periculo, eoque grande Chriſtianis piaculum: & qui id faciunt, digni ſunt omnes, qui malè pereant.

Iam verò ad illud quod deducit expugna iuris diuini & humani, reſpondeo breuiter, illum valde falli in eo, quod putet eſſe ibi concurſum & conflictum diuini & humani iuris: non ſunt enim pugnantia, ſeruare veram fidem & religionem, & tolerare Regem hæreticum vel infidelem, nec alterum de iure diuino eſt, alterum de iure humano, vt ille putat. Sed ſunt duo præcepta iuris diuini, colere Deum vera religione, & ſeruire atque obedire Regi: quæ ſimul ſeruari & expleri poſſunt ac debent, vt ipſimet Ieſuitæ aſſerunt [1]: & nos pluribus contra Monarchomachos lib. 3. oſtendimus [2]. Itaque hoc caſu non ſolùm poſſunt ſubditi, ſed etiã debent, Regem eiuſmodi tolerare, & in vera interim religione conſtanter permanere; atque ita reddere Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo. Nã ſi, quod alibi Bellarminus tradit, [3] non licet Concilio iudicare, punire, vel deponere Papam nitentem turbare & deſtruere Eccleſiam Dei, ſed tantùm *ei reſiſtere non faciendo quod iubet, & impediendo ne exequatur voluntatem ſuam*: cur non ſimiliter, & potiore etiam ratione, idem de Regibus cenſeamus? cùm & ipſi ſint populis, teſte eodem [4] authore, ſuperiores, & iudicem in terris nullum habeant: cũque præterea nonnullis magni nominis Theologis viſum ſit, Conciliũ Oecumenicũ maiore ſupra Papã authoritate prædıtũ eſſe

1 Contra Arnaud. pag. 69.
2 Cap. 8.
3 Lib. 2. de Rom. Pont. c. 29.
4 Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 9. & lib. 3. cap. 19.

quàm habeat populus in Principem? quod Eccleſia nimirum ſemper Dei ſpiritu regatur, nec temere quicquam faciat. Populus verò turbinibus ſeditionum frequenter agitatus multa ſine conſilio, ſine iudicio, impiè, crudeliter, & iniuſtè moliatur.

At difficile eſt Regem impium tolerare, & veram ſeruare religionem; reponet aliquis. Fateor equidem, ſed impoſſibile non eſt. Impoſſibilitas (detur venia verbo) ab obſeruatione mandatorum excuſat; difficultas non item. Cæterum quod ait, *de iure diuino eſt ſeruare veram fidem & religionem: de iure autem humano eſt, quod hunc aut illum habeamus Regem*: id quidem totum verum eſt. ſed caue tamen lector ne capiaris. Omiſit Bellarminus quod eſt præcipuum: addere enim debuit, *at vbi hunc vel illum Regem ſemel habemus, de iure diuino eſt, vt ei in ciuilibus cauſis cum omni honore & reuerentia pareamus.* Hac adiectione, quam nemo Catholicus negare poteſt, illud eius argumentum prorſus eliditur. Nam in ſpecie ab eo propoſita non concurrunt ius diuinum & humanum, vt ille putat (quòd ſi contingeret, æquum eſſet humanum diuino cedere) ſed concurrunt duo capita iuris diuini, veram ſcilicet fidem & religionem ſeruare: & Regem honorare, eique in politicis obedire: quorum vtrumq; impleri poteſt & debet, *reddendo vt dictum eſt, Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo.* vt in perſona Papæ conantis Eccleſiam deſtruere, ex Bellarmini doctrina iam didicimus.

CAP. XXIII.

SVpereſt poſtremum argumentum, quod ſubtili ſed captioſa interrogatione hoc modo proponit. *Denique cur non poteſt liberari populus fidelis à iugo Regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem, ſi coniunx fidelis liber eſt ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Chriſtiana, ſiue iniuria fidei, vt apertè deducit ex Paulo 1. ad Corinth 7. Innocentius III. cap. Gaudemus, extra de diuortiis? non enim minor eſt Poteſtas coniugis in coniugẽ, quàm Regis in ſubditos: ſed aliquantò etiam maior.*

Nihil hoc argumento frequentius eſt in ore omnium Monarchomachωn, quòd eo facilè quã plurimos fallant. eſt enim eiuſmodi, quo non aliud aut primo aſpectu magis moueat, aut penitus inſpectum & intellectum minus vrgeat. Ad id igitur reſpondeo, longè diuerſa & diſſimilia

hæc

hæc eſſe *liberari à iugo alicuius, & liberari ab obligatione manẽdi cum aliquo*, & propterea haud rectè componi & comparari inter ſe: quandoquidem ne ipſe quidem coniunx, cui obligatio manendi cum aliquo remittitur, protinus à iugo eius vnde decedit hoc ipſo liberatur. cuius rei quotidiè exempla nobis Eccleſia ſuppeditat, quæ coniuges ex variis cauſis, quo ad torum & menſam, vt aiunt, hoc eſt, quo ad conuerſationem & obligationem manendi cum altero coniuge, liberat & abſoluit, manente nihilominus matrimonii iugo, quod Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum eſt. Quapropter talis argumenti à coniugibus dicti vis nulla eſt, niſi à iugo maritali ſiue matrimoniali, ad iugum regale procedat, veluti ſi dixerit, *cur non poteſt liberari populus fidelis à iugo Regis infidelis & pertrahentis ad infidelitatem, ſi coniux fidelis liber eſt à iugo coniugis infidelis.* Quod ſi placeat Reuerendiſſimo Domino Bellarmino, ſuum illud argumentũ in hoc conuertere, vt ponderis & momenti plus habeat, tunc aliter ei reſpondebo. Nempe aut loqui eum de illis coniugibus, qui cùm eſſent ambo fideles matrimonium contraxerunt, & alter ad hæreſin vel infidelitatem poſtea delapſus eſt: aut de cõiugibus ethnicis & infidelibus, quorum alter ad fidem Chriſtianam conuerſus eſt, altero pertinaciùs in ſuam ſuperſtitionem paganicam incumbẽte. Si de prioribus argumentum intelligit, male laudat authorẽ Innocentium, qui de tali coniugio ne verbum quidem in dicto cap. Gaudemus: & præterea falſum eſſet quod pro argumento nobis obtrudit; videlicet coniugem fidelem liberum eſſe à iugo coniugis infidelis, quando ille non vult manere cum coniuge Chriſtiana ſine iniuria fidei. vt idem Innocentius expreſsè docet in cap. Quanto §. ſi verò extra. de Diuort. *Si vero*, inquit, *alter fidelium coniugum vel labatur in Hæreſin, vel tranſeat ad gẽtilitatis errorem. non credimus quod in hoc caſu is qui relinquitur, viuente altero, poſſit ad ſecundas nuptias conuolare, licet in hoc caſu maior appareat contumelia Creatoris.* Et rurſus idem Innocentius in cap. ex parte extra. De conuerſ. coniugat. in eãdem ſententiam reſcribit. Matrimonium ſcilicet inter legitimas perſonas contractum, & carnali copula conſummatum, *in nullo caſu poſſe diſſolui, etiamſi vnus fidelium, inter quos eſt ratum coniugium, fieret Hæreticus, & nollet permanere cum altero ſine contumelia creatoris.* En vt argumentum à coniugibus deductum non modo non pugnat pro iſtorum ſententia, ſed eam acriter oppu-

F 5 gnat

gnat: veluti ſi ἀντιστρίφος argumẽtum aliquis per interrogationem, hoc modo proponat. *Cur liberari debet populus fidelis à iugo Regis infidelis vel Hæretici conantis pertrahere ſubditos ad ſuam ſectam, ſi coniunx fidelis non eſt liber à iugo coniugis infidelis, licet ille noluerit manere cum coniuge fideli ſine iniuria fidei, & contumelia Creatoris.* Vt apertè docet Innocent. III. in cap. Quanto. §. ſi verò. De Diuor. & in cap. ex parte. De conuerſ. coniugat. adeo vt Panorm. in illum. §. Si vero. dicat, ex ratione ibi poſita ſequi Eccleſiam non poſſe tale matrimonium diſſoluere, & liberare coniugem fidelem à iugo coniugis infidelis: cum tamen multò facilius poſſit coniunx fidelis à coniuge infideli, quàm totus populus à Rege peruerti. Sed & vinculum ſubiectionis quo populus Regi aſtringitur, cùm ſit iuris naturalis & diuini, videtur difficilius diſſolui poſſe, quàm illud coniugum inter ſe: vt inde quis facile contendat, non plus in vno quàm in altero Eccleſiam poſſe.

Quòd ſi de poſterioribus coniugibus argumentum intelligat, in promptu reſponſio eſt, ex eadem Innocentii epiſtola Decretali: nimirum inter tales coniuges non eſſe ratum Matrimonium, quantum ad indiſſolubile coniunctionis vinculum attinet. & ideo eiuſmodi coniuges plenam diſſoluendi Matrimonii libertatem habent, vt vel mutuo conſenſu, & bona gratia, vel *cum ira ſui animi & offenſa* diſcedant: & alter inuito altero, vbi ei libitum ſit, nexum illum coniugii per repudium & diuortium diſſoluat: æquè enim mulier viro, ac vir mulieri repudium mittere
1 L. Lucius 38. D. ſolut. matr. ſolet. [1] Vnde idem Innocentius rationem differentiæ inter coniuges fideles & infideles in eodem capite, hanc tradit. *Nam etſi*, inquit, *Matrimonium verum inter infideles exi-*
2 Inſt. de nupt. *ſtat* (quia ſcilicet ſecundum præcepta legum coeunt [2].) *non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia ſacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit coniugii ſacramentum, vt ipſum in coniugibus illo durante perduret.* Non mirum ergo ſi coniunx ad fidẽ perductus, à coniugis in infidelitate manentis conſortio & poteſtate liber ſit: cum, etiamſi ambo in infidelitate manſiſſent, æquè liberum alterutri eorum fuiſſet ab alto recedere, & Matrimonium repudio diſſoluere: quia nullum initiò inter eos ratum & firmum obligationis vinculum interceſſit. Et ideo ne coniunx fidelis, ab infideli volente cũ eo habitare, recedat, non præcipit [3] Apoſtolus
3 1. Cor. 7.

ſed

ſed conſulit: vt doctè & eleganter docet. S. Auguſt. lib. 1. de adulterinis coniugiis, & ſacri Canones inde deſumpti nos admonent [1]. 28. q. 1. can. 8 & 9.

Quæ cùm ita ſint, ſequitur profectò, aduerſarios nequicquam argumentum à coniugibus petere, vt populum à regali iugo poſſe liberari doceant, ſiue fidelium, ſiue infidelium coniugia ſpectent: quòd illi quidem arctiſſimo & indiſſolubili ſocietatis nexu copulentur; cuius vinculum neque propter infidelitatem, neque propter Hęreſin alterutrius infringi, ne quidem ab Eccleſia, poteſt: vt inde potius ad regalis Imperii firmitatem & perpetuitatem, quàm ad eius diſſolutionem & diremptionem, argumentum nobis ſuppetat; Hi verò nulla prorſus obligationis neceſſitate aſtricti ſint in facie Eccleſiæ, quin conuerſus ad fidem maritus, ſi pars eius ſine ſcandalo ſequi nolit, aliam ſuo ſibi arbitrio aſciſcat; & contrà, mulier ad fidem perducta, marito renuente, cui volet in Chriſto nubat. Cùm itaque nullum inter iſtos ratum coniugium exiſtat, & ſubiectio politica, ac regalis dominatio, inter omnes gentes, & in omni lege, tam iure diuino quàm humano, rata & probata ſit: quid abſurdius aut ineptius dici poteſt, quàm illa inter ſe componere, & argumentum aliquod ab infidelium coniugum ſocietate & iugo, quod excuti pro arbitrio poteſt, ad regalis Imperii iugum repellendum deducere, & idem de vtroque, quaſi de planè ſimilibus, iudicare?

CAP. XXIV.

Admonui Capite XIII. quinque apud Bellarminum rationes eſſe, quibus ſummum Pontificem in omnes Reges & Principes ſeculares Chriſtianos temporalē poteſtatem habere contendit. ex iis tres iam percurrimus, & quàm parum firmæ ſint, quibuſque viriis laborent, indicauimus. Reſtat in duas reliquas inquirere, quæ neutiquā meliore iure conſiſtunt. earum prior his verbis ab eo proponitur.

Quando Reges & Principes ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant, recipiuntur cum pacto expreſſo vel tacito, vt ſceptra ſua ſubiiciant Chriſto; & polliceantur ſe Chriſto fidem ſeruaturos & defenſuros, etiam ſub pœna regni perdendi: ergo quando fiunt hæretici, aut religioni obſunt, poſſunt ab Eccleſia iudicari, & etiam deponi à principatu: nec vlla eis iniuria fiet ſi deponantur.

Huic rationi reſpondetur, negando conſequentiam.

Nam

Nam licet verum ſit, Principes ad Eccleſiam venientes ſe ſceptraque ſua Chriſto ſubmittere, & vel vltrò ea promiſſa ſeu tacitè ſeu expreſsè facere, quæ Bellarminus cōmemorat: non tamen verum eſt, nec inde ſequitur, eos iudicari & deponi poſſe ab Eccleſia, vel ſummo Pontifice, ſi fidem fallant, & pactum ac iuſiurandum negligant. quia ſumma illa Chriſti iuriſdictio & poteſtas temporalis in Reges omnes & Mundum vniuerſum, quam habet vt Dei filius, nō competit Eccleſiæ vel Pontifici; ſed tantùm illa poteſtas quam Chriſtus ſibi aſſumpſit, cùm inter homines humano more verſaretur, ſecundum quam Papa Chriſti vicarius eſt; vnde ipſemet Bellarminus [x] perbellè, *dicimus*, inquit, *Papam habere illud officium, quod habuit Chriſtus, cùm in terris inter homines humano more viueret. Neq; enim Pontifici poſſumus tribuere officia, quæ habet Chriſtus, vt Deus, vel vt homo immortalis & glorioſus, ſed ſolùm ea, quæ habuit vt homo mortalis.* At Chriſtus nullum temporale dominium & poteſtatem vſurpauit, dum in terris vt homo inter homines ageret, ac proinde neque Eccleſia, vt Eccleſia, neq; Papa vt caput Eccleſiæ, & vicarius Chriſti, vllam temporalem poteſtatem habere poteſt, vt pluribus explicat & probat idem vir doctiſſimus illo capite. Quapropter licet Reges & Principes, quando ad Eccleſiam veniunt, Chriſto Deo regnum ſubiiciant, & Chriſtum iudicem habeant, à quo habent & Regnum: tamen quia de re temporali iudicium eſt, quando de regno commiſſo agitur, illum ſolum iudicē habent; non etiam Eccleſiam vel Papam. Ex quo facilè apparet, quàm ſint captioſæ illæ rationes & concluſiones, quas Sāderus, à quo ſua hęc Bellarminus accepit, ex eiuſmodi promiſſis ſeu tacitè ſeu expreſſè factis deducit. Nam quod ad illas interrogandi & reſpondendi formulas, quas inter Papam & Principes ad Eccleſiam accedentes, verboſè & vitioſè confingit: reſpondendum eſt, illas ineptè ab eo conceptas eſſe, & neque debere neque ſolere in Principū Ethnicorum ad Eccleſiam venientium receptione interuenire, ne Eccleſia aut ſuſpectos eos habere, aut male de iis ominari videatur. Itaque ardens in Chriſtum amor, & pręſens fidei confeſſio, vnà cum iis promiſſis, quibus generaliter ſpondent ſe Chriſto nomen daturos, & eius Eccleſię filios futuros, diabolo & eius operibus renunciaturos, Dei & Eccleſiæ mandata ſeruaturos, & id genus alia, vt recipiantur, abundè ſufficiunt. Quæ omnia promittunt quidem

[x] Lib. 5. de Rom. Pont. c. 4.

Chriſto, acceptante promiſſionem Eccleſia, tanquam eius ſponſa in cuius ſinu regeneratur; aut ipſo Pontifice non vt homine, ſed vt Chriſti Dei miniſtro vicariam operam præbente; ac proinde ipſi Chriſto, per Eccleſiam vel Papam, obligatio principaliter acquiritur. vnde licet alia quoque omnia ſpoponderint, quæ Sanderus fictitiâ ſua formulâ comprehendit, & pactum conuentum poſtea neglexerint, aut prorſus contempſerint, ab eo ſolo puniri poſſunt, in cuius verba iurarũt, quique omnium rerum temporalium dominus eſt, & quem ſupra ſe iudicẽ in temporalibus ſolum habent: non autem ab eo cui rerum tantummodo ſpiritualium & recipiendæ promiſſionis cura commiſſa eſt.

Atque his quidem ſimillima ſunt, quæ in gubernatione ciuili quotidie obſeruari cernimus. Qui ad feudorum ſucceſſionem aſpirant, ſiue iure hæreditario, ſiue alio titulo vocentur, non aliter iis frui poſſunt, quàm ſi prius in clientelam eius qui feudi dominus eſt, fuerint recepti, id eſt, niſi prius ſacramentum fidelitatis, quod vulgo *Homagium* ſiue *Hominium* vocant, conceptis verbis domino præſtiterint. Quòd ſi feudum regium ſit, in quod ſuccedunt, rarò Rex ipſe fidelitatis iuſiurandum acceptat, ſed vt plurimùm per ſuum Cancellarium, aliúmve ad hoc ſpecialiter delegatũ, id operis exequitur. Cancellarius itaque, cùm Magnates in verba Regis iurantes, ad feuda & dignitates admittit, eas in ciuili adminiſtratione & iuriſdictione tẽporali ſub Rege partes obit, quas Pontifex ſub Chriſto in ſpirituali gubernatione Eccleſiæ, cùm Principes ad eam venientes, interpoſito fidelitatis & pietatis erga Deum ſacramento, recipit. Et vt ille quidem clienti ſemel recepto, (licet poſtea fidem frangat, crimenque committat quod feloniam vocant) ex nulla cauſa feudum auferre poteſt, quòd ſolius ius Regis ſit, minimeque Cancellario conceſſum: ita neque hic receptos in Eccleſiam Principes, quantumuis grauiter poſtea delinquant, fideique deſertores fiant, regnis & ditionibus priuare, aut alio modo *temporaliter* punire poteſt: quòd ſit illud ſoli Deo reſeruatum. Quanquam igitur Reges & Principes Chriſtiani ſunt in Eccleſia, & quatenus filii Eccleſiæ, ſunt Eccleſiâ & Pontifice inferiores, tamen quatenus ipſi ſupremum magiſtratum temporalem in terris gerunt, inferiores non ſunt, quin potius ſuperiores: & ideo licet fortè regnum ex pacto tacito vel expreſſo commiſerint, id illis tamen auferre neque populus, neque Pa-

pa,

pa, neque Eccleſia poteſt: ſed ſolus Deus Opt. Max. à quo omnis poteſtas eſt, & quo ſolo in ciuili adminiſtratione minores ſunt. Nec vnquam poterit vel Bellarminus, vel alius quiſpiam, efficax aliquod teſtimonium ex vllius ſeculi monimentis eruere, quò nobis planum faciat, Reges & Principes ſeculares, dum ab Eccleſia ad fidem reciperētur, ita iuri ſuo renunciaſſe, vt & Imperium temporale, quod à Deo acceperant, prorſus deponerēt, & ſeipſos in negotiis politicis iudicandos, pœnaque temporali plectendos, Eccleſiæ ſubiicerent. Hoc autem ſi nemo eorum demonſtrare poſſit, neceſſe eſt fateantur Reges & Principes eodem iure, eademque libertate & authoritate, regna atque Imperia ſua poſt fidem ſuſceptam retinuiſſe, quibus antequā ad Eccleſiam veniſſent poſſidebant: quia, vt aduerſarii fatentur, *Lex Chriſti neminem priuat iure ſuo.* Si ergo ante baptiſmum neminem ſuper ſe iudicem in temporalibus, prę- ter ſolum Deum, habebant; neminem quoq; poſt baptiſmū habere potuerunt. Sed hac de re plura, in primę rationis refutatione, diximus. Boziana deliria nihil hîc moror.

Quod autem huic quartæ rationi ſubiicit. *Nam non eſt idoneus ſacramento baptiſmi, qui non eſt paratus Chriſto ſeruire, & propter ipſum amittere quicquid habet. ait enim Dominus Luc.14. Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam ſuam, nō poteſt meus eſſe diſcipulus*; id quorſum ſpectet non video. nemo certè hoc negat. Sed quid inde? talis ratio non magis ad inſtitutum pertinet, quàm quod eſt remotiſſimum. vt nec illud quod ibi ſequitur; *præterea*, inquit, *Eccleſia grauiter erraret, ſi admitteret aliquem Regem qui vellet impunè fouere quamlibet ſectam, & defendere hæreticos, ac euertere religionem.* Eſt hoc ſanè veriſſimum. Sed, vt dixi, nihil ad inſtitutum pertinet. Non enim de ea re hîc quæſtio eſt; ſed de poteſtate temporali Eccleſiæ, ſiue ſummi Pontificis, qui eius Vicarium ſub Chriſto caput eſt: num eam ſcilicet poteſtatē habeat, quâ Reges & Principes ritè receptos, ſi poſtea fidem fefellerint, ac ſuſceptum in lauacro regenerationis officium deſeruerint, temporalibus pœnis coercere poſſit, necne. huius autem quęſtionis neutra pars, hiſce ſequelis & appendicibus, vel probatur, vel improbatur; ob eamque cauſam miſſas facio.

CAP. XXV.

QVinta & poſtrema ratio eſt, ex cura & officio Paſtorali. *Cùm Petro dictum eſt*, inquit, *paſce oues, Ioan. vlt. data eſt illis facultas omnis, quæ eſt Paſtori neceſſaria ad gregẽ tuendum. at paſtori neceſſaria eſt poteſtas triplex, nimirum vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit: altera circa arietes, vt ſi quando cornibus lædant gregem, poſſit eos recludere: tertia circa oues reliquas, vt ſingulis tribuat conuenientia pabula: ergo hanc triplicem poteſtatem habet ſummus Pontifex.*

Ex hoc principio & fundamento tria, vt illi videtur, argumenta vrgentia deducuntur. Sèd ne longius abeat, reſpondeo inprimis ad iſtud ipſum fundamentum, totum quidem verum eſſe, ac pro me ſtare, atque inde cõtrarium eius quod ipſe aſſerit belliſſimè colligi poſſe. colligi inquam, ſummum Pontificem nullam omninò temporalem poteſtatem habere, aut exercere poſſe in Principes Chriſtianos, quatenus Chriſti vicarius, & D. Petri ſucceſſor eſt: quinimo non eſſe neceſſariam eiuſmodi poteſtatem Pontifici, ad munus ſuum paſtoritium obeundum explendumque.

Id autem hoc argumento euidenter concluditur. Chriſtus commendando ſuas oues Petro, dedit ei omnem poteſtatem neceſſariam ad tuendũm gregem. Atqui non dedit ei poteſtatem temporalem: ergo poteſtas temporalis non eſt neceſſaria ad tuendum gregem. Deinde progrediemur hoc modo; Abſurdum eſt ſummum Pontificem, quatenus ſucceſſor eſt B. Petri, habere plus poteſtatis, quã habuit ipſe Petrus: at Petrus nõ habuit vllam poteſtatem temporalem in Chriſtianos: ergo nec ſummus nunc Pontifex, quatenus ſucceſſor eius eſt.

Prioris ratiocinationis propoſitio, extra omnem controuerſiam eſt. Aſſumptio autem probatur teſtimonio & confeſſione ipſius Bellarmini. Nam libro quinto de Rom. Pontif.[1] vbi ſuam de his rebus ſententiã, ſimilitudine carnis & ſpiritus, ſtabilire conatur, ſic ſcribit: *Vt enim ſe habent in homine ſpiritus & caro, ita ſe habent in Eccleſia duæ illæ poteſtates. Nam caro & ſpiritus ſunt quaſi duæ Reſpublicæ, quæ & ſeparatæ & coniunctæ inueniri poſſunt. inuenitur ſpiritus ſine carne in angelis.* & paulò pòſt. *Ita prorſus politica poteſtas habet ſuos Principes, leges, iudicia, &c. ſimiliter Eccleſiaſtica ſuos Epiſcopos,* Cap. 6.

Cano-

Canones, Iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem; iſta, ſalutem æternam Inueniuntur quandoque ſeparata, vt olim tempore Apoſtolorum: quandoq; coniuncta vt nunc.

Si ſeparatæ erant hæ poteſtates tempore Apoſtolorum, vt erant re vera, & de iure & de facto: conſequitur neceſſario, D. Petrum nullam habuiſſe temporalem poteſtatem, alioqui falſum eſſet eas fuiſſe ſeparatas. Nam ſi ſimilitudini ab eo propoſitæ locus eſt, conſequẽs erit, vt quemadmodum nihil carneum in angelis reperitur, nihilque in brutis ſpirituale: ita tempore Apoſtolorum, nihil temporalis poteſtatis in Eccleſia eſſet, aut ſpiritualis in humana politia. Ergo fatendum eſt, vel poteſtatem temporalem non eſſe neceſſariam ſummo Paſtori Eccleſiæ, vel ipſum tunc Principem Apoſtolorũ, & ſummum Paſtorem D. Petrum, non omnibus rebus ad paſtoralis officii curam neceſſariis munitum inſtructumque fuiſſe. Hoc autem ex diametro opponitur ei quod in ſua ratione fundamẽtali, vt ita loquar, iam dixerat. *datam* ſcilicet *eſſe Petro facultatem omnem neceſſariam ad gregem tuendum.*

Idem etiam probatur ex eo, quòd tota poteſtas politica & temporalis pendebat tunc ab Ethnicis Principibus, quibus ipſemet Petrus, teſte Bellarmino [1], quamuis Eccleſiæ caput, & Chriſti vicarius, de iure & de facto in temporalibus ſubiiciebatur: ex quo ſequitur D. Petrum vel nulla poteſtate temporali præditum fuiſſe, vel eam ab Ethnicis Principibus accepiſſe: alioqui, vt modò diximus, falſum eſſet has poteſtates fuiſſe tunc ſeparatas At certum eſt eum nullam ab iſtis accepiſſe; proinde nec vllam habuiſſe. Et verò hæ rationes apertiores ſunt, quàm quibus aliquis ſine fraude reniti & repugnare poſſit. vt mirum ſit, homines eruditos, cæteraque pios, ita zelo quodam inconſiderato occæcari, vt dubia pro certis, pro perſpicuis obſcura, pro rectis contorta, pro expeditis denique inuoluta & implicata multis controuerſiis & contradictionibus, amplecti & ſequi non dubitent. At ſedem Apoſtolicam huiuſce poteſtatis & authoritatis acceſſione amplificare & ornare ſtudent. Ecquis verè Catholicus, propẽſos in ſedem illam animos, vnde fidei noſtræ fundamentum & firmamentum eſt, non laudet? Quòd ſedem illam ornant, & efferunt, quã nemo ſatis pro dignitate laudare poſſit, eos equidem laudo: ſed quòd plus ei tribuunt quam oporteat, idque magno cum multorum ſcãdalo, id ego ſane non laudo. Nam

[1] Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29.

&

& nos quoque non minus eam ipſam ſedẽ veneramur, non minus amamus, ſuſpicimus, admiramur: vtpote quæ verè ſedes Petri eſt, & in petra qui Chriſtus eſt collocata, omnes hæreſes ſuperauit, atque in Eccleſia ſummum iure principatum obtinet. Sed ne eam iſto poteſtatis incremento augeamus, vetat veritas: teſtimonium nobis perhibente cõſcientia, coram Deo & Domino Ieſu, ante quem in die reuelationis iuſti iudicii, & hæc noſtra, & illa ipſorum ſcripta, ſuis ſignata meritis apparebunt.

Non eſt ergo quòd ſuperiorem pro ſe rationẽ adferant. Nam Chriſtus quando Petro dixit: *Paſce oues meas*, conſtituit eum quidem paſtorem gregis ſui; ſed paſtorem ſpiritualem, non temporalem: deditq; ei omnem facultatem ad id muneris neceſſariam: ex quo patet temporalẽ poteſtatẽ non eſſe Pontifici neceſſariam: quia Chriſtus eam Petro non contulit. Nec vſquam accepimus, aut D. Petrum, aut alium quemlibet Apoſtolorum, temporali poteſtate functum eſſe, cuius Imperio in Chriſtianę fidei deſertores, ſeu directè ſeu indirectè (ne quis in verbis vim faciat) ciuilibus pœnis Magiſtratuum more animaduerteret. Verum quidem eſt, effectum eſſe aliquando, vt ſpiritualem ſentẽtiam pœna temporalis, veluti mors aut cruciatus, per miraculum ſequeretur; indigente nimirum tũc ſignis ac prodigiis ad firmandam fidem Eccleſia. cuiuſmodi ſupplicia longè maiorem Chriſtianis animis metum incutiebant, quàm ſi humano more, pœnas Poteſtati ciuili pendiſſent. Atque hoc nimirum illud eſt, quod ad Corinthios ſcribit Apoſtolus [1], *quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Virgam vocat hanc poteſtatem ſpiritualem, quæ, Deo mirabiliter operante, temporales etiam effectus tunc temporis producebat: vt etiamnum aliquando, apud populos recens Chriſto lucrifactos, pari de cauſa producit. 1. Corinth. 4.

Cap. XXVI.

HÆc cùm ita ſint, facilior nobis via ſternitur ad eorũ argumentorum refutationem, quæ Bellarminus ex ſuperiore ſuo fundamento, à nobis iam explicato, & in ipſum retorto, deducit. Concidunt enim, partim ſuopte vitio, partim quòd fundamento cui ſuperſtruuntur nõ ſatis cohærent. Nam primùm ex eo quòd *paſtori neceſſaria eſt poteſtas circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit*, ratioci-

tiocinatur hoc modo. *Lupi qui Eccleſiam Dei vaſtant, ſunt hæretici: ergo ſi Princeps aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, id eſt, ex Chriſtiano fiat hæreticus, poterit paſtor Eccleſiæ eum arcere per excommunicationem, & ſimul iubere populo, ne eum ſequantur, ac proinde priuare eum dominio in ſubditos.*

Sed fallitur aut fallit, coniiciendo vera ſimul & falſa in eandem concluſionem. Nam quod ait, paſtorem Eccleſiæ poſſe arcere Principem hæreticum per excommunicationem: id quidem verum eſt, & ex principio illo neceſſaria conſecutione deriuatum. Sed poſſe quidem, non etiam debere, niſi cùm id ſine ſcandalo, & Eccleſiæ detrimento,

1. Cap. 9. commodè facere poſſit: vt ſuperius oſtendi. [1] Nam vbi periculũ eſt, ne pax Eccleſiæ diſſoluatur: néve *mẽbra Chriſti per ſacrilega ſchiſmata lanientur, diuina diſciplina ſeuera miſericordia neceſſaria eſt* (id eſt, totum diuino iudicio & vltioni relinquendum eſt) *Nam conſilia ſeparationis* (id eſt excommunicationis) *& inania ſunt & pernicioſa atque ſacrilega, quia & impia & ſuperba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quã*

2 Lib. 3. c. 2. contrauer. epiſt. Parmeniani. *corrigunt animoſos malos.* Hæc S. Auguſtini doctrina eſt [2], cõmuni Eccleſiæ calculo approbata [3]: ex qua patet, quàm

3 23. qu. 4. can. non poteſt. temerè & imprudenter Pontifices quidam, Imperatores, & Reges potentiſſimos, cum magno totius orbis ſcandalo, & pacis Eccleſiæ diſſolutione, per excommunicationẽ ab Eccleſia ſepararint, quos longè ſatius fuiſſet tolleraſſe, & eorum delicta indicaſſe tantùm, atq; cum gemitu in Eccleſia luxiſſe, *propter compenſationem cuſtodiendæ pacis & vnitatis, & propter ſalutem infirmorum, & tanquam lactentiũ frumentorum, ne membra corporis Chriſti per ſacrilega ſchiſmata*

4 Aug. vbi ſup. *lanientur* [4]. Potuerunt igitur hoc facere Pontifices, ſed nõ debuerunt. *Non omne quod licet, honeſtum eſt.* Scitè Apoſto-

5 1. Cor. 6. & 10. lus [5], *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Prima igitur concluſionis pars vera eſt, poſſe ſcilicet paſtorem Eccleſiæ arcere Principes hæreticos per excommunicationem.

Quod autem ſequitur, *& ſimul iubere populo ne eum ſequantur*: Duas habet anſas, vt cum Epicteto loquar, vnam integram, alteram fractam. Duplicem inquam intellectũ; verum vnum, & vitioſum alterũ. Nam ſi id eò dicat, quòd Pontificis ſit præcipere ſubditis, ne Principem hæreticum in ſua hæreſi ſequatur, ne vnà cum eo inſaniant & damnatos errores combibant; néve corruptis eius moribus ſeſe infici & inquinari patiantur: æquè verum eſt, & ex eodem principio

principio & fonte rectiſſimè deriuatum: eſtque hic verborum illorum ſenſus optimus. Nihil enim Pontificali dignitati, & Eccleſiaſtico ordini vniuerſo, tam conueniens eſt & decorum, nihilque populis Chriſtianis tam vtile & neceſſarium, quàm vt ad inſtar antiquorum Patrum Eccleſiæ, ipſemet in primis Pontifex Max. cæterique eius fratres omnes, prædicent verbum, & inſtent opportunè, importunè, arguant, obſecrent, increpent, in omni patientia & doctrina [1]: vt tanquam teſtes fideles, & ſerui boni, quos Dominus conſtituit ſuper familiam ſuam, id agant verbo & exemplo, ne populus Regis ſui errores ſectetur, neu fidem Catholicam vllis aut minis, aut muneribus regiis diſſimulet, deſerátve. Quod quoniã pleriq; ipſorũ aut omninò nũc non faciunt, aut ſegnius certe multò quàm oportet, & quam ipſimet prouinciam obire debent, mendicis quibuſdam fraterculis mandant: quid mirum ſi multi noſtro ſeculo, à caulis dominicis in caſſes diabolicos, errorũ velut turbine ac tempeſtate, abripiantur? Hic ſenſus, vt dixi, optimus eſt. At non eo tamẽ ſenſu loqui Bellarminum, tum cauſa ipſa quam agit, tum clauſula hęc ſequens, *ac proinde priuare eum dominio in ſubditos*, palàm demonſtrãt. Fractam igitur anſam nobis porrigit, ſenſum certè vitioſum, & planè peſſimum. Paſtorem ſcilicet Eccleſiæ, ſubditis iubere poſſe, ne vlla Principis eiuſmodi mandata capeſſant, & ne vllum ei obſequium, reuerentiam, obedientiam, honorem, in iis quæ ad temporalem & politicam gubernationem pertinent, vllo modo exhibeant; *ac proinde priuare eum dominio in ſubditos*. hoc autem falſum eſt, & legi diuinæ ac præceptis Apoſtolicis contrarium. *time Dominũ, fili mi, & Regem* [2]. *Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire* [3]. *Subiecti eſtote omni creaturæ propter Deũ; ſiue Regi, quaſi præcellenti. Deum timete, Regem honorificate:* [4] & id genus alia. Quæ cùm de Regibus impiis, & Eccleſiæ perſecutoribus dicta ſint (quippè non alii tunc rerum potiebãtur) non poſſunt ad Reges peſſimos non pertinere. hoc ergo eſt quod dixi, fallere eum, aut falli, coniiciendo vera ſimul & falſa in eandem concluſionem. Verum enim eſt, Paſtorem Eccleſię poſſe arcere Principem hæreticum, per excommunicationem; falſum autem, poſſe priuare eum dominio in ſubditos. Nam obedientia Regibus, & ſuperioribus omnibus debita, eſt iuris naturalis & diuini: qui poſſit igitur ſummus Pontifex, aduerſus eam cum populis vllo modo diſpenſare?

1 2. Tim. 4.
2 Prou. 24.
3 Tit. 3.
4 1. Pet. 2.

Nam qui Scripturas ſacras diligentius & ſubtilius perſcrutantur, duplex præceptorum Pauli genus animaduertunt: vnum eorum quibus ius diuinum, ad quod prædicādum miſſus erat, promulgat, & Dei voluntatem, in vetere aut noua lege comprehenſam, proponit exponitque. cuiuſmodi præceptis innumeris epiſtolæ eius refertæ ſunt, in quibus & hæc ſunt, quæ de obſequio & reuerentia Regibus ac Principibus exhibenda præcipit. Alterū verò genus eorum, quæ non à lege naturæ aut expreſſo Dei verbo pendent; ſed quæ per humanam prudentiam Dei gratia adiutam, ad ordinationē diuini cultus, ipſemet Apoſtolus propria authoritate conſtituit. veluti ne bigamo aut percuſſori mandetur epiſcopatus [1]. ne vidua nō ſexagenaria ad diaconiſſæ officium [2] eligatur, & ſimilia. Atque inter hæc præcepta id intereſt, quod in iis quæ ſunt poſterioris generis, ſummus Pontifex ex cauſa diſpenſare poſſit: habet enim non minorem in diſpoſitione & ordinatione Eccleſiæ poteſtatē, quàm ipſemet Apoſtolus; quòd ei, vt vicario Chriſti, & Petri ſucceſſori, Eccleſia tota commiſſa ſit: quodque deceſſorū ſuorum legibus non obligetur. In illis verò quæ priore genere continentur, nullam penitus habet diſpenſandi facultatem [3]: quia *non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, neque ſeruus ſuper dominum* [4]. Nec poteſt inferior ſuperioris ſui legē infringere, aut eius alicui gratiam facere. Qua de cauſa Speculator negat, Papam poſſe aliquem à licito iuramento abſoluere, [5] quòd obligatio ſeruandi iuriſiurandi, Deoque reddendi, ſit iuris naturalis & diuini: Negant & alii, Papam poſſe diſpenſare cum aliquo teſte, vt ei iniurato credatur in iudicio [6]. Et Innocentius III. Pontifex reſcripto ſuo teſtatur, Papam non poſſe Monacho licentiam indulgere, vt aut rerum quarūdam proprietatem habeat, aut vxorem [7].

Non me latet quàm alienâ & nugace explicatione, interpretes quidam Canoniſtæ, qui Papæ poteſtati omnia ſubiiciunt, locum illum Innocentii, reluctantibus melioris notæ Theologis, à propria & genuina verborum ſignificatione deflectant. Faceſſebat illis negotium credo, quod audierant Conſtantiam Rogerii Normāni filiam monialem, à Clemente III. eductā de monaſterio Panormitano, vt Henrico VI. Friderici Ænobarbi filio nuptum traderetur (de qua Archiepiſcopus Florētinus ſcribit [8], eam, cùm annum iam ageret quinquageſimum, & diu monaſticam religio-

1 1.Tim.3. Tit.1.
2 1.Timoth.5.
3 Ioan. de turre cremata in can. lector. diſt.34.
4 Matt.10.
5 Tit. de legato. §. nunc oſtendendum. num.24.
6 Hippolyt. de Marſil. ſing.214.
7 Cap. cum ad monaſt. de ſtat. monachor.
8 Part.3. tit.19. cap.6.

religionem eſſet profeſſa, peperiſſe Fridericum II. atque vt omnem de partu ſuppoſito ſuſpicionem tolleret, *in medio cuiuſdam plateæ Panormi ſub papilione*, publicè fuiſſe enixam: edicto antè propoſito, vt fœminis omnibus adeſſe liceret, quæcunque ad ſpectaculum venire vellent. *Natus eſt ergo Fridericus iſto*, inquit, *ex monīali iam quinquagenaria*) & quod etiam audierant alium Papam indulſiſſe Regi cuidam Arragoniæ, vt ex monacho maritus fieret. Quapropter homines iſti, Canoniſtæ inquam, ſupra modum Pontificibus addicti, cùm nollent talia facta reprehendere, ne ambitioſis Papis gratiam adimerent, & non ignorarent verba reſcripti ab Innocentio III. emiſſi, contrarium prorſus aſſerere, ad illas interpretationis ineptias confugerunt, quas piget huc referre, ne lectorem nugis diſtineam. At multò illis facilius fuiſſet, reſcripti veritatem & æquitatem tueri, quàm ex ſingularibus & iniquis Pontificum factis, velut ex quadam viuēdi regula, ius certum velle inducere. Sinamus Pontifices factorum ſuorum rationem Deo reddere, nec eos in omnibus imitemur. Quòd ſi quis fortè talia nobis facta ad exemplum proponat, reſpondebimus cum Ioan. de Turre crem. Sylueſtro, Soto, & aliis viris doctiſſimis: eſſe hæc tantùm facta Pontificum, non decreta; & *facta Pontificum non facere fidei articulum. & aliud eſſe facere de facto, aliud determinare quod ita poſſit fieri de iure.* *Ego*, inquit Sylueſter, *etiam vidi Pontificem facientem maiora cum ſcandalo totius Chriſtianitatis*. & Ioan. de Turre crem. de illicitis diſpēſationibus loquens, *quod ſi ita aliquādo fuerit factum*, inquit, *per aliquem ſummum Pontificem, aut ignarum in literis diuinis, aut excæcatum cupiditate pecuniarum, quæ pro talibus exorbitātibus diſpenſationibus ſolent offerri, aut vt complaceret hominibus: non ſequitur quod potuerit iuſtè facere. Eccleſia iuribus & legibus regitur, ſiue debet regi, non talibus actibus, ſiue exemplis.*

CAP. XXVII.

MVltorum igitur doctiſſimorum hominum ſentētia eſt, Papam non poſſe voti gratiam religioſo facere, vt rerum quarūdam proprietatem habeat, vel vxorem, ſecundum verum & ſimplicem verborum Innocentii intellectum. Et tamen, ſi quantum res à rebus diſtant diligentius perquirere, & eas inter ſe propriis differentiis & conuenientiis, recto iudicio componere velimus: erit certè cur fateamur, longè minorem abſoluendi populum à

iuriſiurandi religione, qua fidem ſuam Principi libens volens licitè obſtrinxit, quàm religioſorum vota relaxandi, facultatem Pontifici eſſe tributam: vt quamuis in hoc fortaſſis, opinione quorundam, aliquid de plenitudine poteſtatis efficere poſſe videatur: in illo tamen planè nihil eum poſſe putandum ſit. Tum quia totus ordo monachalis, aliiq; in Eccleſia (vt quidam volunt) ab humanis conſtitutionibus, & iure poſitiuo profecti ſunt, in quos idcirco plena & omnimoda Pontifici poteſtas eſt, vti ſuperius paulò diximus. At ſubmiſſio & obedientia Regibus ac Principibus, atq; omnibus omninò præpoſitis & ſuperiorib. debita, eſt iuris naturalis & diuini, vtroq; teſtamento confirmata. Nam licet de iure humano ſit, vt hac aut illa Reipublicæ forma vtamur, vel hunc aut illum Principem habeamus: tamen vt eum quem ſemel accepimus reuereamur, eique in omnibus, quæ Dei mandatis non repugnant, ſubmiſsè pareamus, non humanæ ſolùm, ſed naturalis & diuinæ ordinationis eſt: idque neminē arbitror negaturum. *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. inde fit, vt ꝙ initiò arbitrii & voluntatis erat, id poſt datam de ſubiectione fidem, ſtatim in obſequii neceſſitatem conuertatur.

1 Appellat vicarium caput, reſpectu Chriſti.

Tum etiam, quia ex voto religionis ſoli Deo & Eccleſiæ, cuius vicarium caput Papa eſt, obligatio acquiritur: ac proinde ſi Papa, cui libera negotiorum omnium Eccleſiæ procuratio diſpenſatioque permiſſa eſt, obligationem Eccleſiæ quæſitam, velut genere quodam nouationis in aliā obligationem transfuderit, ſimulque Domino Deo, qui principalis in eo negotio creditor eſt, ſatisfactum eſſe maioris boni promiſſione vel facto, interpretetur: haud abſurdè fortaſſis dici poterit, à prioris voti & promiſſi nexu liberationem contingere: niſi id obſtare quis putet, quod voti liciti tranſgreſſio, ſimpliciter & ex ſua natura malum ſit: malum autem nullius boni quantumuis magni, obtinendi cauſa facere permiſſum ſit [2]. ſed eius obiectionis diſſolutio perfacilis eſt.

2 Rom. 3.

At longè ſecus res ſe habet de iureiurando, quod homines alterius obligationis confirmandæ cauſa, ſponſionib. & pactis ſuis adhibere ſolent: tale ſiquidem iuſiurandum acceſſio quædam eſt illius obligationis, cui ſecuritatis ergò adiicitur, ſicut fideiuſſio, aut nexus pignoris: ac proptereà licet iuramentum Deo reddi dicatur, tamen non Deo principaliter, ſed homini cui iuratum eſt, acquiritur hoc caſu

caſu obligatio: *quia per iuramentum iurans non intendebat placere Deo, ſed ſatisfacere proximo.* [1] quo fit, vt is cui iuratum eſt, multo plus iuris ex illo iureiurando nanciſcatur, multoq; plus poteſtatis in eo vel retinendo, vel remittendo habeat, q̃ Eccleſiæ in voto conceſſum eſt. Eccleſia namq;, ſiue Papa (vt ii etiam fatentur, qui eius arbitrio omnia ſubiiciunt) non ſine magna & iuſta cauſa diſpẽſare in voto ſolenni religionis poteſt. At verò is cui alius fidem ſuã, ex cauſa dandi vel faciendi, iureiurãdo obſtrinxit, poteſt & ſolus, & ſine cauſa præter meram voluntatẽ, liberare in totũ iuriſiurandi religione promiſſorẽ; eiq; id quicquid eſt accepto ferre: ita vt eius ſolius veniâ impetratâ, neq; amplius Pontificia abſolutione ei opus ſit, neque ſi non prꝗſtiterit quod promiſit, periurii reus coram Deo habeatur. Homo igitur eſt hoc caſu, qui vel vinctum detinere, vel liberum dimittere, arbitratu ſuo poteſt. Quæ quoniam conſenſu omnium ita ſe habent: quî fieri poteſt, vt obligationẽ alicui iure optimo quæſitã, iure inquam naturali, diuino, & humano, per iuſiurandum omni ex parte licitum, licito contractui appoſitum, ſummus Pontifex inuito creditori auferat? cùm non ſit in hac ſpecie, ſicut in ſuperiore, interpretationi locus, per quam præſumatur ſatisfactũ eſſe ei, cui principaliter fuit iuratum: contradicente nimirũ & contrariũ oſtendẽte creditore: quandoquidẽ præſumptio veritati [2] cedit.

Sed eſto, auferre ex cauſa poſſit, & promiſſorem iuriſiurandi vinculo liberare (ne de ea re amplius cum Canoniſtis hîc contendam) auferat igitur: quid ei deinde facto conſequens in noſtro hoc negotio videtur? liberum fore populum, dices, ab Imperio & ſubiectione Principis, ſtatim atque iuriſiurandi nexu ſolutus eſt. itáne verò? An non perſpicis iuſiurandum hoc, non eſſe niſi acceſſionem tantùm confirmatricem illius obligationis, qua fides & obedientia Principi promiſſa eſt? an ignoras acceſſiones tolli & liberari poſſe, ſine interitu principalis obligationis? non enim vt principali non conſiſtente tolluntur acceſſiones, ita & ſublatis acceſſionibus interit principale. Manet ergo adhuc obligatio cui iuſiurandum acceſſerat: quæ quoniam iuris naturalis & diuini eſt, non minùs tenet hominum mentes & conſcientias apud Deum, quàm ſi eſſet iuramẽto ſuſtentata. *quia Dominus inter iuramentum & loquelã noſtram, nullam vult eſſe diſtantiam:* [3] quantum ad fidem promiſſi ſeruandam: licet magis peccet iuriſiurandi violator, pro-

[1] Panorm. in c. 1. nu. 4. de iureiur.

[2] L. vlt. D. quod met. ca. l. continuus. 137. §. cum ita. D. de verb. oblig.

[3] Can. Iuramenti 22. q. 5.

propter contemptum numinis: & licet in foro etiam exteriore periurium, propter promiſſi ſolemnitatem, grauius vindicetur, quàm neglecta fides ſimplicis ſponſionis.

Quod ſi & hanc quoque obligationem Pontifex *de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, reſcindere, ſubditoſque à Regis iugo liberare voluerit: atque iis præcipere, ne qua in re Principi ſuo, *eiuſue monitis, mandatis, & legibus, ſub pœna anathematis audeant obedire.* Nonne huic præcepto Papæ obſiſtere videbitur expreſſum Dei mandatum de Regibus omni obſequio honorandis? Annon liceat facere, in eiuſmodi negotio & cauſa omnium maxima, quod Pontificii interpretes in leuioris momenti controuerſiis ſolent? Nēpe, de hac plenitudine poteſtatis ſolerter inquirere, eóne vſque ſe extendat, vt quod Deus diſertè iubet, id per illam diſertè prohibeatur? aut quod Deus expreſsè fieri vetat, id per illam licitè iubeatur? Deus per Salomonem iubet me timere Regem: & per Apoſtolos, Regem honorificare, eiq; ſubiectum eſſe, & obedire. Hoc certè & naturalis & diuini iuris præceptum eſt: vt inferior ſcilicet ſuperiori pareat, quamdiu id non vetet ille, qui eſt vtroque ſuperior in eodem poteſtatis genere: is autem in cauſa Principis & populi, ſiue inter populum & principem, quando de imperio & ſubiectione temporali agitur, eſt ſolus Deus, quo ſolo Rex in temporalibus minor eſt, vt in ſpiritualibus Pontifex.

Cùm itaque nemo non ingenuè fateatur, plenitudinem Apoſtolicæ poteſtatis non tantam eſſe vt in iis, quæ expreſſo Dei verbo prohibita ſunt aut præcepta, Pontifex diſpenſare vllo modo poſſit (quo axiomate Bellarminus præcipuè nititur, dum vult oſtendere *Papam non poſſe ſubiicere ſeipſum ſententiæ coactiuæ Conciliorum:* [1] *Papæ poteſtas ſuper omnes, eſt de iure diuino*, inquit, *at non poteſt Papa diſpenſare in iure diuino*) nihil mirari oportet, ſi mandata diuina de Rege timendo & honorando, multorum ſubditorum animis ita inſideant, vt nullum contrariis præceptis locum præbeant, ſed omninò in id incumbant, ne aduerſantibus Pontificum edictis, abſolutoriis ſimul & prohibitoriis, in ea re mos geratur. Sæpe mihi à Magnatibus, & viris minimè malis dictum eſt, præceptum illud diuinum de Regibus honorandis, tanti apud ſe eſſe, & tàm altas in animum radices egiſſe, vt nullis bullis & indulgentiis contrariis, leuari ſe poſſe conſcientiæ faſce & ſcrupulo atq; in interiore homine ſecuros eſſe, ſibi perſuadeant: quo minus

Lib. 2. cap. 18. de Concil.

nus tàm clarum & manifeſtũ iuris naturalis, & diuini mandatum exequantur, & promiſſum ac debitum ſuo Principi obſequium præſtét. Atque hæc quidem cauſa eſt, cur pauci de Nobilitate ab Henrico IV. Imp. nulli à Philippo Pulchro, nulli item à Ludouico XII. Gall. Regibus, propter Bullas & cenſuras Pontificias, depoſitionis ſententiam continentes, defecerunt. Nam ne quà erremus, tenendum eſt, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudinem eam tantùm poteſtatem complecti, quam Dominus Ieſus Dei filius, cũ in hoc mundo verſaretur, vt homo inter homines habere voluit; & eatenus Papam referre nobis Chriſtum, & eius eſſe Vicarium (vti ſuprà ex eruditiſſimi Bellarmini doctrina oſtendimus) non autem poteſtatem illam, quam vt Dei filius, Deus ipſe Patri æqualis ab æterno habuit, & diuinitatis ſuæ omnipotentiæ reſeruauit: de qua ait, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.[1] 1 Matth. vlt.

Quanquam video quoſdam vſque adeò ineptire, aut potius inſanire, vt hanc omnipotentiam Pontifici etiam tributam aſſerant, eiq; probando inſigne vanitatis ſuæ argumentum hoc modo contexant. *Chriſtus commiſit ſummo Pontifici vices ſuas, vt habetur Matth. 16. & cap. 24. q. 1. can. quodcunque. Sed Chriſto data erat omnis poteſtas in cœlo & in terra Matth. 28. Ergo ſummus Pontifex, qui eſt eius vicarius, habet hanc poteſtatem. extra de translat. cap. quanto.* Ita Petrus Bertrandus in ſuis additionibus ad gloſſ. extrauag. Vnam ſanctã. de maior. & obed. qui & hoc præterea auſus eſt addere, quod parum à blaſphemia abeſt. *Nam non videretur Dominus diſcretus fuiſſe (vt cum reuerentia eius loquar) niſi vnicum poſt ſe talem reliquiſſet, qui hæc omnia poſſet.* Eratne huic homini cerebrum? Non mirum ſi Ioan. Gerſon dixerit *puſillos*, hoc eſt, Chriſtianos ſimplices & ignaros, ab eiuſmodi gloſſatoribus & poſtillatoribus imperitis deceptos, *æſtimare Papam vnum Deum qui habet poteſtatem omnem in cælo & in terra.* certè tales adulatores iudicium & mores multorum Pontificum corruperunt. Non mirum etiam, ſi Pius V. Pontifex. Martino Aſpilenetæ dixerit, *Iuriſconſultos* (Canoniſtas, opinor, intellexit) *ſolitos eſſe plus ſatis poteſtatis tribuere Papæ*[2]. De quibus Ioan. De Turre cremata,[3] *mirum eſt, inquit, quod ſummi Pontifices loquantur moderatè de poteſtate eis data: & quidam doctorculi, ſine aliquo vero fundamento, volunt adulando eos quaſi æquiparare Deo.* quò pertinet, quod ſcribit Cardinalis de Cuſa, vir in omni Philoſophia diuina

2 Nauarr. in cõmen. can. non liceat Papæ. 12. quæſt. 2.

3 In Can. coniunctiones. 35. quæſt. 2.

& humana, atque etiã in hiſtoriis apprimè verſatus, quoſdam nempe ſcriptores *volentes Romanam ſedem omni laude dignam, pluſquam Eccleſiæ ſanctæ expedit, & decet, exaltare, fundare ſe in ſcriptis apocryphis* atque ita Papas populoſque decipere.

Cap. XXVIII.

Error autem iſtorum hominum, quo poteſtatem omnem, & diuinam & humanam, Papæ tribuunt, partim ex ſcriptis apocryphis, vt dictum eſt: partim ex reſcriptis quibuſdam Pontificiis, obſcurius paulò quàm oportuit conceptis, & malè ad literam, vt aiunt, intellectis, creatus eſt. Nam, vt verè dicam, nihil nudis & meris Canoniſtis imperitius: quod nõ de humaniorum literarum cognitione, & ſermonis proprietate intelligi tantùm volo: ferenda quippe in illis eiuſmodi ignorantia eſt, tanquã cõmune ſeculi illius, quo ſcripſerunt, malum: ſed de artis etiã quam profitentur ſcientia, quam infinitis diſtinctionum & opinionum varietatibus obſcutarunt. Maxima enim ipſorum pars in Canonibus & Conſtitutionibus Pontificiis hærebant, nullum aut perexiguum extrinſecus adiumentum ex Theologia, & aliis ſcientiis, vt oportuit, quærentes. Reſcripta illa de quibus loquor, & quæ hominibus iſtis errorem crearunt, extant ſub titulo, *de translatione Epiſcopi* [1] in quibus Innocentius III. comparat Matrimonium ſpirituale, quod contrahitur inter Epiſcopum & Eccleſiã, cùm Matrimonio carnali, quod eſt inter virum & mulierẽ: primum in eo, quod quemadmodum carnale matrimoniũ ſumit initium à ſponſalibus, & fit ratum per nuptias, & conſummatum per corporum commiſtionem: *ſic & ſpirituale fœdus coniugij, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in cõſecratione intelligitur conſummatum.* Deinde in eo, quòd ſententia Domini & Saluatoris in Euangelio. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet:* de vtroque Matrimonio, tam carnali quàm ſpirituali intelligenda ſit. *Cùm ergo fortius ſit ſpirituale vinculum quàm carnale,* inquit, *dubitari non debet, quin Omnipotens Deus ſpirituale coniugium, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, ſuo tantùm iudicio reſeruauerit diſſoluendum, qui diſſolutionem etiam carnalis coniugij, quod eſt inter virum & fœminam, ſuo tantùm iudicio reſeruauit, præcipiens, vt quos Deus coniunxit, homo non ſeparet:* & rurſus, *Sicut legitimi Matrimonij vinculum, quod eſt inter virum & vxorem, homo diſſoluere nequit,*

[1] Cap. 2. 3. & 4.

quit, Domino dicente in Euangelio;[1] *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: ſic & ſpirituale fœdus coniugii, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, ſine illius authoritate ſolui non poteſt, qui ſucceſſor eſt Petri, & vicarius Ieſu Chriſti.* 1 Matth. 19.

Ac ne quis obiiceret, Si Deus vtriuſque coniugii, tam carnalis quàm ſpiritualis, diſſolutionem ſuo tantum iudicio reſeruauit, & vinculum ſpirituale fortius ſit quàm carnale: quî fieri poteſt, vt ſummus Pontifex, quem conſtat hominem eſſe, vinculum illud ſpirituale poſſit diſſoluere? reſpondet ibi Innocentius, id ea ratione fieri, quod nō humana ſed diuina poteſtate ſeparentur, qui authoritate Romani Pontificis, *per translationem, depoſitionem, aut ceſſionem, ab Eccleſia remouentur. Non enim homo,* inquit, *ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris) Eccleſiarum neceſſitate vel vtilitate penſata, non humana ſed diuina potius authoritate diſſoluit.*

Hæc illa ſunt, quibus homines iſti in præcipitem errorem deferuntur; vt quicquid à Papa fiat, à Deo factum eſſe putent: quod verba nimirum Innocentii hunc ſenſum prę ſe ferant. Nullus eſt, fateor, in iure Pontificio locus, verbis quidem planior & apertior, intellectu autem difficilior: adeò vt in eo explicando, interpretum omnium ingenia concidant. Nam quid magis intelligenter, planè, & perſpicuè dici poteſt, quàm *Non hominem ſed Deum ſeparare, quos Romanus Pontifex ſeparat ſeu diſſoluit?* aut quid cui magis conſequens, quàm hoc illi, *Romanum ergo Pontificem poſſe diſſoluere matrimonium inter coniuges carnali copula conſummatum?* qua concluſione tamen nihil falſius, ac proinde illud ex quo ſequitur, falſum eſſe fatendum eſt: quandoquidem ſequi falſum ex vero nunquam poteſt. Quod cùm animaduertiſſet Hoſtienſis, cùm inquam rationem illam tam alienam perpendiſſet:[2] *Sed illa ratio,* inquit, *non eſt ſufficiens, ſalua authoritate & reuerentia reddentis, niſi aliter intelligatur: quia ſecundum illam ſequeretur, quod etiam matrimonium carnale diuidere poſſet authoritate ſua.* At Hoſtienſis tamen non aperit nobis, quomodo aliter intelligi debeat: nec poteſt ſe inde extricare, vt ſalua veritate ſententiam ſuſtineat. Nam quod arbitratur eam intelligi poſſe de matrimonio carnali, *quod*, vt ille ait, *ante carnis copulam communi diſſenſu, authoritate Papæ interueniente, diſſolui poſſit: arg. cap. 2. & cap. ex publico. de conuerſ. coniugat.* Illa certè interpretatio omni prorſus authoritate & ratione deficitur. 2 In ſumma de elect. nu. 25.

Nam

Nam quod attinet ad reſcripta ab eo allegata, & ſi qua ſunt ſimilia, de illa matrimonii diſſolutione loquūtur, quę fit per electionem religionis, & Monaſterii ingreſſum alterius coniugis, antequam corpora nuptialis thori amplexibus commiſta ſint, quo caſu nihil authoritatis Papæ interuentu, aut diſpenſatione Pontificia opus eſt; quin mero iure, & communi legis auxilio muniti ſunt, qui eo modo quærunt ſibi ſeparationem, & matrimonium dirimunt.[1] At matrimonium ratum & nondum conſummatum dirimi poſſe ex alia cauſa, communi partium diſſenſu, per Papæ authoritatem, conſtanter cum doctiſſimis Theologis negandum eſt. Corporum enim coniunctio & commixtio, nihil quicquam ſubſtátiæ & οὐσίας, ſiue eſſentiæ matrimonii, aut addit, aut adimit: quippe forma matrimonii conſiſtit, in indiuiduæ animorū coniunctionis & conſenſus declaratione, qua ſe inuicem, alter alteri, mutuò tradunt. Liberorum verò procreatio, & eius cauſa concubitus, nō ad conſtitutionem matrimonii refertur, ſed ad finem[2]. Hinc ab Ethnicis dictum eſt, *nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*[3]. idque ſacris canonibus & conſtitutionibus confirmatur.[4] alioqui certè primum illud matrimonium, quod Deus in Paradiſo inſtituit, matrimonium non fuit, donec coniuges inde deiecti, liberis operam dare cœperunt; quo quid abſurdius? Adhæc nulla Eccleſiæ conſtitutio aut traditio, nulla Patrum authoritas, nulla Pontificis Epiſtola Decretalis, nulla denique ratio certa & ſolida reperitur, quę matrimonium ratum, licet non conſummatum, ab illa Saluatoris ſententia excipiat, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. ac ne excipere quidem poſſit, niſi prius conſtet, eos qui Sacramento matrimonii, in facie Eccleſiæ contracti, copulantur, non eſſe à Deo coniunctos.

1 Cap. ex parte. 14 §. nos tamen. & d. cap. 2. de cōuerſ. coniugat.

2 D. Thom. 3. q. 29. art. 2. in concluſ.

3 L. nuptias D. de reg. iur.

4 Can. ſufficiat. can. cùm initiatur. 27. q. 2. c. cùm locum. de ſponſ. & matr.

Sed eſt in hac re, ſicut in cæteris, tanta interpretū quorundam iuris Pontificii, ſeu inſcitia, ſeu blanditia, vt nō ſolùm matrimonium ratum & nondum conſummatū, contra communem Theologorum ſententiam, ſed etiam matrimonium ratum & carnali copula conſummatū, à Pontifice, perinde atque à Deo, diſſolui poſſe, non vereantur aſſerere:[5] quod ſi verum eſſet, quàm infirmum matrimonii vinculum futurum ſit inter eos, qui gratia & authoritate apud Pontificem pollent, aut alioqui occæcatum cupiditate pecuniarum largitionibus poſſunt corrumpere, aliis iudicandum relinquo. Non eſt autem quod ſuperioribus

5 Vide Couarruuiam de matrim. part. 2. § 4. vbi id notat & reprehendit.

bus Innocentii reſcriptis ſententiam ſuam firmari poſſe exiſtiment: cùm Pontifex ille alibi expreſsè dicat, [1] matrimonium inter legitimas perſonas, verbis de præſenti, *contractum, in nullo caſu poſſe diſſolui, niſi antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum*, alter coniugum ad religionem tranſeat. neque enim credibile eſt, tam doctũ piumque Pontificem, aut ſui tam ſubitò oblitum fuiſſe, aut ſcientem prudentem, tam pugnantes & diſſentientes ſententias euulgaſſe. alius ergo reſcriptorum Innocentii ſenſus quærendus eſt.

1 Cap. ex parte. 14. § nos autem. & §. nos tamen. de conuerſ. coniugat.

Cap. XXIX.

QVod ſi quis meam de illis ſententiam & interpretationem quæritet: haud verebor, vt in re obſcuriſſima, dicere, ſubſiſto: exiſtimare me tamen pugnam in iis eſſe ῥητοῦ καὶ διανοίας, mentem ſcilicet optimi Pontificis, & ſenſum verborum, inter ſe diſcrepare: quod in aliorum legiſlatorum ſcriptis ſæpe contingit, cùm aut verbis exprimendæ cogitationi minus aptis vtuntur, aut ad perſpicuitatem & integritatem conſtitutionis, particulam aliquam neceſſariam, aut exceptionem omittunt. Nam alioqui nõ eſt veriſimile, eum qui negat Papam poſſe licentiam monacho indulgere, vt proprietatem rerum habeat vel vxorẽ, velle affirmare Papam poſſe coniugii ſacramentum, matrimonium inquam ratum & conſummatum diſſoluere. Quid ergo rei eſt? Dicam quod ſentio. Animaduerti equidem Innocentium ita doctrinam ſuam in illis reſcriptis ſubtiliter temperaſſe, vt quamuis vtrumque coniugium inter ſe componat & comparet in hoc, quòd Dei ſolius iudicio diſſoluantur: tamen vbi de poteſtate ſummi Pontificis, & Vicarii *Ieſu Chriſti* loquitur, non amplius ea coniungit, nec matrimonii carnalis mentionem facit, ſed tantùm ſpiritualis, quod non cenſetur ab homine ſeparari, ſed à Deo ipſo, tunc cùm illud Rom. Pontifex *Eccleſiarum neceſſitate vel vtilitate penſata, non humana, ſed diuina potius authoritate, per tranſlationem, depoſitionem, aut ceſſionem, diſſoluit*; quo ſilentio, & prætermiſſione carnalis matrimonii, ſatis innuit illud à matrimonio ſpirituali, in ratione ſeparationis differre, & tacitè excipi: vt Pontificalis authoritas ad eius diſſolutionem non extendatur. quaſi expreſſius hoc modo dixiſſet, Deus ſuo iudicio tam carnalis quã ſpiritualis matrimonii diſſolutionem reſeruauit. Spirituale tamen

tamen Romanus Pontifex, qui Chriſti Vicarius & Petri ſucceſſor eſt, *Eccleſiarum neceſſitate vel vtilitate, &c.* ſoluere poteſt: quod cùm facit, *non homo ſed Deus ſeparat*, cuius vicem Papa in terris gerit. Cur autem Pontifex ſpirituale coniugium ſoluere, & non item carnale poſſit, euidens atque in promptu ratio eſt. quòd ſpirituale nimirum per ſe, & omni ex parte, ad Eccleſiæ ordinationem, regimen, & œconomiam pertineat, quam Chriſtus totam Petro & eius ſucceſſoribus commendauit. itaque non poteſt non videri conceſſiſſe illis hanc ſpiritualis coniugii diſſoluendi poteſtatem, cùm ſine ea, munus ſibi commiſſum exequi & expedire non poſſent.[1] ac proinde quicquid ipſi Pōtifices, tanquam Hierarchæ, de ſingulis Eccleſiæ rebus ac perſonis diſponunt, decernuntque; id Deum, qui hanc illis diſpenſationem & procurationem nominatim commiſit, diſponere ac decernere credendum eſt.

At matrimonium carnale, non ad ordinationem Eccleſiæ, ſed tantùm ad procreationem ſobolis inſtitutum eſt[2]: ob eamque cauſam dicitur eſſe iuris naturalis[3], & gentiū nationumque omnium commune: nec alia ratione ad Eccleſiæ notionem pertinet, quàm quòd in noua lege ſacramentum ſit, Dei & animæ, Chriſtique & Eccleſiæ coniunctionis myſterium continens. & ideo nihil neceſſe fuit, eius ſoluendi facultatem, libertatemque, Petro & eius ſucceſſoribus permittere. Sat habent proſpicere & iudicare, an ſit matrimonium, vt ſciant an ſit ſacramentum. Quamuis igitur Pontifex in matrimonio contrahendo plurimùm poſſit, omnium ſcilicet impedimentorum, quæ ex iure poſitiuo & eccleſiaſticis conſtitutionibus oriuntur, gratiam facere; atque efficere vt ritè & rectè contrahatur, quod aliàs non eſſet legitimum & ratum: tamen vbi vel iure communi permittente, vel Papâ in prohibitis diſpenſante, ſemel contractum eſt, nullam vlla ex cauſa habet eius relaxandi ſeparandique poteſtatē. Nec ad rem pertinet, quòd ſæpe in foro & iudiciis eccleſiaſticis, ſeparationem fieri videamus earum perſonarum, quæ diu ſub iugalis vinculi ſpe & ſpecie conuixerunt. Non enim Papa eo caſu, neque iudex authoritate Papæ, matrimonium aliquod diſſoluit: ſed matrimonium quod de facto contractum erat, & matrimonium eſſe falsò credebatur, non fuiſſe matrimonium ſententia ſua declarat: & perſonis non legitimè coniūctis, quòd cubilia ſociare ſine ſcelere nequeant, à ſe abſcedere, &

1 L. 2. D. de iuriſ. L. Si itor. D. de ſeruit. L. 3. §. qui habet. D. de ſeruit. præd. ruſtic. cap. 5. de offic. iud. dole.

2 Aug. lib. 14. de ciuit. Dei. cap. 18. Tho. 2. 2. q. 154. art. 2.

3 L. 1. §. ius naturale. D. de Iuſt. & iur.

& ſolita conſuetudine abſtinere præcipit. Hoc autem non eſt ſoluere matrimonium, aut perſonas legitimè coniunctas, quoad vinculum, ſeparare. Ex quo patet tam Innocẽtium interpretem, qui quartus poſtea eius nominis Pontifex fuit, quàm Ioan. Andr. qui fons & tuba iuris Canonici vocatur, ineptiſſimè partem iſtam reſcripti Innocentii III. eſſe interpretatos, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. ſua authoritate,* inquiunt: *non autem ſeparat homo carnale matrimonium, cùm epiſcopus, vel etiam archidiaconus, per conſtitutiones Papæ diſſoluit, ſed ipſe Deus cuius authoritate facta ſunt.* quaſi vero per conſtitutiones Papæ diſſolui poſſit matrimonium? poſſunt certè conſtitutiones Papæ impedire, ne matrimonium inter certas perſonas iure contrahatur; & efficere vt ſit nullum, quod contra illarum diſpoſitionem cõtractum eſt. At iure contractum diſtrahere, & eius vinculum dirimere ac diſſoluere, nulla neque Eccleſiæ neque Papæ conſtitutio poteſt. alioqui malè Apoſtolus, *mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt* [1]. male inquam, mortis tantùm mentionem fecit, ſi alio modo, per conſtitutiones ſcilicet Pontificias, ſoluto matrimonio liberari poſſit. Quæ cùm ita ſint, tempus nunc eſt ab hoc diuerticulo, in quod nimia Doctorum quorundã aſſentatio & ignorantia nos compulit, ad eam viam vnde ſumus digreſſi repedare. 1. Corinth. 7.

Cap. XXX.

POſitum iam hoc eſt, & omnium de rebus diuinis rectè iudicantium conſenſione firmatum, Papam non poſſe alicui gratiam facere iuris naturalis & diuini, ſiue, vt vulgò nunc loquimur, contra ius naturale & diuinum diſpenſare: & concedere vt impunè fiat, quod Deus & Natura vetarunt; aut prohibere ne fiat, quod Deus fieri expreſsè imperauit: idque non ſolùm Theologi, ſed etiam melioris notæ Canoniſtæ aſſeueranter concludunt. Hoc igitur illud eſt axioma certiſſimum, circa quod totius huius diſputationis cardo vertitur, & ex quo pendet vera ſolutio eius argumenti, quod ex Bellarmino trãſcripſimus, in principio capitis vigeſimi quinti, ſuprà. Admittimus quidem eius propoſitionem, *Paſtori* ſcilicet *neceſſariam eſſe poteſtatem circa lupos, vt eos arceat omni ratione, qua poteſt.* Admittimus & aſſumptionem. *Lupos nimirum qui Eccleſiam Dei vaſtant, eſſe hæreticos.* ex quibus concludit hoc modo.

Ergo

iuriſiurandi religione, qua fidem ſuam Principi libens volens licitè obſtrinxit, quàm religioſorum vota relaxandi, facultatem Pontifici eſſe tributam: vt quamuis in hoc fortaſſis, opinione quorundam, aliquid de plenitudine poteſtatis efficere poſſe videatur: in illo tamen planè nihil eum poſſe putandum ſit. Tum quia totus ordo monachalis, aliiq; in Eccleſia (vt quidam volunt) ab humanis conſtitutionibus, & iure poſitiuo profecti ſunt, in quos idcirco plena & omnimoda Pontifici poteſtas eſt, vti ſuperius paulò diximus. At ſubmiſſio & obedientia Regibus ac Principibus, atq; omnibus omninò præpoſitis & ſuperiorib. debita, eſt iuris naturalis & diuini, vtroq; teſtamento confirmata. Nam licet de iure humano ſit, vt hac aut illa Reipublicæ forma vtamur, vel hunc aut illum Principem habeamus: tamen vt eum quem ſemel accepimus reuereamur, eique in omnibus, quæ Dei mandatis non repugnant, ſubmiſsè pareamus, non humanæ ſolùm, ſed naturalis & diuinæ ordinationis eſt: idque neminē arbitror negaturum. *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. inde fit, vt quod initiò arbitrii & voluntatis erat, id poſt datam de ſubiectione fidem, ſtatim in obſequii neceſſitatem conuertatur.

1 Appellat vicarium caput, reſpectu Chriſti.

Tum etiam, quia ex voto religionis ſoli Deo & Eccleſiæ, cuius vicarium caput Papa eſt, obligatio acquiritur: ac proinde ſi Papa, cui libera negotiorum omnium Eccleſiæ procuratio diſpenſatioque permiſſa eſt, obligationem Eccleſiæ quæſitam, velut genere quodam nouationis in aliā obligationem transfuderit, ſimulque Domino Deo, qui principalis in eo negotio creditor eſt, ſatisfactum eſſe maioris boni promiſſione vel facto, interpretetur: haud abſurdè fortaſſis dici poterit, à prioris voti & promiſſi nexu liberationem contingere: niſi id obſtare quis putet, quod voti liciti tranſgreſſio, ſimpliciter & ex ſua naturā malum ſit: malum autem nullius boni quantumuis magni, obtinendi cauſa facere permiſſum ſit [2]. ſed eius obiectionis diſſolutio perfacilis eſt.

2 Rom. 3.

At longè ſecus res ſe habet de iureiurando, quod homines alterius obligationis confirmandæ cauſa, ſponſionib. & pactis ſuis adhibere ſolent: tale ſiquidem iuſiurandum acceſſio quædam eſt illius obligationis, cui ſecuritatis ergò adiicitur, ſicut fideiuſſio, aut nexus pignoris: ac propterea licet iuramentum Deo reddi dicatur, tamen non Deo principaliter, ſed homini cui iuratum eſt, acquiritur hoc

caſu obligatio: *quia per iuramentum iurans non intendebat placere Deo, ſed ſatisfacere proximo.* [1] quo fit, vt is cui iuratum eſt, multo plus iuris ex illo iureiurando nanciſcatur, multoq; plus poteſtatis in eo vel retinendo, vel remittendo habeat, q̃ Eccleſiæ in voto conceſſum eſt. Eccleſia namq;, ſiue Papa (vt ii etiam fatentur, qui eius arbitrio omnia ſubiiciunt) non ſine magna & iuſta cauſa diſpẽſare in voto ſolenni religionis poteſt. At verò is cui alius fidem ſuã, ex cauſa dandi vel faciendi, iureiurãdo obſtrinxit, poteſt & ſolus, & ſine cauſa præter meram voluntatẽ, liberare in totũ iuriſiurandi religione promiſſorẽ; eiq; id quicquid eſt accepto ferre: ita vt eius ſolius veniâ impetratâ, neq; amplius Pontificia abſolutione ei opus ſit, neque ſi non pręſtiterit quod promiſit, periurii reus coram Deo habeatur. Homo igitur eſt hoc caſu, qui vel vinctum detinere, vel liberum dimittere, arbitratu ſuo poteſt. Quæ quoniam conſenſu omnium ita ſe habent: quî fieri poteſt, vt obligationẽ alicui iure optimo quæſitã, iure inquam naturali, diuino, & humano, per iuſiurandum omni ex parte licitum, licito contractui appoſitum, ſummus Pontifex inuito creditori auferat? cùm non ſit in hac ſpecie, ſicut in ſuperiore, interpretationi locus, per quam præſumatur ſatisfactũ eſſe ei, cui principaliter fuit iuratum: contradicente nimirũ & contrariũ oſtendẽte creditore: quandoquidẽ præſumptio veritati [2] cedit.

Sed eſto, auferre ex cauſa poſſit, & promiſſorem iuriſiurandi vinculo liberare (ne de ea re amplius cum Canoniſtis hîc contendam) auferat igitur: quid ei deinde facto conſequens in noſtro hoc negotio videtur? liberum fore populum, dices, ab Imperio & ſubiectione Principis, ſtatim atque iuriſiurandi nexu ſolutus eſt. itáne verò? An non perſpicis iuſiurandum hoc, non eſſe niſi acceſſionem tantùm confirmatricem illius obligationis, qua fides & obedientia Principi promiſſa eſt? an ignoras acceſſiones tolli & liberari poſſe, ſine interitu principalis obligationis? non enim vt principali non conſiſtente tolluntur acceſſiones, ita & ſublatis acceſſionibus interit principale. Manet ergo adhuc obligatio cui iuſiurandum acceſſerat: quæ quoniam iuris naturalis & diuini eſt, non minùs tenet hominum mentes & conſcientias apud Deum, quàm ſi eſſet iuramẽto ſuſtentata. *quia Dominus inter iuramentum & loquelã noſtram, nullam vult eſſe diſtantiam:* [3] quantum ad fidem promiſſi ſeruandam: licet magis peccet iuriſiurandi violator,

1 Panorm. in c. 1. nu. 4. de iureiur.

2 L. vlt. D. quod met. ca. l. continuus. 137. §. cum ita. D. de verb. oblig.

3 Can. Iuramenti 22. q. 5.

propter contemptum numinis: & licet in foro etiam exteriore periurium, propter promiſſi ſolemnitatem, grauius vindicetur, quàm neglecta fides ſimplicis ſponſionis.

Quod ſi & hanc quoque obligationem Pontifex *de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, reſcindere, ſubditoſque à Regis iugo liberare voluerit: atque iis præcipere, ne qua in re Principi ſuo, *eiuſue monitis, mandatis, & legibus, ſub pœna anathematis audeant obedire*. Nonne huic præcepto Papæ obſiſtere videbitur expreſſum Dei mandatum de Regibus omni obſequio honorandis? Annon liceat facere, in eiuſmodi negotio & cauſa omnium maxima, quod Pontificii interpretes in leuioris momenti controuerſiis ſolent? Nēpe, de hac plenitudine poteſtatis ſolerter inquirere, eóne vſque ſe extendat, vt quod Deus diſertè iubet, id per illam diſertè prohibeatur? aut quod Deus expreſsè fieri vetat, id per illam licitè iubeatur? Deus per Salomonem iubet me timere Regem: & per Apoſtolos, Regem honorificare, eiq; ſubiectum eſſe, & obedire. Hoc certè & naturalis & diuini iuris præceptum eſt: vt inferior ſcilicet ſuperiori pareat, quamdiu id non vetet ille, qui eſt vtroque ſuperior in eodem poteſtatis genere: is autem in cauſa Principis & populi, ſiue inter populum & principem, quando de imperio & ſubiectione temporali agitur, eſt ſolus Deus, quo ſolo Rex in temporalibus minor eſt, vt in ſpiritualibus Pontifex.

Cùm itaque nemo non ingenuè fateatur, plenitudinem Apoſtolicæ poteſtatis non tantam eſſe vt in iis, quæ expreſſo Dei verbo prohibita ſunt aut præcepta, Pontifex diſpenſare vllo modo poſſit (quo axiomate Bellarminus præcipuè nititur, dum vult oſtendere *Papam non poſſe ſubiicere ſeipſum ſententiæ coactiuæ Conciliorum:* [1] *Papæ poteſtas ſuper omnes, eſt de iure diuino*, inquit, *at non poteſt Papa diſpenſare in iure diuino*) nihil mirari oportet, ſi mandata diuina de Rege timendo & honorando, multorum ſubditorum animis ita inſideant, vt nullum contrariis præceptis locum præbeant, ſed omninò in id incumbant, ne aduerſantibus Pontificum edictis, abſolutoriis ſimul & prohibitoriis, in ea re mos geratur. Sæpe mihi à Magnatibus, & viris minimè malis dictum eſt, præceptum illud diuinum de Regibus honorandis, tanti apud ſe eſſe, & tàm altas in animum radices egiſſe, vt nullis bullis & indulgentiis contrariis, leuari ſe poſſe conſcientiæ faſce & ſcrupulo atq; in interiore homine ſecuros eſſe, ſibi perſuadeant: quo minus

Lib. 2. cap. 18. de Concil.

nus

nus tàm clarum & manifeſtũ iuris naturalis, & diuini mandatum exequantur, & promiſſum ac debitum ſuo Principi obſequium præſtét. Atque hæc quidem cauſa eſt, cur pauci de Nobilitate ab Henrico IV. Imp. nulli à Philippo Pulchro, nulli item à Ludouico XII. Gall. Regibus, propter Bullas & cenſuras Pontificias, depoſitionis ſententiam continentes, defecerunt. Nam ne quà erremus, tenendum eſt, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudinem eam tantùm poteſtatem complecti, quam Dominus Ieſus Dei filius, cũ in hoc mundo verſaretur, vt homo inter homines habere voluit; & eatenus Papam referre nobis Chriſtum, & eius eſſe Vicarium (vti ſuprà ex eruditiſſimi Bellarmini doctrina oſtendimus) non autem poteſtatem illam, quam vt Dei filius, Deus ipſe Patri æqualis ab æterno habuit, & diuinitatis ſuæ omnipotentiæ reſeruauit: de qua ait, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.[1]

[1] Matth. vlt.

Quanquam video quoſdam vſque adeò ineptire, aut potius inſanire, vt hanc omnipotentiam Pontifici etiam tributam aſſerant, eiq; probando inſigne vanitatis ſuæ argumentum hoc modo contexant. *Chriſtus commiſit ſummo Pontifici vices ſuas, vt habetur Matth. 16. & cap. 24. q. 1. can. quodcunque. Sed Chriſto data erat omnis poteſtas in cœlo & in terra Matth. 28. Ergo ſummus Pontifex, qui eſt eius vicarius, habet hanc poteſtatem. extra de tranſlat. cap. quanto.* Ita Petrus Bertrandus in ſuis additionibus ad gloſſ. extrauag. Vnam ſanctã. de maior. & obed. qui & hoc præterea auſus eſt addere, quod parum à blaſphemia abeſt. *Nam non videretur Dominus diſcretus fuiſſe (vt cum reuerentia eius loquar) niſi vnicum poſt ſe talem reliquiſſet, qui hæc omnia poſſet.* Eratne huic homini cerebrum? Non mirum ſi Ioan. Gerſon dixerit *puſillos*, hoc eſt, Chriſtianos ſimplices & ignaros, ab eiuſmodi gloſſatoribus & poſtillatoribus imperitis deceptos, *aſtimare Papam vnum Deum qui habet poteſtatem omnem in cælo & in terra.* certè tales adulatores iudicium & mores multorum Pontificum corruperunt. Non mirum etiam, ſi Pius V. Pontifex. Martino Aſpilenetæ dixerit, *Iuriſconſultos* (Canoniſtas, opinor, intellexit) *ſolitos eſſe plus ſatis poteſtatis tribuere Papæ*[2]. De quibus Ioan. De Turre cremata,[3] *mirum eſt, inquit, quod ſummi Pontifices loquantur moderatè de poteſtate eis data: & quidam de Herculi, ſine aliquo vero fundamento, volunt adulando eos quaſi æquiparare Deo.* quò pertinet, quod ſcribit Cardinalis de Cuſa, vir in omni Philoſophia diuina

[2] Nauarr. in cõmen. can. non liceat Papæ. 12. quæſt. 2.

[3] In Can. coniunctiones. 35. quæſt. 2.

& humana, atque etiã in hiſtoriis apprimè verſatus, quoſdam nempe ſcriptores *volentes Romanam ſedem omni laude dignam, plusquam Eccleſiæ ſanctæ expedit, & decet, exaltare, fundare ſe in ſcriptis apocryphis* atque ita Papas populoſque decipere.

Cap. XXVIII.

Error autem iſtorum hominum, quo poteſtatem omnem, & diuinam & humanam, Papæ tribuunt, partim ex ſcriptis apocryphis, vt dictum eſt: partim ex reſcriptis quibuſdam Pontificiis, obſcurius paulò quàm oportuit conceptis, & malè ad literam, vt aiunt, intellectis, creatus eſt. Nam, vt verè dicam, nihil nudis & meris Canoniſtis imperitius: quod nõ de humaniorum literarum cognitione, & ſermonis proprietate intelligi tantùm volo: ferenda quippe in illis eiuſmodi ignorantia eſt, tanquã cõmune ſeculi illius, quo ſcripſerunt, malum: ſed de artis etiã quam profitentur ſcientia, quam infinitis diſtinctionum & opinionum varietatibus obſcurarunt. Maxima enim ipſorum pars in Canonibus & Conſtitutionibus Pontificiis hærebant, nullum aut perexiguum extrinſecus adiumentum ex Theologia, & aliis ſcientiis, vt oportuit, quærentes. Reſcripta illa de quibus loquor, & quæ hominibus iſtis errorem crearunt, extant ſub titulo, *de translatione Epiſcopi* [1] in quibus Innocentius III. comparat Matrimonium ſpirituale, quod contrahitur inter Epiſcopum & Eccleſiã, cum Matrimonio carnali, quod eſt inter virum & mulierẽ: primum in eo, quod quemadmodum carnale matrimoniũ ſumit initium à ſponſalibus, & fit ratum per nuptias, & conſummatum per corporum commiſtionem: *ſic & ſpirituale fœdus coniugij, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in cõſecratione intelligitur conſummatum.* Deinde in eo, quòd ſententia Domini & Saluatoris in Euangelio. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet:* de vtroque Matrimonio, tam carnali quàm ſpirituali intelligenda ſit. *Cùm ergo fortius ſit ſpirituale vinculum quàm carnale,* inquit, *dubitari non debet, quin Omnipotens Deus ſpirituale coniugium, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, ſuo tantùm iudicio reſeruauerit diſſoluendum, qui diſſolutionem etiam carnalis coniugij, quod eſt inter virum & fœminam, ſuo tantùm iudicio reſeruauit, præcipiens, vt quos Deus coniunxit, homo non ſeparet:* & rurſus, *Sicut legitimi Matrimonij vinculum, quod eſt inter virum & vxorem, homo diſſoluere nequit,*

1 Cap. 2. 3. & 4.

quit, Domino dicente in Euangelio;[1] *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: ſic & ſpirituale fœdus coniugii, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, ſine illius authoritate ſolui non poteſt, qui ſucceſſor eſt Petri, & vicarius Ieſu Chriſti.* 1 Matth.19.

Ac ne quis obiiceret, Si Deus vtriuſque coniugii, tam carnalis quàm ſpiritualis, diſſolutionem ſuo tantùm iudicio reſeruauit, & vinculum ſpirituale fortius ſit quàm carnale: quî fieri poteſt, vt ſummus Pontifex, quem conſtat hominem eſſe, vinculum illud ſpirituale poſſit diſſoluere? reſpondet ibi Innocentius, id ea ratione fieri, quod nõ humana ſed diuina poteſtate ſeparentur, qui authoritate Romani Pontificis, *per translationem, depoſitionem, aut ceſſionem, ab Eccleſia remouentur. Non enim homo,* inquit, *ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris) Eccleſiarum neceſſitate vel vtilitate penſata, non humana ſed diuina potius authoritate diſſoluit.*

Hæc illa ſunt, quibus homines iſti in præcipitem errorem deferuntur; vt quicquid à Papa fiat, à Deo factum eſſe putent: quod verba nimirum Innocentii hunc ſenſum prę ſe ferant. Nullus eſt, fateor, in iure Pontificio locus, verbis quidem planior & apertior, intellectu autem difficilior: adeò vt in eo explicando, interpretum omnium ingenia concidant. Nam quid magis intelligenter, planè, & perſpicuè dici poteſt, quàm *Non hominem ſed Deum ſeparare, quos Romanus Pontifex ſeparat ſeu diſſoluit?* aut quid cui magis conſequens, quàm hoc illi, *Romanum ergo Pontificem poſſe diſſoluere matrimonium inter coniuges carnali copula conſummatum?* qua concluſione tamen nihil falſius, ac proinde illud ex quo ſequitur, falſum eſſe fatendum eſt: quandoquidem ſequi falſum ex vero nunquam poteſt. Quod cùm animaduertiſſet Hoſtienſis, cùm inquam rationem illam tam alienam perpendiſſet:[2] *Sed illa ratio,* inquit, *non eſt ſufficiens, ſalua authoritate & reuerentia reddentis, niſi aliter intelligatur: quia ſecundum illam ſequeretur, quod etiam matrimonium carnale diuidere poſſet authoritate ſua.* At Hoſtienſis tamen non aperit nobis, quomodo aliter intelligi debeat: nec poteſt ſe inde extricare, vt ſalua veritate ſententiam ſuſtineat. Nam quod arbitratur eam intelligi poſſe de matrimonio carnali, *quod,* vt ille ait, *ante carnis copulam communi diſſenſu, authoritate Papa interueniente, diſſolui poſſit: arg. cap. 2. & cap. ex publico. de conuerſ. coniugat.* Illa certè interpretatio omni prorſus authoritate & ratione deficitur. 2 In ſumma de elect. nu. 25.

Nam

Nam quod attinet ad reſcripta ab eo allegata, & ſi qua ſunt ſimilia, de illa matrimonii diſſolutione loquũtur, quę fit per electionem religionis, & Monaſterii ingreſſum alterius coniugis, antequam corpora nuptialis thori amplexibus commiſta ſint, quo caſu nihil authoritatis Papæ interuentu, aut diſpenſatione Pontificia opus eſt; quin mero iure, & communi legis auxilio muniti ſunt, qui eo modo quærunt ſibi ſeparationem, & matrimonium dirimunt.[1] At matrimonium ratum & nondum conſummatum dirimi poſſe ex alia cauſa, communi partium diſſenſu, per Papæ authoritatem, conſtanter cum doctiſſimis Theologis negandum eſt. Corporum enim coniunctio & commixtio, nihil quicquam ſubſtātiæ & οὐσίας, ſiue eſſentiæ matrimonii, aut addit, aut adimit: quippe forma matrimonii conſiſtit, in indiuiduæ animorũ coniunctionis & conſenſus declaratione, qua ſe inuicem, alter alteri, mutuò tradunt. Liberorum verò procreatio, & eius cauſa concubitus, nō ad conſtitutionem matrimonii refertur, ſed ad finem[2]. Hinc ab Ethnicis dictum eſt, *nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*[3]. idque ſacris canonibus & conſtitutionibus confirmatur.[4] alioqui certè primum illud matrimonium, quod Deus in Paradiſo inſtituit, matrimonium non fuit, donec coniuges inde deiecti, liberis operam dare cœperunt; quo quid abſurdius? Adhæc nulla Eccleſiæ conſtitutio aut traditio, nulla Patrum authoritas, nulla Pontificis Epiſtola Decretalis, nulla denique ratio certa & ſolida reperitur, quę matrimonium ratum, licet non conſummatum, ab illa Saluatoris ſententia excipiat, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* ac ne excipere quidem poſſit, niſi prius conſtet, eos qui Sacramento matrimonii, in facie Eccleſiæ contracti, copulantur, non eſſe à Deo coniunctos.

Sed eſt in hac re, ſicut in cæteris, tanta interpretũ quorundam iuris Pontificii, ſeu inſcitia, ſeu blanditia, vt nō ſolùm matrimonium ratum & nondum conſummatũ, contra communem Theologorum ſententiam, ſed etiam matrimonium ratum & carnali copula conſummatũ, à Pontifice, perinde atque à Deo, diſſolui poſſe, non vereantur aſſerere:[5] quod ſi verum eſſet, quàm infirmum matrimonii vinculum futurum ſit inter eos, qui gratia & authoritate apud Pontificem pollent, aut alioqui occæcatum cupiditate pecuniarum largitionibus poſſunt corrumpere, aliis iudicandum relinquo. Non eſt autem quod ſuperioribus

1 Cap. ex parte. 14 §. nos tamen. & d. cap. 2. de cōuerſ. coniugat.

2 D. Thom. 3. q. 29. art. 2. in concluſ.

3 L. nuptias D. de reg. iur.

4 Can. ſufficiat. can. cùm initiatur. 27. q. 2. c. cùm locum. de ſponſ. & matr.

5 Vide Couarruuiam de matrim. part. 2. § 4. vbi id notat & reprehendit.

bus

bus Innocentii reſcriptis ſententiam ſuam firmari poſſe exiſtiment: cùm Pontifex ille alibi expreſsè dicat,[1] matrimonium inter legitimas perſonas, verbis de præſenti, *contractum, in nullo caſu poſſe diſſolui, niſi antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum*, alter coniugum ad religionem tranſeat. neque enim credibile eſt, tam doctũ piumque Pontificem, aut ſui tam ſubitò oblitum fuiſſe, aut ſcientem prudentem, tam pugnantes & diſſentientes ſententias euulgaſſe. alius ergo reſcriptorum Innocentii ſenſus quærendus eſt.

1 Cap. ex parte. 14. § nos autem. & §. nos tamen. de conuerſ. coniugat.

Cap. XXIX.

QVod ſi quis meam de illis ſententiam & interpretationem quæritet: haud verebor, vt in re obſcuriſſima, dicere, ſubſiſto: exiſtimare me tamen pugnam in iis eſſe ῥητοῦ καὶ διανοίας, mentem ſcilicet optimi Pontificis, & ſenſum verborum, inter ſe diſcrepare: quod in aliorum legiſlatorum ſcriptis ſæpe contingit, cùm aut verbis exprimendæ cogitationi minus aptis vtuntur, aut ad perſpicuitatem & integritatem conſtitutionis, particulam aliquam neceſſariam, aut exceptionem omittunt. Nam alioqui nõ eſt veriſimile, eum qui negat Papam poſſe licentiam monacho indulgere, vt proprietatem rerum habeat vel vxorẽ, velle affirmare Papam poſſe coniugii ſacramentum, matrimonium inquam ratum & conſummatum diſſoluere. Quid ergo rei eſt? Dicam quod ſentio. Animaduerti equidem Innocentium ita doctrinam ſuam in illis reſcriptis ſubtiliter temperaſſe, vt quamuis vtrumque coniugium inter ſe componat & comparet in hoc, quòd Dei ſolius iudicio diſſoluantur: tamen vbi de poteſtate ſummi Pontificis, & Vicarii *Ieſu Chriſti* loquitur, non amplius ea coniungit, nec matrimonii carnalis mentionem facit, ſed tantùm ſpiritualis, quod non cenſetur ab homine ſeparari, ſed à Deo ipſo, tunc cùm illud Rom. Pontifex *Eccleſiarum neceſſitate vel vtilitate penſata, non humana, ſed diuina potius authoritate, per translationem, depoſitionem, aut ceſſionem, diſſoluit*; quo ſilentio, & prætermiſſione carnalis matrimonii, ſatis innuit illud à matrimonio ſpirituali, in ratione ſeparationis differre, & tacitè excipi: vt Pontificalis authoritas ad eius diſſolutionem non extendatur. quaſi expreſſius hoc modo dixiſſet, Deus ſuo iudicio tam carnalis quã ſpiritualis matrimonii diſſolutionem reſeruauit. Spirituale

tamen

tamen Romanus Pontifex, qui Chriſti Vicarius & Petri ſucceſſor eſt, *Eccleſiarum neceſſitate vel vtilitate, &c.* ſoluere poteſt: quod cùm facit, *non homo ſed Deus ſeparat*, cuius vicem Papa in terris gerit. Cur autem Pontifex ſpirituale coniugium ſoluere, & non item carnale poſſit, euidens atque in promptu ratio eſt. quòd ſpirituale nimirum per ſe, & omni ex parte, ad Eccleſiæ ordinationem, regimen, & œconomiam pertineat, quam Chriſtus totam Petro & eius ſucceſſoribus commendauit. itaque non poteſt non videri conceſſiſſe illis hanc ſpiritualis coniugii diſſoluendi poteſtatem, cùm ſine ea, munus ſibi commiſſum exequi & expedire non poſſent.[1] ac proinde quicquid ipſi Pōtifices, tanquam Hierarchæ, de ſingulis Eccleſiæ rebus ac perſonis diſponunt, decernuntque; id Deum, qui hanc illis diſpenſationem & procurationem nominatim commiſit, diſponere ac decernere credendum eſt.

At matrimonium carnale, non ad ordinationem Eccleſiæ, ſed tantùm ad procreationem ſobolis inſtitutum eſt[2]: ob eamque cauſam dicitur eſſe iuris naturalis[3], & gentiū nationumque omnium commune: nec alia ratione ad Eccleſiæ notionem pertinet, quàm quòd in noua lege ſacramentum ſit, Dei & animæ, Chriſtique & Eccleſiæ coniunctionis myſterium continens. & ideo nihil neceſſe fuit, eius ſoluendi facultatem, libertatemque, Petro & eius ſucceſſoribus permittere. Sat habent proſpicere & iudicare, an ſit matrimonium, vt ſciant an ſit ſacramentum. Quamuis igitur Pontifex in matrimonio contrahendo plurimùm poſſit, omnium ſcilicet impedimentorum, quæ ex iure poſitiuo & eccleſiaſticis conſtitutionibus oriuntur, gratiam facere; atque efficere vt ritè & rectè contrahatur, quod aliâs non eſſet legitimum & ratum: tamen vbi vel iure communi permittente, vel Papâ in prohibitis diſpenſante, ſemel contractum eſt, nullam vlla ex cauſa habet eius relaxandi ſeparandique poteſtatē. Nec ad rem pertinet, quòd ſæpe in foro & iudiciis eccleſiaſticis, ſeparationem fieri videamus earum perſonarum, quæ diu ſub iugalis vinculi ſpe & ſpecie conuixerunt. Non enim Papa eo caſu, neque iudex authoritate Papæ, matrimonium aliquod diſſoluit: ſed matrimonium quod de facto contractum erat, & matrimonium eſſe falsò credebatur, non fuiſſe matrimonium ſententia ſua declarat: & perſonis nōn legitimè coniūctis, quòd cubilia ſociare ſine ſcelere nequeant, à ſe abſcedere, &

1 L. 2. D. de iuriſ. L. Si itor. D. de ſeruit. L. 3. §. qui habet. D. de ſeruit. præd. ruſtic. cap. 5. de offic. iud. dele.

2 Aug. lib. 14. de ciuit. Dei. cap. 18. Tho. 2. 2. q. 154. art. 2.

3 L. 1. §. ius naturale. D. de Iuſt. & iur.

& ſolita conſuetudine abſtinere præcipit. Hoc autem non eſt ſoluere matrimonium, aut perſonas legitimè coniunctas, quoad vinculum, ſeparare. Ex quo patet tam Innocentium interpretem, qui quartus poſtea eius nominis Pontifex fuit, quàm Ioan. Andr. qui fons & tuba iuris Canonici vocatur, ineptiſſimè partem iſtam reſcripti Innocentii III. eſſe interpretatos, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. ſua authoritate,* inquiunt: *non autem ſeparat homo carnale matrimonium, cùm epiſcopus, vel etiam archidiaconus, per conſtitutiones Papæ diſſoluit, ſed ipſe Deus cuius authoritate factæ ſunt.* quaſi vero per conſtitutiones Papæ diſſolui poſſit matrimonium? poſſunt certè conſtitutiones Papæ impedire, ne matrimonium inter certas perſonas iure contrahatur; & efficere vt ſit nullum, quod contra illarum diſpoſitionem cõtractum eſt. At iure contractum diſtrahere, & eius vinculum dirimere ac diſſoluere, nulla neque Eccleſiæ neque Papæ conſtitutio poteſt. alioqui malè Apoſtolus, *mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt* [1]. male inquam, mortis tantùm mentionem fecit, ſi alio modo, per conſtitutiones ſcilicet Pontificias, ſoluto matrimonio liberari poſſit. Quæ cùm ita ſint, tempus nunc eſt ab hoc diuerticulo, in quod nimia Doctorum quorundã aſſentatio & ignorantia nos compulit, ad eam viam vnde ſumus digreſſi repedare. 1. Corinth. 7.

CAP. XXX.

POſitum iam hoc eſt, & omnium de rebus diuinis rectè iudicantium conſenſione firmatum, Papam non poſſe alicui gratiam facere iuris naturalis & diuini, ſiue, vt vulgò nunc loquimur, contra ius naturale & diuinum diſpenſare: & concedere vt impunè fiat, quod Deus & Natura vetarunt; aut prohibere ne fiat, quod Deus fieri expreſsè imperauit: idque non ſolùm Theologi, ſed etiam melioris notæ Canoniſtæ aſſeueranter concludunt. Hoc igitur illud eſt axioma certiſſimum, circa quod totius huius diſputationis cardo vertitur, & ex quo pendet vera ſolutio eius argumenti, quod ex Bellarmino trãſcripſimus, in principio capitis vigeſimi quinti, ſuprà. Admittimus quidem eius propoſitionem, *Paſtori* ſcilicet *neceſſariam eſſe poteſtatem circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poteſt.* Admittimus & aſſumptionem. *Lupos nimirum qui Eccleſiam Dei vaſtant, eſſe hæreticos.* ex quibus concludit hoc modo.

Ergo

Ergo ſi Princeps aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, id eſt, ex Chriſtiano fiat hæreticus, poterit paſtor Eccleſiæ eum arcere per excommunicationem, & ſimul iubere populo, ne eum ſequantur, ac proinde priuare eum dominio in ſubditos. Vitioſa collectio; cuius loco in bona dialectica reponendum eſt. *Ergo ſi Princeps aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, poterit paſtor Eccleſiæ eum arcere omni ratione qua poteſt.* Hoc enim ex propoſitis rectè efficitur, & ideo iis conceſſis, negari non poteſt. Hoc totum igitur verum eſt, & totum concedimus: ſed iſtis tamen minimè cohæret aut conſequens eſt, id quod annectit. *Paſtorem* ſcilicet *poſſe iubere populo. &c.* Nam poſſe, vel non poſſe, vbi de iure & æquitate diſputatur, non de mero facto, ſiue de poteſtate quæ facti eſt, ſed de poteſtate quæ iure permiſſa eſt, quæque iuri & rationi congruit, intelligi debet: vt dicatur Pontifex hoc caſu, id poſſe, quod iure atque honeſtè poteſt [1]. Atque ita res eò redit, vt cogamur inquirere, an Pontifex, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vt loquuntur, poſſit imperare & præcipere ſubditis, ne Principis ſui *monitis, mandatis, legibus, ſub pœna anathematis audeant obedire.* & ſi de facto id iuſſerit, an ſubditi teneantur præcepto eiuſmodi Pontificio parere. Nullum certè, vt principiò admonui, pro affirmatiua parte argumentum efficax, vel ipſemet excogitare, vel ab alio excogitatum & propoſitum comperire, hactenus potui. Pars verò contraria validiſſimè ſuſtentatur fundamento illo, quod iamiam retulimus. Papam videlicet non poſſe vllo modo contra ius naturale & diuinum diſpenſare: ex quo argumentum, vt videtur firmiſſimum, hac ratiocinandi forma concluditur.

[1] L. filius 15. D. de condit. inſtitut.

Summus Pontifex nihil præcipere vel diſpenſare poteſt contra ius naturale & diuinum.

Atqui ſubiectio & obedientia Principibus & ſuperioribus debita, eſt de iure naturali & diuino.

Ergo ſummus Pontifex contra eam nihil præcipere vel diſpenſare poteſt. & per conſequens non poteſt præcipere ſubditis, ne principi ſuo temporali obediant in eo, in quo Princeps eſt ſuperior: & ſi de facto præceperit, licebit ſubditis ei, tanquam extra territorium ius dicenti, impunè non parere.

Vtrumque propoſitum eſt certo certius, ex quibus concluſio neceſſaria conſecutione inducitur. Qui huius argumenti vim eneruauerit, is magnā mecum gratiam inibit.

ego

ego mehercle, vt ingenii mei tenuitatem ingenuè fatear, non ſatis perſpicio qua poſſit ſolida ratione elidi. Nam etſi dicat aliquis, obedientiam ſuperiori debitam prohiberi & impediri poſſe ab eo, qui eſt illo ſuperiore ſuperior; & Papam quidem, qui Chriſtianorum omnium pater eſt, omnibus Regibus & Principibus Chriſtianis, hoc ipſo quòd pater eſt, eſſe ſuperiorem; ac proinde eum poſſe iure ſuo prohibere, & impedire, ne ſubditi promiſſam Principi reuerentiam & obedientiam exhibeant: nihil quicquam hoc fucato argumento efficiet, quod ſuperiori concluſioni cõtrariæ officiat. Quandoquidem hoc quod dicitur, obediẽtiam ſuperiori debitam minui, impediri, vel tolli poſſe, mandato eius qui eſt illo ſuperiore ſuperior: id tũc ſolùm verum eſt, cùm is qui prohibet eſt ſuperior in eadem poteſtatis, & vt ita loquar, ſuperioritatis ſpecie, ſiue in iiſdem rebus, in quibus debetur obedientia. Veluti exemplo gratia, Rex poteſt militiæ ſuæ Præfecto imperium abrogare, & præcipere ne exercitus ei amplius obtemperet: poteſt & Præfectus ex cauſa præcipere ne tribuno, & tribunus ne centurioni, & centurio ne decurioni miles pareat: quia omnes in eadem re, in regimine, inquam, & diſciplina militari, ſed alii aliis, ſecundum ordinem dignitatis ſuperiores ſunt. Idem de ordinibus cæleſtis militiæ, & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ eſt. At verò obedientia ſubditorum erga Principem, de qua loquimur, conſiſtit in rebus temporalibus, in quibus ipſimet Pontifices fatentur, neminem eſſe Principe ſuperiorem [1]. Quod ſi nemo ei in temporalibus ſuperior eſt, ſequitur profectò, neminem eſſe, qui prohibere vel impedire poſſit ſubiectionem & obedientiam, quæ à ſuis ſubditis in temporalibus illi debetur.

Oſtendi ſupra, has poteſtates, ſpiritualem & temporalem, ita eſſe diſtinctas, vt neutra alteri, quatenus talis eſt, aut dominetur, aut pareat. Nec audiendos eſſe qui ad iſtas diſtinctionum & ſubtilitatum latebras, ſeu potius captionum laqueos, *directè & indirectè*, confugiunt. Nam certum eſt, eum habere ſuperiorem in temporalibus, cui alius quouis modo imperare temporalia poteſt, ſiue qui ab alio in temporalibus iudicari directè vel indirectè poteſt: quippe iudicium redditur etiam in inuitum [2], & nemo niſi a ſuperiore iudicatur. quia *par in parem non habet imperium* [3]. Et verò quantum ad effectũ, & exitum rei attinet, nihil prorſus intereſt, vtrum quis *directè an indirectè* imperium & poteſta-

1 Cap. per Venerabilem. qui fil. ſunt legit.

2 L. inter ſtipulantem. 83. §. 1. D. de verb. obl.

3 L. 4. D. de recept. qui arbitr. l. ille à quo. §. tempeſtiuum. D. ad Sc. Treb.

teſtatem in alium obtineat. illis enim verbis, *directè & indirectè*, ſeu mauis, *directè & obliquè*, differentia tantùm in modo & via, ſeu ordine apiſcendæ poteſtatis, non autem in eius exercendæ & exequendæ libertate, vi, & effectu, nobis proponitur. Sed per Deum immortalem, quid dici poteſt abſurdius, aut ſecum magis pugnans, quàm Regem non habere aliquem ſuperiorem in temporalibus [1], *ſed liberum eſſe à vinculis delictorum, nec vllis ad pœnam vocari legibus* [2], quod tota ſemper antiquitas, totaque Eccleſia tenuit: & Papam ex cauſa, ſiue aliquo modo, hoc eſt, indirectè, eſſe in temporalibus Rege ſuperiorem, & eum pœnis temporalibus, regno ſcilicet atque imperio, imò & morte poſſe multare? Nam poſtquam à Papa de ſolio deiectus eſt, atque inter priuatos conſtitutus, quid ſupereſt, niſi vt exitum inuidiæ ferat, & aut celeri fuga ſalutem quærat, miſeramque procul patria vitam degat: aut ſi eo ſibi modo nõ proſpexerit, mox publici iudicii reum carcer, vel carnifex excipiat. Ineſt autem in hac poteſtate, quam iſti homines tribuunt Pontifici indirectè, ſumma, ſoluta, & impunita bonos & immerentes Reges opprimendi, atque tyrannidem exercendi libertas. Nam in primis ſtatuunt, *Pontificis eſſe iudicare, Regem eſſe deponendum vel non deponendum*. Deinde ab ipſius iudicio nullam eſſe prouocationem, *quòd ſolus ipſe omnes iudicet, & à nemine iudicetur*. Atque ita in maleuoli Papæ voluntate ſitum eſſet, quoties Regem aliquem, quãlibet bonum, priuato odio conſectatur, aliquam indirectæ poteſtatis cauſam prætexere, vt eum regno exuat, & priuatum ex Principe reddat. Quod equidem hîc non dicerem, (neque enim tam malè ominari de ſanctæ ſedis Rectoribus vellem) niſi id à Pontificibus quibuſdam, re vera factitatum eſſe, ſuperioribus ſeculis, omnes intelligerent: Et necdum tempus vitam longæui hominis ſuperarit, ex quo Iulius II. Ioanni Nauarræ Regi, nullius ſceleris conſcio aut conuicto, ſed ſolùm quòd Ludouico Francorum Regi fauiſſet regnum per Ferdinandum Aragonium hoc Pontificiæ authoritatis prætextu, impiè atque iniuſtè eripuit. Quod ſi talia facere, non eſt eſſe ſuperiorem in temporalibus; diſcere libenter ab iſtis Magiſtris cupio, quid ſit eſſe ſuperiorem. Vnum ſcio (ſi vera eſt hæc illorum ſententia) Papam plus poſſe aduerſus Reges indirectè, quàm ſi directè imperium in eos obtineret. qua de re ſupra [3] nonnihil diximus.

[1] D. cap. per Venerabilem.
[2] S. Ambroſ. in Apolog. Dauid.
[3] Cap. 12.

Si igi-

Reſponſio populi ad Pontificem iubentem deficere à Rege.

Si igitur ſummus Pontifex, *de Apoſtolica poteſtatis plenitudine*, populum à Regis obſequio prohibere, decreto ſuo, ſiue Bulla præcipere conetur. An non ſtatim populus vniuerſus, aut ſinguli de populo poſſint Pontifici reſpondere; Pater ſanctè, nequaquam es Rege noſtro in temporalibus ſuperior: eoque non potes obſequium temporale, quod nos illi præſtamus, impedire. Cur nos facere prohibes, quod Deus nos facere imperat? An quia tuum eſt, voluntatem Dei in lege diuina & Scripturis comprehenſam interpretari? At non eſt tamen illa interpretatio adhibenda, quæ legem penitus euacuet, & mandatum omnino deſtruat ac diſſoluat. Siquid dubii aut obſcuri eſt in lege diuina, ad ſedem Petri, id eſt, ad ſedem quam tu nunc tenes, interpretationis veritatem accepturi confugimus: quod autem per ſe clarum eſt & perſpicuum, id nulla interpretation is luce indiget. Cùm itaque Dominus & Saluator noſter iubeat nos *reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo*; & deinde per Apoſtolum, *Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, & dicto obedire*: Tuum eſt nobis declarare quæ ſunt Cæſaris, id eſt, quæ à nobis Regi noſtro debentur, & quæ ſunt Dei; vt ſua vtrique reddamus; & in ea rerum diſtinctione vocem tuam libenter audiemus. At cùm dicis, nolite quicquam Cæſari, ſiue Principi veſtro reddere, contradicis Chriſto, ac proinde vocem tuam non audimus. Fatemur quidem & profitemur, Sanctitatis tuæ expoſitioni atque interpretationi in legis diuinæ obſeruatione locum eſſe: ſed eam non admitti aſſerimus, quæ facit vt ius naturale & diuinum ludibrio, & penitus contemnatur. Veluti, ne à re qua de agitur aberremus: Iubemur Principibus & poteſtatibus obedire: tuas in huius mandati obſeruatione explicationes, & reſtrictiones, quæ modò mandatum ipſum non extinguunt, tanquam filii obedientes libenter amplectimur. Veluti cùm nullam inde obligationem parendi Regibus oriri dicas, niſi in iis quæ ad temporalem ipſorum iuriſdictionem pertinent. ſpiritualia omnia Vicario Chriſti, atque Eccleſiæ reſeruanda eſſe. Item cùm admones, non eſſe Regi obediendum in eo, quod contra ius diuinum vel naturale imperat, aut quod alioqui bonis moribus aduerſatur. At, quando ſimpliciter & abſolutè præcipis, *ne Principi noſtro legitimo, eiuſve monitis, mandatis, & legibus, vllo modo obediamus*: præcepto tuo parere non poſſumus, quia hoc non eſt mandatũ Dei

interpretari, quod Sanctitati tuæ conceditur: ſed penitus antiquare & abrogare, quod nullo modo potes. Christus cùm claues regni cæleſtis Petro tradidit, non dedit ei poteſtatem *faciendi de peccato non peccatum* [1]. Nos igitur communem Canoniſtarum doctrinam in hac parte ſequemur, qui tradunt, *mandato Papæ non eſſe parendum, ſi vel iniuſtum ſit, vel ex eo multa mala, ſeu ſcandalum veriſimiliter eſt futurum, aut turbatio ſtatus Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ oritura* [2]: & ideo *ſi Papa mandaret religioſis aliquid, quod eſſet contra ſubſtantiam ordinis*, id eſt, *quod repugnaret regulæ ab iis profeſſæ* (vt interpretatur Felinus in cap. accepimus. de fid. inſtrum. & cap. ſi quando. de reſcript.) *non tenentur ei obedire*, vt idem Innocentius [3] alibi docet: quem refert & ſequitur Martinus de Caraziis in tractatu de Principibus, quæſtione 408. & Felinus in d. cap. ſi quando. & d. cap. accepimus. Quanto igitur minus debent Regum ſubditi, Pontificem eos ab obedientia, iure diuino & naturali, Regi ſuo debita, & arctiſſimo iuriſiurandi fœdere ſancita, retrahere conantem audire? Si ob eam cauſam nos iubes Regis noſtri iugum abiicere, quòd per obedientiam illi exhibitam ſpirituale bonum impediatur: reſpondemus, id quicquid eſt mali, ex quodam accidente euenire, ſiue per accidens fieri. malum enim ex bono, aut bonum ex malo, per ſe oriri non poteſt. Accidens autem illud dolenter fecimus, ſed impedire non poſſumus. Nos officium Regi debitum, Dei iuſſu perſoluimus. & *ſecundum patientiam boni operis, gloriam, honorem, & incorruptionem quærimus.* [4] Ille ſi debito ſibi obſequio, & tanto Dei beneficio abutatur, Deum ſupra ſe iudicem & vindicem acerrimum ſentiet. Nobis non licet officium deſerere, & Dei mandatum præterire, vt bonum inde quantumuis magnum conſequatur: ne eam, quam Apoſtolus nunciat [5], damnationem nobis ipſis acquiramus. Qui iubet nos Regibus obedire, & reddere Cæſari quæ ſunt Cæſaris, nullam bonos inter & malos Principes diſtinctionem facit. ac proinde nec nos diſtinguere debemus [6]. Si, vt docet B. Auguſtinus, *is qui continentiam Deo vouerit, nullo modo debet iſta compenſatione peccare, vt ideo credat vxorem ſibi eſſe ducendam, quia promiſit quæ nuptias eius appetit, futuram ſe eſſe Chriſtianam.* atque ita *acquirat Chriſto animam in morte infidelitatis poſitæ fœminæ, quæ parata eſt, ſi huic nupſerit, fieri Chriſtiana.* Qua nos apud Deum excuſatione vtemur, ſi vt ſperatū aliquod bo-

1 Felin. in cap. ſi quando. nu. 4. de reſcript.

2 Innoc. in c. inquiſitioni. 44. de ſent. excomm. Panorm. in cap. cùm teneamur. 6. de præben.

3 In cap. ne Dei. 43. de Simon.

4 Rom. 2.

5 Rom. 3.

6 L. de pretio D. de publ. in rem. act.

bonum eueniat,iuriſiurandi religionem &fidem violemus Deo Regique noſtro datam?Nihil enim anima pretioſius, pro qua Dominus & Saluator mori dignatus eſt. Si ergo vt eam Chriſto lucremur,peccare non liceat,eccuius rei cauſa peccandum?

Quod autem præterea dicis, te nos ab huius officii vinculo abſoluere,atque abſolutos declarare: id non omnem conſcientiis noſtris ſcrupulum adimit,ſed animi pendere, ac dubitare magis de tua poteſtate facit.quòd ſciamus pręceptum,cuius tu nobis gratiam te facturum promittis,Dei & naturæ lege eſſe ſancitum: Sanctitatem verò tuam non poſſe,ne quidem de plenitudine poteſtatis, legis naturalis & diuini gratiam cuiquam facere. Tibi igitur in ſpiritualibus,Regi in temporalibus obſequemur. Vtrumque Deus iubet,vtrumque præſtabimus. Minas denique,quas mandato inſeris,miramur quidem,& ex parte metuimus: ſed non ita ſumus meticuloſi tamen,vt plus eas quàm oportet timeamus; aut ita iis terreamur, vt metu iniuſtæ excõmunicationis,iuſtum ac iure debitum obſequium Regi noſtro denegemus. Licet enim vulgò iactetur, omnem excõmunicationem eſſe timendam [1]: Scire tamen oportet,iniuſtã excommunicationẽ non lædere eum in quem fertur, ſed eum potius à quo fertur. [2] Si ideo nos anathematis mucrone ferias,quia nolumus mandatum Dei,te iubẽte,prætergredi,& *malum facere*:maledictio tua vertetur in benedictionem, vt quamuis ligati exterius videamur, interius ſoluti atque innocentes maneamus.

1 Can. ſententia.can.qui iuſtas.11.q.3.
2 Can. quomodo can illud.11.q.3.can.certum 24.q.3.

Hæc illa ſunt,& his ſimilia,quæ tam Cleri,quàm Nobilitatis, atque adeo totius populi Gallicani fidem erga ſuos Reges ita firmarunt,vt Pontificibus quibuſdam, enixè conantibus eos à Regum ſuorum obſequio & obedientia auocare,viriliter reſtiterint;& Bullas Pontificias,depoſitionis,& priuationis regni ſententiam continentes,pro nihilo duxerint,ſed nec ſe vllis propterea cenſuris eccleſiaſticis teneri,nulliſque anathematis vel excõmunicationis vinculis iuſtè inuolui poſſe haud vanè crediderunt. Equidem re vera non video, quid in ſuperiore populi reſponſione & defenſione reprehendi poſſit: niſi id illis vitio vertatur,ſatiſque ad contumaciam ſit,quod non quamlibet Papę iuſſionem,tanquam Dei Omnipotentis voce emiſſam, omni cunctatione & ęquitatis perueſtigatione remota,protinus exequantur.quod nemo vnquam ſanus,opinor,iudicabit.

Cætera enim firmiſſimis demonſtrationibus, & ſolidiſſimis diuini & humani iuris rationibus, & argumentis nituntur. Dei ſcilicet mandatum eſſe, vt honos & obedientia Regibus & Principibus exhibeatur: nullo bonorum & malorum diſcrimine, in ea re, propoſito. Omnẽ Papæ poteſtatem in ſpiritualibus conſiſtere. Temporalia Regibus & Principibus ſecularibus eſſe relicta. Papam non eſſe Regibus ſuperiorem in temporalibus, ac proinde eum non poſſe illos temporalibus pœnis afficere: multoque minus regnis atque imperiis priuare. Poſtremò, non poſſe Papã contra ius naturale & diuinum, quo iſta ſubditis erga ſuos Principes obedientia præcipitur, vllo modo diſpenſare: atque ob eam cauſam neque abſoluere ſubditos ab illa obligatione, neque in non parentes ſibi legitimum obſequiũ prohibẽti, iuſta excommunicatione animaduertere. Quæ omnia ſingillatim authoritatibus, teſtimoniis, & *ineluctabilibus*, vt videtur, argumentis ſuperius concluſa ſunt. Sed ea tamen Eccleſiæ æſtimanda relinquam. Is enim ego ſum, qui me, meáque omnia, ſanctiſſimæ matris meæ arbitrio iudicióque ſubmitto.

Cap. XXXI.

QVæ hactenus à nobis dicta ſunt, de ſuprema Regum & Principum in rebus temporalibus dominatione, déque obſequio illis non denegandò in omnib. quæ Dei mandatis & bonis moribus non repugnant: ea quidẽ, ſolemni & diuturna antiquorum Patrum, & totius Eccleſiæ obſeruatione confirmantur. Nam quanquam maximã opportunitatem & facultatem habebant deturbandi, & deiiciendi de ſolio malos Principes Chriſtianos, à quibus erant multis priuatis publiciſque iniuriis laceſſiti, iis tamẽ de Principatu controuerſiam nullo modo mouerunt: nullam humani obſequii particulam denegarunt, erroribus tantùm ipſorum liberè, ſapienter, & animosè reſtiterunt, atque ita multitudinem in officio erga Deum & Regem continentes, vtrumque præceptum de Deo & Rege timẽdo honorandóque adimplerunt. Et verò hoc præcipuum remedium eſt conſeruandi à lapſu, & reuocandi ab erratione animos: atque etiam via & ratio expeditiſſima Reges & Principes inſana hæreſi efferatos, ab immanitate ad humanitatem, ab errore ad veritatem, ab hæreſi ad fidem, reducendi: eamque rationem Patres antiqui

in eiuſ-

in eiuſmodi caſibus ſemper inibant; quam ſi poſterioribus ſeculis Pontifices alii fuiſſent ſecuti, ac non ſuperbam illã & odioſam, in Reges & Imperatores, temporalem dominationem ſibi arrogaſſent, melius quàm nunc cum Republica Chriſtiana ageretur, & forſitan hæreſes iſtæ, quibus nunc premimur, fuiſſent in ipſis cunabulis ſuffocatæ.

Nam & euentus rerum, in hunc diem, ſatis docent, parum aut nihil proficere Pontifices, dum hac ſublimi, lubrica, & præcipite via incedunt: ſed ſæpius turbas, ſchiſmata, atque bella eo modo in Chriſtianis gentibus excitare, quã fidem Chriſti propagare, vel Eccleſiæ vtilitatem & libertatem augere. Quàm fuerit inutilis & pernicioſus Chriſtianæ Reipub. Gregorii VII. (qui primus Pontificum hoc iter tentauit) in Henricum IV. conatus, ſatis iam ſuperius demonſtraui. Quis autem ignorat quàm parùm profuerit, imo quàm multùm obfuerit Eccleſiæ, Bonifacii VIII. impetus & cenſura in Philippum Pulchrum: ſimiliter & Iulii II. in Ludouicum XII. Franciæ Reges: Clementis VII. & Pauli III. in Henricum VIII. & Pii V. in Elizabetham Angliæ Reges? Nonne hi omnes Principes Papale illud imperium, vltra ſpiritualis iuriſdictionis fines protenſum, tanquam meram arrogantiam, & vſurpatam dominationem, non ſolùm non agnouerunt, ſed ſpreuerunt atque riſerũt? De poſtremis duobus Pontificibus auſim liquidò affirmare, (eſt enim orbi notiſſimum) in cauſa eos fuiſſe perdendę religionis in Anglia, quòd iſtam tam inuidioſam, & latè patentem poteſtatem, in regni illius Principem & populum, ſibi aſſumere & exercere conati ſint. quanto igitur rectius & ſapientius Clemens VIII. qui ſpirituali & paterna charitate, & virtute nomini ſuo idonea, nutantem regni Francici in religione ſtatum erigere ac ſtabilire maluit, quàm faſtuoſa & minace temporalis imperii authoritate contendere? quod ſciret eam rarò, ac vix vnquam fœlices exitus habuiſſe.

Regibus quidem, & Principibus omnibus, qui ſoli Deo & gladio ſe regna & principatus debere, haud vanè gloriãtur, innata quadam animi elatione peculiare eſt, velle potius glorioſè occumbere, quam alieno imperio ſceptra ſubmittere, & iudicem ac ſuperiorem aliquem in temporalibus agnoſcere. Ob eamque cauſam ne expedire quidem Eccleſiæ, & Reipub. Chriſtianæ videtur, Papam ea in Principes ſeculares poteſtate præditum eſſe, propter varias

ferendis, minationibus terreri, vt iis potius in pietatem & religionem accédantur. Et verò ſatis conſtat, temporalem hanc poteſtatem, quam Papa ſuper omnes mortales ab aliquot retrò ſeculis ſibi vendicat, Principibus vſque adeo eſſe exoſam, vt ne ij quidem qui Petri ſedem vel maximè venerantur, & ſummam ſucceſſorum eius poteſtatem in ſpiritualibus agnoſcunt, illius temporalis dominationis commemorationem haurire auribus, ſine indignatione poſſint. quòd talis nimirum imperii Pontificalis nullum in ſacris literis, vel traditionibus Apoſtolorum, vlliſue antiquorum Patrum ſcriptis, teſtimonium, ac ne veſtigiũ quidem appareat, & rem tanti momenti, tantam dico regnandi libertatem, euinci ſibi ſine manifeſto Dei verbo, & euidente probatione, neque ipſi ferre poſſint, neque vlla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patiatur.

Quapropter cordatis hominibus plerumque viſum eſt, Pontifices tranquillitati Eccleſiæ, facilius conſulturos, ſi more maiorum in ſpiritualis iuriſdictionis finib. conquieſcant, & pro ſua Apoſtolica charitate precibus & lachrymis orãdo, obſecrando, obteſtando, humiliter à malis Regibus contendant, rectam vt in viam redeant: quàm ſi odioſa hac tẽporalis poteſtatis interminatione (per quã nihil aut parum proficiunt) morum & fidei emendationem ab iiſdẽ, velut per vim & metũ conẽtur extorquere. Quod ſi tàm ſint obſtinati in malo Principes, vt nullis moueri lachrymis, nullis precib. flecti poſſint, Dei auxiliũ implorandũ, Deiq; iudicio relinquendi. Sed ad cætera nũc pergam.

CAP. XXXII.

SEcundum argumentum quod Bellarminus ex quinta ſua ratione, ſuperius à nobis relata, deducit, his verbis, ab eo proponitur. *Poteſt Paſtor arietes furioſos deſtruentes ouile, ſeparare & recludere: Princeps autem eſt aries furioſus deſtruens ouile, quando eſt Catholicus fide, ſed adeò malus vt multũ obſit religioni & Eccleſia, vt ſi Epiſcopatus vendat, eccleſias diripiat, &c. Ergo poterit paſtor Eccleſiæ eum recludere* (dicendum potius *excludere*, recludere enim aperire eſt) *vel redigere in ordinem ciuium.*

Argumentum hoc quidem admittimus, & præterea quicquid inde neceſſaria conſequutione infertur: inferri autem nihil aliud poteſt, niſi Paſtori Eccleſiæ, quo nomine Papam hic intelligamus, ius faſque eſſe expellere malũ

Principē de ouili Domini & eum excludere, ne cū reliquo grege Chriſtiano in caula Dominica conquieſcat: id eſt, eum extra communionem Eccleſiæ & Sanctorum, per excommunicationem eiicere, atque omnibus regenerationis in Chriſto commodis ſpoliare, ac tradere ſatanæ, vſque ad legitimam errati & contumaciæ ſatisfactionem. At hæc tota pœna ſpiritualis eſt & eccleſiaſtica, & maxima quidem omnium quas habet Eccleſia [1]: vltra quam quod agat, vel contra priuatum, nihil eſt: niſi vt Principem politicum delinquente ſuperiorem adeat, & ei pro vindicanda piæ matris iniuria, ſupplicet: qui quoniam nutritius Eccleſiæ eſt, in eius deſertores & rebelles animaduertere corporalibus & ciuilibus pœnis debet. At hoc auxilio temporali deſtituitur Eccleſia, quando ipſemet ſummus Princeps eſt, qui committit propter quod meritò excommunicari poſſit, quia ipſe nullum habet ſuperiorem, nulliſque ad pœnam legibus vocatur tutus imperii maieſtare. licet igitur Paſtor Eccleſiæ ſiue Papa, excludere eum ab ouili per excommunicationem poſsit, atque ita bonis omnibus ſpiritualibus priuare, nihil tamen eorum quæ ciuili & humana poteſtate poſsidentur, tollere & adimere ei poteſt: quia non Eccleſiaſticis, ſed policitis legibus, quæ in manu Regum ſunt, res tales ſubiiciuntur, & ſicut nemo Chriſtianus poteſt ſiue Princeps, ſiue priuatus, Papæ iudicium in ſpiritualibus effugere: ita nec ſubditus aliquis quocunque ordine & loco ſit, Regis ſeu Principis ſui iudicium in temporalibus declinare. Nam quod clericorum cauſæ aliis quam politicis iudicibus committantur, id ſingulari Principum beneficio & priuilegio indultum eſt, quādoquidem iure communi non minus Clerici quam Laici imperio temporali ſecularium Principum ſubſunt. idque ea ratione conſtat, quam ipſemet Bellarminus tradit [2]. nēpe, *Clerici præter quam quod clerici ſunt, ſunt etiam ciues, & partes quædam Reipublicæ politicæ. inde* eſt, ꝙ olim, ſub optimis & piiſſimis Principibus Chriſtianis, cauſæ omnes Clericorū ſolitæ fuerint, tàm ciuiles quàm criminales, modò nō Eccleſiaſticæ, apud politicos & temporales magiſtratus agitari [3]. Suam igitur, quâ nunc fruuntur, in hac re libertatem, Clerici omnes Principibus ſecularibus accepto ferre debent, vt capite 15. ſuprà oſtendimus. Vnde miror eundē Bellarminum aſſerere, Papam potuiſſe eximere ſimpliciter Clericos, propria authoritate, per legem canonicam, à ſubie-

1 Can. corripiantur. 24. q. 3.

2 Lib. 1. de Clericis cap. 28.

3 Vide S. cap. 15.

à ſubiectione temporalium Principum. Id enim, pace tanti viri dicam, eſt falſo falſius. quia lex Chriſti neminem priuat iure dominioque ſuo : priuaret autem, ſi per eam ius & dominium temporale, quod Principes, antequam fierent Chriſtiani, in Clericos habebant, ipſis inuitis auferret. Deinde cùm ipſemet Papa exemptionem ſuam non alio iure, quàm Principum largitate & beneficio nactus ſit (nam vt aduerſarii fatentur, ſubiectus erat de iure & de facto Ethnicis Principibus, ſicut alii ciues) abſurdum eſt dicere eum potuiſſe liberare alios ab illa ſubiectione. alioqui id in eũ conueniret, quod impii Iudæi blaſphemantes Chriſto Saluatori exprobrarunt [1]: *alios ſaluos fecit, ſeipſum non potuit ſaluum facere.* Matt. 27.

Nec maior in hac re Patrum in Conciliis, quàm Papæ, authoritas eſſe potuit. quapropter locus hic poſtulat, vt alium etiam errorem coarguamus, qui ex quorundam Cõciliorum decretis, non ſatis perpensè conſideratis latiſſimè emanauit, & nunc neſcio ad quos tandem non pertingit: Concilia nempe liberaſſe Clericos à poteſtate & iuriſdictione magiſtratuum ciuilium; quo nihil quicquam magis à veritate alienum. Nuſquam enim in aliquo Concilio reperitur, Patres id ſibi authoritatis aſſumpſiſſe, vt iudices ſeculares Imperio & iuriſdictione in Clericos priuarent, aut vllo modo prohiberent, ne de Clericorum cauſis apud ſe in iudicium deductis cognoſcerent: niſi poſtquam ſingulari Principum beneficio, quod à Iuſtiniano incepit, id fori priuilegium Clericis conceſſum eſt. Nam cùm ipſimet illi Antiſtites, qui Conciliis intererant & præerant, tẽporalibus poteſtatibus ſubditi eſſent (vt docet S. Auguſtin. in expoſitione cap. 13. epiſt. ad Roman.) fieri non potuit, vt aut ſeipſos aut alios, propria authoritate, ab illa ſubiectione liberarent. Sciendum itaque eſt, priſcos illos Eccleſiæ Patres, apud quos diſciplina Eccleſiaſtica, cuius nunc neglectus nimius eſt, ſyncerè & ſeuerè viguit, omnẽ nauaſſe operam, vt Clerici non ſolum doctrinâ, ſed morum etiam probitate, & vitæ innocentiâ, populo prælucerẽt. ob eamq; cauſam Clericos omnes monuiſſe, & Cõciliorũ decretis ſiue canonib. ſanxiſſe, ne ipſorũ aliquis, aduerſus alium, querelas vllas ciuiles aut criminales ad ſecularẽ iudicẽ deferret: ſed vt cõtrouerſias ſuas omnes, vel inter ſe amicorũ arbitrio cõponerent, vel, ſi id nollẽt aut nequirẽt, eas, Epiſco-

pali

pali ſaltem iudicio terminarẽt. Atque hæc quidem eodem, aut certè non abſimili conſilio ſtatuerunt, quo D. Paulus in epiſt. 1. Cor. prohibuit ne Chriſtiani alii alios ad Ethnicorum & infidelium iudicum tribunalia cogerent, ibique
Cap. 21. contenderent: de quo modò agebamus [1]. eo inquam conſilio fecerunt id Patres iſti, vt ſi quid humanitus Clericis contingeret, quod laicis ſcandalo eſſe potuit (veluti vitia quæ humanâ fragilitate committuntur) id tectiùs & occultiùs apud proprios Epiſcopos emendaretur, nec ad aures imperitæ multitudinis perueniret, quæ ſæpè doctrinã moribus metitur, & aut contemptui aut ludibrio eiuſmodi Clericorum lapſus habere ſolet. & præterea ne Clerici, qui pacis & concordiæ ſtudioſi eſſe debent, & charitatis ac patientiæ exemplum opere & ſermone præbere, litium & diſcordiarum viam ſternere ſecularia iudicia frequentando, viderentur.

His ergo decretis Conciliorum nihil iuri Laicorum detractum eſt, quo minus de cauſis Clericorũ cognoſcerent. Non enim vetuerunt Patres, imò nec vetare potuerunt, ne iudices ſeculares cauſas Clericorum ad ſe perductas diſceptarent, definirentque (id enim fuiſſet Principibus & Magiſtratibus ius dominiumq; ſuum eripere, quod lex Chriſti nõ permittit) ſed vetuerũt ne Clerici alii alios ad eiuſmodi iudices pertraherent, Canonicis ſiue Eccleſiaſticis pœnis in non parẽtes conſtitutis. Hoc autem conſtituere rectè & legitimè ſine cuiuſquam iniuria potuerunt: quemadmodum bonus multorum liberorum pater, præcipere poteſt filiis, & ſub pœnis domeſticis prohibere, ne inter ſe de vllis controuerſiis apud iudicem contendant, ſed vt de patris aut fratrum ſententiâ litem omnem diſcordiamque conſopiant: nec id liberis imperando, legitimorum iudicum poteſtati quicquam præiudicat. Ita planè Conciliorum Patres filiis ſuis, id eſt, clericis, actionum inter ſe apud ſeculares iudices exercitio interdixerunt, non auferendo quidem Laicis cognoſcendi & iudicandi facultatem, ſed adimendo Clericis priſtinam ipſos impunè adeundi libertatem. Hoc autem non eſt eximere Clericos de poteſtate & iuriſdictione magiſtratuum temporalium, ſed tantùm viam & modum inire, per quẽ Clerici aduerſus clericos negotium habentes, ius ſuum facilè conſequantur, ſine vllo forenſi ſtrepitu Laicorum. Atque hæc ita prorſus ſe habere ne quis omnino dubitet, operæpretium eſſe exiſtimaui,
ipſa

ipſa Conciliorum decreta ſubiicere, ex quibus malè intellectis error iſte ortus eſt: vt inde Lector narrationis noſtrę veritatem intelligat.

Primum ergo quod de hac re aliquid decreuit, fuit Concilium Carthaginenſe tertium, anno Domini 397. celebratum: cui interfuit S. Auguſtinus, & ſubſcripſit. eius Concilii can. 9. ſic ſcribitur. *Item placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum ſeu clericorum, cum in Eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali iudicio. In ciuili verò perdat quod euicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices vndique patet authoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio indicat, qui de vniuerſa Eccleſia malè ſentiendo, de iudicio ſeculari poſcit auxilium: cum priuatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* Ecquod hic verbum eſt, ex quo probabili aliqua ratione colligi poſſit, Concilium voluiſſe clericos magiſtratuum ſecularium iuriſdictione eximere? aut clericis laicos non eſſe legitimos iudices indicare? quin planè cōtrà oſtendit, ſe non negare ſeculares iudices de cauſis clericorum rectè cognoſcere & iudicare poſſe, nec ſe ipſorum ſententias, quaſi à non competente iudice latas improbare: ſed tantùm id agere, vt eorum clericorum leuitatem & procacitatem coerceat, qui poſt cauſam in Eccleſia tractari cœptam, ſpretis & relictis iudicibus eccleſiaſticis, laicorum ſe arbitrio iudicioque committunt. quo caſu, non improbat quidem Concilium ſententiam à ſeculari iudice latam, nec eum non legitimum iudicem fuiſſe pronunciat, ſed tantùm pœnæ nomine priuat clericum fructu & emolumento talis ſententię, propter eius improbitatem. Quod autem illius Concilii Patres tunc agnoſcebant, Magiſtratus ciuiles eſſe legitimos iudices clericorū, ex eo ſatis intelligi poteſt, quòd decretum hoc ſuum ad eum caſum reſtrinxerunt, quo crimen clerico *in Eccleſia fuerit intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota.* extra hos caſus ergo, clericis licebat impunè, per hūc Canonē, in foro ciuili cauſa ſuas perſequi, & coram iudice ſeculari litigare.

Cui enim ad eligēdos, &c. Hoc ideò dicitur, quia tunc temporis magiſtratus ſolebant dare iudices priuatis cauſis diſceptandis poſtulatu litigatorum, & de eorum conſenſu: & ideò clericorum conſortio indignum iudicabāt, qui iudicē potius Laicum quàm Clericum poſtulabat.

Sequutum deinde eſt celeberrimum Concilium Chalcedonenſe ann. Dom. 451. quod Can. itidem 9. ſic ſtatuit. *Si quis Clericus aduerſus Clericum habeat negotium non derelinquat.*

linquat proprium epiſcopum, & ad ſecularia percurrant iudicia. Sed prius actio ventiletur apud proprium Epiſcopum, vel certè conſilio eiuſdem Epiſcopi, apud quos vtraque partes voluerint, iudicium obtinebunt. Si quis præter hæc fecerit, canonicis correptionibus ſubiacebit. Ecce vt Concilium hoc ſermonem dirigit ad Clericos, ne propriis Epiſcopis relictis iudices adeant ſeculares: non autem ad Magiſtratus & iudices temporales, ne venientes ad ſe Clericos audiant, & cauſâ cognitâ pronuncient, ac iudicatum facere, iuris ordine compellant. nihil ergo poteſtati Laicorum hoc Canone detrahitur. quinimo verba illa Canonis ſiue decreti, *ſed prius actio ventiletur apud proprium Epiſcopum,* ſatis oſtẽdunt Concilii Patres id ſolùm exigere, vt cauſæ omnes Clericorum in prima inſtantia apud epiſcopum ventilentur; deinde ſi opus fuerit, ad ſecularis iudicis examen deferatur: neque enim veriſimile aut credibile eſt verbum illud *Primùm* à tot ſummis & ſapientibus viris otioſè & ſuperfluè poſitum fuiſſe: atque ita canon ille omninò conuenit cum Nouella Iuſtiniani conſtitutione 83. in Clericorum gratiam facta. *Vt Clerici apud proprios Epiſcopos primum conueniantur, & poſt hoc apud ciuiles iudices.* Non ergo infirmatur hoc canone, ſed potius confirmatur iuriſdictio ſeculariũ iudicum in Clericos.

Eodem modo in Concilio Agathenſi, ſub Alarico Rege, anno Dom. 506. Patres qui eo conuenerant, can. 32. ſtatuerunt, *ne Clericus quenquam præſumat apud ſecularem iudicem, Epiſcopo non permittente pulſare.* quem canonem Gratianus in ſuum Decretum, mutata lectione, & ſenſu detorto, non ſine flagitio tranſtulit. Nam quod dixerat Concilium, *Clericus ne quenquam præſumat*, & cap. id ille ad ſuam ſententiam hoc modo corruptam traxit [1]. *Clericum nullus præſumat apud ſecularem iudicem, Epiſcopo non permittente, pulſare.* Vt prohibitio etiam Laicos includat, ne Clericum coram iudice ſeculari conueniant: cùm tamen ſolis Clericis facta ſit, nulla de laicis habita mẽtione. quinimo pars ſecunda illius canonis manifeſtè oſtendit, Concilium ita demum laicis Clericos ad ſecularia iudicia trahentibus ſuccenſere, & pœnas Eccleſiaſticas proponere; ſi per calumniam vexandi animo id egerint. Sequitur enim in eo Canone: *Si quis verò ſecularium per calumniam, Eccleſiã aut Clericos fatigare tentauerit*, apud ſeculares iudices ſcilicet litigando, *& conuictus fuerit ab Eccleſia liminibus, & à Catho-*

[1] XI. q. 1. Can. Clericum.

à Catholicorum communione, niſi dignè pœnituerit, coerceatur. Corrupit autem Gratianus non ſolùm huius Concilii ſentẽtiam, ſed etiam epiſtolæ Marcellini Papæ, in eadẽ Cauſ. & quęſt. can. 3. & pro *Clericus nullum*, poſuit *Clericum nullus.* vt mirum non ſit, Canoniſtas, qui Gratiani tantùm collectanea perlegebant, falſa lectione deceptos, in hunc quem carpimus errorem incidiſſe. ſed mirum eſt Bellarminum corruptam illam Gratiani lectionem vtrobique ſequutum eſſe, ac non potius veram & genuinam ipſorum authorum in ſuis Controuerſiis, lib. 1. de Clericis cap. 28.

In Matiſconenſi autem Concilio I. ſub Guntramno Rege habitum, anno Dom. 576. Canon. 8. in hunc modũ conſcriptus eſt. *Vt nullus Clericus ad iudicem ſecularem, quemcunque alium fratrem de Clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere, quocunque loco præſumat: ſed omne negotium Clericorum aut in Epiſcopi ſui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi præſentia finiatur.*

Et in tertio Concilio Toletano, quod Æra 627. hoc eſt, ann. Dom. 589. regnante Reecaredo Rege celebratum eſt, Canone 13. de Clericis ſimiliter ſtatuitur. *Diuturna indiſciplinatio, & licentia inolita præſumptio, vſqueadeò illicitis auſibus aditum patefecit, vt Clerici conclericos ſuos, relicto Pontifice ſuo, ad iudicia publica pertrahant. Proinde ſtatuimus hoc de cætero nõ præſumi. Si quis hoc præſumpſerit facere, & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.*

Hæc illa ſunt ſolennia & ferè ſola ſacrorum Canonum decreta, in quibus errorem ſuum fundant, qui falsò putãt, Concilia potuiſſe eximere, & de facto exemiſſe, Clericos de poteſtate Laicorum: quos tamen ipſimet Canones adeò perſpicuè redarguunt, vt nihil neceſſe ſit alia, ad eam opinionem conuellendam, aliunde accerſere. Atque hæc ego quidem, non eo animo & conſilio, vt priuilegia Clericorũ exagitem, aut quod ea illis inuideam, vel detrahi cupiam. Sciunt qui me norunt, quo ſemper loco Eccleſiaſticos homines habuerim habeamque. Sacerdotes Dei, vt parentes, veneror, omnique honore dignos cenſeo. Sed eos, tanquam humilis filius moneo ne ingrati ſint, nec benefactores dedignentur, à quibus tot illis priuilegia acceſſerũt. Principes temporales vt Patronos, & libertatis ſuæ vindices, ac protectores, colere & ſuſpicere tenentur: & non, vt quidam eorum nunc faciunt, negare ea ſe Principibus debere; ſed libertatem & exemptionem omnem Pontificiis

& Ca-

& Canonicis conſtitutionibus accepto ferre; quo nihil ab ingratis animis proficiſci poteſt ingratius. Non enim à Pōtificibus ſed a Principibus ſecularibus, nec a Canonibus ſed à legibus, quicquid habent temporalis libertatis acceperunt.

CAP. XXXIII.

Amplius dicam, & veritatem dicam, licet odium fortaſſis mihi parituram ab iis quibus omnia ſunt inuidioſa, quæ ſuo ſtudio & deſiderio vel minimum aduerſantur. Dicam ergo, & grande verbum proloquar, cuius fortè aut nondum meminit quiſquam, aut, ſi meminit, ſaltem eos quorum intererat id ſcire, non vt debuit commonefecit. Clericos ſcilicet per totum orbem, quocunq; ordine vel gradu ſint, non eſſe adhuc vllo modo exemptos & liberatos à poteſtate temporali Principum ſecularium, in quorum regnis & regionibus vitam degunt, ſed perinde ac cæteri ciues iis ſubiectos eſſe in omnibus, quæ ad politicam & temporalem adminiſtrationem & iuriſdictionem pertinent, inque eos ius vitæ ac necis, ſicut in cæteros ſubditos ad eiuſmodi Principes pertinere; ac proinde quidem poſſe Principem (de eo loquor qui ſuperiorem in temporalibus non agnoſcit) Clerico delictum quodlibet nō Eccleſiaſticum committendi, culpam vel clementia & indulgentia condonare, vel debitis legè ſuppliciis vindicare. Hoc etſi durum, & paradoxo ſimile iis fortè videatur, qui contrariæ opinionis errore imbuti ſe in ſolius ſummi Pontificis ditione ac poteſtate conſtitutos arbitrantur, nec vllis præterea humanarum legum conſtitutionibus obligari: faxo tamen breuiter vt planè intelligant, nihil hoc verbo eſſe verius, dummodo faciles aures velint rectæ rationi aperire. Pendet autem eius veritas ex iis quæ ſuprà de melioris notæ Theologorum ſententiâ poſita ſunt & probata: & inde neceſſaria atque euidenti concluſione mox demonſtrabitur. Primùm igitur poſitum eſt & conceſſum, atque etiam firmiſſimis rationibus & teſtimoniis confirmatum, Chriſtianos omnes tam Clericos quàm Laicos in Regum & Imperatorum manu ac poteſtate fuiſſe, quamdiu Eccleſia ſub Ethnicis Principibus militabat: Atq; hoc quidem demonſtrationis noſtræ fundamentum eſt: cui illud accedit, quod ſimiliter poſitum eſt & conceſſum, nempe *legem Chriſti neminem iure dominioq; ſuo priuare*, quia *non*

venit

venit ſoluere legẽ ſed adimplere. ac proinde Principibus poſtea ad fidem perductis certũ eſt Clericos omnes eodem ordine & loco manſiſſe, quantum ad ſubiectionẽ temporalẽ, quo prius erant, Principibus in infidelitate cõſtitutis. quia lex Chriſti neminem priuat dominio ſuo, vt dictum eſt. atq; ea [illegible]one priuilegia & exemptiones à piis Principibus Clericis ſunt conceſſa, quibus neutiquam opus illis fuiſſet, ſi Clerici non pleno iure, vt antè, ſub Principum poteſtate & iuriſdictione manſiſſent. Hæc adeò clara ſunt & aperta, & tam ſupra tot teſtimoniis, tot monimentis, probata & teſtata, vt ea repetere hoc loco, aut illis aliquid addere, opera ſuperuacanea videatur. quod ſequitur ergo videamus: videamus inquam, quo modo ex iſtis principiis ſuperior ſententia noſtra, manifeſta demonſtratione, & concludẽdi neceſſitate procedat. nempe hoc modo. Nuſquam memoriæ proditum eſt ab vllo ſcriptore, Principes qui iſtis Clericos priuilegiis & exemptionibus donarunt, ita eos à ſe liberos dimiſiſſe, vt ſibi amplius non ſubeſſent, nec Maieſtatem agnoſcerent, imperióve parerent (legantur quæ de priuilegiis illis ſcripta ſunt, ne minimum quidem in iis tantæ libertatis teſtimonium reperietur.) Id tantùm Clericis largiti ſunt, ne apud magiſtratus ſeculares, ſed apud proprios Epiſcopos & iudices Eccleſiaſticos conueniãtur: hoc autem non eſt eximere Clericos de poteſtate ipſorum Principũ, aut eorum iuriſdictioni iudicioque pręiudicium facere, ſi quando illis libitum fuerit de cauſis Clericorum cognoſcere, quæ modo merè ſpiritualia non ſunt. imò nõ potuerunt Principes, nec adhuc poſſunt, Clericos in ſuis regnis conſtitutos ea libertate donare, ne ipſis poteſtate temporali ſubſint, néve delinquentes ab iis iudicari & puniri poſſint, niſi eâ dem operâ ſeſe principatu atque Imperio abdicent. eſt enim proprium Principum inſeparabile, animaduertere poſſe in delinquentes, & omnia Reipublicæ membra, ciues inquam omnes, pœnis & præmiis legitimè gubernare. Et ſicut in corpore naturali mẽbra omnia capiti ſubiiciuntur, atque ab eo reguntur, vt monſtroſum planè corpus appareat, in quo ſuperflua & à capitis Imperio aliena membra conſpiciũtur: ita etiam in corpore politico, neceſſe eſt membra omnia Principi, ſeu capiti, eſſe ſubdita, & ab eo regi, hoc eſt præmiis vel pœnis affici ſecũdum merita ſingulorum. Atqui Clerici (vt fatentur aduer-

1 Bellarm.libr.1. de Cleric.cap.28.

ſarii) [1] *præterquam quod clerici ſunt, ſunt etiam ciues, & partes quadam Reipublica politica.* quod verum eſt; & eâ ratione inter regni ordines numerantur, primumq; locum obtinent. Ergo vt ciues & Reipublicæ politicæ partes, Principi ſubſunt; nec poſſunt ei in temporalibus, quamuis id ipſe vellet, non eſſe ſubiecti: alioqui verò aut ipſe Princeps non eſſet, aut non illi ciues. Stultum igitur eſt exiſtimare Clericum in quacunque cauſa conuentũ (modò non merè ſpiritualis ſit) poſſe ſummi Principis conſiſtorium declinare, aut eius, cui ex certa ſciẽtia, Princeps cauſæ cognitionem ſpecialiter mãdauit. Nam quod Principes perrarò de cauſis Clericorũ cognoſcunt, aut ſuis eas magiſtratibus mandant, id non poteſtatis ſed voluntatis defectũ arguit. Hinc eſt, ex hoc inquam Principum ſecularium in Clericos Imperio temporali, quòd noſtro ſeculo Carolus V. Imperator vocari in ius ad ſe fecit, Hermannum Archiepiſcopũ Colonienſem, vt de criminib. à clero & Vniuerſitate ei obiectis ſe purgaret: [2] quodque multis in locis Principes ſibi quædam Clericorum delicta ſpecialiter vindicanda reſeruarunt: eaque ſuis magiſtratibus cognoſcenda & iudicanda committunt. vt ſunt illa crimina quæ priuilegiata vocantur in Gallia, veluti maieſtatis, geſtationis armorum, adulterinæ monetæ, infractæ ſecuritatis, & ſimilia: neque per hoc vllam Clericis iniuriam fieri, aut Eccleſiaſticam libertatem aliqua ex parte impediri, minuíve putandum eſt. Multi Eccleſiaſticam libertatẽ in ore habent, qui prorſus, cuiuſmodi illa ſit, ignorant. nos eam alio loco [3], quid ſit, & in quibus conſiſtat, vberius explicabimus.

2 Surius in comment. anno 1545.

3 Infra cap. vlt.

Quæ cùm ita ſint, nemini, credo, obſcurum eſſe poteſt, omnem Clericorum libertatem temporalem, tàm quoad perſonas quàm quoad res, à ſecularibus Principibus eſſe profectam; non autem, vt quidam putant, vel iure diuino debitam, vel à ſummo Pontifice. aut Canonibus, iis tributam. Nam quod Bellarminus pro ſupplemento & ratione affert, [4] vt probet Papam & Concilia exemiſſe ſimpliciter Clericos de poteſtate temporali, *legem* ſcilicet *Imperialem cedere debere legi Canonica*, id non vniuersè verũ eſt, ſed tunc ſolùm, quando lex Canonica de rebus merè ſpiritualibus & Eccleſiaſticis lata eſt: ſubiectio autem vel libertas Clericorum in ciuilibus negotiis, non eſt res merè ſpiritualis & Eccleſiaſtica, ſed potius politica & temporalis, quo caſu ſacri

4 Dict. lib. 1. cap. 28. de Cleri.

ſacri Canones non dedignãtur imitari leges ciuiles. [1] Nec maior vis in eo eſt quod ſubiicit, *Papam poſſe Imperatoribus iubere in iis, quæ ad Eccleſiæ authoritatem ſpectant.* quaſi diceret, Papam potuiſſe cogere Imperatorem emittere Clericos de ſua poteſtate, quia libertas Clericorum ſpectat ad Eccleſiæ authoritatem. Nam hoc quoque falſum eſſe ex eo dignoſcitur, quod nunquam maior fuerit Eccleſiæ authoritas, quàm tũc cùm Clerici omnes Principibus Chriſtianis, & Principum Magiſtratibus, temporali ſubiectione paruerunt. Nec iſta quidem Clericis exemptio & libertas ad augendam Eccleſiæ authoritatem conceſſa eſt, illa quippe non minor antea fuit; ſed ad eos liberandos à vexatione & moleſtiis, quas ſæpè ſecularium iudiciorũ rigor & ſeueritas adferebant.

Cap. 1. de noui operis nunciat.

Hinc illa exiſtit quæſtio. Liceátne Principibus, in ſuo cuique territorio ſine vllâ Eccleſiæ iniuria, priuilegium iſtud exemptionis Clericorum, à ſecularium iudicum cognitione, aliquo caſu reuocare, atque ad ius commune & ſtatum priſtinũ rem totam reducere? De qua non ita pridẽ cõſultus & interrogatus, nihil dum reſpõdi, niſi nouã eam mihi videri, & deliberationem difficilem: licet enim à nonnullis propoſita ſit; à nemine tamen pro dignitate tractata eſt. Mouebat conſultores communis & vſitata adimendorum priuilegiorum ratio, quam ſolet ipſemet Pontifex, omneſque Principes obſeruare: ea eſt, ſi aut Reipublicæ noxia eſſe incipiant, aut cauſa, propter quam conceſſa erant, defecerit, aut ipſis priuilegiarii ad malum & illicitum finem abutantur. Et cauſam quidem huius exemptionis concedendæ adhuc durare, ſemperque duraturam dicebant: reuerentiam nempe quam omnes ei hominum generi exhibere debent: tamen abuſum, non ſine magno totius ordinis Eccleſiaſtici ſcandalo, multis in locis adeò frequentem eſſe, vt id illis beneficium meritò adimi poſſe videatur. Hæc illi. Sed nos ea de re in libris, *de corruptione ſeculi*, ſi Deus vitam & vires dederit, vberius & explicatius diſputabimus.

Cap. XXXIV.

Ad argumentum nunc igitur reuertor, quod capitis 32. initio propoſitum eſt, & reſpondeo, nihil illud ad bonorum quorumlibet tẽporalium nedum ad regni ademptionẽ pertinere. Certũ enim eſt, & certo certius, „ex-

cõmunicationẽ, quâ ſolâ ſeparãtur & excludũtur peruerſi Chriſtiani à conſortio fidelium, & communione Eccleſię, nemini patrimonium & bona temporalia auferre; niſi ex eiuſmodi cauſa procedat, quam Princeps temporalis, pœnâ publicationis bonorum vindicandam, ſuis legibus nominatim ſancierit. Quo caſu non Papa ſed Princeps, non excommunicatio ſed legis ciuilis latio bona excommunicato adimit. Papa certè, ne clerico quidem à ſe excommunicato & depoſito, ſiue degradato, bona patrimonialia auferre poteſt. [1] Malè quidem ageretur cum gente Chriſtiana, ſi per ſolam excommunicationem, latam à iure vel ab homine, excommunicatus rerum ſuarum dominio excideret: quandoquidem bona ſemel à fiſco harpagata, vix vnquam ad veterem dominum reuertuntur. atque ita excommunicatio quæ medicinalis eſſe debet, eſſet quodammodo exitialis: propterea quòd excommunicatus, licet culpam iuſta pœnitentia eluendo, in priſtinum ſtatũ gratiæ fuerit reſtitutus, bona à fiſco occupata, & forſitan conſumpta vel alii donata nunquã aut ęgrè recuperare poſſet.

Cap. cùm non ab homine de iudic.

Cenſuræ igitur Eccleſiaſticæ, quarum grauiſſima eſt excommunicatio, in animas, non in opes Laicorum agunt. ſicut è contrario, pœnis ciuilibus corpora, non animæ afficiuntur. Cùm itaque non pontificali ſed Principali authoritate, ſontes & facinoroſi bonorũ amiſſione plectantur: cùm inquam non Pontifex ſit, qui Eccleſiaſticæ iuriſdictionis poteſtate, & vi ac virtute excommunicationis, alteriúſve cẽſuræ quantumlibet iuſtæ & grauis, bona temporalia alicui priuato adimit: ſed Princeps tantum politicus, qui vt Eccleſiæ gratificetur, & ei factam iniuriam vindicet, nunc has nunc illas, arbitratu ſuo, pœnas in eius cõtemptores, legibus à ſe latis ſancite conſueuit: qui fieri poteſt, vt Papa ipſimet Principi, qui ſuper ſe neminẽ in temporalibus iudicem habet, quique legibus nullis ciuilibus tenetur, Regnum, Principatum, ditionem, dignitatem, omneque dominium, ſola Pontificia & Eccleſiaſtica authoritate eripiat? Nunquid plus ei poteſtatis in Principes, quã in priuatos, Dei lege, tributum eſſe conſtat? aut nunquid Principibus quàm priuatis duriore & deteriore cõditione eſt viuendum, vt quod Eccleſia in priuatum nequeat, id in Principem poſſit exercere?

Sed vt huius rei veritas aliâ adhuc ratione euidètius appareat, quæro ab iſtis, vtrum Papa maiore nunc cum autho-

thoritate Regibus & Imperatoribus præſideat, quàm quâ olim prædicus erat, antequam Conſtantini & aliorũ Principum largitate, ad temporalem principatũ eſſet euectus? an verò pari omninò; eâ ſcilicet quam Chriſtus Petro contulit, & quam nemo mortalium anguſtare vel amplificare poteſt, quamque, amiſſo omni principatu ſeculari, non eò minus ad finem vſque ſeculi retinebit? Et ſi maiore, vnde illa tandem? à Deo ne, an ab hominibus? neutrum certè ſine manifeſta calumnia affirmari poteſt. Ecquis enim, cui ſanum eſt cerebrum, vnquam dixerit, nouum aliquod Imperium in Reges & Principes Chriſtianos à Deo Pontifici datum, ex eo quod ipſe temporaliter quibuſdam in locis regnare, & diadematus ſimul ac mitratus in oculos hominum prodire cœperit? aut ſi dicat, vlla id poſſit vel ratione vel authoritate comprobare? Multo autem minus talis ei ab hominibus authoritas acceſſit. quia vt vulgò dici ſolet, *actus agentium non operantur vltra ipſorum voluntatem.* [1] & quamuis Reges & Imperatores Chriſtiani, ſuas Chriſti vicario ceruices in ſpiritualibus ſubmiſerint, & adhuc ſubmittunt (qui modò fidem orthodoxam profitentur) tamẽ nemo omnium in temporalem Papæ ditionem & poteſtatem conceſſit. nemo non liberam atque intactam ſuam iuriſdictionẽ ſecularem ſibi reſeruauit. quod ſi fortè aliter ab aliquo factitatum inueniatur, id exceptionis loco habendum eſt, per quam regula in non exceptis ſolidius confirmetur. Ex hoc a. fundamento, ꝙ certiſſima ratione nititur, argumentũ optimum ad hanc formam redigi poteſt.

[1] L. non omnis 19. D. de reb. cred.

Summus Pontifex non habet nunc maius Imperium in Principes temporales, quàm habuit antequam ipſe eſſet Princeps temporalis.

Atqui antequam eſſet Princeps temporalis, nullum in eos temporale Imperium vllo modo habuit.

Ergo nullum nunc quoque in eos vllo modo habet.

Propoſitionis veritas adeò eſt perſpicua, vt eam aliis argumentis oſtendere, nihil ſit neceſſe. Aſſumptũ autem probatur hoc modo.

Nemo inferior & ſubiectus habet Imperium in ſuum ſuperiorem & Dominum, vt poſſit eum iudicare in eo ipſo, in quo eſt ei ſubiectus.

Papa antequam fieret Princeps temporalis, erat Regibus & Imperatoribus, quantum ad temporalia, inferior & ſubiectus.

Ergo non habuit in eos temporale imperium, vt poſſet illos in temporalibus iudicare.

Huius quoque ſyllogiſmi propoſitio omnem extra cõtrouerſiam eſt, cum nemo niſi à ſuperiore iudicari poſſit, à ſuperiore inquam in ea ipſa re de qua iudicium conſtitutum eſt. Nam, vt ſæpius dictum eſt, *par in parem non habet imperium.* & per rerum naturam fieri non poteſt, vt vnus & idem ſit ſimul inferior & ſuperior, in eodem poteſtatis genere reſpectu vnius & eiuſdem: non magis quàm vt idem ſit pater & filius reſpectu vnius & eiuſdem, eaque ratione vtitur Bellarminus, vt probet Papam *non poſſe ſubmittere ſeipſum ſententiæ coactiuæ Conciliorum* [1]. Aſſumptionem fatentur aduerſarii, cùm affirment, & rationibus liquidò confirment, *exceptionem* (ſeu mauis exemptionem) *Clericorum in rebus politicis, tàm quoad perſonas, quàm quoad bona, iure humano introductam eſſe* [2]. Nam teſte Auguſtino, *iura humana, ſunt iura Imperatorum, quia ipſa iura humana, per Imperatores & Reges ſeculi, Deus diſtribuit generi humano* [3]. Ab Imperatoribus ergo & Regibus habent Clerici, quicquid exemptionis & libertatis eſt, quâ nunc in rebus politicis toto orbe perfruuntur, vt ſupra proximo cap. oſtendimus: idque gratuitò: non enim vt ea Clericis beneficia concederent, cogi ab Eccleſia vllo modo potuerunt. quandoquidem nulla id lege diuina expreſſum & cautum reperitur: & lex Chriſti neminem iure dominióque ſuo priuat, vt ipſi fatentur, & nos ſæpius monuimus. Ideóque, vt ipſorum fert doctrina [4], *Epiſcopi Regibus in temporalibus rebus, & Reges Epiſcopis in ſpiritualibus ſubiecti eſſe debent.* His omnibus conſequens eſt, Clericos communi reliquorum ciuium iure in rebus politicis & temporalibus vſos fuiſſe, & ſecularium iudicum poteſtati æquè ſubiectos, atque cæteros ciuitatum incolas, antequam iſtis exemptionum priuilegiis à Piis Principibus donarentur: nec vllum in ea re inter epiſcopum Romanum, ſiue Papam, & alios Clericos diſcrimen fuiſſe, multi ſancti Pontifices ingenuè faſſi ſunt. Quod ergo fieri potuit, factum eſſe fingamus: Pontificem ſcilicet nullo adhuc Principatu aut priuilegio temporali donatum, ſed ſicut eius coepiſcopi & fratres in Gallia, Hiſpania, Britannia, aliiſque in regnis, ſub alieno imperio vitam degere. Nonne ſuperioris argumenti neceſſitate euinceretur, non poſſe eum Principes, quibus temporaliter ſubiectus eſt, in temporalibus iudicare ac punire? Aut

1 Lib. 2. de Conciliis, cap. 18.

2 Bell. lib. 1. de Cler. cap. vlt.

3 Can. quo iure dist. 8.

4 Author. reſpõſi ad præcip. cap. apologiæ, quem multi Bellarminum eſſe dicũt.

Aut ergo maius nunc Imperium in Reges & Imperatores nactus eſt, per exemptionem & priuilegia ab ipſis cõceſſa, quàm antea habuit; aut eos adhuc non poterit in temporalibus iudicare.

Quod ſi fortè aliquis tàm ſit ineptus, vt dicat, Papam ſemper hanc poteſtatem ab ipſo Chriſtianæ Eccleſiæ primordio habuiſſe, iudicandi ſcilicet ac deponendi malos Principes, ſed iniuriâ temporũ, ex accidente quodam impeditum fuiſſe, ne eam exerceret, quamdiu illis quoad tẽporalia ſubiiciebatur: nunc verò, poſtquã temporali Principum iugo ſubtractus eſt, & Princeps temporalis effectus, nihil eſſe quod impediat quo minus iuriſdictionem illam liberè exerceat. ſi quis inquam hæc tam vana iactitet, non aliud ei reſpondendum eſt, niſi non ſolùm falſa, ſed etiam *ἀδύνατα* eſſe quę dicit, hoc poſito quod aduerſarii fatetur, quodq; veriſſimũ eſt: Pontifices nimirũ, antequam à piis Principibus temporali iuriſdictione penitus eximerentur, fuiſſe ipſis de iure & de facto ſubiectos. Impoſſibile enim eſt eos tunc habuiſſe illam poteſtatem: quia non competit niſi iure ſuperioritatis. implicat autem contradictionem, Papam fuiſſe iure ſuperiorem, & iure ſubiectũ, eodem tempore, & in eadem poteſtatis ſpecie, reſpectu vnius & eiuſdẽ. & naturalis rerum ordo non patitur, vt inferior ſiue ſubiectus ſuperiori & dominanti imperet. Cùm itaq; abſurdum ſit, & impium, exiſtimare Chriſtum Saluatorem, *qui non venit ſoluere legem, ſed adimplere*, aliquid contra legem naturalem, & ſanctiſſimam viuendi normam ſtatuiſſe, neceſſe eſt magno eos in errore verſari, qui aſſerunt Petro, & in eius perſona cæteris Pontificibus ei ſuccedentibus, ſupremam hanc, de qua ſermo eſt, poteſtatem, à Chriſto fuiſſe collatam: cùm nihil ad eius rei fidem faciendam adferant, præter rationes quaſdam remotas, & parùm firmas, ex ſimilitudinibus, comparationibus, allegoriis, & id genus aliis conſarcinatas, vt ex iis quas iam refutauimus videre eſt: quæ omnes reiiciendæ ſunt, & nihili faciendæ, quando ad eas poſitas & cõceſſas abſurdum aliquod, vt in propoſito, conſequitur; vel quando probabiliores, & fortiores rationes in Scripturarum & Patrum authoritate fundatæ contrariam ſententiam propugnant. Rom. 13.

Supereſt poſtremum Bellarmini argumentum, in quo refutando non multa opera opus eſt. *Tertium*, inquit, *argumentum eſt: Poteſt paſtor, ac debet, omnes oues ita paſcere, vt*

eis conueniat. Ergo poteſt ac debet Pontifex Chriſtianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum, ſecundum ſtatum ſuum tenetur, id eſt, ſingulos cogere, vt eo modo Deo ſeruiant, quo ſecundum ſtatum ſuum debent. debent autem Reges Deo ſeruire defendendo Eccleſiam, puniendóque hæreticos & ſchiſmaticos. Ergo poteſt ac debet Regibus iubere, vt hoc faciant, & niſi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliaſque commodas rationes.

Non video equidem quid hoc argumento contineatur, quod Pontificis authoritatem & poteſtatem temporalem confirmet, infirmetue. Nam eius principium de paſtu ſpirituali neceſſariò intelligendum eſt. facultates enim Pontificiæ, quamuis magnæ ſint, reficiendis omnibus ouibus paſtu corporali non ſufficerent. finis quoq; ſiue concluſio, de coercione & compulſione ſpirituali intelligi debet: ait enim *cogere per excommunicationem, aliaſque commodas rationes*, ſubaudi *Eccleſiaſticas*. Papa enim eſt paſtor Eccleſiaſticus, non temporalis, niſi quatenus ipſe nunc certis in locis temporalem principatum obtinet. Concedimus ergo totum iſtud argumentum, & vltrò fatemur, ac profitemur, Papam omnibus Principibus ſpirituali poteſtate imperare, illiſque iubere poſſe, vt faciant quę ad ſuam ſuorumque ſalutem pertinent, & ni faxint, *etiam cogere per excommunicationem, aliaſque commodas rationes.* Commodæ autem rationes ſunt omnes rationes ſpirituales, non autem temporales, niſi à temporali magiſtratu expediantur. Idque animaduertens Ioannes Driedo in libris de libertate Chriſtiana [1], poſtquam oſtendit duas haſce poteſtates & iuriſdictiones iure diuino in Eccleſia eſſe diſtinctas, *& omnem poteſtatem ſecularem in ſpiritualibus ſubiectam eſſe Papali poteſtati, ita vt Papa ratione curæ paſtoralis poteſtatem habeat in Imperatorem Chriſtianum, perinde atque pater ſpiritualis in filium, & tanquam paſtor in ouem ſuam, vt poſſit eum iudicare & corrigere, ſi laberetur in hæreſin, aut denegaret publicam iuſtitiam pauperibus & oppreſſis, aut leges conderet in præiudicium Chriſtianæ fidei* (quæ omnia nos quoque aſſerimus) Nullam aliam iudicii & correctionis Papalis, in Imperatores ſic delinquentes, pœnam, niſi ſolam excommunicationem ponit: quod ſciret nimirum Pontificiam poteſtatem & iuriſdictionem ſpiritualibus pœnis eſſe contentam, nec progredi vlterius poſſe, niſi in temporalis poteſtatis fines excurrat, & alienam iuriſdictionem iure diuino à ſua diſtin-

[1] Lib. 2. cap. 2.

diſtinctam & ſeparatam inuadat. Non eſt autem commoda ratio & via, quam ineunt aduerſarii, de malis Regib. imperio deponendis: quin potius omnibus modis incommodiſſima. tum quia vix vnquam ipſis Pontificibus aut Eccleſiæ feliciter ſuccedit: ſed infinitas in Eccleſiam & Rēpub. Chriſtianā calamitates, ex inteſtinis diſcordiis, ſchiſmatis, & bellis ciuilibus, ſolet inuehere; tum etiam quia reſpectu Papæ cui ſpiritualia tantùm commiſſa ſunt, talis ratio non poteſt non videri prorſus aliena atque ex vſurpata iuriſdictione procedere: ac proinde [1] neque commoda, neque iuſta neque poſſibilis eſt cenſenda. Hactenus rationes omnes, & ex rationibus argumenta, quibus Bellarminus conatur oſtendere, Papam habere ſupremam in Principes ſeculares poteſtatem *indirectè*, pro ingenii mei tenuitate, trutina nudæ & apertæ veritatis expendi.

1 L. filius. 15. D. de cond. Inſtit. l. 4. §. condemnatū. D. de re iudic.

CAP. XXXV.

PVtabam initiò, cùm hoc opus ordirer, ſatis eſſe, rationes omnes quibus vir iſte doctiſſimus vtitur, diligenter excutere. Sed quoniam remittit nos ad alia, quæ apud Nicolaum Sanderum extare dicit (*vide plura*, inquit, *apud Nicolaum Sanderum lib. 2. cap. 4. de viſibili Monarchia, vbi etiam multa ex iis, quæ diximus, inuenies*) operæ pretium me facturum arbitror, ſi illa quoque Sanderi, quæ reliqua ſunt, in medium protulero: ne noſtræ ſcriptionis lector curioſus, aliquam aduerſæ partis rationē omiſſam eſſe queratur: & ideo omiſſam putet, quòd talis ſit quæ facilè conuelli nequeat. Conſtat quidem inter omnes, qui illos Sanderi libros non raptim & limis oculis percurrerunt, omnē eum mouiſſe lapidem, & plurima præter cæteros argumenta corrogaſſe, vt Papam iſta, qua de agitur, temporali poteſtate in omnes Chriſtianos præditum eſſe demonſtret. Sed veriſimile tamen eſt, virum illum, aut acerbiore in ſuam reginam Eliſabetham odio, cuius è regno exulabat, aut nimio in ſummum Pontificem Pium V. ſtudio, cui multis nominibus erat deuinctus, aut alio, neſcio quo, affectionis animi fumo vſque adeò fuiſſe occæcatum, vt nō viderit ſe multa, non ſolùm falſa & aliena, ſed etiā à communi ſenſu & rationis iudicio abhorrentia, pro certis & ſolidis argumentis vſurpare. Eius ergo reliqua argumenta à Bellarmino de induſtria, vt opinor, prætermiſſa, ad compendium huc tranſcribam.

I 5 Vnum

1 Argumentũ. Vnum igitur ex eo deducit, quòd Sauli regnum ablatum fuerit, quia præcepta Domini, per Samuelis miniſterium rei nunciata, non obſeruauerat. Vnde ſic colligit. *Ergo cùm poſt Spiritum Sanctum de cœlo miſſum, non minor poſſit eſſe nunc in Eccleſia Chriſti ſpiritalis poteſtas, quàm in Synagoga olim fuit: etiam nunc fatendum eſt, eum Regem, qui Dominum per ſummi Pontificis os loquentem audire contempſerit, regni iure ita priuari poſſe, vt alius interim ab eodem Pontifice in Regem vngatur, vtque ab illo die is verè ſit Rex, quem Pontifex ritè inunxit, aut aliâs conſecrauit, & non is qui manu ſatellitum armatus regni ſolium occupauit.*

2 Argumẽtum. 1 3.Reg.11. Aliud ex eo, *quòd Ahias Silonites, viuo adhuc Salomone, prædixit Ieroboam decem tribubus præfuturum* [1]. *Ex quo intelligitur,* inquit, *vel totum regnum, vel partem aliquam, ab iniquo Rege per ſpiritalem Eccleſiæ poteſtatem auferri poſſe. Quæ enim poteſtas olim fuit in ſacerdotibus & Prophetis, eadem nunc eſt in Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ, quorum eſt ita ſaluti animarum conſulere, vt non patiantur, per impij Regis inobedientiam & tyrannidem, infinitæ multitudinis populum ad ſchiſma & hæreſin compelli & pertrahi.*

3 Argumẽtum. 2 3. Reg. 19. Tertium ex eo, *quòd Elias vnxit Aſael Regem ſuper Syriam, & Iehu Regem ſuper Iſrael, & Eliſæum vnxit in Prophetam pro ſe* [2], *vt qui fugaſſet manus Aſael, occideret eum Iehu. qui autem fugiſſet manus Iehu, interficeret eum Eliſæus. Qua figura,* inquit, *quid aliud ſignificatum eſt, quàm complures poteſtates idcirco in Eccleſia Dei excitatas erectaſque eſſe, vt quod per vnam earum non fit, per alteram fiat: quarum poteſtatum vltima & ſuprema ſit penes prophetas, hoc eſt, penes Eccleſiæ Dei paſtores & doctores? Nam vt Eliſæi gladius vltimo loco enumeratur, velut quem nemo effugere poſſit, etiamſi gladium vel Aſaelis, vel Iehu effugerit: ſic ſpiritalis poteſtatis cenſura euitari nullo modo poteſt, etiamſi quis poteſtatis ſecularis gladium effugerit. Spiritalis enim poteſtas non vtitur corporali aut viſibili gladio, qui certis modis impediri poteſt, ſed vtitur gladio ſpiritus, qui pertranſit omnia loca, & vſque ad animam illius pertingit quem petit.*

His deinde Hiſtoriam Eliæ, variis notis & allegoriis à ſe excogitatis, prolixè interpolatam, argumenti loco attexit: vt oſtendat materialem gladium parere ſpirituali: & non ſolùm ſummum Pontificem, ſed reliquos etiam Eccleſiæ Paſtores, habere poteſtatem tàm in corpora & bona, quàm in animas omnium Chriſtianorum; quod ante

cum

eum nemo ſanus, vel per ſomnium vnquam cogitauit. Id autem quàm inſcitè, & parùm congruenter, ex propoſitis à ſe argumentis deducat, capite proximo patefaciam.

Argumentum autem ex Eliæ perſona, & rebus ab eo geſtis, ad ſuum inſtitutum in hunc modum accommodat. *Elias per gladium ſpiritus, hoc eſt, per preces ſuas præcepit igni, vt de cœlo deſcenderet, atque eos Quinquagenarios conſumeret, qui deſpecta Prophetæ ſpiritali poteſtate, dicebant ad eum in terrena poteſtatis nomine: homo Dei, Rex præcepit vt deſcendas* [1] *&c. & pra terrena poteſtate contemnebant illam ſpiritalem poteſtatem, qua Elias præditus erat, & cum irriſione ſalutarunt eum, homo Dei.* atque ita deinceps progreditur. Nonne potuiſſet Elias, ad cuius vocem ignis de cœlo deſcendit, & Quinquagenarios deuorauit, dicere alicui Principi viro aut magiſtratui, ſi affuiſſet, *quia iſti milites mei, & in me Deum, cuius propheta ſum, contemnunt, irrue in eos, & occide eos? aut quod miniſterium ignis de cœlo præbuit, idipſum non poterat gladius terrenus præſtitiſſe? Si ignis,* inquit, *nobilius elementum eſt, quàm terra, vel etiam ea metalla, quæ ex terra effodiuntur: non video quin is, qui ignem euocauit de cœlo, qui imperio ipſius ſatisfaceret, multò magis potuerit Magiſtratui gladium portanti dixiſſe, vt eum gladium pro ſe contra quemcunque Regem exereret ac ſtringeret.* Cuius ſententiæ firmamentum hoc tantùm ab eo poſitum eſt, *nihil apud prudentes viros referre, quid ex iis fiat, quæ eiuſdem ponderis & momenti ſunt.* Non addam hîc quartum & quintum argumentum, quibus vtitur ex hiſtoriis ſacris de Ozia [2], & Athalia [3]. quòd ea nimirum Bellarminus inter exempla retulerit, de quibus pòſt, ſuo loco, agendum eſt. Hæc ſunt igitur illa Paraleipomena, ad quæ Bellarminus nos remittit, & quæ minimè mirum eſt eum (vtpote diſputatorem ſubtilem & acutum, & oratorem non parùm vehementem) leuiter tantùm indicaſſe, nec in ſuum opus tranſtuliſſe. tot quippe manifeſtis & inſignibus vitiis laborant, vt non ab homine Theologo & in diuinis exercitato: ſed à ſciolo aliquo profano, Theologia & Scripturis intemperanter abutente, excogitata videantur. adeò ſcilicet nihil eſt eorum, quæ argumenti loco in illis aſſumit, quod cum quæſtione & re controuerſa cohæreat.

1 4. Reg. 1.

2 Reg. 15. 2. Paral. 26.

3 4. Reg. 11. 2. Paral. 23.

CAN

Cap. XXXVI.

1 Primi argumẽti refutatio.

PRimùm itaque in eo fallitur, & errat largiter Sanderus, quod aliquas Synagogæ partes fuiſſe in abdicando Saule autumet. eſt enim pluſquam manifeſtum, id totum extraordinario Dei iudicio atque imperio, à quo omne regnum & poteſtas eſt, abſque vlla ſacerdotum, ſeu Synagogæ ordinaria iuriſdictione, mandatum, denunciatum, & exitu rerum completum fuiſſe ac peractum: ex quo liquet, comparationem Eccleſiæ Chriſti & Synagogæ, vel Samuelis & Papæ, perperam & inſcienter in hac re ab eo factam eſſe. Nam quanquam fateamur, quod res eſt, non minorem Eccleſiæ Chriſti, imò longè maiorem, quàm Synagogæ, ſpiritualem poteſtatem eſſe: tamen non idcirco, non inquam ex comparatione poteſtatis & authoritatis vtriuſque Eccleſiæ, conſequitur, ſummum Pontificem poſſe Regem, Dei mandata aut negligentem aut contemnentem, iure regni priuare, & alium eius loco inaugurare: quoniam Synagoga nunquam ea poteſtate prædita fuit. Nuſquam enim in vetere Teſtamento legitur, Synagogam Iudæorũ, aut eius pro tempore Pontificem, Regi alicui legitimo Iſraelis vel Iudę, quantũlibet impio, peruerſo, & crudeli, regnũ abrogaſſe, ſiue eum regni iure priuaſſe (vt ille ait) & alium eius loco ſubſtituiſſe. quo fit vt nullum inde argumentũ, nullumque exemplum in noua lege ſumi poſſit.

Prætereo quòd Samuel, licet magnus propheta fuerit, Pontifex tamen non fuit, ac ne ſacerdos quidem, ſed tantũ Leuita [2]: qui propterea nihil ordinaria ſpiritualis iuriſdictionis poteſtate aduerſus Saulem facere potuit: multoque minus ſecularis iudicii authoritate, quòd ea ſe antea, populo Regem petente, publicitùs abdicaſſet. Nudum igitur miniſterium Samuel in hoc negotio exequendo, propè inuitus, & precibus ac lachrymis reluctans, præbuit: & accepto ſpeciali mandato, tanquam diuini iudicii nuncius à Domino miſſus, extraordinaria legatione functus eſt. Idque ex eo patet, quòd vbi ad Regem venit, *Sine me*, inquit, *& indicabo tibi quæ locutus ſit Dominus ad me nocte.* Faceſſat igitur hoc argumentum ab extraordinario Samuelis miniſterio, & Saulis reiectione nequicquam petitum: vtpote cum quo ordinaria Eccleſiæ Chriſtianæ, vel ſummi Pontificis poteſtas, nullam comparationem aut proportionem, nullam conuenientiam vel ſimilitudinem, vllo modo habeat.

2 Hieronym. lib. 1. aduerſ. Iouinian. vide Genebrar. in Pſal. 98.

beat. Deus Saulem ſtatim reiecit, & ſtirpi eius regnum ademit. At Reges alios, qui videbantur Saule nequiores, ſuper populum ſuum regnare, & regnum ad filios tranſmittere, paſſus eſt. Ita placitum fuit in oculis eius. *Deus vltionum Dominus liberè egit* [1]*. & omnia quæcunque voluit fecit* [2]. nec alia quærenda ratio; *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* nec ei quiſquam dicere poteſt, *quid me feciſti ſic* [3]? Nunquid idem de Eccleſia aut ſummo Pontifice credendum? ſunt illis certi fines ac termini, quos præterire non poſſunt. *Eccleſia iuribus & legibus regitur, ſiue debet regi*, vt ait Ioan. de Turre cremata [4]. Et ideò neque Eccleſiæ, neque eius Rectori Pontifici, de regnis & rebus omnibus, abſoluta libertate, & more diuino ſtatuere, cunctaque pro arbitrio diſponere, permiſſum eſt. id illis tantùm licet, quod de ipſorum poteſtate ſacris voluminibus, aut traditionibus Apoſtolicis comprehenſum eſt. Quæ cùm ita ſint, nemo ratiocinandi peritus non ſtatim videat, argumentum ex rebus à Samuele geſtis deriuatum, non poſſe ad Pontificiam iuriſdictionem ſtabiliendam vllo modo concludi: niſi vel ab ordinaria Synagogæ (in qua tamen Samuel primas non tenebat) ad ordinariam Eccleſiæ Chriſtianæ poteſtatem, vel ab extraordinario Samuelis miniſterio, ad extraordinarium ſimiliter Papæ miniſterium deducatur: quorum illud à Synagoga ad Eccleſiam, licet in forma, vt aiunt, rectè concludi poſſit, inefficax tamen eſt quantum ad propoſitum, quia peccat in materia; quòd Synagoga nimirum nullam vnquam in Reges temporalem poteſtatem habuerit. Hoc verò, non niſi eo caſu valet, quo idem nunc Papæ, quod olim Samueli, contingat: vt ſcilicet quemadmodum Dominus ad Samuelem de Saule locutus eſt, ita ad Pontificem aliquando nominatim de certo aliquo Rege abdicando, & alio in eius locum ſubſtituendo loquatur. tunc enim quin par Samuelis Papæ poteſtas ſit, parque in exequendo Dei mandato miniſterium, negari non poteſt. Sin minus, ſin inquam nihil Pontifici in aurem expreſſim loquatur Dominus, quî fieri poteſt, quæſo, vt, cùm Regem aliquem de ſolio pellere propria authoritate cupiat, contẽdat ſe id facere exemplo Samuelis, quem Deus cum ſpeciali mandato, & extraordinaria miſſione, ad ſuum de Saulis abdicatione decretum nuntiandum delegauit? Samuel certò ſciebat Dominum reieciſſe Saulem & totam eius ſobolem, ne regnaret, id enim Dominus indicauit. At Papa neſcit

1 Pſal 93.
2 Pſal. 113.
3 Rom. 9.
4 Ad Can. coniunctiones. 35. q. 2.

neſcit an Deus reiecerit eum necne, quem ipſe cupit deponere, niſi hoc ei Deus ſpeciatim reuelauerit. Quandoquidem nihil certius ex Scripturis, quàm Deum Reges malos, & verbi ſui contemptores, variis de cauſis tolerare, atque ad tempus regnare facere: [t] quos vbi viſum ei eſt, aut conuertit protinus aut euertit. & ſæpe contingit, vt quos Papa, qui ſecundum faciem iudicat, regno indignos ex præſentis vitæ ſtatu & moribus pronunciat; eos Dominus, cui omnia ſunt præſentia, conuerſis ad bonam frugem animis, regno digniſſimos eſſe oſtendat. cuius rei memorabile iam exemplum noſtra ætate, nec ita pridem vidimus. Quis enim ignorat (ad laudem & gloriam tanti Regis hoc dicam) Henricum IV. qui regni Francici habenas fœliciſſimè nunc moderatur, atque vtinam diutiſſimè moderetur, à Gregorio & Sixto Pontificibus, non ſolùm excommunicatum & anathematizatum, ſed ita reiectum & abdicatum fuiſſe, omnique iure regni priuatum, vt eum etiam ſuis cenſuris, cuiuſcunque regni vel principatus incapacem declararent: quorum iudicium re ipſa irriſit Dominus, & Regem illum ab ipſis reprobatum, regno ampliſſimo digniſſimum eſſe oſtendit. Hæc igitur cùm ita ſe habeant, atque ad nutum diuinũ varîetur, quî ſcire poſſit, aut cognoſcere voluntatem Dei Pontifex, niſi inſtar Samuelis fuerit præmonitus? Quod igitur ait Sanderus, *eum Regem, qui Dominum per ſummi Pontificis os loquentem, &c.* verum eſt in caſu quo proponatur Pontifex ea exequi, quæ Dominus ei ſpeciali reuelatione imperarit. Alioqui verò quid dicemus? Ergone Philippus Pulcher, quòd Bonifacium ſuperbiſſima ambitione tumentem audire noluit, Dominũ per ſummi Pontificis os loquentem audire contempſit? vt ob id regni iure priuari, & alius eius loco ſubſtitui à Bonifacio potuiſſe credatur? Ergóne Ludouicus XII. quia Iulium II. loricatum & militis magis quàm Pontificis partes obeuntẽ, audire noluit, Deum per os Pontificis loquentem ita contempſiſſe videtur, vt & ipſe & eius fautores damnari, & regnis exui, arbitrio hominis priuato odio æſtuantis meruerint? talia credere, inſcitiam, Deus bone, an inſaniam appellem? Hæc de primo Sanderi argumento à nobis propoſito ſatis.

Iob.34.

Secundum eius argumentum (vt ingenii mei imbecillitatem ingenuè fatear) quorſum ſpectet vix ſatis intelligo. Nam vt ad id, de quo agitur, probandum aliqua eius vis & efficien-

efficientia ſit, atque ei conſequens quod concluditur, neceſſe eſt duas falſiſſimas ſuppoſitiones, tanquam veras & neceſſarias, prius admittere: quarum vna eſt, Eos qui vel aliquid euenturum, Deo reuelante, prædicebant; vel aliquid faciendum, eodem iubente, præcipiebant, potuiſſe id quicquid erat, ſuo iure, hoc eſt, propria authoritate, & ordinaria muneris ſui poteſtate, ſine vlla ſpeciali reuelatione iuſſóve diuino, mandare faciendum, aut aliâs per ſeipſos exequi ac perficere: quaſi Ahias Silonetis, quem Deus ſingulari mandato ad Ieroboam miſerat, vt ei nunciaret ſe decem illi tribus de regno Salomonis daturum, his verbis. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus*, quaſi inquam Ahias, ſine eiuſmodi expreſſo Dei mandato, & ſine vlla ſpeciali reuelatione, potuiſſet vel Ieroboam, vel alium quemlibet, in regnum aut partem regni Salomonis vocare: quo nihil aut falſius aut abſurdius dici poteſt. Altera verò ſuppoſitio eſt, Sacerdotes & Prophetas omnes, in vetere lege, dandi & auferendi regna, prout ſaluti populi expedire iudicaſſent, poteſtatem habuiſſe. quod & ipſum quoque falſiſſimum eſt: & cuius nullum neque exemplum, neque veſtigium, aut indicium aliquod in Sacris literis reperitur. [1] Cùm itaque huius ſecundi argumenti tota vis in his duabus falſis ſuppoſitionibus ita fundata ſit, vt niſi iis conceſſis, rectè concludi nequeat: ſatiſque conſtet, à poteſtate delegati à Principe, ad poteſtatem ordinarii, non eſſe firmam conſequentiam: quis non innato quodam iudicio cernat, hoc totum quod ab Ahiæ prædictione traxit, tàm ab eo quod probandum ſuſcepit, quàm quod maximè eſſe remotum?

Delegatus à Principe, in cauſa ſibi commiſſa, eſt maior ordinario & poteſt eum compellere.

Tertium quoque argumentum eſt eiuſdẽ generis: quid enim commune habet miſſio extraordinaria Eliæ, ad certa negotia ſpecialiter exequenda, cum ordinario Pontificis officio? aut quæ cohærentia & connexio harum propoſitionum eſſe poteſt? Elias, Domino nominatim iubente (id enim omiſit Sanderus, quod ſine vitio tamen præteriri non potuit) *Vnxit Aſael Regem ſuper Syriam, & Iehu Regem ſuper Iſrael, & Eliſæum Prophetam pro ſe:* Ergo ſummus Pontifex poteſt regna, & principatus, quibuslibet auferre vel conferre, prout expedire cenſuerit? Coniungi enim hæc inter ſe nequeunt, niſi hoc poſito & conceſſo medio, *tantum poſſe Papam, ordinaria ſua iuriſdictionis authoritate, ſine expreſſo Dei mandato, quantum Propheta, Domino ſpecia-*

ſpecialiter & expreſſim iubente, potuerunt. quod ſine magna diuini Numinis iniuria dici non poteſt.

Quod autem ad gladium Eliſæi attinet, de quo loquitur: eum doctè primùm, ac piè per allegoriam explicat, vt ſcilicet intelligatur de gladio ſpirituali, qui eſt in Eccleſia, & in manu ſummi Pontificis, quem nemo qualiſqualis eſt, ſiue Rex ſiue Imperator, poteſt effugere: quique poſtremo loco receſſetur à Domino, tum quia ineuitabilis eſt, & propterea plus cæteris timendus: tum etiam quia illis ſolùm corpora, hoc animæ occiduntur. At poſtea dum progreditur ſuo more, & locum illum Scripturæ, atque aliũ de vindicta Eliæ in duos Quinquagenarios & eorum milites, ad poteſtatem temporalem ſummi Pontificis, per interpretationem transfert, in fœdum illum errorem prolabitur quẽ ſuprà notauimus. Prophetas nimirum, ſine vlla ſpeciali delegatione vel reuelatione diuina, potuiſſe iure arbitrioque ſuo multare & punire, etiam capitali ſupplicio, eos omnes quos Deus, vel ad Maieſtatis ſuæ gloriam manifeſtandam, vel ad ſeruorum ſuorum iniurias vindicandas, occulta diſpenſatione per miraculum, aut aliter vlciſci decreuerat: & quod Deus vno tantummodo faciendũ præcepit, id ipſos aliis modis & mediis, vt libitum illis erat, exequi potuiſſe. Vt inde Papam, (cuius non minor, imò maior in noua lege, quàm fuerit olim Prophetarum & Sacerdotum in vetere, poteſtas eſt) authoritate Apoſtolica tantundem poſſe facere, velut neceſſaria conſequutione oſtendat.

At quis neſciat Deum multa precibus ſeruorum ſuorũ conceſſiſſe, multa & ſine precibus, eorum gratia mirabiliter operatum, quorum nihil illis, ipſo non prius iubente, aggredi vel tentare, nedum exequi ac perficere, vllo modo aut medio licuiſſet? Cuius rei in perſonis Prophetarũ perſpicua atque in promptu ratio eſt. Siquidem inter omnes conſtat, neminem prophetarum, cum imperio & iuriſdictione ordinaria, populo Hebræo præfuiſſe, præter admodũ paucos, qui Prophetæ ſimul ac Principes populi & Iudices erant: vt Moyſes, Ioſua, Samuel, Dauid. Cæteri verò quantumlibet enthuſiaſtici, in priuatis ſine vlla temporali Dominatione agebant, ea ſolùm nunciantes & exequentes, de quibus Dei ſpiritu admonebantur: eratque omnis eorum præſcientia ita diuinitus temperata & coercita, vt neque omnia, neque omni tempore, ſed quatenus quidque Dei ſpiritu cum illis communicabatur, cognoſcere ac prædicere

dicere poſſent. Cuius rei teſtis eſt Iadon Propheta, qui cùm à falſo Propheta deciperetur, affirmante angelum ſibi in ſermone Domini eſſe locutum, non intellexit eum mentiri; quia id ei Dominus non reuelauerat: ac ptopterea fraudulenter ſeductus, atque ad interitum perductus eſt.[1] teſtis & Eliſæus, qui, miſera Sunamitide ad eius pedes iacente, dixit Giezi volenti eam amouere, *dimitte illam, anima enim eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*[2].

[1] 3. Reg. 13.

[2] 4. Reg. 4.

Quod igitur quærit Sanderus, An non potuerit Elias dicere alicui Principi viro, aut magiſtratui ſi affuiſſet, *irrue in iſtos milites, & occide eos? & an peccaſſet illi Princeps, ſi ad verbum Eliæ, Regis ſubditos occidiſſet:* id non niſi cognito diuinæ iuſſionis tenore in ſingulis negotiis reſolui poteſt. Itaque quod ad Eliam hoc caſu attinet: Si Deus illi conceſſit, vt vel ſpecialiter gladio, vel generaliter quoquo modo, in tales ſontes animaduerteret, nemini dubium eſt, quin gladii poteſtatem & executionem cuilibet mandare ſine culpa, & mandatum ſuſcipere quilibet ſine peccato, potuerit. Sin verò Dominus, vt eſt veriſimile, hoc ei tantùm reuelauerat, ſe impios illos deriſores, igne cælitùs demiſſo perditurum: id ei tantummodo expectandum erat, aliud autem nihil humano more in eos moliri, aut pœnas ciuiles ſuo arbitrio ſtatuere, ſine ſcelere licuit: quòd nullam neque ordinariam, neque mandatam & delegatam, ad id faciendum, iuriſdictionem à quoquam, Deo hominéve, accepiſſet. Ob eamque cauſam peccaſſet ille quidem grauiter, ſi Principi viro aut Magiſtratui tale quid iuſſiſſet, aut ſuaſiſſet: peccaſſent & hi, ſi eius iuſſu capeſcendo, Regis ſubditos intermiſſent[3]. Nihil certius, & apertius poteſt hac diſtinctione proponi: vt mirum ſit tam abſurdam Sandero ſententiam excidiſſe, qua putet Eliam potuiſſe ſimpliciter, & ſine expreſſo Dei iuſſu, Regis militibus necem, quoquo modo libuiſſet, inferre. Rationes autem, quos firmandæ ſuæ ſententiæ adhibet, friuolæ ſunt, & prorſus indignæ quæ ab acrioris iudicii homine, præſertim Theologo, ad eiuſmodi quæſtionis deciſionem afferantur. *Quod miniſterium ignis de cœlo præbuit*, inquit, *id ipſum non poterat gladius terrenus præſtitiſſe?* Sanè quidem poterat, & non ſolum gladius, ſed telum aliud quodlibet, ſi Deo imperante fuiſſet adhibitum: nec vllus vnquam de eo dubitauit. At quoniam Dominus aduerſus Quinquagenarios igne tantùm vltionem

[3] L. non ſolum. 11. §. ſi mandato. D. de iniur. lib. reprehendenda. C. de inſtit. & ſubſtit.

1 Lyran. in illum locum.

parabat, deque eo Prophetam in ſpiritu certum fecerat [1]; alio ſe vindicare inſtrumēto vel modo, neque debuit Elias neque potuit: niſi id ei pariter eodem ſpiritu fuiſſet indicatum. quia in non reuelatis, neque ordinarius neque extraordinarius iudex erat. Præterea ſi, quod leges humanæ ſtatuunt, *cùm damnatur aliquis, vt gladio in eum animaduertatur, animaduerti gladio oportet, non ſecuri, vel telo, vel fuſti, vel laqueo, vel quo alio modo* [2]: quis tam auerſus à vero eſt, atque ab omni ratione, vt certum necis genus à Domino præſcriptum, in aliam formam ſpeciemque ab homine mutari poſſe credat? Cùm enim in omnibus negotiis *fines mandati diligenter cuſtodiendi ſint* [3], tum maximè in diuinis iuſſionibus: Deus *mandauit mandata ſua cuſtodiri nimis* [4].

2 L. aut damnū. 8. §. 1. de pœn.

3 L. diligenter. D. mandat.

4 Pſal. 118.

Ex his patet, leuiſſimum eſſe quod firmamenti loco apponit, *nihil apud prudentes viros referre, quid ex iis fiat, quæ eiuſdem ponderis & momenti ſunt.* inque eo duplex eius error eſt; vnus, quòd proloquium illud nimis vniuersè & generaliter producat ad omnia, quæ vel natura, vel arte, vel manu fiūt: cùm tamen quantum ad actiones humanas attinet, certum ſit, ſententiam illam in iis tantùm locum habere, quæ homines vel ſponte ſua, vel accepto mandato cum libera agendi facultate, faciunt. veluti homicidam eum dici, qui mortis cauſam dolo malo homini, quouis modo vel inſtrumento, præbuit: quòd in eiuſmodi maleficio nihil refert, quid ex iis fiat, quæ eundem effectum producunt, ſiue, vt ille ait, *quæ eiuſdem ponderis & momenti ſunt.* Aſt vbi quid fidei alicuius, certâ formâ, certoque modo peragendum, ſtrictè & nominatim commendatur, id leges mandatario aliter exequi, non concedunt: vt ex loco quem ſuperius retuli, aliiſque Ciuilis & Pontificii iuris innumeris, ſatis patet. Alter eius error eſt, quòd nihil intereſſe putet, vtrū impii homines cœleſti fulmine à Deo, an ab humana potentia telorum impetu feriantur, quòd dicat ea eſſe eiuſdem ponderis & momenti. Nam licet vnus extremorum ſuppliciorum effectus ſit, mors nimirum interituſque damnati: tamen permagni refert, quo illa modo & medio fontibus inferatur. quia ſicut criminum, ita & pœnarum gradus ſunt, & inde fit vt ex genere vltionis, ſeu grauitate vel leuitate ſupplicii, de ſceleris indignitate, quanta ſit, per pœnæ ad peccatum proportionem iudicemus. [5] Pœnarum quippe & præmiorum diſtributio, geometricam proportionem exigit. Scitè poeta [6].

5 L. perſpiciendum. D. de pœn. lib. Pedius. D. de incend. ruin. naufr.

6 Horat. lib. 1. Saty. 3.

—ad-

— *adſit*

Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Sed *quem maior ſequitur culpa, maiore plectatur vindicta.* [1] Præclarè vt cætera Auguſtinus: [2] *quis dubitauerit hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt grauius vindicatum.* Imprudenter ergo ille pœnas omnes, ferro, flamma, fame, aliiſve modis ſumptas, eiuſdem ponderis & momenti eſſe ſtatuit: vt officio ſuo functum prophetam fuiſſe concludat, ſi quos Deus cæleſti fulmine percuſſurum ſe indicauit, eos ipſe terreno gladio curaſſet trucidari. Quis neſcit, in pœnis non humano more ſumptis, ſed cælitùs & prodigiosè immiſſis, Dei Omnipotentis iram & vltionem multò clarius elucere? aut quis tàm imperitus rerum æſtimator, qui eiuſdem ponderis & momenti ſuppliciis periiſſe eos dicat, qui terræ hiatu deglutiti, viui in infernum deſcenderunt, atque eos qui ſunt ordinariis, vel extraordinariis, humanarum legũ pœnis abſumpti: Ac de his quidem Sanderi rationibus, à Bellarmino non ſine cauſa prætermiſſis, ſatis mihi hactenus dixiſſe videor. Nunc igitur ex hoc diuerticulo ad Bellarminum reuertamur.

[1] Greg. lib. 7. ep. 53. can. quia ſanctitas. diſt. 50.

[2] Lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 6. in fi. Can. non afferamus. 24. q. 1.

CAP. XXXVII.

Excuſſi huc vſque meam intelligentiam, vt in omnes, quæ apud Bellarminum vel Sanderũ ſunt, de tẽporali Pontificis poteſtate rationes diligentius inquirerem. Reliquũ igitur nunc eſt, vt ad exẽpla à Bellarmino propoſita, infirmum & debile probationis genus, mentem & manum pari ſtudio conuertã. Ait enim ſuam ſententiam dupliciter probari poſſe, rationibus & exemplis. Quàm vellẽ equidem rationes firmiores protuliſſet. Amor ſedis Apoſtolicæ ita me afficit, vt poteſtatem omnem, quam author iſte ei tribuit, iure optimo tribui poſſe vehemẽter cupiam. Sed iam audiuimus rationes, audiamus & exempla.

Primum eſt, inquit, 2. *Paralip.* 26. *vbi legimus Oziam Regem, cùm ſacerdotum officium vſurparet, à Pontifice fuiſſe de templo eiectum. & cùm propter idem peccatum leprâ à Deo percuſſus fuiſſet, coactum etiam fuiſſe ex vrbe diſcedere, & regnum filio renunciare. Quod enim non ſponte ſua, ſed ex ſententia ſacerdotis vrbe & regni adminiſtratione priuatus fuerit, patet: Nam legimus Leuitici* 13. *Quicunque, inquit lex, maculatus fuerit leprâ, & ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, ſolus ha*-

bitabit extra caſtra. Cùm ergo hac fuerit lex in Iſrael, & ſimul legimus 2. Paralip. 26. Regem habitaſſe extra vrbem in domo ſolitaria, & filium eius in vrbe iudicaſſe populum terræ, cogimur dicere, fuiſſe eum ad arbitrium ſacerdotis ſeparatum, & conſequenter regnandi authoritate priuatum. Si ergo propter lepram corporalem poterat ſacerdos olim Regem iudicare, & regno priuare: quare id non poterit modò propter lepram ſpiritualem, id eſt, propter hæreſin quæ per lepram figurabatur, vt Auguſtinus docet in quæſtionibus Euangel. lib. 2. quæſt. 40. præſertim cùm 1. Corinth. 10. Paulus dicat, contigiſſe Iudæis omnia in figuris? Hæc ille.

Miratus ſum ſæpenumero, nec adhuc mirari ſatis poſſum, homines doctrinæ opinione claros, tam ſupinè & oſcitanter mentis ſuæ ſenſa literis aliquando mandare, vt videantur aut non legiſſe authores quos laudant; aut quos legerint, planè non intellexiſſe; aut de induſtria ipſorum ſenſum adulterare voluiſſe. Quod vitium noſtra ætate frequens eſt; in qua plerique ſcriptorum alienam fidem ſequuti, non ex ipſis fontibus, ſed ex riuulis & incilibus, aliorum incuria & culpa vitiosè deriuatis, aſſertionum ſuarum teſtimonia & authoritates hauriunt: ita vt quæ primi ſeu malitiosè, ſeu negligenter, ad alienum ſenſum detorſerũt, ea alii, ipſorum ſcrutinio & iudicio confiſi, pro certis & indubitatis, in ſuos libros tranſcribant. Quod quanquam in Bellarmino perrarum eſt, vtpote ſcriptore fideli & luculẽto, tamen negari non poteſt, quin Sanderum & alios temerè ſequutus, in tribus capitibus de aſſerenda temporali Põtificis poteſtate, præſertim verò in ſuperiore exemplo & ſequenti proponendo, haud leuiter lapſus ſit.

Oſtendi iampridem in libris aduerſus Monarchomachos, [1] falſiſſimum eſſe *Oziam regnandi authoritate ad arbitrium ſacerdotis fuiſſe priuatum.* Etenim profectò nihil in tota Regum hiſtoria expreſſius continetur, quàm Oziam à ſextodecimo ætatis anno, quo regnum iniit, in annum vſque ſexageſimum octauum, qui vitæ eius finis fuit, Regem perpetuò mãſiſſe: nec vllo vnquam tempore, regni authoritate fuiſſe priuatum. *Habitabat quidem ſeorſum in domo libera,* ac proinde munia Regis, quæ facti ſunt, per morbum obire non poterat. Sed id ei ius regni, ſiue regnandi authoritatem non ademit. Alioqui & pueros inauguratos, vt olim Ioam [2] & Ioſiam [3], & legitimæ ætatis viros, ſi in mentis aut corporis morbos grauiores inciderint, Reges eſſe negan-

1 Lib. 5. cap. 11.
2 4. Reg. 11.
3 4. Reg. 22.

negandum eſt: eùm illi moribus, hi morbo, à regni procuratione, quæ in facto conſiſtit, arceantur. Manebat certè Rex Ozias quamdiu vixit. Ait enim Scriptura,[1] *Anno vigeſimo ſeptimo Ieroboam Regis Iſrael, regnauit Azarias* (qui & Ozias & Zacharias dictus eſt) *filius Amaſiæ Regis Iuda. Sedecim annorum erat cùm regnare cœpiſſet, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ieruſalem.* & iterum eodem capite. *Anno quinquageſimo ſecundo Azariæ Regis Iuda, regnauit Phacee filius Romeliæ ſuper Iſrael in Samaria.* Mortuum autem eſſe hunc Azariam ſiue Oziam, ſexageſimo octauo ætatis anno, regni vero ſui quinquageſimo ſecundo, teſtatur Ioſephus [2]. Si ergo Ozias annum agens decimum ſextum regnare cœpit, & annos quinquaginta duos regnauit, Scriptura teſte, obiitque annum agens ſexageſimum octauum, ecquod in eius vita momentum reperitur, quo iudicatus & regni iure priuatus eſt? Fuit ei interea Curator filius, ſicut *his qui in ea cauſa ſunt, vt ſupereſſe rebus ſuis non poſſint*, adhiberi ſolet [3]. Additur enim in ea hiſtoria, *Ioatham filius Regis gubernabat palatium, & rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ.* En vt Ioatham, filius Regis vocatur, viuente & ægrotante patre, & gubernator palatii, ac rector domus Regis. Iudicabat autem populum, quia iudicia ad Regem venire non poterant, propter vim morbi, & ſeparationem ex legis diuinæ præſcripto, vt ibi docet Lyranus. Denique ait Scriptura, *Dormiuitque Ozias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in agro regalium ſepulchrorum, eò quòd eſſet leproſus: regnauitque Ioatham filius eius pro eo.* En iterum vt Ioatham non niſi à morte patris regnare cœpit. Quamuis itaque verum ſit, Oziam fuiſſe ad arbitrium ſacerdotis ſeparatum propter lepram, quia id lege diuina diſertè cautum erat: non tamen verum eſt, eum regnandi authoritate fuiſſe priuatum, aut *coactum renunciare regnum filio*, vt iſti falsò aſſerunt. Authoritas regnandi, & regni adminiſtratio plurimùm inter ſe differunt, & non minus quàm proprietas & poſſeſſio. Authoritas eſt ſemper in perſona Regis, & cum iure regni coniuncta: adminiſtratio autem & procuratio, ſiue gubernatio apud alios eſſe poteſt, ita vt vnus Rex ſit, alius regni adminiſtrator. Vnde qui in Regum infantia, aut morbis grauioribus, præcipuam regni curam gerunt, gubernatoris, rectoris, tutoris, protectoris, aliòve ſimili nomine inſigniuntur: & publicum nihil ſuo proprio nomine, ſed Regis infantis, vel ægro-

1 4. Reg. 15. 2. Paral. 26.

2 Lib. 9. antiq. cap. 11.

3 L. his qui. 12. D. de tutor. & cur. dat. L. 2. D. de curat. furioſ.

tantis, nomine & authoritate proponunt, & pertractant.

Hoc igitur exemplum de Ozia, tantum abeſt vt pro temporali Pontificis in Reges poteſtate aliquid faciat, vt ad eam impugnandam & euertendam plurimùm valeat. Nam ſi, (vt ille ex Apoſtolo refert, & nos fatemur) Iudæis omnia in figuris contingebant: ſique lepra corporalis, ob quam ſeparabatur aliquis à multitudine filiorum Iſrael, & extra caſtra ſolus habitabat, figura fuit lepræ ſpiritualis, id eſt, hæreſeos, teſte Auguſtino: Si denique ſacerdotium Aaronicum, figura fuit ſacerdotii nouæ legis. Ex his figuris duo argumenta, ad hanc quæſtionem appoſitè deducuntur, quorum alterum, ſpiritualem Papæ poteſtatem in Reges & Principes Chriſtianos egregiè confirmat; alterum verò hanc, qua de agitur temporalem eius poteſtatem, omninò fictitiam, vſurpatam, atque à iure diuino alienam eſſe oſtendit.

Prius igitur argumentum hoc modo cõtexitur. Quemadmodum ſacerdotes olim Regem Oziam, leprâ percuſſum, è templo expulerunt, vt extra ciuitatem habitaret: ita nunc ſummus Pontifex Regem hæreſi infectum, quæ lepra eſt ſpiritualis, iudicare poteſt, & ſeparare à communione fidelium per excommunicationem, atque ita cogere eum habitare extra ciuitatem Dei, id eſt, Eccleſiam Catholicam, donec fuerit à lepra mundatus, hoc eſt, donec hæreſin abiurauerit. quod ſi lepra talis ad mortem vſque ei adhæreat, non eſt ſepeliendus in ſepulchris Regum, in Eccleſia nimirum, ſed in agro, quia leproſus eſt, id eſt, hæreticus. Quod autem dixi Papam poſſe ſeparare Regem hæreticũ à communione fidelium per excommunicationem, de ſeparatione ſpirituali animorum, non corporum intelligendum eſt. Subditi enim, Regi excommunicato obſequium denegare non debent.

Poſterius verò argumentum hac forma rectè concludi poteſt. Sicut iudicium ſacerdotis de lepra corporali, in vetere lege, nihil niſi ſeparationem leproſi, & relegationem extra caſtra vel ciuitatem operabatur: & ſicut iudicium ſacerdotis de lepra Azariæ, ſiue Oziæ, non potuit ei auferre ius regni, ſiue regnandi authoritatem, ſed tantum neceſſitatem ei impoſuit habitandi ſeorſum extra ciuitatem (nam quòd actu, ſiue de facto, vt aiunt, regnum non adminiſtrabat, id non propter ſententiam ſacerdotalem, quę lepram

pram indicabat, ſed propter vim morbi perpetui corporalis accidit) Ita nunc quoque cenſura & ſententia ſummi Pontificis, qua Regem aliquem hæreticum iudicat & declarat, quamuis faciat Regem manere extra ciuitatem Dei, id eſt, Eccleſiam Catholicam, vt dictum eſt: tamen non poteſt ei ius & authoritatem regnandi auferre. atque ita figura cum figurato belliſſimè conueniet. Eſt enim in his veteris teſtamenti figuris iuris & poteſtatis Papæ in Reges imago nō delineata modò, ſed expreſſa: vt ſi ab vmbra ad corpus, à figura ad figuratum, aliquod idoneum argumentum trahi poſſit: nullum his euidentius aut certius, ex antiquæ legis conſtitutione, ad nouæ legis obſeruationem, à quoquam adaptetur. Quod ſi aduerſarii ex omnibus veteris legis figuris, vnum aliquod tale, pro ſuæ ſententiæ firmamento, concinnare poterunt, me iudice palmam ferent, certè me nunquam habebunt repugnantem. Secundum nunc igitur exemplum videamus.

CAP. XXXVIII.

SEcundum eſt, inquit, 2. *Paralipomen.* 23. *vbi cùm Athalia tyrannicè occupaſſet regnum, & foueret cultum Baal, Ioiada Pontifex vocauit centuriones & milites, & iuſſit eis, vt Athaliam interficerent: & pro ea Ioas Regem creauit. quod autem Pontifex non ſuaſerit, ſed iuſſerit, patet ex illis verbis 4. Reg. 11. Et fecerunt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada ſacerdos. Item ex illis, 2. Paralip. 23. Egreſſus autem Ioiada Pontifex ad centuriones & Principes exercitus, dixit eis: Educite eam (Athaliam Reginam) extra ſepta templi, & interficiatur foris gladio. Quod autem cauſa huius depoſitionis & occiſionis Athaliæ, non ſolùm tyrannis eius fuerit, ſed etiam quòd foueret cultum Baal, patet ex illis verbis quæ ponuntur immediatè poſt eius occiſionem. Itaque, inquit Scriptura. ingreſſus eſt omnis populus domum Baal, & deſtruxerunt eam, & altaria, & ſimulachra eius confregerunt. Mathan quoque ſacerdotem Baal interfecerunt ante aras.*

Neſcio equidem quid Bellarminum mouerit, vt hoc exemplum, tam remotum, & alienum, ab hac materia & controuerſia, nobis obtruderet: niſi quia illud ante ſe ab aliis propoſitum animaduerterat, veritus fortè ne, ſi id ipſe præteriiſſet, indiligentiæ vel præuaricationis apud Sixtum V. Pontificem ab æmulis accuſaretur, qui ſupra modum imperioſus, ac Ieſuitarum ſocietati parùm fauens,

vt à pluribus eius ſocietatis Patribus accepi, in animo habuit, totum illum ordinem ad arctiorem viuendi regulam & habitum religioſum cogere à Presbyteris ſecularib. colore, forma, vel ſigno aliquo exteriore diſtinctum. Itaque mirari licet, quo modo Bullam ab eo impetrarunt, vt Academiæ Pontimuſſanæ Dictaturam perpetuam occupent, id eſt, vt perpetuò Rectores ſint, contra formam & conſtitutiones fundationis illius Vniuerſitatis à Gregorii XIII. factæ. Sunt qui putant Bullam illam eſſe ſuppoſititiam, vel obreptitiam: certè quamuis vera ſit, & à Sixto conceſſa, valere tamen non debet, nec vim vllam habere, quia ſtatim ab eius creatione fuit impetrata, quo tẽpore quicquid Pontifices concedunt, id non tàm impetratum ab illis, quàm extortum eſſe cenſetur [1]. Sed ad rem.

Gloſ. in proœm. reg. Cancell. Neuiſa. in ſyl. nuptial. Rebuff. in tract. vt beneficia aut. vacat. nu. 9. & 10.

Exemplum de Ioiada & Athalia nihil ad hanc diſputationem pertinere, ex eo liquet, quod omnis noſtra quæſtio in eo verſetur: An Pontifex, tanta in legitimos Reges & Principes ſeculares poteſtate præditus ſit, vt eos certis de cauſis de ſolio deiicere, & iure regni priuare, atque alios eorum loco inungere, & inaugurare poſſit. Exemplum verò de Athalia, eſt de muliere quæ nullo iure regnum poſſidebat, ſed immani tyrannide, per vim & ſcelus & cruentam regiæ ſobolis necem: quæ propterea in ea cauſa fuit, vt iniuſſu Ioiadæ ſacerdotis, cædi iuſtè à quolibet priuato potuerit. Sed quia tale quid tentatu periculoſum, & factu difficile videbatur, aduerſus eam, quæ defuncti Regis Ochoſiæ mater erat; ideò Ioiadæ Pontificis conſilio & auxilio erat opus: aut certè alterius cuiuſpiam, qui ſimiliter vel authoritatis ſuæ pondere, vel ſanctitatis opinione, milites & multitudinem ad id facinus egregium conuocaret atque adeò concitaret.

Quòd autem non tàm imperio quàm ſuaſu Ioiadæ id factum ſit, patet ex eo quod dicitur: *miſit Ioiada Pontifex, & aſſumens centuriones & milites introduxit ad ſe in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus.* idque ibi notant interpretes. Verba autem *iubere* vel *præcipere*, de quolibet dici ſolent, qui primas in factione vel ſocietate obtinet. Nihil itaque in hoc exemplo reperi[illegible], quod vel minimam conuenientiam aut ſimilitudinem habeat cum aſſertione, quæ ab aduerſariis probanda ſuſcipitur. Aſſertio eſt, legitimos Principes, hoc eſt, eos qui electionis vel ſucceſſionis iure, regna & principatus obtinent, poſſe, certis de

cauſis

cauſis, à ſummo Pontifice imperio deponi. quid ergo a eam probandam attinet, exemplum de tyranno & tyranoctonia proponere? Nunquid inter veros Dominos ac legitimos poſſeſſores, & prædatores atque alienarum poſſeſſionum inuaſores, nihil intereſſe putant? An autem alia deponendi & interimendi Athaliam præter tyrannidem, cauſa fuerit, nihil euro. ſatis eſt eam fuiſſe tyrannum [1], & violentam occupatricem regni, ad hoc vt nullum ex pare illius obſtaculum vel impedimentum iuris eſſet, quo minus & præcipitari de ſolio, & à quolibet de multitudine cædi poſſet. quod de Rege legitimo dici ſimiliter nequit, cuius perſonam, quantumuis impiam, ius regni atque imperii poteſtas ab omni iniuria, & pœna humana, protegere ac tueri ſemper debet. vt ex SS. Patrum ſcriptis alibi oſtendimus. Sequitur nunc tertium.

[1] Tyrannum hic in fœminino genere poſuit, vt Thucydides, πόλιν τύραννον, lib. 1.

Cap. XXXIX.

Tertium exemplum, inquit, *eſt B. Ambroſii, qui cùm Epiſcopus eſſet Mediolanenſis, & proinde paſtor & pater ſpiritualis Theodoſii Imperatoris, qui Mediolani ſedem ſuam ordinariè tenebat, primùm excommunicauit eum propter cædem, quam Theſſalonicæ à militibus fieri imperauerat. deinde præcepit ei, vt legem ferret, ne ſententiæ latæ de cæde, vel bonorum publicatione, ratæ eſſent, niſi poſt triginta dies à ſententiæ pronuntiatione, vt nimirum ſi quid per iracundiam præcipitanter dictaſſet, intra tot dierum ſpatium reuocare poſſet. Atqui non potuit Ambroſius excommunicare Theodoſium propter cædem illam, niſi prius cauſam illam cognouiſſet & diiudicaſſet, licet criminalis eſſet, & ad forum externum pertineret: non potuit autem cognoſcere & iudicare eiuſmodi cauſam, niſi etiam in foro externo legitimus iudex Theodoſii fuiſſet.*

Præterea cogere Imperatorem ad legem politicam ferendam, & præſcribere ei formam legis, nonne manifeſtè oſtendit poſſe Epiſcopum interdum temporali poteſtate vti, etiam in eos qui poteſtatem ſuper alios acceperunt? & ſi Epiſcopus quilibet id poteſt, quanto magis Princeps Epiſcoporum?

Eſt & hoc quoque exemplum protſus à re qua de agitur alienum: vtpote in quo nec mentio, nec veſtigium aliquod temporalis poteſtatis Epiſcopi in Imperatorem cernitur: nec aliud quicquam, vnde talem poteſtatem Epiſcopo conuenire, probabili aliquo argumento concludatur.

ſed otum ad illam ſpiritualem poteſtatem Epiſcopi pertinet, qua ſummum Pontificem in omnes Chriſtianos, cuiuſcunque ſint ordinis vel dignitatis, prædictum eſſe, & corde agnoſcimus & ore profitemur. Ambroſius Imperatorem, propter peccatum ex iniuſta multorum occiſione contractum excommunicauit. Nonne hoc ad ſpiritualem Eccleſiæ iuriſdictionem pertinet, quam tunc Ambroſius epiſcopali authoritate exercebat? At non potuit excommunicare, inquit, niſi prius cauſam illam cognouiſſet & diiudicaſſet, licet eſſet criminalis, & ad forum externum pertineret. De facto quidem potuit (vt faciunt inconſiderati ſacerdotes, quos ego vidi aliquando excommunicationem ferre, incognitâ cauſâ:) ſed de iure non debuit, alioqui certè iniquus iudex fuiſſet, ſi ſine cauſæ cognitione pœnas à reo expetiſſet. Sed eſto, cauſam cognouit, & animaduerſione dignam iudicauit, eoque Imperatorem excommunicauit. quid inde? *Non potuit autem cognoſcere & iudicare eiuſmodi cauſam*, inquit, *niſi etiam in foro externo legitimus iudex Theodoſii fuiſſet.* Hui, capti ſumus, ni ſophiſma caueamus: latet in hac aſſertione fallacia fallaciſſima, ex verbis *in foro externo.* Forum duplex eſt, politicum ſeu ciuile: & Eccleſiaſticum ſeu ſpirituale. Politicum forum omne eſt externum: Eccleſiaſticum verò aliud externum, aliud internum. Externum forum Eccleſiaſticum eſt, in quo, de cauſis ad Eccleſiæ notionem ſpectantibus, palàm tractatur & iudicatur: & ſi criminales ſunt, vindicta de iis per excommunicationem, interdictionem, ſuſpenſionem, depoſitionem, aut aliis modis ſecundum Canones pœnales, ſumitur. Ac de eodem crimine cognoſcunt ſæpè iudex temporalis & iudex ſpiritualis ſiue Eccleſiaſticus, etiam in foro exteriore: ſed vterque in ſuo foro, & ad diuerſas pœnas imponendas. veluti de adulterio cognoſcit iudex politicus, *vt ſacrilegi nuptiarum gladio feriantur.* [1] cognoſcit & iudex Eccleſiaſticus qui animæ curam gerit, vt peccati moneat delinquentem, & perſeuerantem peccare, ſpiritualibus pœnis coerceat. Forum autem internum Eccleſiæ, (quod forum animæ, & forum pœnitentiæ, & forũ conſcientiæ vocatur) illud eſt, in quo ſacerdos de reuelatis ſibi à confitente peccatis cognoſcit & iudicat, & pœnitentiam pro modo delicti, arbitratu ſuo iniungit: vulgò enim hodie receptum eſt, conſtitutiones pœnitentiales eſſe arbitrarias, vt non ſolùm Epiſcopus, ſed quilibet confeſſarius

L. quamuis. 30. C. ad l. Iul. de adul.

rius

rius diſcretus, poſſit regulariter eas moderari, & in foro animæ [1] mitigare: Si ergo Bellarminus per *forum externum*, intelligat forum Eccleſiaſticū, quod ſpiritualibus tantùm pœnis contentum eſt, concedimus totum quod dicit. Erat enim Ambroſius legitimus Theodoſii iudex in illo foro, idque ipſo facto & effectu palàm oſtendit, cùm eum excōmunicaret. ſed hoc poſito & conceſſo, nihil inde ad temporalem Epiſcopi vel Papæ authoritatem confirmandam elici poteſt. quia tàm iudicium quàm ſupplicium erat ſpirituale. Sin verò Bellarminus per *forum externum*, intelligat forum politicum, falſiſſimū eſt quod proponit. Quēadmodum enim diſtinctæ ſunt à Deo poteſtates, Eccleſiaſtica & Politica, ita etiam diſtincta fora, diſtincta iudicia. *Idem enim mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit* [2]. Magnam certè Ambroſio iniutiam facit, ſi eum, poſt adeptum Epiſcopatum, cognouiſſe & iudicaſſe de cauſis criminalibus in foro ciuili arbitretur. Non erat ergo Ambroſius iudex legitimus Theodoſii in foro externo politico, quod ſatis eſt ad probandum eum non potuiſſe iudicare, vel punire Imperatorem pœna aliqua temporali. At dices, Ambroſius cognouit & iudicauit de cæde. Verum eſt; ſed non vt iudex politicus & temporalis, non inquam eo fine cognouit de crimine, quo iudex ſecularis. Scitum eſt ex Ariſtotele [3], plures de vno & eodem ſubiecto variè, alio atque alio modo & fine, atq; intentione cognoſcere. Idem angulus rectus eſt, quem inueſtigat geometra vt ſciat, & quē faber vt operetur. ſic idē crimen eſt, de quo cognoſcit iudex Laicus, vt reum morte, exilio, pecunia, vel qua alia temporali pœna multet: & de quo iudex Eccleſiaſticus, vt pro modo delicti pœnā ſpirituale & pœnitentiam iniūgat:

At coegit Imperatorem ad legem politicam ferendam. ergo temporali in eum poteſtate vſus eſt. Nugæ. Si coegit, quia poteſtate, & cuius rei metu coegit? id nos hiſtoriæ ſumma docebit, quæ eſt eiuſmodi. Iniecerat Ambroſius Theodoſio vinculum excommunicationis, cuius nexu cum liberari cuperet Imperator, negat Antiſtes ſe prius id facturum, q̄ aliquem in eo fructum pœnitentiæ videat. *quam*, inquit, *pœnitentiam oſtendiſti poſt tantum ſcelus, aut qua medicina curaſti grauiſſima vulnera?* Reſpondit Imperator, Epiſcopi eſſe temperare & adhibere medelam vulneri, hoc eſt, pœnitentiam peccatori iniungere: pœnitentis verò iis

1 Can. de his vbi gloſſ. vlt. diſt. 50. gloſſ. in cau. mēſuram. ad verb. Sacerdotis de pœnit. diſt. 1.

2 Can. cùm ad verum. 96. diſt.

3 Lib. 1. c. 7. Ethic.

quæ adhibentur vti, id eſt, iniunctam ſibi pœnitẽtiam peragere. Hoc audito, Ambroſius Imperatori ferendæ legis, de qua loquimur, neceſſitatem, pro pœnitentia & ſatisfactione impoſuit: qua conſtituta (nam ſtatim Imperator legem præſcribi iuſſit) Ambroſius eum vinculis excõmunicationis exoluit.

Nulla igitur Ambroſius temporali poteſtate, hoc caſu in Theodoſium vſus eſt; ſed totum quicquid eſt vi ac virtute ſpiritualis iuriſdictionis præcepit. Nec Imperator, metu pœnæ temporalis, morem Antiſtiti geſſit. Nam ſi noluiſſet parere, ſed, vt mali interdum Principes faciunt, excõmunicationem pariter & abſolutionem contempſiſſet, nihil vltrà quod ageret habuiſſet Ambroſius [1]. Sed quia pius Princeps animæ ſuæ timuit, ne ſpirituali vinculo diutius ligata, ſqualorem ſordeſque ex longa carceratione cõtraheret, obſequutus eſt voluntati Pontificis, & vt abſolutionis ab eo beneficium acciperet, temporale officium, quod è Republica eſſe videbatur, Epiſcopo admonente impendit. Vnde author hiſtoriæ; *tali tantaq; virtute & Pontifex & Imperator erãt illuſtres. Nam vtrumq; ego admiror, illius quidem libertatem, huius verò obedientiam: itemq; feruoris flammas illius, & huius fidei puritatem.*

Cap. cùm nõ ab homine de iud.

Coegit itaque Ambroſius Theodoſium, quemadmodũ noſtri quotidie confeſſarii ſuos cogũt pœnitentes, quibus delicti veniam & abſolutionem ſæpe denegant, niſi munus vel onus, quod illis pœnitẽtiæ loco imponunt, feriò ſe executuros promittant: cum tamen nullam in eos temporalem iuriſdictionẽ habeant. Coegit & eo modo, quo quiſque noſtrum ſolet vicinum vel conciuẽ ſuum cogere, cùm id, quod à nobis ſibi dari fierive poſtulat, denegamus, niſi ille prius aliquid quod optamus, aut noſtra aut amicorum gratiâ fecerit. Denique tritum eſt & vulgare, dici aliquem ratione, amore, dolore, iracundia, aliiſque animi affectionibus & paſſionibus cogi, citra vllam ſeu temporalis ſeu ſpiritualis iuriſdictionis poteſtatem.

Hæc cùm ita ſint, eſt quidem in hoc exemplo animaduerſione dignum, Eccleſiaſticam poteſtatem, metu pœnæ ſpiritualis, cogere homines ſæpe ad temporalia peragẽda, vt Ambroſius hîc Imperatorẽ, & econtrariò Ciuilem Poteſtatem, metu pœnæ temporalis, ad ſpiritualia non rarò adigere, vt cum Princeps hæreticos vel ſchiſmaticos, metu corporalis ſupplicii vel ademptionis bonorum, ad Eccle-

ſiam

ſiam redire compellit. & tamen neq; illa tempotalem, neque hæc ſpiritualem pœnam poteſt, niſi per accidens, irrogare. Sequitur quartum.

Quartum eſt Gregorii I. inquit, *in priuilegio quod cōceſſit monaſterio S. Medardi, & habetur in fine Epiſtolarum. Si quis*, inquit, *Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel quarumcunq; perſonarum huius Apoſtolicæ authoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, cuiuſcunque dignitatis vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur.*

Si viueret hodie B. Gregorius, & ſuperiora ſua verba eo ſenſu accipi intelligeret, quaſi ipſe poteſtatem habuiſſet priuandi Reges ſuo honore & dignitate: exclamaret profectò calumnioſam eſſe interpretationē, & ſe nunquam tale quid vel per ſomnium cogitaſſe; & verò quæ alibi ſcripta ab eo ſunt, fidem planè abrogant huic expoſitioni. Sunt igitur iſta non imperantis, ſed imprecantis verba, quibus admonet & adiurat omne genus hominū, ne priuilegium à ſe datum violent, quòd ſi violauerint, Deum vindicem fore, qui eos ſuo honore priuet. quod genus admonitionis, & imprecationis, nunc ſemper addi ſolet extremis Bullarum & conſtitutionum Pontificiarum, hoc modo. *Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam, &c. infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius incurrat*, ſiue quod idem eſt, *ſe nouerit incurſurum.*

CAP. XL.

EX his facilè cernet Lector, verum eſſe quod ſæpius antè præmonui; Nullum vel in ſacris literis, vel in ſanctorum patrum ſcriptis, veſtigium aut exemplū temporalis poteſtatis Pontificiæ reperiri. ac proinde haud rectè eos facere, imò grauiter peccare, qui ſententiam per ſe falſiſſimam, argumentis & exemplis tàm alienis & remotis, nituntur confirmare. Indoctos hoc modo decipiunt; à doctis deridentur. Oſtendi iam planè vim nullam ineſſe exemplis ſuperioribus, ad probandum id quod aduerſarii affirmant. De ſequētibus verò exemplis minus curo: Nam licet quædam eorum inſtituto aduerſariorum congruant, & Pontifices temporali poteſtate, in poſtremis Eccleſiæ ſeculis, vſos aliquando eſſe indicent: tamen quia nihil niſi ſingularia quorundam Pontificum facta continent, quos ho-

homines fuiſſe, & humano more in rebus gerendis labi potuiſſe, nemo negat (ita vt, quod ante ex Soto retulimus, vulgari prouerbio nunc iactetur, *factum Pontificum non facit fidei articulum.*) ideò de factis illorum, quibus talem poteſtatem exercere niſi ſunt, iuris quæſtio & diſputatio adhuc ſupereſt, rectène an ſecus peracta ſint. Nec illud nos mouere debet, ꝙ authores hiſtoriarũ, qui facta illa Pontificum literis mandarunt, nullam reprehẽſionis notam adiecerint, ſed potius probarint, laudarintque. Nam eius rei cauſas complures fuiſſe video. Primum quia omnes eius temporis ſcriptores aut Monachi erant, aut ſaltem Clerici, quibus præcipuè augere dignitatem Pontificiam curæ fuit: ideoque ſummoperè cauebant, nequa Pontificum facta ſugillarent, atque iniuſtitiæ arguerent. Deinde quia tanta ſanctitatis Papæ tunc temporis opinio fuit, vt geſta ab eo, tanquam à Deo facta, vulgus amplecteretur. Vnde non ſine cauſa Io. Gerſon dixit, *Vulgum exiſtimare Papam eſſe vnum Deum, qui habet omnẽ poteſtatẽ in cœlo & in terra.* Vidi ego ante quinquaginta annos in Scotia, cùm ſtaret adhuc regnum fide & religione integrum, Papæ Romani nomen (ita enim Scoticè loquebantur, *the Pape of Rome*) tanta in veneratione apud multitudinẽ fuiſſe, vt quicquid ab eo dictum factùmve eſſe narrabatur, oraculi inſtar, & facti diuini loco, ab omnibus haberetur. Denique quia pręſens illis imminebat periculum, quod multorum adhuc manus ligat, linguamque occludit, ne ſi quid Papæ ingratum exaraſſent, & eius facta reprehendiſſent, tam ſcriptor quã ſcriptum diris Pontificiis ſtatim percelleretur. quod minimè mirum iis videri poteſt, qui Sixti V. iram & arrogantiam eò vſque exarſiſſe norunt, vt, ſicut antè admonui, illuſtres Bellarmini diſputationes delere atq; extinguere in animo habuerit, quòd non ſatis ſuæ ambitioni ſeruitum eſſe ab illo Theologo iudicaret; cùm tamen plus ei certè quàm oportuit tribuiſſet. His accedit, quòd præcipuum hiſtorici officium in narrando, non in iudicando conſiſtit. Vnde multi, memoriâ magis quàm iudicio pollentes, animos ad hiſtoricam narrationem appulerũt, & nudâ tantùm ac ſimplice rerum geſtarum relatione contẽti, earum æquitatem omnibus æſtimandam in medio reliquerunt.

Licet ergo ſcientiam, & fidem rerum geſtarum, illis hominibus debeamus, qui eas ſcriptis ſuis poſteritati reſeruarunt: æquitatum tamen eorum quæ geſta ſunt, non ab elo-

gio

gio ſcriptorum, ſed vel ex authoritate Scripturarum, vel ex traditionibus Apoſtolorū, vel ex antiquis Eccleſiæ decretis, vel denique ex rectâ naturalis rationis normâ addit[illegible]mus. Atque ita eò res ſemper redit, vt de cuiuſque facti æquitate ſit inquirendum, nec quid author hiſtoriæ laudauit vel vituperauit, ſed quid iure meritoque laudar aut vituperari debuit, perſcrutemur [1]. De exemplis itaque non laboro, quæ neque in Scripturis exſtant & commēdantur, neque aliquo ſaltem eorum quos diximus modo, laude digna demonſtrātur. Etenim profectò periculi plenı res eſt, aliquem exempla, non hac ſtatera hiſque ponderibus examinata, ad imitandum proponere: quandoquiden ad antiquitatis monimenta accedentibus, mala quàm bona ſæpius occurrent. Qua de cauſa Imperator iudices omnes ſapienter admonet, ***non exemplis ſed legibus eſſe iudicandum***, atque in omnibus negotiis non id eos ſequi oportere, quod ante ipſos à maximis Magiſtratibus factum eſt, ***ſed veritatem, & legum & iuſtitiæ veſtigia*** [2]. Hæc ſuadent, ne reliquis exemplis à Bellarmino productis, prolixius & exquiſitius diſcutiendis immorer, niſi fortè aliquid ſubeſſe animaduertero, quo Lector incautus, veri ſpecie & opinione, capi poſſit. eorum igitur aliqua, quæ & qualia ſint, videamus.

Quintum eſt Gregorij II. inquit. *qui Leoni Imperatori Iconomacho à ſe excommunicato prohibuit vectigalia ſolui ab Italis, & proinde multauit eum parte Imperij.*

Equidem arbitror hoc exemplum rei geſtę veritatē non continere, quanquam id ita ab hiſtoricis quibuſdam relatum eſſe ſcio. Vt ita credam facit tum ſingularis quædam illius Pontificis cum ſumma morum integritate cōiuncta eruditio, tum Platinę de hac re teſtimonium, qui inter alia eius Pontificis facta egregia, illud commemorat, quòd ſua authoritate obſtiterit Italis volentibus ab illo impio Principe deficere, & alium ſibi Imperatorem deligere. ita enim Platina. *Tum verò Leo tertius Imperator, cùm apertè inuehi in Pontificem non poſſet, edictum proponit, vt omnes qui ſub Imperio Romano eſſent, ſanctorum omnium, Martyrum & Angelorum, ſtatuas atq; imagines è templis abraderent & auferrent, tollerēda (vt ipſe dicebat) idololatriæ cauſa. qui verò ſecus feciſſet, eum ſe pro hoſte publico habiturū. Gregorius autem tantæ impietati nō modò nō obtēperat, verùm etiam omnes Catholicos admonet, ne in tantum errorē timore vel edicto Principis vllo modo dilabantur. Qua*

cohor-

1 L. Sed licet 12. D. de off. p[illegible]

2 L. nemo iudex 13. C. de ſent. & interloc.

licet Pontificem, doctrinâ & moribus inſignem, patriæ ſuę proditorẽ extitiſſe. Dico etiam falſum eſſe, quod ſuperiore exemplo proponit Bellarminus, eundem nempe Pontificẽ multaſſe Leonem Iſaurum Iconomachum parte Imperii. Nihil enim quicquam mali, vt & hac Platinæ hiſtoria liquet, neque in patriam, neque in Principem commolitus eſt. Sequitur nunc ſextum.

CAP. XLI.

S*Extũ eſt Zacharia*, inquit, *qui rogatus à Primoribus Francorum Childericum depoſuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni patrem Regem creari iuſſit*.

Priuſquam aliquid de hoc exẽplo dicam, operæpretium eſt, inuolutã de eo hiſtoriam euoluere, & totum illud Zachariæ factum cum ſentẽtia cui probandæ adhibetur, iunctis vtrinque circumſtantiis, breuiter componere: vt inde facilius lectori appareat, quàm parum efficacitatis ei inſit, vt propoſitam aduerſariorum ſententiam confirmet.

Primùm igitur in illa hiſtoria animaduerſione dignum eſt, Childericum, & alios quoſdam ante eum Reges Meroningios, omni prorſus regnandi authoritate deſtitutos, nihil niſi inane atque inutile Regis nomen habuiſſe. *Nam & opes & potentia regni penes Palatii præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos ſumma Imperii pertinebat, tenebãtur*: qui vſque adeò Regibus ſuperiores erant, iiſque dominabãtur, vt Rex *præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ ſtipẽdium, quod ei præfectus*, ſiue Maior Domus, *prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii poſſideret, quàm vnam & eam perparui reditus villam, in qua domum, ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequia exhibentes, pauca numeroſitatis habebat*. Vt ſcribit Eginhartus in vita Caroli Magni.

Si quis igitur rem propius intueatur, inueniet binos tũc quodammodo Reges fuiſſe in Francia: vnum qui inſtar regis Scachorum, *nomen tantùm Regis, ſed nullam poteſtatẽ regiam habebat*. vt loquitur Aimoinus [1]. Alterum verò, cui Maior Domus ſiue præfectus aulæ nomen erat, *apud quem ſumma regni poteſtas conſiſtebat*. Hic nomine tenus quaſi ſub Rege erat, authoritate verò & poteſtate ſupra Regem: ita vt nihil ei deeſſet præter nomen ad plenam perfectamque regnandi maieſtatẽ; quod etiam aliquando ei à populo deferebatur, vt ſummum illud quod gerebat Imperium, ſummæ dignitatis nomine ſignificaretur. Itaq; Aimoinus

[1] Lib. 4. cap. 61.

de Carolo Martello Pipini patre loquens, qui magnum Sarracenorum exercitum, ex Hiſpania in Gallias irruentem, fudit: *Deuicto*, inquit, *aduerſariorum agmine, Chriſto in omnibus præſule & capite ſalutis & victoria, Rex Carolus ſalubriter remeauit ad propria in terram Francorum ſolium principatus ſui.* En vt Maiorem Domus Regem vocat, propter eam ipſam, qua præditus erat, regalem poteſtatem.

Deinde in ea hiſtoria notandum eſt, Francorum proceres longam Regum ſuorum ignauiam pertæſos, ad Maiorem Domus Pipinum Caroli filium, pacis bellique artibus inſtructum, mira conſenſione oculos animoſque cōuertiſſe: quæ res eum ita in ſpem regni erexit, *vt regium nomen non diſſimulanter affectarit*: quod vt faciliùs ſine odio & ſcandalo multitudinis aſſequeretur, ſtatuit inprimis tentandum per legatos Pontificē Romanum, & eius conſenſum expetendum: ratus nimirum, quod res erat, Pontifice annuente, populum vniuerſum, propter ſedis Apoſtolicæ ſanctitatem & reuerentiam, facilè in eius ſententia acquieturum.

Tertiò ſciendum eſt Zachariam Papam generaliter conſultum fuiſſe *de cauſa Regum qui in illo tempore fuerunt in Francia, vter potius Rex vocari debeat, iſne qui nomen tantùm Regis, ſed nullam Poteſtatem regiam habebat, an verò qui induſtria virtuteque ſua, negotia publica moderaretur.* & generaliter reſpondiſſe, *melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtas conſiſteret: quo reſponſo adducti Proceres, Pipinum ſibi deligunt Regem.* Non dubium tamen eſt, quin Pontifex de Hypotheſi certior factus fuerit, Childericum nempe abdicandum, *qui falſo Regis nomine fungebatur*, & Pipinum eius loco ad regni faſtigium euehendū. Sed ita opinor eum generaliter reſpondiſſe, quia generalis ſententia, nullius certæ perſonæ notam continebat, & integrum Franciæ Optimatibus iudicium, vt inde quod optabant colligerent, relinquebat. atq; ita Papa non ſimpliciter depoſuit Childericum, ſed deponentibus conſenſit. Verùm quia eius conſenſus præcipuè ſpectabatur, dicitur præcisè ab hiſtoricis quibuſdā Childericū depoſuiſſe.

Poſtremò, in ea hiſtoria ſeriò & diligenter perpendendum eſt, quòd Zacharias Papa, auditis Pipini legatis de mutatione regni & Childerico deponendo, rem illam tam inſolentem & arduam eſſe iudicabat, *vt initiò minimè auderet tam magni momenti cogitationem ſuſcipere*, tametſi iam ſatis in-

cis intellexerat Merouingiorum ſocordiam ingens religioni & Reipublicæ Chriſtianæ detrimentum afferre: donec compertum exploratumque habuiſſet, Proceres omnes Francorum à Pipino ſtare eumque Regem cupere: & prætereа Childericum eſſe poſtremum Merouingiorum hominem ſine liberis, adeò ſtupidum, *vt ingenuo dolori amiſſum regnum ipſi futurum non eſſet, nec vſquam eſſe qui eius vicem quærerentur.* Hæc illa erant, quæ iuncta cum ſingulari ſtudio & amore quo Pontifex Pipinum proſequebatur (eò quòd ipſe, & pater eius Carolus, multis Eccleſiam Romanam & ſedem Apoſtolicam officiis eſſent demeriti) Zachariam mouebant, vt Francis, eam Regum mutationem cupientibus aſſentiretur.

Hæc quanquam ab hiſtoricis de hoc negotio ad hunc modum conſcripta ſunt, tamen magna nobis adhuc cauſa dubitandi de illius facti æquitate relinquitur. Scio Bellarminum alibi, [1] nimia huius facti Zachariæ æquitatis fiduciâ, audacter affirmare, neminem ſanæ mentis negaturum, factum illud fuiſſe iuſtum. At nihil proponit, cur non ſapientiſſimus quiſque iniuſtum id fuiſſe aſſeueret: nullam dico rationem probabilem & efficacem reddit, qua ſapiens ſibi perſuadeat, Papam Francis in deponendo Childerico iuſtè conſenſiſſe. quandoquidem nullo caſu licet malum facere, vt bonum inde quantumuis magnum conſequatur. Deponi autem Regem legitimum à propriis ſubditis, aut deponentibus conſentire, cùm ille ſolùm Deum ſupra ſe habeat, cui ſoli geſtorum ſuorum rationem reddere tenetur, per ſe, & ſimpliciter malum eſſe, iam ſatis oſtendimus. Argumenta autem duo quibus ad depoſitionis illius iuſtitiam probandam vtitur, adeò incerta ſunt ac friuola, vt illa ab eo propoſita eſſe mirer. Nā primùm, quòd facti Zachariæ æquitatem euentu rerum metitur, quaſi ideò factum illud iuſtum cenſeri debeat, quòd illa regni mutatio proſperos & fœlices ſucceſſus habuerit (*præſertim*, inquit, *cum euentus docuerit mutationem illam fœliciſſimam fuiſſe*) id adeò plebeium eſt & puerile, vt ne cogitari quidem à tanto viro, nedum ſcribi debuerit.

Careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab euentu facta notanda putet.

Quid enim? Nonne poſtea in eodē regno Franciæ, mutatio à Carolouingiis ad Capeuingios, per ſummam iniuſtitiam facta eſt? *Nam Hugo ille Capetus, animi magnitudine*

[1] Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 17.

Digitized by Google

& rebus potens, cùm eius conatus nemo reprimeret, vi atque armis (vero harede capto & incarcerato) regni ſe diademate inſigniri obtinuit. Vnde Gaguinus eum regni vſurpatorem vocat. & tamen inter omnes conſtat, mutationem illam fœliciſſimã fuiſſe, &, vt quidam putant, occulto Dei iudicio factam, vt Pipinus, qui Merouingiis regnum per iniuriam eripuit, tandem aliquando parem in ſua ſobole iniuriam pateretur. Itaque Carolouingii non ita diu regno potiti ſunt, ſi cum Capeuingiis conferantur. Capeuingii verò longe diuturnius ſtabilitum in ſua gente imperium habent, & ſpero, in perpetuum habituros.

Alterum quoque argumentum nihilo efficacius eſt, quod à Bonifacii epiſcopi ſanctitate trahit, qui Pipinum, iuſſu Zachariæ, Regem vnxit & coronauit. *adde*, inquit, *quòd qui iubente Pontifice Pipinum Regem inunxit & coronauit, vir ſanctiſſimus fuit, B. videlicet Bonifacius Epiſcopus & Martyr, qui certè auctor iniuſtitiæ, & ſceleris publici nunquam fuiſſet.* leue inquam hoc eſt & nullius momenti argumentum. Nã Bonifacius nudas executoris mandati Apoſtolici partes in illo negotio obibat. ideòque nihil eius ſanctitati detraxit, quod iubente Pontifice peregit: quippe tenebatur Papæ ſententiam exequi, licet ſciuiſſet eam eſſe iniuſtam [1]: & ideò *licet reum feciſſet Zachariam iniquitas imperandi, innocentẽ Bonifacium eſſe oſtendiſſet ordo ſeruiendi, & parendi neceſſitas.* [2] illæſa igitur conſcientia Bonifacius mandatum Zachariæ etiam iniuſtum explere potuit. At fuit Zacharias iſte bonus Pontifex: fieri poteſt, nec id negamus. fuit quoque Dauid bonus Rex & Sanctus: & Theodoſius bonus Imperator: fuere Marcellinus & Liberius boni Pontifices: attamen nemo eorum non aliquid reprehenſione dignum admiſit. Quidni ergo Zacharias odio vel amori indulgere, & humano more iuſtitiam aliqua ex parte violare potuerit? Notum eſt Zachariam tunc Pipini auxilio, contra Aiſtulphi & Longobardorum iniurias, plurimum eguiſſe. an nõ ingens illa erat ad expugnãdam iuſtitiam machina? amor, *odium, & proprium commodum, faciunt iudicem ſæpè verum* [3] *non cognoſcere.*

Sed ne quid vltra de huius facti Zachariȩ æquitate contendamus, eſto quod optant, demus factum illud fuiſſe iuſtiſſimum. Quid inde, quæſo, roboris & firmamenti accedere poteſt ad probationem temporalis poteſtatis, quam Papæ in Principes tribuunt? Nunquid aliud, quàm vt eius facti

1 Cap. Paſtoralis. §. quia verò. de off. iud. deleg.

2 Can. quid culpatur. 23. q. 1. ca. miles. 23. q. 5.

3 Ariſtot. lib. 1. Rhet. ad Theodecten. cap. 1.

facti exemplo, Papa nunc faciat quod tunc fecit Zacharias? nempe vt alicui populo Regem ſuum, paribus de cauſis, abdicare cupienti conſenſum præbeat? hoc eſt, ſi Rex is ſit qui nomen tantùm habet, ſine vlla regnandi authoritate, aut poteſtate regia: quique & liberis orbus, & animo adeò ignauo ac ſtupido eſt, vt ſine cæde & ſanguine deponi: & nemine eius vicem dolente, aut partes tutante, ex Principe priuatus reddi poſſit. Nam argumētum ab exemplo nihili eſt, niſi pares vtrobique & caſus & cauſæ ſint. Hoc ergo exemplum Zachariæ quid ad immenſam illam poteſtatem ſtabiliendam confert, qua ſequentibus ſeculis freti Pontifices, interdum Reges potentiſſimos, & omnibus copiis florentes, animique & corporis viribus præſtantes, nō populorum rogatu vel conſenſu, ſed proprio motu, per bella, per cædes, per ſchiſmata, per maximas Reipublicæ Chriſtianæ calamitates, regnis priuare & ſceptris ſpoliare ſe poſſe gloriati ſunt, & conati? Nunquid facti Zachariæ exemplo id illis licere, quiſquam ſapiens iudicabit? Sed de hac re ſatis.

Cap. XLII.

Hanc ſupremam partem libri nobis Authoris obitus inuidit.

GVILIELMI BARCLAII

ILLVSTRISSIMI

DVCIS LOTHARINGIÆ &c.
CONSILIARII, SVPPLICVMQVE
libellorum Magiſtri, atq; in celeberrima
Academia Pontimuſſana I. V.
Profeſſoris ac Decani,

DE REGNO ET REGALI POTESTATE ADVERSVS BVCHANANVM, Brutum, Boucherium, & reliquos Monarchomachos,

LIBRI SEX.

Prouerb. 24.

Time Dominum, fili mi, & Regem: & cum detractoribus non commiſcearis: quoniam repentè conſurget perditio eorum.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANISSIMO GALLIÆ ET NAVARRÆ REGI HENRICO MAGNO, PIO, SAPIENTI, INCLYTO, AUGUSTO,

GVILIELMVS BARCLAIVS S.

ANtiquam olim eamque iuſtiſſimam apud Thraces legem fuiſſe, Athenæus libro quarto Deipnoſophiſtarũ memoriæ prodidit (Hẽrice Magne Rex Chriſtianiſſime) vt quibus facultates ſuppeterent, ii Regem munerarentur: qui verò nihil haberent, iis Rex munera daret. At illa tamen quantũlibet iuſta & vetuſta, neq; ab aliis nationibus recepta, neque ab ipſiſmet etiam Thracibus diu retẽta, ſed ſenſim & citò per deſuetudinem obliterata fuit: incertum an ob diutum haud libenter de ſuo largientium tenacitatem, an verò propter nimiam pauperum multitudinem, quibus munerandis gaza regia non ſufficeret, an vtraque de cauſſa id acciderit. Et verò ſi talis vbique lex adhuc vigeret, haud ſatis mihi nunc deliberatum & conſtitutum foret, vtrum peterem an darem: ſed cùm nulla

eiuſmodi amplius extet, nihil vetat quo minus vtrumque faciam, demque petamque. Tenuis mihi, fateor, ac parum lauta & magnifica ſupellex eſt: ſed eam tamen cùm perſcrutarer, viſus ſum mihi munuſculum Rege dignum inueniſſe, & quo non aliud fortè in eo genere excellentius, atque ad Principis & populi maieſtatem tranquillitatemque tuendam & conſeruandam accommodatius, vlli antehac Francorum Regi oblatum ſit: hos ipſos nempe libros de Regno, quos multis vigiliis lucubratos, vt Maieſtati T. ſecundum Deum conſecrem dedicemque, variis iiſque grauiſſimis rationibus ſum adductus. Primùm quòd cùm Regum & regnorum omnium, tùm præcipuè Celſitud. T. & Franciæ Monarchiæ cauſſâ, cœpti à me ſint & perfecti. Nam qui Regna & Monarchias demoliri, atque in Anarchias redigere conati ſunt, ii in Francicum Imperium maximam certè impreſſionem fecerunt; rati nimirum fore, vt quemadmodum altum & amplum ædificium, dum ruit, humiliores ædes contiguas mole & pondere ſuo cõquaſſare ſolet: ſic etiam conuulſis florentiſſimi regni Gallici fundamentis, quæ in ſumma, libera, & abſoluta Regis poteſtate, populique obſequio poſita ſunt, vicina regna & principatus minus ampli & opulenti eius caſu & ruinâ perfacilè nutarent. Deinde verò vt ſummam gentis meæ, Scotorum omnium, inquam, erga Maieſtatem T. regnumque, beneuolentiam, fidem, & ami-

citiam,

citiam, hoc qualiquali monimento teſtatam apud præſentes poſteróſque relinquam: id enim virtus meritáque tua poſtulant, qui ictum inter Carolum Magnum & Achaium Franciæ & Scotiæ Reges, atque ad noſtra hæc tempora religioſiſſimè cuſtoditum fœdus, ſapienter & ſolicitè more maiorũ conſeruare & renouare ſtudes. Acceſſit & illa quæ me plurimùm mouit ratio, quòd regni ſcilicet ampliſſimi, iure hæreditario & bellicis ſudoribus acquiſiti, imperium eâ indole, eâque animi moderatione & prudentiâ tractes, quæ bonos in Maieſtatis tuæ obſequium & amorem vel hoc ſolo nomine prouocant, ducunt, rapiunt, imò cogunt. Nam quæ virtutes & excellentes animi dotes Franciæ Regibus ſeparatim, aliæ aliis, cognomina indiderunt, eæ ſimul omnes in tua vnius perſonâ coiiſſe, & eã, conſpirante conſenſu, cunctis ſuperiorum Regum titulis magnificentiſſimis certatim augere & ornare velle videntur. Si Carolus I. rerum geſtarum gloriâ Magni cognomentum adeptus eſt, quòd bellis proſperè confectis multos ad fidem Ethnicos cõpulerit: cur eum Maieſtati tuæ titulũ denegemus, quandoquidem multis periculis & bellis tantò funeſtioribus defunctus, quantò inteſtinæ diſcordiæ & motus ciuiles, quàm externorum hoſtium arma, ſceptris omnibus magis pernicioſa & exitiales eſſe ſolent, non paucos tuo exemplo ad Eccleſiam Catholicam perduxiſti: pluréſque, vt ſpes eſt, breui ad eandem vel hoc vel alio modo conuocabis. Et ſi eiuſdem Caroli filius Ludouicus, Pii nomen leni-

tate & manſuetudine inuenit, quòd proprios filios coniuratos & eorum ſocios, poſtquam multa ad eius ignominiam & perniciem fuiſſent commoliti, magna facilitate in gratiam recepit: quis tuam in remittendis iniuriis, & meritis debitiſque ſuppliciis condonandis, facilitatem & clementiam, id nominis iure optimo vendicare non arbitrabitur? Nam illum quidem ϛοργὴ communis, quadã velut naturæ vi, coegit, vt parens liberis eorúmque cliẽtibus ignoſceret: te verò, vt omnium diſcordiarum & iniuriarum memoriam obliuione ſempiterna delendã cenſeres, nulla talis affectio, ſed ſola, ſumma, & ſingularis quædam bonitas, atque erga patriam charitas adduxit. Ingens profectò & incõparabilis Maieſtati T. ex hac temperata animi celſitate laus eſt: quòd non modò inimicorũ omnium impetum armis, odium amore & beneuolentiâ, inuidiam æquanimitate repreſſeris, ſed, quod planè heroicum eſt, proprios inſuper animi motus atque adeò teipſum inſita illa clementia ſuperaſti.

Ardua res viciſſe alios, victoria maior
Eſt animi fluctus compoſuiſſe ſui.

Iam verò Philippus à proſpero rerum ſucceſſu Auguſtus eſt appellatus. At illa tamen ipſa eius proſperitas, ſi cum fœlicitate tuâ componatur, non adeò magna & memorabilis apparebit: vt inde quis facilè iudicet, quantò Henricus IV. quàm Philippus II. potiore ratione Auguſtus dici debeat. Sed nec Carolus cognomento Sapiens, tuam in regno adminiſtrando prudentiam pace bellóve exæquauit.

Digitized by Google

uit. Ille vt Dormantio Cancellario vita functo ſucceſſorem daret, conuocatis multis Primoribus & Conſiliariis, omniúmque numeratis ſuffragiis, de maioris partis ſententia Petrum Orgemontium in demortui locum ſuffecit. Aſt T. Maieſtas non ita pridem, Philippo Cheuernio recèns defuncto, ad Pomponium Bellieureum ætate, ingenio, doctrina, pietate, iuſtitia, aliíſque præclaris animi dotibus, ſi quem Gallia habet, ornatiſſimum ſpectatiſſimúmque, nullis conſiliariorum rogatis & expectatis ſententiis, maximum illud ſub Rege munus obeundum, inſigni prudentiæ documento, ſine cunctatione detulit. Sapiens quidem Carolus V. quia in ſapientum monitis & conſiliis acquieuit: at magis Sapiens Henricus IV. cùm quod ſapientiſſimi quique ſuaſiſſent, id ſuopte ingenio conſilióque ſit exequutus. Quid multa perſequar, quídve morer in tuis & aliorum Regum factis componendis? ſingulos aliqua laudis & gloriæ particula vincis, cunctos exæquas. Inde factum arbitror, vt ad Maieſtatis tuæ excellentiam, & cumulum gloriæ demonſtrandum, noua & inaudita epitheta ab eruditis & religioſis hominibus quæſita & excogitata ſint, quibus Rex miraculorum, Regúmque miraculum vocitère. Et verò magnum illud Reip. & Monarchiæ Gallicanæ corpus, tot inteſtinis bellorum motibus & crebra ciuilium morborum agitatione concuſſum, debilitatum, & languens, tantillo tempore pacatum, ſanatum, ac pluſquam priſtinæ valetudini reſtitutum eſſe, miraculi inſtar eſt, ſummo

Omni-

Omnipotentis Dei beneficio & ſingulari Maieſtatis T. tum prudentiæ tum fœlicitati aſcribendum: quippe tantam tam ſubitò mutationem vix quiſquam fieri poſſe, nedum futuram eſſe crediſſet, quo minus mihi verendum ſit, ne adulandi ſtudio, à quo longiſſimè abſum, magnificos ſuperiorũ Regũ titulos ſingulares Celſitudinis Tuæ nomini apposuiſſe videar. Etenim profectò is ſum, cui Solonis magis quàm Aeſopi ſententia ſemper placuit, ad Principes ſcilicet vel non eſſe accedendũ, vel cum illis ſyncerè, candidè, & ſine diſſimulatione loquẽdum, idque ipſum facit, vt in veras & ſolidas Maieſtatis Tuæ laudes ſim effuſus. Quæ quoniã ita ſe habent, iſtis ego de cauſis, aliiſque quas memorare longum, haſce meas de Regali poteſtate lucubrationes Maieſtati T. offerri & dedicari debere, optimo iure exiſtimaui, quòd poteſtatem maximam, liberrimam, & ſolutiſſimam adepta, eam ita moderetur vt humanitatis, iuſtitiæ, & honeſtatis fines non excedat. Quæ ſi Celſ. T. gratæ fuerint, erit cur egomet mihi gratuler. Deúmque Regum omnium Regem deprecer, vt Maieſtatem T. tranquillitati Reip. & Monarchiæ Gallicanæ quàm diutiſſimè ſeruet incolumen, noménque tuum ex Magno & Auguſto, Maximum & Auguſtiſſimum faciat, Vale. Pontimuſſi. Calend. Ianuar. M. DC.

GVILIELMI BARCLAII,

ILLVSTRISSIMI DVCIS LOTHARINGIÆ &C. CONSILIArii ſupplicumq; libellorum magiſtri, atq; in celeberrima Academia Pontimuſſana I. V. Profeſſoris ac Decani,

DE REGNO ET REGALI POTEſtate aduerſus Buchananum, Brutum, Boucherium, & reliquos Monarchomachos,

LIBER PRIMVS.

CVM ante annos compluſculos nauicula Petri, multis diu procellis iactata, ſedatiore fluctu vehi cœpiſſet, propéque adeſſet opinione multorum, vt ex alto in portum perueniret: procurante id gnauiter nauarcho non indiligente Gregorio XIII. & eius pios conatus iuuantibus multùm Principibus Chriſtianis, ſpes ingens affulſit varia in Chriſtianis gentibus regna iam diu denſiſſimis hæreſium tenebris circumfuſa breui lucem Catholicæ & Apoſtolicæ religionis iterum aſpectura. Etenim profectò, qui præſens tũc rerum ſtatus erat, neminem non iſtæc benè ſperare iubebat: Vtpote collectam ex variis nationibus & variis in locis iuuentutem, religionis, doctrinæ, virtutis, totius denique honeſtatis ſeminarium alere & inſtituere inprimis liberaliter Pontifex Maximus iam cœperat: optimum ſanè, & propè dixerim vnicum, tantis incendiis extinguendis paratum organum: vtque Heroinam illam, vtroque ſceptrô dignam, iniquo Anglorum carcere liberaret, enixius molieba-

Digitized by Google

liebatur. Gallus in Catholicæ religionis præcepta & cæremonias ardentius incumbebat. Hiſpanus Belgium expurgare, & priſtinam animaduerſionis ſeueritatem in obſtinatos hæreticos retinere videbatur. Lotharingus, auitæ pietatis & gloriæ exemplo, Eccleſiam omni niſu protegebat. Quæ res eùm animos Catholicorum magna expectatione erigerent, hæreticorum verò, ita infringerent audaciam, ferocitatémque comprimerent, vt neque effutire paſſim, neque profiteri palàm errores ſuos, vt antè, in regnis illis ampliſſimis auderent, Satanas callidum mox cœpit conſilium, quo laborantem exercitum ſuum nouo ſtratagemate ſubleuaret. Itaque Reges & Principes omnes ſeculares, quos aperto Marte ſuperare nequierat, ex inſidiis aggreſſus eſt. Emiſſarios enim accendit, non ſolùm qui ſingulorum facta, virtutem, laudes, res geſtas fictis famoſíſque libellis probroſè obſcurarent: ſed etiam qui vniuerſis de ſummâ imperii litem intenderent, & libertatem regnandi, qua ſecundum Deum fruuntur maxima, velut temerè delatam, aut iniuſtè vſurpatam & iniquius retentam, in populi ſubiectionem & ſeruitutem, non liberali iudicio, ſed illiberali conuitio, nec iuſtis vindiciis, ſed calumnioſis indiciis aſſererent pertraherentque. Non contentus ergo iis quæ parens ille malorum & mendaciorum Lutherus, cæteríque maledici conuiciatores, qui ab eius popina prodierunt, aduerſus Principes Chriſtianos infami ore & intolerabili petulantia euomuerat, emiſit ſtatim, & volitare ante oculos hominum fecit, Hotomani Francogalliam, Bruti Vindicias, Buchanani Dialogum de iure regni, libellos, ſi ab hominibus Catholicæ religionis exiiſſent, non mediocrem in vulgo authoritatem fortaſſis habituros. Nam & genus argumenti populare atq; plauſibile continent, & argumenta ac rationes, quamuis impudẽter confictas, tamẽ ita ingenioſè & ſubtiliter excogitatas, vt cõmenta haud facilè ab imperitis deprehendi queant; eóque factum vt ambitioſis hominibus, vel nouarum rerum ſtudioſis, turbandæ Reipublicę argumentum aliq; & adiumentum ſuppeditare videantur. Ex his Buchanani opuſculum (paulò poſtquàm Edeimburgo prodiit typis excuſum) obtulit mihi vir Nobilis & Reuerendus Pater Edmundus Hayus, rogans humaniter, & quæ eius apud me tunc erat authoritas, ſuo quodammodo iure imperans, vt ei ſcripto, per quod certiſſima Regibus, & Principibus omnibus exitia parantur,

tur, venena ciuitatum, excidia regnorum, gentium & populorum peſtes atque interitus in toto orbe diſſeminantur & creſcunt, memet veritatis tuendæ cauſa opponerem. Parui libenter, & quantum temporis ſuffurari neceſſariis meis ſtudiis & penſo publico mihi licuit, in eo authore redarguendo conſumpſi. Sed cùm opus illud feſtinatò properandum iam eſſem aggreſſus, ſtitit nonnihil curſum Illuſtriſſimus Princeps Dominus meus Sereniſſimus Dux Lotharingiæ, certè greſſus celeritatem conduplicato muneris mei onere retardauit. Nam cùm in Academia ſua Pontimuſſana recèns inſtituta me primum & vnicum tunc Iuris profeſſorem haberet, dum aliunde mihi collegas acciret, bis die vt profiterer, benignè & humaniter, vt ſolet omnia, inuitauit. Interea verò mihi relatum eſt ab eodem Reuer. Patre Hayo, popularem noſtrum Adamum Blacuodæum, virum ornatiſſimum doctiſſimúmque, Buchanani libello bellum indixiſſe, in aciem copias eduxiſſe, prælium ſecundo Marte commiſiſſe, ac ita de hoſte triumphaſſe, vt nullum amplius motum ciere poſſe vel ipſe vel eius fautores crederentur. Quod vt intellexeram, exilui equidē gaudio, atque iſtoc me faſce leuatum, & Poetam illum noſtratem à ſuæ gentis homine potius quàm ab extero proſtratū eſſe gratulatus ſum. Etenim, vt ingenuè fatear, malui erudito cuilibet, quàm mihi, laborioſam illam prouinciam tradi, mihi verò quàm nemini. Sed & eodem ferè tempore perlatus eſt ad me liber Reuerendi Patris Niniani Winzeti Sanctæ Theologiæ Doctoris, & Abbatis Ratiſponæ, aduerſus eundem Buchananum conſcriptus. Atque etiam Reuerendi in Chriſto Patris D. Cuneri Epiſcopi Leouardienſis liber de officio Principis Chriſtiani, non ita pridem ad compeſcendas eiuſmodi ſeditioſorum hominum furias quibus Monarchiam inſequuntur, piè doctéq; cōpoſitus.

Has igitur ob cauſas ſtudium in ea re meum, quod muneris neceſſitate remiſeram, velut amplius non neceſſariū depoſui: complicui chartam, & inter ſchedas condidi, nunquam fore ratus, vt, quam pii Patres & viri docti magna cū laude & bonorum omnium aſſenſu ſcriptis luculenter definierant, eius rei vlla inter Catholicos controuerſia moueretur. Verùm multò aliter eueniſſe, non ſine magno doloris ſenſu, iamdudum intellexi: & hominē Eccleſiaſticum, doctrina inter ſuos & religione vtcunque ſpectabilē, aurâque ſubnixum populari, id ſibi argumēti denuò atripuiſſe,

Boucheriū intelligit, de iuſt. Henr. III. abdic. è Franc. regno

& in

& in vnius Regis necem, cuius odio exæſtuabat, libros quatuor euulgaſſe, ad Principum omnium iniuriam & contumeliam redundantes: nihilque vel parum in iis effinxiſſe, niſi quod ab eorum, de quibus meminimus, hæreticorum ſcriptis emendicarit. Horum argumenta, rationes, teſtimonia, coniecturas, in ſuum opus tranſtuliſſe atque vſum pro ſuis: quæ hæretici ſcripſerunt probaſſe, quæ Catholici damnarunt diuulgaſſe. Quod vt certò comperi, legique authorem, concidi primùm mente, me miſerum ingeminans quò me vertam? méne Deus Opt. Max. in tam corruptum ſeculum reſeruauit, vt virum Catholicum & concionatorem excolere inuenta hæreticorum, imitari ψευδολογίας, inducere ſeditiones, regnis & ciuitatibus exitiales, atque omnem de Monarchiâ & Regum imperio errorem recudere, ornare, & amplificare videam? res eò ſi recidat fuiſſe quàm eſſe nimio mallem. Sed poſtquàm didici eius libri authorem ab iis ſtare, imò ex iis eſſe qui inconſiderato & planè infauſto fœdere aduerſus Regem coniurantes, in eas anguſtias compulſi ſunt, ex quibus egredi honeſtè nequierunt, niſi ad arbitrariam iſtam populorum in Principes poteſtatem confugiſſent: percuſſit illicò animum. At ac hoc illud eſt, hinc illæ Regibus inſidiæ, hæc illa populum & populi concilium extollendi cauſa. Itaque deſii vlterius mirari hominem tantoperè Regi ſuo infenſum, Reges alios improbâ ſtyli libertate perſtringere; amor enim, odium, & proprium commodum occæcant pleroſque, & à veritatis cognitione diſpellunt. Præclarè Manlius apud Li-
Lib. 38. uium [1], *Cæca inuidia eſt, nec quicquam aliud ſcit quàm detrectare virtutes, corrumpere honores & præmia eorum.* Dolui tamen vehementer pro eo ac debui, tulique moleſtè vnius Regis odio cæteros omnes prægrauari, & quod indignius viſum eſt, regalem potentiam non prærogatiua dignitatis & imperii amplitudine, ſed multitudinis iudicio pro rebus geſtis & vitæ meritis inſtitutóque ſingulorum Regum eſſe dimenſam: quo nihil fingi iniuſtius, aut dici ineptius poſſit. Ac illud in primis me ſollicitum habuit & anxit maximè, quod præiudicata doctrinæ & religionis opinio, quas ſcriptor iſte ſibi tunc vendicabat, non mediocrè apud Catholicos authoritatem iis libris conciliarat, multorúmq; legentium animos ita præoccupauerat, vt eâ imbuti non rationum momenta, ſed ſcriptoris commenta, nec quid de Regibus ſentiendum, ſed quid ipſe ſenſerit, attenderet.

Atque

Atq; ab his omnibus vna quidem ratio expectabatur, quã mihi id operis improbanti homines minimè mali non rarò obiectabant. Virum nempe eruditum, concionatorem, Theologum, & Doctorem Sorbonicum eſſe qui iſta ſcripſiſſet, adque ea zelo religionis catholicæ eſſe impulſum: ac proinde nil niſi verum, & exploratum, atq; ad hominũ ſocietatẽ conducibile mãſuris cõmittere chartis voluiſſe.

Talibus reſponſis cùm aures meæ frequẽter caluiſſent, & non deſerendam Regum, imò communem Reipublicæ cauſam iudicaſſem (quandoquidem populis iſti æquè ac Regibus incommodant) diu multùmque hæſi quibus tandem modis eam ſuſciperem. Nam nec ſubciſiuis diſputationibus (cuiuſmodi multas cum multis, acres quidem illas & copioſas, inſtitueram) proficere me poſſe ſatis ad eam rẽ exiſtimaui: ꝙ volumen illud Boucherii multorum iam manibus terebatur, quorum in cõgreſſum & colloquium nec venire mihi facile fuit, nec ſi veniſſem, opinionem, cui tanquam ſcopulo adhæſerant, breui momento, & conciſa, vt fit, oratione euellere animis atque eximere. Scriptum autẽ ſcripto refellere ingẽtis eſſe laboris homini præſertim aliis neceſſariis ſtudiis occupato iudicabam. Etenim profectò id artificioſum in primis & laborioſum opus eſſe, & hominis nõ ſolùm ingenio, doctrina, eloquio, ſapientia, atq; aliis animi dotibus, ſed etiã otio abundantis videbatur: quæ omnia quàm parũ mihi ſuppetebant haud ipſe ignorabã. Occurrebat & illud animo quod vulgari prouerbio, quo nihil verius, iactari ſolet, bonã cauſam bono patrono indigere: ſæpeque contingere vt aduocati ſegnes & imperiti in optimis cauſis concidãt, cùm docti & diligentes vel malas etiã obtineãt. Falſũ quippe *dũ nitet eloquio* cũ voluptatẽ auditur, & verum ſine cultu orationis aures ſæpe faſtidiũt.

Has igitur ob cauſas, cùm neque rei tantæ curam & cogitationem dimittere, neque eius palàm ſuſcipere patrocinium auſus eſſem, illinc vrgente mentem conſcientia, hinc terrente & auertente rei magnitudine voluntatem: aduenit forte fortuna Pontimuſſum vir Nobiliſſimus African* Anglurius illuſtriſſimi Principis noſtri Caſtrorum tunc præfectus: qui vt erat ſuopte ingenio manſuetus & affabilis, ac literatorum hominum conſortionis appetens, vbi me de Regum imperio leuiter diſſerentem audiſſet, mirum quantum eo ſermone delectatus eſt, ſe in fide Regum perpetuò mãſiſſe dictitans: Viuo Rege Henrico iij. nulli ſe fa-

ctioni opem, conſilium præbuiſſe: defuncto eo, laceratam ciuilibus odiis patriam miſeratum, ad Lotharingũ tranſiiſſe: nihil æquè cupere, ac benè defenſam Regum cauſam aduerſus eos, quorum animos noua quædam libido inceſſit cogendi Reges in ordinem: eſſe cacoethes regnis pernicioſiſſimum & inſanabile ſi inoleſcat: quòd multitudinẽ breui ita inſolentem & efferatam reddet, vt nec Regibus nec legibus parere amplius velint: ſempérque ambitioſis hominibus, in quos vulgus inclinat, ad res nouas moliendas, & ſceptra inuadenda, ſpe & ſpecie melioris regiminis & inſtaurandæ Reipublicæ, ianuam aperiet. Cui ego ſuſcepiſſe me aliquando eam materiam tractandã, ſed certis de cauſis ab inſtituto deſtitiſſe: quod vt audiit, rogat obnixè cogitationes meas literis mandem, aliiſque communicem: Haud rectè & è Republica facere me, qui rem communi hominum ſocietati profuturam ſupprimerem. Non agi de luminibus, ſtillicidiis, aut parietum iure: ſed de ſumma rerum, & arctiſſimis concordiæ vinculis, quibus populus cũ Principe, & hic cum illo viciſſim colligatur: & quæ reuelli ſine vitæ communis diſſolutione & regnorum interitu nequeunt. Multò ſatius & præclarius mihi eſſe in id ſtudium incumbere, quod quanquam à paucis excolitur, plurimis tamen prodeſſe poſſit, quàm in iure ciuili priuato explicãdo, ꝙ iam infinitis prope cõmentariis eſt illuſtratũ, operã curamq; collocare. Deniq; operæ preciũ me facturum, & rem Principibus iuxtà ac populis (ſi ſapiunt) gratiſſimam.

His me ſermonibus fluctuantem prius animo firmauit, fecitq; vt pollicerer lucubrationes aliquot *de Regno & regalis Imperii poteſtate*, propediè à me editum iri: cuius promiſſi nexu citiùs multò me liberaſſem, ſi vires volũtati reſpõdere per valetudinẽ, perque publicas occupationes potuiſſent.

Sed peregi tandem id operis quale quale eſt, atque in libros ſex digeſſi. Primi ea complectuntur, quæ aduerſus Buchananum de Monarchiæ præſtantia & vtilitate, de coniurationis & rebellionis incommodis, de legum ferendarum origine & cauſis, de Regum, tàm in capiendis conſiliis quã legibus dandis, arbitrio & poteſtate ſumma, & aliis id genus nonnullis, partim ex veteri meo ſcripto retexto nõnihil & recognito, partim recenti meditatione in vnum cõpegi: ſed ita tamen ne in primis illis duobus libris priſtina dialogi forma cauſáque immutarentur: ne fortè quæ aduerſus viuos ſcripſeram in manes & vmbras demortuorum

exaraſſe

Digitized by Google

exaraſſe videar. Tertius verò libertatem Regum ſolutiſſimam, & ſolius imperantis voluntate finitã eſſe docet: eoſq; non ſingulis modò, ſed cunctis etiam ſuperiores, vt nec in ordinem cogi poſſint, nec ſe populo ſubmittere teneãtur: Nihil in eos humanarum legum ſanctiones, nihil iudicia ad vindictam valere: eam regiæ maieſtatis prærogatiuã eſſe, vt vni tantùm Deo, quem ſolùm ſuperiorem agnoſcit, rerum à ſe geſtarum factorumq; omnium rationẽ reddat. Nullam denique cauſam iuſtam reperiri, cur populus in Principem ſuum legitimum inſurgere propriâ authoritate poſſit. Quartus autem aduerſarias Bruti potiſſimùm rationes refert refellitque. Quintus & ſextus anacriſin librorũ Boucherii contra Reges continent. Dabitur fortè aliquãdo ſeptimus qui officium Principis deſcribet, cuius eſt immenſam illam libertatem quam ſuperioribus libris ſibi vẽdicat, atque adeò omnem regalis imperii amplitudinem, conſilio & ratione ita temperare, vt æquitatis, iuſtitiæ, & honeſtatis leges, quàm poteſt minimè perfringat: ac perpetuò ante oculos habere quantum debeat, non quantum poſſit, ſubditis imperare: fixum etiam animo & illud a ſummo Rege & quæſitore iuſtiſſimo fortiſſimoque Deo Opt. M. qui malos malè perdit, exitium ei imminere diriſſimum, ſi munus acceptum ſæuiter, proterue, aut negligẽter obeat: nihil opes regias, nihil clientelas, nihil ſceptrum ſibi prodeſſe, vbi ſe ſummo iudicio ſtiterit. abſoluta quippe hac atque exempta legibus humanis poteſtate inter homines fruitur, non vt ea abuti impunè ei liceat: quemadmodum nec liberum homini arbitrium datum eſt vt vitia ſequatur & perditis moribus ſe coinquinet. Eum igitur liber ille ad regni habenas ritè moderandas magna ex parte informabit (quis enim omne Regis officium ſingularibus præceptis poterit abſoluere?) atque ea continebit quorũ neglectus & incuria vitioſi Principis & vitiati regni ſigna ſunt certiſſima. Ac ſuperiora quidem illa, etſi, vt fateor, nõ pro tantarum rerum dignitate tractauerim, ita tamen expoſui, vt acutis hominib. & animi perturbationum vacuis facilè appareat, noſtram de Regibus ſententiam cùm veterũ iudicio, tũ veritate ipſa, ſolidè & accuratè fundatam & fultã eſſe, eos verò q cõtrà diſputãt, magno licet artificio & cõquiſitis elẽchis rẽ inuoluãt, decipi planè vel decipere.

De temporali ſubiectione intelligit.

Illud equidem affirmare auſim me neq; odio in quemquam, neq; ſtudio (quippe quorũ cauſas procul habui) ſed

veritatis propugnandæ, & concordiæ inter Principem & populum confirmandæ deſiderio, in hanc diſputationem incubuiſſe. Nam & Eccleſiæ Catholicæ filium me eſſe profiteor, & corruptiſſimo ſeculo ſcribere: quo, ſi vlla veritatis occultandæ via veniáque daretur bonis, ſummam populi poteſtatem in Reges, quàm Regum in populos liberum atque ſolutum imperium prædicare, magis è Republica fortaſſis atque Eccleſiâ quibuſdam in regnis videretur. Sed vetat hoc veritas: nec ſcio qui faciunt id alii, mihi profectò nec licuit nec libuit vnquam; vtpote cui mentem & manũ ab eiuſmodi conatu auertit perpetuò ſagax actionum omnium exploratrix conſcientia, quam ego nec fallere nec fraudare poſſum. Maximoperè autem curaſſe me ſcio ne qua fidei Catholicæ repugnans ſententia his libris contineatur: quòd ſi incogitanti mihi aliqua excidit, nec cogitatàm à me nec ſcriptam eſſe volo.

Illud præterea lectorem monere libuit, delegiſſe me perſonam Annæ Danielis Boutellerii, viri nobilitate & doctrinâ illuſtris: cui diſputationis cauſa partes aduerſas in hoc dialogo tribuam, quem viuo eo ſcripſi: non quod aliud ipſe de Regibus ſenſerit quàm nos, ſed quòd ſæpè inter nos de omnibus regiminis publici formis, & optimo Reip. ſtatu ac omninò de his ipſis rebus quas nunc tractamus leniter & quietè ſumus collocuti: quibus in diſputationibus ipſe ſemper tum animi gratia, tum veri inueſtigandi ſtudio, eorum partes obibat, quos redargui à nobis refellíque ſolitos eſſe compererat. Erat certè in illo viro præter non vulgarem eruditionem tantus animi candor, tantáque comitas condita grauitate, vt bonos omnes, vel primo quoque cõgreſſu, in ſui amorem pertraheret: qui propterea, & quoniam nemo nobis amicior, nemo charior fuerit, dignus viſus eſt cuius memoriam duraturis, ſi fieri poteſt, in omne æuum monumentis ab obliuione vindicemus. Feci igitur ſermonem inter nos habitum, in caſtro cui Candæo nomen eſt: quo tempore vir ille, ob raras atq; eximias animi dotes, Illuſtriſſimum Principem Franciſcũ Lotharingum, Comitem Vaudemontanum, tunc puerum, ſibi commiſſum gubernabat: nóſque ad ædem D. Nicolao ſacram, voti ſoluendi ergò, tendebamus. Illac enim cùm iter nobis eſſet, nihil antiquius habui, quàm vt ſummæ ſpei puerum, ſumma integritate virum, breui deflexu breuíque conſpectu viſerem & viderem. Aderat vnà mecum adoleſcens

ſcens nobilis, qui etiam magno eiuſdem Principis v dendi ſtudio tenebatur. Itaque caſtrum ingreſſi a famulo ſtatim obuio accepimus, Boutellerium & eius Achate Nicolaum Lombardum conferre inter ſe quædam: quæ ego arcana ſuſpicatus, iuſſi narratorem ſubſiſtere pauxillum, nec eos tam citò noſtri aduentus nuncio interpellare. Sed illi è feneſtra in aream contuentes, nihil nuncium expectant, ad ſalutationes ſtatim properant & complexus. Ibi tum Boutellerius (poſtquam illi nos quædam de noſtra, nos illos de ſua ſumus valetudine percontati) Subeamus tectũ, inquit, & igneis iſtis anhelantium equorum flatibus capita ſubducamus. Quod vbi feciſſemus, conſediſſemúſque, in eum ſermonem incidimus, qui eſt a nobis iam literis commendatus. Haud inficior tamen complura me ſcripſiſſe, quæ nos tunc inter nos non ſumus locuti; ſed licere id mihi pro more dialogorum iure optimo exiſtimaui, habeóque quos imiter in eo authores grauiſſimos, ſed de his ſatis. Me autem ſic affatus eſt Boutellerius.

OPtatò adueniſti, & haud ſcio an aliàs vnquam opportuniùs: nam ea res modo inter nos vertebatur, quæ ingens præſentiæ tuæ deſiderium nobis peperit. BARC. At ego verebar ne non alias importunius, quòd inſtitutum tibi cum Lombardo colloquium meo acceſſu derepentè abruperim. Sed res iſtæc quæ? BOVT. De Scotia nobis ſermo erat, vt facile coniicias quàm tua nobis ope fuerit opus. BARC. Qua in re tandem? BOVT. Vt antiquum rerum Scoticarum ſtatum, & eius gentis mores, & quo ibi iure regnetur, regiæque authoritatis quæ vis ſit atque in populum poteſtas, quæque eius maieſtatis faſtigium gloriæ ſecuritas exornet, breuiter nobis exponas: quorũ profectò nihil te non facilè præſtare poſſe, multa vt credam efficiunt. in ea ſiquidem regione ortus cùm ſis & educatus, atque in aulam (vt ex te alias audiui) à Patruele iam tunc adoleſcens deductus paulò antè quàm Regina Darlæo nuberet, te huius ætatis mores inſtitutáque latere non poſſunt. Priſtinum quoque illius Reipublicæ ſtatum (qui vel naſcente Regno fuerit, vel interiectis etiam ſeculis ad noſtram vſque memoriam peruenit) publicis monimentis conſignatum non te arbitror ignorare. Neque enim in iis es, vt opinor, qui tempore & loco remotiſſima quæq; perſcrutantur, & illa quæ propiùs abſunt & penè præter oculos, longéque inueſtigatu digniora, velut ad ſe parum atti-

nentia prorſus negligunt. Fac ergo nos voti compotes, & ad harum rerum narrationem nonnihil temporis, dum æſtus eſt, concedito, attentos multùm habiturus auditores. BARC. Rem certè à me poſtulas factu quidem, ſi per ociū liceret, non iniucūdam: quid enim malim q̄ de ea quæ germana mihi patria eſt, & gentis eius domi militiæque rebus prçclarè geſtis, ſi minus pro dignitate, at ſaltem vt poſſum, apud homines præſertim audiendi cupidos aliquid prædicare? Sed ſcis iter nobis nunc aliò conſtitutum, voto tenemur, ne nos detine: iſta tibi omnia in reditum libentius & liberius explicabo. BOVT. Excuſationem tuam accipio, ſed ex parte, non enim id ago vt ꝙ voto nuncupaſti omninò non ſoluas: ſed ne tam citò ſoluas: cupio tibi huius dieculę moram iniicere. Iuriſconſultis veſtris viſum eſt, non eſſe [a] *magnum damnum in mora modici tēporis*. An putas tibi adeò ſeueros eſſe creditores, vt ſi hodie fidē non liberes, cras debitum etiam ad ſacoma appenſum abſque fœnore non recipiant? BARC. Facetè tu quidem iſtuc, nec fruſtra tamen, ꝙ cernis opinor multos nunc malo more fœnus agitare, & quęſtum ex eo palàm erectis ſuperciliis vberrimum facere, & perinde ac ſi nihil Deo, nihil cœlitibus, vſurario lucro eſſet gratius; imò ac ſi ipſi Superi fœnerarentur. Sed cum bonis mihi negotium eſt, qui tantùm abeſt præter debitum aliquid expoſcāt, vt ſi quid vltro eis datum ſit duplicatò reſtituant. BOVT. Quid igitur cauſæ eſt cur ortus tui patriā (quæ congruenter naturæ vitā degenti non poteſt nō dulcis eſſe atq; amabilis) exigui temporis ſermone nō dignaris cohoneſtare? BAR. Quia videris mihi hanc honeſtam ſimul & iucundam moræ iniiciendæ occaſionē compoſitò affectare, vt colloquio in multū diem prottacto cogamur hîc tecum pernoctare (ſcio te amicorum præſentiâ nimiopere delectari) & quia ſoles etiam frequenter alios interrogare de rebus tibi quàm illis notioribus, vt idemne ꝙ tu, an aliud de iis ſentiant explores: hæc ſuadent vt præſens de Scotia colloquium detrectem: quæ ſi abſunt, mos tibi geretur, & dies nos citius, quàm ſermo deficiet. BOVT. Abſunt profectò longiſſimè: nam licet facere me aliquando quæ dicis non inficiar, tamen mihi crede veram nunc non fictam quærendi cauſam adfero. BARC. Quam? BOVT. Nimirum quotidianam illam communémque, rerum ſcilicet ipſarum in quas inquirimus ignorationem. Nā cùm aliæ apud alias gentes publici atque priuati regiminis for-

[a] L. ſi debitori 21. D. de iud.

mæ

Digitized by Google

mæ obſeruari ſoleant, Regibus imperio in quaſdam conceſſo, nonnullis Magnatum principatu, aliis populari imperio Rempublicam adminiſtrantibus, ſcire cupio quodnã iſtorum apud Scotos imperium obtineat? Barc. Quodnam? rogas? an tu regni omnium quæ in Europa ſunt ſi nõ antiquiſſimi, at certè ex antiquiſſimis vnius, cuiuſmodi forma imperii ſit adhuc ignoras? cùm nouem iam & nongentis ſupra mille annis perpetuâ regum ſerie gubernatũ ad noſtra hæc tempora incolume peruenerit, quorum exteræ nationes arma nonnunquam, opem ſæpe perſenſerunt: quorumque affinitates & fœdera, complures luculenti ſcriptores ita literis expreſſerunt, vt mirum ſit hominẽ in hiſtoriâ haud mediocriter verſatũ, qualẽ te eſſe ſcio, hoc ꝙ interrogas ignorare. Illud autem quid eſt, ꝙ cum de poteſtate regia apud Scotos, & eius maieſtatis imperii ſecuritate, initiò ſis percontatus, nunc demũ, velut eorũ quę dixeras immemor, an ſit apud eos regiũ nomen in quęſtionẽ reuocas? Bovt. Equidẽ nihil ex te de ſummi magiſtratus nomine apud Scotos ſciſcitor, Regémne, Ducẽ, an Imperatorẽ eum vocitent: neq; n. ſum neſcius Imperium illud præ ſe ferre Monarchiã, & Reges ibi iam inde ab initio appellatos: Sed hoc tantùm quæro, num Regibus apud eos Reip. adminiſtrandæ ſumma permiſſa ſit? Barc. Atqui dũ iſtud quæris, nonne hoc ipſum quærere videris an Regem habeant? Bovt. Nequaquã. Barc. Quid ita quæſo? Bovt. Quia ſcis vt opinor Reges dici apud quaſdã nationes, qui præter inanes titulos nomenq;, nihil ferè regiũ poſſideat: quippe tam anguſtis plebiſcitorũ, ſeu mauis legum popularium repagulis coercentur, vt ſimul & imperium aſſumpſiſſe, & liberã de rebus publicis atq; priuatis ſtatuendi facultatem depoſuiſſe videantur. Scire igitur velim, vtrum Reges veſtri cum iſtis cenſendi ſint qui toti à multitudinis voce pẽdent, an verò cum iis qui liberè & regali prorſus more regni ſibi commiſſi habenas moderantur. Barc. Cum iis profectò qui liberrimè: ita vt ſi omnia regna Chriſtiana perluſtres animo, vix vſpiam regnatũ eſſe liberiùs, aut Reges in populum gratiores, populũmve regibus obtemperãtiorem, quàm in Scotia deprehendas. Neque enim potuiſſet regnum illud tam diu ſtare, & tam potentibus aduerſariis reſtare, niſi mutuis illis imperandi parendíque officiis fuiſſet ſuſtentatum. At tu cedo quid iſtuc tibi quærẽdi cauſa ſit, & quę te ratio nũc primũ in hãc de libertate regnãdi

apud noſtrates dubitationem impulerit? Nam cùm aliâs frequenter honorificam de Regibus noſtris gentèque tota mentionem faceres, non ſolebas de eiuſmodi Regum libertate vel iure regni aliquid ſcrupuloſiùs inquirere. BOVT. Dicam, & quo planiùs quid ſentiam intelligas, dicam vberiùs. Quoties antehac de rebus Scoticis vel ipſe mecum cogitabam, vel cum aliis ſermonem inſtituebam, in ea ſemper eram ſentẽtia, vt crederem Reges ibi antiqua & communi cæterorum Regum libertate frui ſolitos: idque cùm neutiquam apud te populareſque tuos diſſimulaſſem, nec erroris ab vllo fuiſſem admonitus, putaui equidem tot hominum ſilentio, qui de iis rebus aliquid ſibi ſapere videbãtur, firmatam iam ſatis & probatam opinionem meam. Sed didici iam ante paucos dies in magno me errore verſatum, ac ne vmbram quidem veritatis in ea re attigiſſe; idque ab homine rerum Scoticarum haud vulgariter perito cõmonefactus. Is enim Regib. veſtris nihil libertatis in Reibublicæ adminiſtratione cõceſſum eſſe docet: & hoc illis tantùm reliqui eſſe, quòd imperii geſtẽt inſigne, cuius glorio!ę inanis ſplendore cæteris regni primoribus antecellunt. Nec illis permitti quicquam liberè & ex animi ſententia ſtatuere, vt Regibus alioqui mos eſt, aut veteribus ſancitũ legibus mutare, imminuere, reſcindere, abrogare: ſed legum præſcripto & ſtrictis iudiciorum formulis, haud ſecus ac ſi pedanei iudices eſſent, alligari, vt, nõ quod illi populo, ſed quod ipſis populus imperare malit, præcisè decernant. Denique Regem apud veſtrates ex publicis priuatiſque delictis reum fieri, & vt quemlibet è media multitudine & infimæ ſortis hominibus in ius vocari, imò pertrahi ac pulſari poſſe contẽdit. Quæ ſi ita sũt, eo mihi veſtrorum Regum conditio miſerior videtur, quo præſtãtius eſſet, ſi optio illis à natura daretur, vitam in obſcuro, ſed tranquillam, degere, quàm eiuſmodi principatus faſtigium appetere, in quo cùm omnium ante oculos obuerſentur, nullibi in tuto conſiſtant: quippe quos nec regiæ dignitatis ſplendor, nec imperii maieſtas, nec ſummo magiſtratui debita reuerentia, à maleuolorum hominum iniuriis, ficta nonnunquam crimina obtendentium, poſſit aſſerere. BARC. Rem mihi hactenus inauditam narras, & quæ magnam me in admirationem trahit, quòd diu iam patrii moris & legum noſtratium obſeruationem propius intuens, nihil vnquam tale in iis animaduerterim: ac proinde

Buchanani de Scotis & eorum Regibus calumnioſum mendacium.

proinde auſim liquidò iurare, id totum quod ex illo authore recitaſti commentitium eſſe, & tam à vero alienum quàm quod maximè. Quapropter edas quæſo nomē eius, quem laudaſti, authoris: ſuſpectus enim mihi eſt quiſquis ſit, & ſi quid rectè de illo auguror, aut exulcerato in Reges Scotorum animo, aut populum ad ſeditionem concitandi ſtudio, aut ambitioſà affectati regni cupiditate impulſus, hanc tam pernicioſam, & diuini ſimul atque humani iuris corruptricem mutationem in illam Rempublicā conatur inuehere: aut certè is eſt qui nihil vnquam de ſtatu rerum Scoticarum μηδ' ὕπαρ μηδ' ὄναρ intellexit. BOVT. Quo animo ſcripſerit equidem neſcio, ſed veſtratem eſſe ſat ſcio, atque ob diuturnam in publicis ac priuatis negotiis experientiam, non videri res geſtas popularium ſuorū penitus ignorare. Ac ne quis præterea ab inimiciore Regibus Scotiæ, & eorum fælicitatem peroſo homine, opus illud conſcriptum exiſtimet, contendit enixè omnibus, vbicunque terrarum ſunt, Regibus ius idem cōpetere: omneſque in eundem ordinem eſſe cogendos, atque iiſdem cancellis concludēdos, quibus ſuos in Scotia Reges teneri aſſerit: & hoc pacto cæterorum omnium, qui ſolutiùs nunc imperant, coanguſtari debere libertatem. Itaque licet inſcriptio libri, in quo iſta pertractat, ſit, DE IVRE REGNI APVD SCOTOS. tamen de iure regni vniuersè illic diſputat, & rationum momenta extendit latiùs, vt omnes omnino Reges comprehendant: & quod de vno illo Rege nominatim profert, id in reliquos omnes Monarchas conuenire docet, ſiue Reges illi, ſiue alio ad imperium apto nomine vocentur. Horum ego lectione ita ſum affectus vt planè adhuc animi pendeam. Nam ſi vera ſunt quæ ſcribit, ingēs mihi error hucvſque obiectus eſt, non ſolùm de modo regnādi apud Scotos, qui in facto conſiſtit, ſed de communi Regum omnium iure, quod latius ac liberius eſſe, quàm ille tradit egomet mihi ſemper perſuaſi. BARC. An non rectè dixi tuum mihi monitorem ſuſpectum eſſe, hominem opinor vel ab inferis ſuſcitatum, vel ad contradicendum natum, & res ſubinde nouas in populis excitandi ſtudioſum, qui, vt gentium & nationum omnium ritè conſtituta imperia labefactet, perpetuos ſeditionis, & in Regum capita coniurationis fomites, turbulentis eiuſmodi orationibus ſubminiſtrat. Sed quiſnam ille ſit quin tandem dicis? BOVT. Buchananus, vir multis vel ſola poeſi notus. Is

enim in hoc quem vides libello *de iure regni apud Scotos* inſcripto, omnem Regi Scotiæ in ſubditos poteſtatē aufert, niſi quà illi legis aliquo capite aliquid tributum eſt: idque eo iure quod à primis eius regni cunabulis ad hęc vſq; tempora inualuit, ſi narrationi fides, ſatis videtur confirmare. Sed & cæteros Reges omnes, vt iam dixi, in eundem ordinem cogēdos varia ac multiplici ratione contēdit. Barc. Aliquid interea ſuſpicabar mali, dum nomen tamdiu celares. Næ tu mihi authorem narras peſſimo libello nequiorem, & quod in Græcorum prouerbio eſt, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. hominem videlicet in quo, ſi multiiugem eruditionem ſpectes, præclara multa inuenias: ſin fidem vel mores οὐδὲν ὑγιές. quem equidem non demiror tales ſcripto excitaſſe Tragœdias, vt ſua vitæ verba faciat cōuenire: cùm vix diſpar moribus oratio reperiatur. [1] verè ſiquidem vir ſanctus. [2] εἰκόνες ὄντως τῶν ψυχῶν εἰσὶν οἱ λόγοι. Neq; enim fieri poteſt vt qui proditorum ambitioni, quēmadmodum ille, plurimum ſemper ſit obſequutus, aliter atque ille de iure regni, & non violanda Imperii maieſtate, ſcribere aut loqui; vel qui ita ſcribit aut loquitur, meliore in Reges quā ille animo eſſe poſſit. Quod quamuis graue ſit & permoleſtum, hominem nempè tot Principum beneficiis deuinctū in Principum ſemper capita coniurare: & quibus vitā pro ſcelere meritò expoſcendam debet, vitam vt eripiat nihil non obnixè machinari: ferendum tamē eò leuius eſt, quò minus lædere & citiùs præcaueri inſidię patefactę poſſunt, quàm illæ quæ tum primum cernuntur cùm nec opinātes opprimunt. Sed de huius hominis improbitate nō eſt præſentis inſtituti plura commemorare, ne fortè in eius mores & vitam altius inquirentes, in perſonā multa, in rem pauca dixiſſe videamur. Bovt. Rectè: erit enim hoc pacto gratior nobis ſermo, & ad veri inueſtigationem accommodatior, ſi conuitiis, exprobrationibus, & cæteris id genus abſtineatur, quæ liuoris ſuſpicionem inducunt. Non enim is ſum qui in alicuius verba ita ſim iuratus, vt velut ex Pythagoreis aliquem ſola dicentis præiudicata opinio atque authoritas me quocunq; velit pertrahat: aut qui vllius authoris improbitatem, & in omne ſceleris ac flagitii genus immerſum animum ita auerſer, vt quæ ad vitam benè beateque degendam, honeſtè, ſapienter, præclarè dixerit, ea ſcribentis vitio metiar, protinuſque aſperner: niſi ex iis ſit, quorum libris, & lectione, ſagax & ſancta mihi mater Ecclesia

1 Caſſiod. in procem. lib. 1.

2 Baſil. Magn. ad Maximū Philoſophum. Id eſt oratio eſt re vera animi imago.

cleſia interdixerit: cùm ſciam ex vaſis aureis miſtū aliquādo aconitū, ex fictilibus verò potum effundi ſaluberrimū: & per canales putidos videam quotidie aquā puram putā diffluere: & verò *tantum gratia doctarum artium valet, vt ſcriptoribus ne ſaui mores quidem ad memoriam officiant.*[1] Id tamē citra reprehenſionem dixeris quid illi cauſæ fuiſſe ſuſpiceris cur hoc opus nauarit. Barc. Duæ illum præcipuè ad id efficier dum pellexerunt: vna cuius paulò antè memini, vt coniuratis quibuſdam in Scotia gratificaretur (quorum ſceleri operiendo, in quod ipſe ſemper ſumma voluntatis inclinatione propenderat, hoc veluti palliolū contexuit) & eos, quos perfidiſſimi illi perduelles facinoris atrocitate infenſiores ſibi reddiderant, aliqua æquitatis facti conficta ratione paulatim demulceret, fuit enim hic ſcriptor, vt intelligas, omnium quæ impiè, immaniter, & ſeditioſè, perpetrata ſunt annis plus minus viginti in Scotia,

Sator ſartorque ſcelerum & meſſor maximus.

Altera verò cauſa, vt Caluinum ſuæ ſectæ Principem ſequeretur, qui in eam curā obnixè incumbebat, vt non ſolùm Eccleſiaſticam Hierarchiam qua nihil ſpecioſius aut precioſius ordinatum conſpicitur; ſed regna etiam omnia ſecularia diſſolueret, euerteretque: ac propterea non erubuit falsò aſſerere,[2] Ariſtocratiam Regno præcellere. Bovt. Tu igitur ius regni apud Scotos aliud ab eo quod modò retuli ex Buchanano eſſe putas? Barc. Equidem aliud, longèque diuerſum ac diſſimile eſſe ſcio.

Sed quia, vt video, non ſolius Regis Scotiæ, quem hic Monarchomaſtix ſingulari odio proſequitur, verùm etiā reliquorum omnium qui cum purpura & ſceptro ſedent, cauſa mihi ſuſcipienda eſt, cùm & hic omnes eodem iure cenſeat: Neceſſe habeo de iure regni generaliter ac vniuersè prius differere, vt cum ius illud procul ab eius opinione remotum, & alios quàm ipſe teſtetur Scotiæ gentis mores, probauerim, longè aliud quàm ipſe de Scotorum imperio colligam. Bovt. Et verò hoc ſi feceris, magnam non à Regibus tantummodo, ſed à bonis etiam omnibus gratiam inibis. Ad me autem quod attinet, non facilè patiar hanc mihi opportunitatem eripi, quin ex te aliquid audiero, quo nutantem in hac re animum confirmem meum. Viſne igitur Buchanani & mentem, & rationes, in propriis dialogi ſui verbis conſpicemur? Barc. Equidem libens. Sed vereor ne nimiæ nos lectionis tædium ſubeat ſi ea in multā noctē ꝑducta, totū illum de iure regni dialogū per-

1 Aurel. victor de Cæſaribus in Seuero.

2 Lib. 4. Inſtit. cap. 20. §. 8.

curramus. Quapropter cùm ſint in eo fortè nonnulla quæ nobis etiam probantur, operæpretium facies; ſi quæ ex omnibus velut ſumma rerum capita adnotaſti, in quibus ad ius regni minuendum momenti plurimum ineſſe ſuſpicatur, ea breuiter in medium proferas; vt velut cum ipſo authore verba ad compendium conferētes, quid ille ſentiat, quidque contrà diſputari poſſit videamus. Bovt. Rectè mones, haud enim alia ad id quod quærimus via apparet expeditior. Teneo propemodum recenti memoria, quicquid iis de rebus author ille cōſcripſit: & ſi quid mihi prætere a in mentem venerit, quod poſſit accommodatè ad inſtitutum adhiberi, velut auxiliariam cohortem in ſubſidium adducam. Barc. Iſtam quoque legem non recuſo. Ordire igitur quamprimùm, ego hæc fallaciarum inuolucra euoluam, ſi potero, diligentius. Bovt. Primùm, ne in perſpicuè notis hæreamus, illud eſſe in confeſſo arbitror, diſputationē hanc de iure regni parum vel nihil ad bonum Principem attinere: quippe in cuius perniciem nihil vi, nihil inſidiis, tentaturum populum, etſi facilè & ſine periculo id poſſet, benignè credendum eſt. Barc. Itàne verò? quàm vellem equidem id verum eſſe. Sed falleris dum tantam multitudini conſtantiam attribuis, in qua nec ratio, nec diſcrimē aut delectus vllus eſt, vbi vanæ ſemel opinionis error animos peruaſerit, quæque paucorum conſilio ad quiduis audendum huc illuc facilè impellitur: cuius etiam natura in id fertur, vt *aut ſeruiat humiliter, aut ſuperbè dominetur: libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſciunt: & non fermè deſunt irarum indulgentes miniſtri, qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad ſanguinem & cædes irritent.* [1] Itaque verendum eſt, ne ſi quando nimia mutandi Imperii libido, aut ſpes fallax libertatis eam inceſſerit, omnes vno ordine Principes habeat. *Nullum enim profundum mare, nullum vaſtū fretum & procelloſum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, vtique ſi noua & breui duratura libertate luxuriat: pœnitetq; eam modò conſilii, modò pœnitentiæ ipſius.* [2] Tamen quia bonis Regibus, fateor, minus à multitudine timendum eſt, & quæcunq; ad aſſerendos è populari poteſtate in libertatem malos Principes argumenta ſuppetunt, eadem omnia ad bonos potiſſimâ ratione transferentur, vt, cùm de illis abundè fuerit diſputatum, nulla de his amplius quæſtio ſupereſſe poſſit: nihil intereſt ad Regum cauſam, vtrum de iis tantùm qui Impe-

1 Liuius lib. 24.
2 Q. Curt. lib. 10.

Imperium ſibi commiſſum perperam adminiſtrant, an de omnibus vniuersè diſſeramus. BOVT. Non ergo ſeparabimus quos cauſa coniungit. Sed víſne Buchanani methodo, an aliâ potius ſingula proſequamur? BARC. Vtráuis, nihil moror. Sed quam tu methodum mihi narras? BOVT. Tria apud eum argumentorum genera ſuis ſedibus diſtincta obſeruaui. In primo, rationes conſtituuntur quæ ex partium corporis humani collatione cum officio medici ad hanc cauſam traduci poſſunt: has enim, quia ſenſibus penè obuiæ ſunt, & à ſingulis innato quodam iudicio deprehenduntur, tanquam velites in fronte collocat: in altero diuinæ Legis præcepta quibuſdam iuris Romani capitibus permixta ſunt, quæ, quoniam in illis ſpes tota victoriæ conſiſtit, vt prioribus ſubſidio ſint, tanquam cataphracti equites in medio agmine ſubſequuntur. In tertio denique, ad explendam aciem, Scotorum mores, leges, facta, res geſtas cateruatim colligit: atque ita inſtructis ordinibus hoſtem vndiq; aggreditur, & manus cum eo acerrimè conſerit. BARC. Non valdè mihi diſplicet hic rerum ordo: etſi non ſim neſcius quàm ſint fallaces & ad vtramque ſententiam vel conſtituendam, vel eleuandam parùm aptæ, quæ ex corporis humani, aut rerum aliarum ſimilitudine petuntur rationes: idque ego in hoc negocio iam ſatis compertum habeo. Nam, ne quid ampliùs diſſimulem, cùm in eum peſtilentiſſimum libellum ante aliquot dies incidiſſem, complurimos ex ineptis eiuſmodi comparationibus, & falſâ teſtimoniorum aſſertione natos errores deprehendi: atque etiam ordinem, quem ſibi affingit, haud rarò eum interturbare, vt neceſſarium nobis non ſit operoſo & inani labore veſtigiis eius inſiſtere. BOVT. Tu igitur authorem iſtum perlegiſti? BARC. Equidem percurri ſcriptum eius *de iure regni*, nec oſcitãter, quantũ tunc per meum munus penſumq́ue licebat. Atque alium etiam in eodem genere ſcriptorem qui Buchananum ſequutus ſacroſanctam & propè adorandam regiam maieſtatem dignitatis ſuæ prærogatiuâ ſpoliatã populari ludibrio exponit, & quaſi ſubiicit proculcandam: vtq́ue hoc ſibi naturale in Reges odium, atque à maioribus trãſmiſſum eſſe planius oſtendat, ſe *Brutum*, librum *vindicias contra tyrannos* appellat: quaſi ad Brutum illum libertatis vindicem (iure opinor adoptionis, quia ſobolem eum nullam maſculam ex ſe reliquiſſe verius eſt) nouitius iſte vindiciarum author

genus,

genus,& nomẽ oppidò q̃ arroganter referre vellet. Bovt. Quin tu igitur potius initiò hæc mihi prædixiſti, ne aut de ipſo authore, aut eius libri periocha, tam longum tecũ ſermonem inſtituerem? Barc. Vt dum quæ ignorare me putabas libentiùs narrares, interea ego quas memoriæ commiſi illius dialogi ſentẽtias, fideliter ab ea repoſcerem. Ideò, ne te diutius nunc moret, proponam ante oculos quãtis ille nebulis rem totam inuoluat, & quibus præſtigiis, atque captionibus, mentis intuentium aciem perſtringens, cumulum quendam errorum congeſſerit: Bovt. Quid eſt quod malim, quàm te talia diſſerentem audire? ne dubites quin attentos, &, ſi continente oratione delectaris, etiam ſine interpellatione auſcultatores ſis habiturus. Barc. Imò verò & interpellare quoties volueris, &, ſi quid diſplicet, reprehendere, & contrà diſputare, atque omnes omninò ſcriptoris huius rationes mihi reponere arbitratu tuo poteris: eaque faxis non permitto tantũ, ſed precor. Bovt. Quoniam ita vis faciam.

Atque vnde ille orditur, vt nos quoque initium ſumamus: Principiò hoc mihi nec inuitus, arbitror, concedes, totius humanæ ſocietatis, ſi altius paulò eius originem repetamus, non aliam inueniri cauſam, quàm virtutẽ illam vimque diuinam à Deo Optimo Maximo, hominum animis infuſam, quam ſiue mentem, ſiue rationem, ſiue, quod plerique homines, naturã vocites, non valde repugnabo: modò fateare hoc, quicquid ſit, tanquã diuinæ facis ſcintillam ita in nobis prælucere, vt, quandiu deprauatæ affectionis caligine non opprimitur, hominem ad id quod optimum eſt, quodque in vita maximè conducit, accendat. Barc. Iſtam cœtus hominum effectricem libens equidem agnoſco: nec ideò tamen erraſſe eos arbitror, qui eius cõciliationis cauſam in vtilitate collocarunt: cùm peræque, & quod mouet, & cuius gratia quid mouetur (alia licet ratione) motus cauſæ nuncupentur. Itaque nunquam adducar vt credam aliud homini naturam præcipere, aliud vtilitatem perſuadere: ſed cuncta illam huius cauſã operari, & ſicubi inter ſe pugnare videantur, id non naturæ & vtilitatis diſſidio, quod nullum eſt, ſed efferatæ hominum libidini, quæ aduerſus naturam concitata, ſpreto rationis imperio, vtilitatis tantù n ſpeciem amplectitur, eſſe tribuendum. Bovt. Non tu omnium in ea ſententiâ vnus es: eius enim grauiſſimi extiterunt aſſertores, quibus ipſe libenter

aſſen-

Digitized by Google

aſſentior. Itaque Socrates illum meritò execrari videtur, qui prius vtilitatem ab honeſtate ſeiunxit, quòd naturæ hoc modo fundamenta euertiſſet: ex quo facilè coniicies, quantum eorum ingenium perhorruiſſet, qui honeſta vtilibus cedere dixerunt [1]. Quæ cùm ita ſint, vim totam conciliationis hominum breuitatis cauſâ naturæ acceptâ referamus. BARC. Per me quidem, ſi libet, licebit. BOVT. Cùm itaque hanc generis humani ſocietatem, charitate, & communicatione vtilitatis hominum inter ipſos, firmiſſimè contineri, nullaque re magis quàm iuris æquabilitate ad ſui tuitionem indigere ipſa eadem natura cerneret, leges mirum quàm ingenioſè adinuenit, eaſque, velut firmiſſima totius humanæ coniunctionis præſidia, in ſummâ arce collocauit: quarum præſcripto continetur quod imperandi ius, quis parendi modus, quę victus atq; vitę communitas inter homines eſſe debeat, quod deniq; vel compeſcendo, vel expiando ſceleri, ſupplicium, aut claro facinori præmium conſtituatur. BARC. Non omninò hìc abs te diſſentio, ſed velim vberiùs paulò atque planiùs iſtud ediſſeras. An tu omnia omnium nationum iudicia ac leges, quas quiſq; populus ſibi conſtituit, à natura ortas eſſe putas? BOVT. Superior vt credam facit diſputatio: quandoquidem ad vtilitatem honeſtatemque, quas modò conceſſimus naturæ præceptis contineri, quæcunque legibus cauta ſunt diriguntur. BARC. At iidem etiam conceſſimus homines interdum quadam vtilitatis ſpecie falli, &, velut in ſole caligantes, vmbram pro corpore apprehendere [2]. BOVT. Conceſſimus. BARC. Quid igitur ſi qui eiuſmodi cupiditatum tenebris inuoluti leges ſibi pro arbitrio ſancierint, earúmve tu originem ad naturã etiam referes? BOVT. Hìc facis vt hæream, meq; ipſum propè reuocẽ. Poſitum ſiquidẽ eſt in honeſtatis & vtilitatis delectu nõ rarò pernicioſè errari: ꝙ nunquã ſi naturam ducẽ ſequeremur, contingeret. [3] Itaque eas demum leges à natura fluxiſſe dixero, quæ neutiquam à ſola hominũ voluntate pẽdent, ſed ita ad naturæ normam diriguntur, vt de ipſarum æquitate quærenti diligẽtius ratio aliqua probabilis reddi poſſit. Nam & Ciceronem audio dicentem ſtultiſſimum eſſe, omnia quæ in populorũ inſtitutis & legibus ſcita ſũt iuſta exiſtimare. [4] BARC. Optimã tu quidẽ in diiudicãdis legibus adhibes cautionẽ. Neq; enim primi illi Triſmegiſtus,

Rha-

[1] Liu. lib. 18.

[2] Plato. in Min.

[3] Plutar. de his qui tardè à numine corrip.

[4] Cic. lib. 2. de Leg.

Rhadamantus, Minos, Solon, Lycurgus, cæteriq́ue quorũ in legibus ferendis prudentiam etiamnum ſuſpicimus, & admiramur, aliam quam imitarentur ſanctionum ſuarum ideam, niſi naturam ipſam, ſibi propoſuerũt, ex cuius fonte vberrimas quoties opus fuit, æquitatis rationes hauſerunt: eoſq́ue quanto ſtudio ſequuti ſint viri ſummi, ex quorum reſponſis ius noſtrũ ciuile magna ex parte deſcriptum eſt, quid attinet hoc loco commemorare: cùm illud peræque in omnes elogium conueniat, quod de vno C. Aquilio à Cicerone olim pronunciatum fuit, quòd nempe iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate ſeiunxerit: ex quorum etiam ſchola vox illa optimi Imperatoris prodiit, *placere in omnibus rebus præcipuam eſſe iuſtitiæ æquitatiſq́, quàm ſtricti iuris rationem* [1]. Sed ad inſtitutum reuertamur. Putáſne in plerìſque Imperiis atque ciuitatibus nonnullas leges inueniri, quæ non tam ex naturæ officinâ quàm prauarum cupiditatum ſentinâ depromptæ ſint? Bovt. Etſi parciùs in aliorum inſtituta ſoleo inquirere, quòd videam rem eſſe Principibus iuxtà populoq́ue interdum inuidioſam, qui vix patiuntur de legum ſuarũ æquitate diſceptari, niſi fortè, ad Locréſium morem & inſtitutum, laqueo collum circundante quiſpiam in medium prodierit, quo ſibi iugulum ilicò frangatur, ni legem populo ſuaſerit abrogandam, [2] tamen quoties mihi in mentem venit earum legum, quæ frequentibus populorum comitiis rogatæ, & aliis nec ita diu pòſt abrogatæ leguntur, quæque olim, & noſtra etiam ætate in Imperiis alioqui benè cõſtitutis deletæ, ſuppletæ, & emendatæ ſunt, non aliam eius viciſſitudinis cauſam deprehendo, quàm quòd priores non æquè cùm natura conuenerant, atque illæ quæ in earum locum ſucceſſerunt, aut certè quia mutatio temporis morũ mutationem inuexit, vt leges quoque mutare neceſſe eſſet: ſiquidem δεύτεραι, vt aiunt, φροντίδες σοφώτεραι, eamq́; ſententiam mirificè confirmat vox illa Prætorum in libris veſtris frequens, qui cùm iuris ciuilis cuſtodes ſint atque interpretes, edicunt ſe naturalem æquitatem ſeruaturos, neglecta interdum iuris ciuilis ſcrupuloſitate. [3] Sed cur tu hoc de ratione legum ſingularum ita curioſè perquiris: an id ad noſtram de regno & poteſtate Imperii diſputationẽ iudicas attinere? Barc. Imò non parum quidem. Nam hic noſter μισοβασιλεὺς qui, quantum in ſe eſt, omnium principum eludit ſimul atq; elidit Imperia, vniuerſum ius

1 Placuit. C. de iud.

2 Demoſth. in orat. contra Timocrat.

3 L. 1. D. de pact. L. 1. D. de pec. cõſtit. l. poſthumus D. de iniuſt. rupt.

regni

regni ad leges populorum re ipſa examinat, quamuis ſeriò polliceatur ſe ex naturæ præceptis, & lege diuinâ ab initio rerum nobis inſitâ, controuerſiam hanc totam definiturũ. Idq; tu fortaſſis etiam feciſſes niſi tàm celerem nactus fuiſſes monitorem: cùm nihil tamen minus aliquãdo quàm populi iudicium in legibus imperii, & Regum libertate tuenda, ſequendum ſit. Bovt. Vereor vt iſtam omnibus ſententiam perſuadeas. Barc. Equidem perſuaſurum me non dubito iis, qui perſpicuis rerum argumentis ſeſe conuinci patiuntur: ac te quidem niſi ſequentia in meam trahant ſententiam, tota me cauſa cecidiſſe, ſine vlla prouocatione fatebor. Interea abs te contendo, vt leges quarum modo meminimus, ab iis quæ vi naturæ & gentium penè omnium inſtitutis obtinent, acutè ſubtiliterq; diſtinguas. Bovt. Quorſum? Barc. Ne cùm de iuris aliquo capite, quod Regum libertatem attingit, diſceptauerimus, tu mihi plebiſcitum aliquod obiicias, aut facti neutiquam imitandi exemplum, per quod de tota cauſa facias præiudicium. Ita namque homo ſceleroſus, & perfidus rerum malè geſtarum exemplis, & ſcelerum atrociſſimorum ſimilitudine, non tàm cautè quàm impudenter ſuam ſententiam aſtruxit. Bovt. Bona verba: iam antè pollicitus es te nihil in perſonam dicturum, nec ſi maledictis hominem figere contendas, tàm læſeris benè linguacem quàm laceſſeris: ſcis enim, vt eſt apud Comicum,

Baccha bacchanti ſi velis aduerſarier,
Ex inſana inſaniorem facies.

Faceſſat igitur iſtud in abſentem probrum: & videamus quæ ſit propoſitæ diſtinctionis efficientia, & qui poterit ad præſens inſtitutum adaptari. Barc. Id facilius vt intelligas, eorũ quæ diximus breui repetitione opus eſt: ita enim quid cuique conſequens ſit, quidque repugnans, apertiùs conſpicabimur. Bovt. Tu igitur, quantum è re iudicas, ad ſummam collige. Barc. Faciam ſedulò. Dictum eſt in primis, naturam vi rationis hominem homini conciliaſſe, & totius, quod inter eos eſt, commercii & communionis modum legibus, quas ipſa dedit, temperaſſe. Bovt. Id quidem à me dictum memini. Barc Deinde nihil eſſe naturæ conſentaneum, quod cum honeſtate & vtilitate pugnet, nec quicquam his congruens quod illi æquè non conueniat. Bovt. Et hoc quoque vt faterer optima ratione ſum adductus. Barc. Non omnes etiam quid vtile, quidque honeſtũ

N ſit, re-

ſit, rectè diſpicere: nec vllâ in re frequentiùs quàm in iſtorum delectu perniciosè errari.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra,
1 Iuuenal. Sat. 4. *Cùm ſit triſte habitu, vultuq; & veſte ſeuerum.*[1]

BOVT. Id ſuo pleriq; malo experti, quoniam inficiari non poſſunt, ingenuè atq; apertè confitētur. BARC. Ex hoc demum efficienter id conſequi, in quod poſtremò conſenſimus, nemo non videt: nempe apud nonnullas nationes leges quaſdam reperiri, quæ tantùm abeſt vt à natura ortum trahant, vt ei quàm maximè aduerſentur. BOVT. Sunt, fateor, qui cùm leges rationis ſtatera ponderant, de quarundam iniquitate querūtur. Sed vereor ne aliquid hac diſtinctione ſit prætermiſſum. BARC. Quid ita? BOVT. Videris enim mihi leges omnes in duas partes diſtribuere, in quarum altera eas collocas quæ ex puris putis naturæ fontibus hauriuntur: in alteram verò reiicis quæcunque deprauato hominum iudicio, aut corruptis populi moribus introductæ ſunt. περὶ ἀδιαφόρων autem καὶ μέσων nullum adhuc verbum: cùm ſint ex eo genere complures, quæ ad temporum, locorum, perſonarum varietatem in dies commutantur: quæque ferri iuſtè, & abrogari ſine damno poſſunt. BARC. Rectè mones. Sed quia nemo iſtas contra naturam eſſe dixerit, ideò non ineptè, meo quidem iudicio, omnes in primo ordine conſtituētur: non quòd eas natura ferri obſeruariq; præcipiat, ſed quia quo minus rogentur abrogētur-
2 Vide Ariſt. ca. 7. lib. 5. Ethic. ue neutiquam diſertè vetat.[2] Itaque legibus eiuſmodi non ſecus parendum eſt, atque pactis ſtandum conuentis, quæ neque dolo malo, neque aduerſus leges, aut bonos mores inita ſunt. *Quod neq; contra fidem catholicam neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter*
3 Ad Ianu. epiſt. 118. ca. 2. & refertur can. illa 12. diſtinct. *quos viuitur ſocietate ſeruandum,*[3] inquit Auguſtinus. BOVT. Teneo, & aſſentior. Itaque licet trita in ſcholis diſputatione, ius naturale à iure gentium atq; ciuili diſtinctū ſæpius audierim, eamq; ipſam nunc partitionem à te expectarem, tamen rectiùs, vt apparet, & ad præſens inſtitutum accommodatius, aliis ea finibus concluſiſti. BARC. Eſt ita vt dicis. Aliter ſiquidem ab iis qui in vmbra, vt aiunt, & otio ſubtiliùs omnia diſſerunt, & ferè ad viuum reſecant: aliter à nobis, qui ad vſum vitæ rem vulgi ſenſibus ſubiiciendam pinguius aliquātò tractamus, inſtituenda eſt diſputatio[4]. Et
4 Cic. 2. offic. verò vt illi rectè ius tripartitò diuidunt, ſi eius cauſam efficientē ſpectes, quæ vel naturæ vis eſt, vel gentiū omnium,

vel

vel ciuitatis conſenſio: ita bipertitam noſtram diſtinctionẽ, quoties de legum æquitate quæritur, nemo iure reprehendet. Bovт. Gaudeo te iſta copioſiùs eſſe perſequutum: ex iis enim colligere & quaſi videre mihi videor, quò tota huc vſque pertineat de legibus diſceptatio, & ſi velis dicã. Barc. Equidem te rogo. Bovт. Nempe vt ex illis ius totũ regni deſcribatur & pendeat, habeantque Principes quo ſe aduerſus populi inconſtantiam legitimè tueantur: qui & Reges in ordinem redigere, & ſolio ſi viſum eſt pellere, ſuis ſibi comitiis fas eſſe putat. Superior enim ſententia, quæ rationi maximè conſentanea videtur, perſpicuè nobis oſtendit non legiſlatoris voluntatem, ſed legum ipſarum æquitatem eſſe ſpectandam, quoties quid fieri debeat exquiritur: ac proinde nihil referre ad ius regni minuendũ, nullíſne legibus popularibus multitudo ſibi cauerit de Rege quoties ipſa voluerit, vel mutando, vel moderando: an verò iis quæ cum natura non conueniunt. Quod ſi ita eſt, facilis quidem nobis ad reliquam diſputationem patefactus eſt aditus. Barc. Ita eſt profectò: ac me quidem magno iam onere leuaſti, qui iſthæc interrogatus longiore fuiſſem oratione proſequuturus, quę te ſatis intelligere animaduerto.

Sit igitur hoc initiò poſitum, quicquid corruptis populi moribus, & (vt cum Celſo ingenii celſi homine dicã) non ratione introductum, ſed errore primùm, deinde conſuetudine obtentum eſt, id Regibus, quo minus iure ſuo vtantur, fraudi eſſe non debere. Quæ cùm ita ſint, mittamus ſi placet iſtam, quam leuiter perſtrinximus, ſocietatis humanæ conciliãdæ cauſam, de qua non magnoperè ab illo diſſentio, & ad pugnam acriorem pergamus. Nam idem, vt ſcis, vbi hanc communionis vitæ cauſam effectricẽ abſoluit, mox [1] gentem vniuerſam ſeu ciuitatem humano corpori, inq; ea lites, ſeditiones, & motus cæteros, ciuiles, variis morborum generibus: poſtremò magiſtratum, qui æquabili legum temperamẽto haſce turbas compeſcit, medico ægrotum corpus curãti ſimillimum eſſe pronunciat. Pag. 12. & 13.
Bovт. Nec hîc quoque quod reprehẽdas video, tàm concinnè inter ſe omnia apteque cohærent. Barc. Expecta parumper, cætera vbi audieris facilius iudicabis. Ex harum rerum tàm conueniente, vt tibi videtur, ſimilitudine, homo argutulus per multos mæandros eò diſputationem traducit, vt tandem velut quadam argumentationẽ

probabili concludat, arbitrium nullum ferendarum legũ, aut etiam interpretandarum, penes Regem [1] eſſe, & id genus alia auribus animiſque hominum æquè abſurda cuiuſmodi illud eſt, Regem legi, legem populo eſſe ſubiecta [2]. Bovт. Mirum profectò hæc ſuperioribus quo modo ſint conſequentia, quæ tamen ſcio illum velut arctiore ratiocinationis vinculo, & quadam concludendi neceſsitate inter ſe annectere. Barc. Id inductionis flexibus eſt conſequutus, vt ex adoleſcentis, quem ipſe colloquentem fingit, imprudenti reſponſione impudenter iſta colligat: ſed vnde digreſsi ſumus reuertamur.

1 Pag. 18. 31. 32. 35.

2 Pag. 32. 86.

Medicum inter & Regem quin multæ ſint differentiæ, neminem tam hebeti reor eſſe ingenio qui planè neſciat: cùm ſit tritiſsimum, adeò res inter ſe nullas eſſe ſimiles, vt in nullo differant: quod cùm ita ſit, debuit profectò non iſtam modò nobis cõuenientiam exhibere, ſed etiam quid inter eos diſsimilitudinis reperiatur oſtendere: idque nos, quibus eius errores refutandi negocium datum eſt, quà commodum videbitur faciemus. Dabimus igitur, ſi ita vult, eas in Reipublicæ procuratione, & ciuilibus muniis obeundis, Regis partes eſſe, quæ in ſingulorum hominum vel tuenda vel reſtituenda valetudine medico tribuuntur: vt vterque ſcilicet ad σπάρταν quam nactus eſt ornandam, omnem curam & diligentiam adhibeat. Id enim cùm in omni vitæ genere exigitur, tùm præcipuè ab iis quorum operâ vel lædi homines maximè vel iuuari ſolent. Etenim profectò vt ei quiſque medico ſuam corporis valetudinem tutiſsimè concredit, qui & artis medicæ præcepta ſcitè callet, & vſu rerum atque experientia iudicium de illis ſuũ confirmauit, quique

Eſt in præcipiti morbo celer atque fidelis.

Ita ſingulorum ciuium incolumitatem, atque adeò totius Reipublicæ ſalutem, haud fruſtrà ab eo expectamus, qui pacis bellique artibus inſtructus, id ſolùm in magiſtratu ſibi licere putet, quod populo crediderit expedire. Neq; tamen illud vetat, quo minus hominem non ita variè periclitatum ad depellendos morbos, cùm non ſit alius, adhibeamus: neque hoc poſtulat, vt imperii iugum multitudo protinus excutiat, cùm foris arma, domi conſilium, aut perperam capi, aut non ex voto ſuccedere perſpexerint. Bovт. Id ita eſſe quamuis vulgò omnes fatentur, tamẽ ſunt qui poſteriorem partem in controuerſiam vocent. Barc.

Scio,

Digitized by Google

Scio, in iis enim & hic noſter eſt. Sed vt non licere ſubditis vllam vel peſſimo Principi vim afferre, pòſt commodiore loco demonſtrabitur: ita ne quidem expedire, etſi maximè liceret, hîc paucis faciam vt intelligas. Cogita tecũ quàm ſit homo præter cætera animal audax, acutum, multiplex, ac in primis imperandi quàm parendi cupidius: quàm facilè præterea honoris, gloriæ, diuitiarum cupiditate accẽdatur, nihil non tentatum relinquẽs, quo vel fortunas augere, vel ad poſteritatis memoriam aliquâ laudis commẽdatione reſeruari ſe poſſe arbitretur: quâ animi elatione, vt eſt in fabulis,

Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis,
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt:
Cœlum ipſum petimus ſtultitia.

Iam verò cùm nihil hominem ad quiduis audendum tàm impellat, quàm in alios homines dominandi libido, quæ *multos mortales falſos fieri ſubegit: aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere: amicitias inimicitiasq́, non ex re, ſed ex commodo æſtimare: magisque vultum quàm ingenium bonum habere.* [1] Illud æquè credendum eſt, quantum quiſque gratia, opibus, ingenio pollet, tantum per fas & nefas vt Imperio potiantur omnes contendere: potiſſimùm vbi plures ſunt, qui paribus animi dotibus, cæteriſq; rebus Imperio dignis, abundant. Notum enim tibi eſt, quod ex Euripide Cæſar vſurpauit, *Si violandum eſt ius, regnãdi cauſa eſſe violandũ.* Finge itaq; populũ vel priuata Principis vitia exoſum, vel publici regiminis formæ pertæſũ, inſignia ſibi Imperii vindicare, & veluti publicâ auctione ei addicere quì plurimorum iudicio Remp. optimè gubernare poſſit: quid hic futurum exiſtimas? quas inquam hoc tam claro, vt videtur, facinore turbas non protinus concitabit: ſingulis ſibi potius, quàm aliis, vt is honos obtingat, quo iure quaq; iniur'â contendentibus, & (vbi vnum aliquem rerum potitum viderint) his ſe præteritos, illis ſpretos querentibus, deniq; omnibus iſtius ius ſuam iniuriam tacitè arbitrantibus, vt quod ſine ſumma multorum inuidia vni alicui non potuerit deſignari, id nec retineri quidem facilè ab eo qui accepit ſine eorundem odio atque diſſidio queat? Ita miſer populus dum Scyllam vnius tyrannidis euitare ſtudet, in multarum tyrannidũ Charybdin præceps dilabetur: & qui

[1] Saluſt.

priores ærarii hirudines cruore ad ſatietatem replebat à recentioribus, quos maior premit ὄρεξις, exanguis penè totus atque exanimis reddetur.

Et no tibi fabulas cõminiſci videar, in mentem reuoca quas clades, quæ ciuitatum excidia, quos illuſtrium regnorum interitus, &noſtra, &patrum memoria, eiuſmodi prępoſteræ atque præcipites mutationes pepererunt. Sed libentius antiqua, quàm quæ recẽs in ore animiſque hominum adhuc hærent, exempla commemorem. Ex omnibus Gręciæ populis num quem tu mihi vel bellicæ virtutis gloria, vel ciuilis diſciplinæ ſeueritate, Spartiatis clariorem nominabis? Bovt. Equidem, quòd ſcio, nullum. Barc. At iidem cùm Regis ſui Agis imperium, quod in tyrannidem vergere videbatur, non ferrent, eũmque coniuratione facta palàm aggreſſi necarẽt, quos, putas ex eius tam infœlici interitu fructus collegerunt? Bovt. Nempe inſignem illam calamitatem quæ non modò Laconicam Rempublicam labefactauit, ſed reliquam etiam Græciam eius contagione infectam euertit: [1] quandoquidem ab eo ſtatim tempore vires Lacedæmoniorum minui cœperunt, & qui futuræ tranquillitatis ſpe velut malum ſibi præciderant, in varios fluctus, atque tempeſtates delati omnes vitæ miſerias, omnes ærumnas ſunt perpeſſi. Quamquam Lacedæmoniis fortaſſe iuſtiorem quàm cæteris gentibus in ſuos Reges animaduertendi cauſam aliquis tribuat: quòd Ephoros iam diu haberent, quorum propter autoritatem ius imperii, quod penes Reges eſſe debuit, flacceſcebat, vt nec ibi Rex nec regnum videretur. Barc. Hoc quantum me adiuues argumento, ſatis ipſe ni fallor perſpicis. Sed poſſum tibi alia id genus multa præter oculos conſtituere, quibus eò libẽtius hic ſuperſedeo quò notiora tibi omnia ex hiſtoriis eſſe arbitror. Cùm enim vix vlla reperiatur de legitima imperii ſucceſſione vel inter cognatos exorta cõtentio, quæ regni opes non grauiter afflixerit, nemini poteſt eſſe obſcurum quanto cum diſcrimine ciuium atque Reipublicæ certetur ab iis, qui ſummæ rerum potiendi ſpe inflammati diuina ſimul & humana omnia ambitioſis ſeditionibus permiſcent: vt meritò populus Romanus queſtus ſit, *propè euerſum orbem, etiam cùm de principatu inter bonos certaretur* [2]. Bovt. Eſt hoc quod dicis aliquid: ſed non magni apud quoſdam momenti, quòd ſe enumerare poſſe dicant ſeditiones non paucas & regnis & ciuitatib. non inutiles. Barc. Cur eius reſponſionis taces authorem, quem

1 Cic. offic.

2 Corn. Tacit. l. 1. Hiſtor.

ceritum eſſe veſana hæc prodit in extremo eius libri ſcripta defenſio [1]? Niſi ignoſcendum ei putes, quòd aliis cauſæ firmamentis defectus ad hoc tandem præſidium, velut in cõiuratorum omnium portum, confugerit: Antonium imitatus, qui, cùm hominẽ ſeditioſum furioſumque defenderet, nõ dubitauit ornare ſeditiones, & è Republicà eſſe profiteri. [2] Vtriuſq; ratio eadem, par etiam cauſa fuit: quibus is demum aſſentiet, qui vel ægrotis omnibus lauacra & potiones frigidas prodeſſe iudicauerit, ꝓpterea q̄ talib. Muſa Auguſtũ ex àcipite morbo ſanitati reſtituit: aut poſſe quẽlibet meraciſſimi vini potatione in ipſo paroxyſmo quartanã à ſe depellere, q̄ ea curatio nonnullis, in quorum ipſe numero ſum, feliciter ſucceſſit. nihil enim tàm ineptum & puerile, q̄ rarioribus & penè monſtroſis euentis cauſas rerum metiri, & conſequẽtia: vt ei meritò imprecetur Poeta.

Quiſquis ab euentu facta notanda putet.

Sed propius accedamus: quæ ſunt iſtæ ſeditiones quas tantoperè regnis & ciuitatibus vtiles fuiſſe predicat? ex multis vnam in eo genere commodiſſimã proferat. BOV T. Quid ſi illam qua Regibus eiectis Romani ſe in libertatẽ aſſeruerunt? BARC. Magnã me herculè, & quę, ſiue initium & cauſam coniurationis ſpectes, ſiue audaciam & in perpetràdo facinore celeritatẽ, ſiue felicitatẽ deniq; ſucceſſus, reliquas omnes longè ſuperat. Et tamen qui eius creſcentis etiamnum Imperii pacem domi, foris arma, cum ſequentiũ temporum iniquitate contulerit, beatiorẽ in ea Regum ſuperba dominatione ciuitatẽ fuiſſe, quàm in populari, qui ſubſequutꝰ eſt, blando principatu cõperiet. Niſi fortè beatius non ſit vnius, q̄ plurium, domini q̄ ſociorũ ſubire tyrannidem. Quis enim tam omnis iudicii expers, aut cõſilii inops eſt, qui plebis cũ patrib. ſeditiones, [3] Decemuirorũ impotentiam, Tribunorũ inſolentẽ temeritatẽ, Cenſorum, Cõſulum, Dictatorum impunitã in populo graſſandi audaciã ſecum reputans, non leuia, & propè nulla Regum cõmiſſa fuiſſe exiſtimet? Omitto eas, quæ non rarò de ſumma Imperii ortæ ſunt, contentiones: vt à Graccho, Sylla, Mario, Cinna, Cæſare, aliiſq; occupatã tyrannidẽ ꝑtereã: quos regni affectati ambitio in id certaminis concitauit, q̄, cùm ferro & ſanguine ciuiũ dirimeretur, ampliſſimũ ſecum Imperium ad interitũ ferè traxit. Vides, vt opinor, quem ex ea rerum cõmutatione fructũ populus Roma. ſit conſecutus.

Sed & cæteras etiam quiſquis animo Reſpublicas per-

1 Buchan. in fine dialogi.

2 Cic. 2. de Orat.

3 Vide Plutarch. in vita Pomp.

luſtrauerit, vix vllam eiuſmodi ſeditioné ſine intertrimento coortam inueniet: quin potius vel optimam quamque fellis quàm mellis fuiſſe fœcundioré. Eſt enim neſcio quo fato compertum, vt quemadmodum teſte Poeta,

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται

1 Odyſſ. B. Οἱ πλέονες κακίους παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους,[1]

Ita etiam in Reipublicæ procuratione bonis ſæpe mali, rarò meliores ſuccedant. Quo conſilio, cùm Syracuſani omnes exitum Dionyſio quàm citiſſimum propter nimiam morum eius acerbitatem expeterent, anus quædam Deos quotidie pro eius ſalute & incolumitate oraſſe, atq; à Tyranno indebitã ſibi beneuolentiam admirante interrogata, quid ita & quo ſuo merito id faceret, reſpondiſſe fertur: *quia puella cùm grauem tyrannum haberemus carere eo cupiebã: quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupauit: eius quoque finiri dominationem magni æſtimabã: tertium te ſuperioribus importuniorẽ habere cœpimus rectorẽ. Itaq; timens ne, ſi tu fueris abſumptus, deterior in locũ tuum ſuccedat, caput meum pro tua ſa-*

2 Val. Max. lib. 6. cap. 2. *lute deuoueo*. [2] Bovt. Grauis profectò, nec muliebriter dicta ſententia, & digna quæ ad omnem poſteritatis memoriam inter illuſtriſſima quæq; apophthegmata reſeruetur. Ac me quidem (dicam quod ſentio) nunquã ſtudium illud nouandi omnia, quod in multorũ animis inſidet, magnoperè oblectauit: quod pauciſſimas viderim adhuc nationes ea fœlicitate negotium confeciſſe, quæ non plurima ſecum incommoda aduexerit: pleraſq; verò, quas vel paucorum gratia, vel licẽtiæ libertatiſq; deſiderium adegit, vt conſuetum à ſe Imperium amolirẽtur, ita miſerè afflictas, vt iis malis nulla non acerbiſſima anteponerent, atque o-

3 Nicol. lyran. ad cap. 21. Reg. mnibus id vſuueniſſe, quod vir pius annotauit. [3] *Aliquando* (inquit) *pro malo regentium populus mouetur ad rebellionem & ſeditionem, ex quibus ſequuntur maiora mala quàm fuerit regentium rapina.* Atq; vtinã hac ætate nõ tot eius rei ob oculos exẽpla verſarẽtur. Nam Belgæ omnibus olim florentes copiis, aliquam certè, quæ nunc nulla eſt, Rempublicã haberent: & ſuum Scoti Imperium (quod adulterini primùm inſidiis petitũ, mox nobilitata Mortonii crudelitate grauiter vulneratum iam diu emarcuit) incolume atq; pacatum

Hæc ad id tẽpus referenda ſunt, quo author ea ſcripſit annum, nempe 1581. ſumma eum laude tenuiſſent. Sed de ſeditionis incõmodis hæc ſatis: quæ quanta ſint multi non ſuo ſine magno malo omnibus ſæculis experiũtur. Barcl. Hæc vtinam illi ſolertiùs tecum perpenderent, qui vmbrâ quadam & ſpe-

cie

Digitized by Google

cie vtilitatis decepti, in ciendis tumultibus non mediocrẽ voluptatem capiunt: ſed ad reliqua pergamus.

Proximus huic, ni fallor, locus eſt, de Regis cum medico ſimilitudine: quorum ille ciuilis, hic corporis humani valetudinem curat. Bovt. Ita eſt. Barc. In his cùm multiplex reperiatur diſſimilitudo, conuenientiæ etiam nõ paucæ, quam tu inter eos omnibus numeris aptiſſimam ſimilitudinẽ iudicas? Bovt. Mihi haud facile eſt ex tã variis vnã eligere: videtur tamen non minima, quæ in eorum præceptis vel tuendæ, vel recuperandæ valetudinis, cernitur: ad quorum præſcriptum niſi viuatur, corpora vel non omninò, vel difficiliter curari conſeruarique poſſunt. Barc. Quin maximam hanc audacter dicis, aut vnam potius omnium collectionem? ſiquidem ſummatim hac reſponſione complexus es quicquid muneri Principis, cum medici officio cõmune eſt. Videſis igitur quàm iniurioſè Noſtros ille Reges tractauerit, quos ita violenter de præſcriptorum artis ſuæ poſſeſsione deiecit, ſua medicis libera atque integra relinquens. Bovt. Quo pacto? Barc. Scis illum longo orationis curſu aliud nihil conari, quàm vt legum ferendarum poteſtatem Principibus adimat, & (quod relatu indignius, grauius etiam toleratu) ne quam in ambiguis legum ſententiis interpretandis authoritatem habeãt: quod cùm ita ſit, non ſatis intelligo, quorſum illa Regem inter & medicum ſimilitudo ab eo propoſita ſit, quos in eo, in quo ſunt ſimiles, diſsimilimos facit. Bovt. Iſtud velim vberius, ſi placet, ediſſeras. Barc. Faciam. Medicus ſi ad ægrotum accerſatur, vtrum ipſe ęgrotanti pharmacorum quietis, ambulationis, victus, ac cæterorum quæ ad ſanitatem conferunt rationem præſcribere debeat, an verò cõtra hic medico, quæ & quibus modis omnia componat, morboſus ſimul & moroſus præcipere? Bovt. Quin hoc totum ad medici officium ſpectet nemo ambigit: ægroti quippe lethifera plerumque appetunt, ſalubrium faſtidio tenentur. Barc. Quid ſi largitione, gratia aut odio corruptus, contra artis ſuæ præcepta fecerit, &, cùm certa ſciat remedia, noxia medicamina ſuppoſuerit? Bovt. Dignus profectò cui iugulum frangatur, aut, vt Callidemides ille Lucianicus, qui quod alii parauit venenum, ipſe exhauriat. Barc. Non id quæro, quodnam hoc ſcelere commereatur ſupplicium: ſed num propter artis ſuæ viſum hac parte contemptum medicus eſſe deſinat? Bovt. Nequaquam. Barc.

Igitur quo minus & poſſit, & debeat quæ ſunt medicorum promittere nihil impedit malitia iſta, atque artis abuſus; per quem alteri tetenderat inſidias? Bovt. Nihil certè neque enim quod ita perditè ac nequiter commiſit, id ei aut peritiam rei medicæ ademit, aut nomen ſcientia comparatum extinxit, peccatum namque malum virum facit, non malum artificem: qua propter ſi cum eo ipſo in gratiã redierit, cuius vitæ inſidiabatur, non minus cenſebitur idoneus, qui operam omnem curámq; in ipſius ſalutem conferat, modò abſit de inimico reconciliato diffidentia, idq; neminem arbitror negaturum. Barc. Hic igitur cùm mẽtis aciem acrius intendis, annon vides quãta Regib. ab iſto ciuilis gubernationis cõcinnatore palam fiat iniuria? Medico vt in humani corporis curatione leges ægrotis præſcribat, quæ modum normamq́ue viuendi contineant, facilè permittit: Regi verò cuius eſt corpus illud ciuile multis obnoxium morbis ad optimũ redigere temperamentũ, ac ne diſſoluatur proſpicere, omnẽ iubendarũ legum denegat poteſtatẽ. Itaq; vel inanis prorſus & ſuperuacanea ſit tota hæc Regis & medici collatio, in qua ille ad nauſeam multus eſt, vel ſuæ vtrique artis præſcripta ex ægro relinquãtur oportet. Nec eſt quod puerilibus illis rationibus, quas huc congerit, moueamur: grauius nimirum eſſe periculum ſi iſta Regibus in populum libertas concedatur, quàm ſi medico in ægrotantem. Ageſis Buchanane, quo pacto grauius? quia ægroto, ſi præſenſerit in caput ſuum ſtrui inſidias, licet vel alium accerſere medicum, vel ſi nemo ſit alius qui morbi cauſam intelligat, ſeſe quibus poteſt modis conſolari. Quæſo Boutelleri hanc Buchanani rationem [2] perpende mecum attentiùs, & ei quod deeſt ad concludendi neceſſitatem ſi potes adiicito. Bovt. Haud factu difficile eſt, nam & ipſa orationis ſeries, & ſententiæ pondus, & argumentandi formula, ſatis indicant partem alteram quæ ſuppreſſa eſt eiuſmodi eſſe. *At populo neque Regem mutare, neque aliunde ſolatium & auxilium petere niſi ab ipſomet Rege licet.* Ita prior pars rationẽ cõtinet [3] cur medico prout voluerit curandi libertas concedatur: nempe quòd quilibet ſuſpectum ſibi medicum, aut alias non idoneum, remouere à ſe poſſit: poſterior verò, cur talem Regibus libertatem permittere non expediat, & puto hanc illum tacuiſſe feſtinatò properantem quod facilè cuiuis vel mediocriter erudito innoteſceret. Barc. Falleris, ſi id putas; neque enim

1 Videtur hoc argumentum ex Ariſt. ſumptum li. 3. ca. vlt. Politic. reuera tamẽ non eſt Ariſtotelis: ille enim docet tantùm fallacem eſſe ſimilitudinem quæ ſumitur ab artibus, ad probandum melius eſſe, Regibus quàm legibus gubernari.

2 Pag. 29.

3 loquor hic de humanis remediis.

Digitized by Google

enim breuitatis ſtudio, cùm cætera pertractet copioſius, hoc quicquid eſt præteriit: ſed conſultò planè, ne *ſuo ſe ludo lamberaret*. Nam quod tota ſua diſputatione nititur aſtruere, id, vna hac admiſſa ſententia, funditus euertitur. Si enim fas ſubditis non ſit Regem ab imperio mouere, aut aliter quàm ad illius præſcriptum viuere, fruſtrà de eo in ordinem redigendo conſultant, & ei velint nolint legum ferendarum poteſtatem concedant neceſſe eſt. Sin verò eundem depellere, & eius edicta reſpuere liceat, nō erit vtique illa medicum inter & Regem diſſimilitudo, quam ipſe proponit: atque ita valebit hîc æquitas, quæ in parib. cauſis paria iura deſiderat [1]. His cùm ſe premi diſtringíque anguſtiis animaduerteret, callidè, vt elaberetur, amplius illic nihil de Rege dixit. BOVT. Aſtutè factum. nam iſta mehercle ratio multo magis ei obeſt, quàm adeſt. Sed alia nunc animum ſubit, quæ huic noſtro forſan, & aliis etiam penitus perſuadet, leges è Regum manibus eripiendas eſſe. quòd nempe ſi vel malas Rex ſanciat, vel bonis pernicioſè vtatur, maiora longè incommoda ſubſequantur quàm ſi quid medicus in ſingulorum corporum curanda valetudine commiſerit: huius quippe facinus paucorū vitæ diſpendio, illius verò totius Reipublicæ interitu nobilitatur. BARC. Videtur hoc certè aliquid, & quòd primo ſui aſpectu ſatis iuſtam ademptæ Regi libertatis cauſam contineat: ſed eſt tamen in eo captio, quam vt refellam patere te pauca interrogari quæ iſtum nobis errorem aperient. BOVT. Libenter. BARC. Scis igitur quæ regiæ arti, quæque medicinæ materia ſubſtrata ſit? BOVT. Huic nempe corpus humanum, illi hominum communitas, quod corpus ciuile iam ſæpius eſt appellatū. BARC. Rectè. Scis etiam, opinor, earum artium quandam & inter ſe & ad ſua ſubiecta comparationem eſſe. BOVT. Scio: vt enim menſurarum omnium longè alia inrer ſe ab ea quæ eſt ſingularum ad res dimenſas proportio cernitur, (ſiquidem inter ſe collatæ vix vllæ inueniuntur æquales, cùm tamen ſingulæ rebus quas metiuntur pares ſint) ſic etiam non ſolùm in artibus atque miniſteriis hominum, verùm etiam in iis rebus quarum ortus ſunt à natura, quidā veluti gradus exiſtunt dignitatis, artificii, & perfectionis: licet vnaquæq; in ſuo genere & ſit & videatur eſſe perfecta. Sed iſta qd ad inſtitutū diſtinctio? BARC Mox, vbi ad ſequentia reſponderis, intelligemus. Poteſtne quis ſuto-

riam

[1] l. illud. 32. D. ad leg. Aquil.

riam artem, aut ephippiariam, æquè ac fabrilem, vel citha-
rœdicam ignorare? Bovt. Nemini arbitror hac de re eſ-
ſe dubium. Barc. Et medicinam etiam, perinde atque
Iuriſprudentiam & Theologiam? Bovt. Quidni? quo-
rum enim perceptio non naturâ, ſed ſtudio quodam & la-
bore ſub hominum intelligentiam cadit, ea, niſi operã cu-
ramq; adhibeamus, ignorentur neceſſe eſt. Barc. Quid
igitur? ſi quis ſutoriam, aut ephippiariam neſciens, quæ ſu-
toris ſunt vel ephippiarii partes obierit, videturne tibi per-
inde iis artibus, quantum ipſarum fert natura, iniuriam fa-
cere, ac muſicæ, fabrili, pictoriæ, & cæteris, quas earum ſi-
militer ignarus exercuerit? Bovt. Equidem omnibus
in ſuo cuique genere parem fieri iniuriam autumo. Barc.
Rebus præterea quas tractant, & in quibus verſantur, vtrũ
diſpar, an æquale, pro artis cuiuſque ratione, damnum hoc
modo contingere putas? Bovt. Æquale profectò. Barc.
At non cenſes tamen viliſſimarum artium ignorationem
tantum rebus humanis afferre detrimenti, quantum earũ
quæ ad hominum ſocietatem, vitæque vſum, decus, & ho-
neſtatem ſunt comparatæ? Bovt. Non ſanè. Neque e-
nim aliquam inter artes ſimpliciter hîc æquabilitatem ſta-
tuo (nulla enim anus tam excors eſt vt id faciat) quamuis
in ſubiectorum complexione ſint ſimillimæ. Barc. Iam
verò nonne regnandi ars aliqua eſt, quam regiam in pro-
poſito vt antè licebit appellare? Bovt. Eſt certè: quæ,
quoniam in rebus maximis verſatur, meritò præclariſſima
iudicatur. Barc. Hæc ſi vel prorſus neglecta, vel ab eius
imperito fuerit tractata, quanta ſequentur incommoda?
Bovt. Rogas? quaſi non tanta, quanta poſſunt inter ho-
mines maxima. Barc. Attamen ſi ſuperiori orationi
conſentire volumus, neceſſe eſt fateamur, ex hoc regiæ ar-
tis neglectu nõ maiora in ſuo genere quàm ex alicuius ea-
rum quæ infimi ordinis ſunt, damna promanare. Quod ſi
ita eſt, ſatis intelligent homines acuti, tûque inprimis ipſe,
quàm ſit ſubleſta & eneruis illa ratio, cuius nuper pro Bu-
chanano meminiſti, ad conſtituendam interRegem & me-
dicum in libertate curandi differentiam. Bovt. Non
poſſum hîc equidem quod res eſt non fateri. Itaque quo-
ties vtrumque, Regem, inquam, & medicum, comparatè
ſpecto inter ſe, maius profectò & excellentius multò Regis
quàm medici officium comperior: aſt vbi eoſdem ſepara-
tim ad ea reuoco, in quibus totum ipſorum ſtudium curá-

que

que cernitur, ad artis ſuæ ſubiectum æqualiter ſe habere animaduerto. Ac planè mihi perſuaſiſſimum eſt, non poſſe Regem populo tantum incommodare, quantum ſingulis è multitudine medicus: quòd hic quemlibet vnum tollere aduerſis medicamentis facilè poſſit, ille populum vniuerſum delere, etſi velit, nequeat, eóque faceſſere iubeam, quæ apud illum de Regis & medici comparatione reliqua ſunt, vtpote ex quibus parum, aut nihil, quod eius ſententiã fulciat, elici poſſe videam, quamuis momenti plurimum in iis principiò ſuſpicarer.

Sed quia non ſatis eſt alienam opinionem euertere, niſi & ſuam quis liquidò confirmauerit, expecto vt quibus tandem rationibus tuum de Regibus ſenſum probes, intelligam. BARC. Subuereri te arbitror ne quod in Lactantio, ſcripto re alioqui grauiſſimo, D. Hieronymus deſiderauit,[1] eius ego nomine in hac diſputatione reprehẽdar. Eſt enim fateor, hæc omnium, quæ in oratione ſunt, pars longè difficillima, & in qua ſi quis vel tantillum à vero deflexerit, paratum aduerſario ad inuadendam cauſæ arcem præſidium ſuppeditat. Cuius rei cauſam eſſe puto, quòd, vt Academicus ille Cotta de ſeipſo teſtatur,[2] non tàm facilè in mentem venire ſoleat hominibus quare verum ſit aliquid, quàm quare falſum: ac proinde facilius reprehendere quod vitioſum eſt, quàm quod rectum defendere omnes poſſumus. Enitar tamen ne tuam in hac parte expectationem eludam. Sed erit huic rei locus, vbi quæ de vtilitate reliqua ſunt apud Buchananum, quam vim habeant breuiter excuſſerimus: nam ipſe in eius commemoratione eò diutius immoratur, quo plura inde ad fallendum argumenta ſuppetunt: habet enim neſcio quid in ſe pellaciæ omnis vel ſimulata commoditas. Cùm itaque non mediocrem libelli ſui partem iis de rebus conſcripſerit, operæpretium erit principes eius errores patefacere, ni id tibi moleſtum ſit. BOVT. Imò verò periucundum. BARC. Primùm igitur ex multis futelis vna eſt quæ familiam ducit, cuius ad ſummam ſi nemini hęc eſt ſententia: legis neque lationem, neque interpretationem penes Regem eſſe debere, quòd homo ſit ad omnem fauoris, & odii auram facilè mutabilis, quòd per ignorantiam labi, ſponte, vel propè inuitus, aliquando peccare poſſit: tutius igitur eſſe rerum omnium arbitrium in populum conferri, quòd multitudo & videat acutius, & prouideat diligentius, ſolertius etiam iudicet, minus

1 Tom. 1. Ep. 15.

2 Cic. lib. 1. de natura Deorum.

minus denique iſtis, quæ ſingulos occæcant, perturbationibus tranſuerſa rapiatur. Quid hoc ſermone delicatius? quid ad perſuadendum vel excogitari ſubtilius, vel dici vehementius poſſit? quotus enim quiſque eſt quem hæc illicò non permulceat, & ad ſe trahat illecebra? quæ nõ modo fortunas, & tranquillitatem, ſed vitam, ſed incolumitatẽ, ſed ſalutem denique omnem adeò cũctis magnificè & manifeſtè pollicetur? BOVT. Non paucos ſcio his rationibus commoueri. Itaque homines minimè ſeditioſi, & qui Regum imperiis libentiſſimè ſtudent, & obſequuntur, eàque non armis ſolùm foris, ſed crebris etiam domi ad vulgum ſermonibus defendunt, cùm ſuperiora animo cõſpicantur, vix ſibi ab iſto nouarum rerum ſtudio temperare poſſunt. BARC. Hi omnes, ſi mecum paulò altius in ciuilium rerum contemplationem deſcendant, ſatis multa inuenient, quibus vnuſquiſque fluctuantem ſe animo expeditè colligat, oſque occludat aduerſariis.

Ac ne longùm te demorer, omnes iſti publicolæ, qui Regum principatum tantoperè detrectant, ingenuè fatentur Regum initiò libera atque ſoluta fuiſſe imperia, eò quòd ad tantæ maieſtatis faſtigium nemo tunc niſi eximia quadam præſtantia, & ſingulari præ cæteris æquitate ac iuſtitia, populi ſuffragiis eueheretur. Nam conuenientibus in vnum hominibus, cùm nullis adhuc legum vinculis tenerentur, & multa iracundè, libidinosè, auarè, ſine metu cõmitterent, ad vnum aliquem omnes confugiebant, cuius & muniri potentiâ, & gubernari conſilio ſe poſſe ſperabant: huius pro lege arbitrium, pro ratione voluntas erat, qui inde Regis appellationem ſortitus eſt, quo nomine neq; ſanctius vllum, neque gentibus acceptius illa memoria reperiebatur. Itaq; Græci βασιλεῖς, q nomen Regibus indiderũt, ex eo deductum putant, quòd baſis ſit populi & firmamentum, cuius religioſa quadã venerationis ſuperſtitione imbuti nonnulli regium genus ad Iouem & Deos retulerunt, [1] aliis Reges Deos ipſos eſſe exiſtimãtibus; [2] quod ego poſtremùm ideò commemoro, quia licet non vt illi ex Ioue ſatos heroas arbitramur, imperium tamen quod manu tenent, & poteſtatem ex Deo eſſe, diuina id teſtante ſcriptura, [3] tàm credimus quàm q maximè. BOVT. Quæ hactenus de Regum priſcorũ libertate dicunt, vera eſſe arbitror. BARC. Nec ego in eo ſermone quicquam reprehendo: niſi quòd Reges initiò iuſtitiæ tantùm fruẽdæ cauſa expetitos à po-

1 Heſiod. in Theog.
2 Æthiopes & Ægyptii Dio. li. 3. cap. 1.
3 Sap. 6. Rom. 13

à populis fuiſſe aſſerant,& non aliam potius abſtruſiorem, nec minus etiam Auguſtam Regũ creandorum cauſam inueſtigant. BOVT. Neq; in eo errare videntur,cùm habeant quos ſequãtur authores grauiſſimos. BARC. Errant certè largiter,& eorum aſtipulator Cicero:ſed illi quàm hic perniciosiùs:verùm is locus alibi vberiùs tractabitur, tu cogitationẽ ab eo tantiſper auerte, dum quæ propiora ſunt videamus,ea lege vt niſi abundè tibi, ſi Deo placet, ſatisfiat, nihil aduerſariis hac nuda aſſertione detractum exiſtimes. BOV. Mos tibi geretur: itaq; perge vt inſtituiſti cætera ordine percenſere. BARC. Poſtea,vt illi volunt, [1] ſtatu rerũ in peius prolabente, cùm homines in poteſtate infinita & immoderata collocati ſibi non temperarẽt,ſed multa gratiæ,multa odiis,multa priuatis cõmodis indulgerent: eaq; ipſi facerent,quorum ne cõmitterentur cauſa erant electi, leges à populis inuentæ ſunt, quarũ ope miſera & pene expes multitudo, velut tabula quadam, ex illo ſecundo naufragio enataret, & quarum repagulis coarctati Reges atq; conſtricti tenerentur, ne quid liberè & ex animi ſententia, ſed ad earum præſcriptum cuncta peragerent,neq; ſua amplius in iudiciis licentia, ſed eo tantùm quod populus in ſe dediſſet iure vterentur. BOV. Quid hic potiſſimum te offendit? BAR. Quin potius quid non offendat interrogas? adeò nihil non diſplicet. Quippe qui nec talia legum principia & cauſas hactenus agnouerim,nec quos iſti iactitant vnquam authores laudauerim. Buchan. pag. 20.

Sed quoniã propoſita de vtilitate pars (à qua noſtra iam nonnihil deflexit oratio) prius nobis eſt examinanda, eò ſi placet ſermonem reuocemus, quem hæc deinceps de legũ origine mox excipiet diſputatio. BOV. Imò verò perplacet: ita enim commodiſſimè fiet vt res ſingulæ ſerie quadam & ordine explicatæ, velut quandam intelligendi viam atque lucem animis afferant: quas ἀταξία plerumque denſa confuſionis nebula ac tenebris inuoluit. BAR. Vt igitur viri boni, qui iſtis in populari regimine vtilitatibus mouentur, quas blanda aduerſariorum oratio complexa eſt,fucum ſibi fieri perſpiciant, & quæ pro multitudine facere videntur argumenta,ad regii imperii firmitatem potiore ratione conuenire, eóque in fide Principum perpetuò maneant, ratione primùm agamus, qua nihil hominem ducit,aut potius impellit,ſuauius. Qui Reges principiò ab oppreſſa potentiorum viribus multitudine in ſpem ſolatii acci-

accitos affirmant, ſatis apertè iudicāt in vno plus & ad cauendum concilii, & ad agendum authoritatis, quàm in tota turba, & cætu reliquo fuiſſe: quòd cùm ita ſit, cur non nunc quoque in vno ſimiliter hæc eadem ineſſe fateantur? Bovt. Puto, quòd nemo pari animi fortitudine & prudentia poſsit inueniri, qui tantam negociorum molem ſolus ſuſtineat: rebus enim vt modò dictum eſt, in peius ruentibus, homines ab iſta conſtantia & æquitate paulatim declinarunt, donec in hæc temporum fata receſſum eſt, quæ nullis ſe vitiis non mancipant, & vinci patiuntur. Barc. Hæcne tibi potior videtur ratio quàm quæ ab Ariſtotele in Politicis tradita eſt [1], quòd nempe pauci tunc virtute præſtantiores cæteris inuenirentur, in parua ſcilicet hominū multitudine & exiguis vrbibus, nunc verò multi ſimiliter iſtis animi dotibus præditi ſint, quibus olim freti homines Regum dominationem in Rempublicam conuerterunt.

Lib. 3. cap. 11.

Bovt. Potior certè: quo enim acriora hominibus vſu atque experientiâ rerum ingenia accreſcunt, eò elatiores facti voracibus ambitionum flammis exardent, quæ, niſi ad culmen totius gubernationis peruaſerint, extingui nequeunt. Ac proinde non ideò nunc eam Regibus facultatē denegarem, quòd plurimis iam virtute florentibus videatur illa Regum creandorum cauſa deperiiſſe, quæ rudi tunc ſeculo fuerit: etenim manet adhuc, &, ſi vnquam aliâs, hac ætate plurimùm viget: ſed quia ratus inuētu eſt; qui vt primi illi Heroës, paterno in ciues amore gerat imperium. Barc. Exiſtimas igitur plebem non minus adhuc imbecillem eſſe atque obnoxiā iniuriis, quàm fuerit olim cùm in Regum ſe clientelam recepit? Bovt. Imò magis profectò: creſcit enim indies potentiorum & nobilium cum ipſis opibus audacia, proculcantur plebeii, & quaſi non homines inhumaniter ſæpè à patriciis tractari ſolent. Barc. Ad eam ergo licentiam reprimendam, plebémque ab iniuriâ vindicandam, non minus potēti adhuc imperio, quàm olim opus eſt: cuius metu coerciti qui viribus pollent, & ad ſcelera ſunt promptiores, opprimendis tenuioribus abſtineant. Bovt. O mi Barclai, hoc illud eſt, cuicuimodi ſit, quod quærimus imperium, & quod vel maximè inter homines eſt neceſſarium. Barc. Atqui hoc ipſum in vno principe potentius, ac terroris pariter & amoris plenius quàm in multitudine conſpicitur. Bovt. Si ita eſt, populari gubernationi regalis optimo iure anteferenda cenſe-

cenſebitur. Sed vereor vt id poſſis oſtendere, ſi eorũ præſertim qui cũ ſceptro nũc ſedent, & Regũ antiquorũ conſilia mores, facta, & in ciuilibus muniis obeundis ſolicitudinẽ, acriter inter ſe contuleris. Permulti enim, dicam audacter, iam ſui obliti, & velut ſalutis populi curã obiicientes, dũ ſe in omni libidine ac viuendi licentia quàm in temperantiſſimè effundunt, nihil æquè negligunt atque illã cuius cauſa Reges ſunt, muneris publici procurationem: vt nõ iniuria cordatis hominibus videantur populi querelas opem petentis haud ſecus audire atque olim Demetrius ille, qui πολιορκητὴς eſt nominatus, ſupplices Macedonũ ad ſe venientium libellos fertur excepiſſe. Is n. cum multos à multis porrectos tãquam ſolicitè cuſtoditurus, in clamyde repoſuiſſet, ſtatim vbi ad Axii fluminis pontem peruenit, ſpectantibus cunctis, atque vt reſponſa acciperent ingenti ſpe opperientibus omnes recluſo ſinu in profluentẽ abiecit. [1] Ita hi, vbi ſemel ad cupedia, ſaltationes, & cætera (pudet ꝓloqui) aulicæ peſtis condimenta ventum eſt, omnem regiæ artis recordationem animis excutiũt, vt velut in aliquo loti Selenno illud Poetę nonnihil παραποιούμενον ſubinde poſſint decantare,

Quis non bonarum regna quas curas habent
Hæc inter obliuiſcitur? [2]

1 In fabulis eſt Selemnum fluuium inducere amoris obliuionem. Pauſan. in Achaicis.

2 Horat. Od. 2, Epod.

BARC. Vide ne hoc parum opportuno loco & nimis vniuerſè protuleris. Sint n. licet quales tu narras nonnulli, alios tamen inuenies qui in Reip. curatione nullos non labores & moleſtias exantlant: nec debet eorum qui perperã magiſtratus obierint in eos qui rerum publicarum obnixè ſatagunt vituperium redundare. Ac ne longius abeas, Carolum Lotharingiæ Principem noſtrum conſpice animo: in quo, ſi propius intueare, ita expreſſam auitæ pietatis ac iuſtitiæ imaginem deprehẽdes, vt, ꝙ rarum eſt, non tam eũ in imperia, q̃ in virtutes maiorũ ſuorũ omnes hereditario iure cenſeas ſucceſſiſſe: cuius principatus nõ niſi ambitioſis hominib. & publicæ tranquillitatis oſoribus, moleſtus eſſe poteſt. BOVT. Facis tu quidẽ hîc ꝙ ſolent in Italia caupones, qui aduenis obuiam euntes, vinum ſi ꝙ habent generoſiſſimum in occurſu pitiſſandum propinant, ex eo ſe hoſpitibus abundè præbituros identidem pollicentes, quò plures ad ſe pelliciant, cùm tamen domum conductis parũ aut nihil ex illâ ſeriâ ſubminiſtrent: ita tu, vt Monarchiam mihi ſuadeas, vnum omnium quos terra habet Principẽ o-

primum nominaſti, & quo neq; nos optare, neque poſteri ſperare meliorem poſſunt: cuius ſi alii ſimiles eſſent, aureo pla[illegible] ſeculo frueremur. Sed reprimo me, ne hæc tibi nimis importuna interpellatio videatur, aut ſaltem non neceſſaria à propoſito ſermone diſgreſſio: quapropter ad regalis imperii cōmoda demonſtranda, in quo ſummum populi præſidium collocaſti, orationem ſi placet conuertamus.
BARC. Non ita longè ab eo diſceſſimus, vt difficile fuerit repedare. Nam & imbecilliorem eſſe quàm olim plebem & nobilium creuiſſe audaciā, & potentiſſimo adhuc imperio opus eſſe ad plebem tuendā ab iniutiis & Summates in officio continendos, proximè dictum eſt, quib. ſponte tua aſſenſus es. BOVT. Haud muto ſententiā. BARC. Iam verò vtrum tibi videtur ęqualis omnium, plebis, inquam, Optimatum, & Regis, à priſtina morum & vitæ conditione deflexio, an vna potius aliā ſuperare? BOVT. Subdifficilem hîc improuiſo quæſtionem affers, & q̃ acrioris ingenii ſit expedire: mihi tamē q᷑ in promptu eſt, quoniam ita vis, dicam. Magnates, quorum potētia in immenſum iam aucta eſt, eò longius ab antiqua illa viuendi conſuetudine videntur receſſiſſe, quo propius ad Regum libertatem, inſolentiam, & quos nos incuſamus mores omnes ſe contulerunt: quæ omnia cùm ſibi ad imitationis exemplum propoſuiſſent, plebem de ſuo ſtatu plurimùm deiecerūt. Reges verò, quib. populi omne ſuum imperium & poteſtatē initiò tribuerunt, nullum nunc, fateor, nouum ſibi ius arrogāt: nec aliis facere videntur iniuriā, ſi quaſi trabali clauo in ſuę poteſtatis culmine fixi permaneāt, nec patiantur ſe ab eo quē iuſtè occuparūt gradu præcipitari. Imperium tamen q᷑ acceperūt, nouis ſubinde præſidiis aduerſus populi incōſtantiam, ita muniere, vt ſi ſimplicē illam, ac velut nudā priſcorum Regū dominationis faciē cū præſente regnādi forma cōponas, magnam Principib. noſtris conſeruandi imperii facultatē ſuppetere, quæ primis deerat, illicò cōperias. Etenim lecti principiò, quorū mores temperati & ſuaues, cū ſapientiā coniuncti, multitudinem in ſui admirationē traxerant, iiſdem facilè modis principatum retinebant quib. erant adepti, vt nec externo & aſcititio ad eam rem auxilio iis opus videretur. Itaque præſidium regnandi totum in vitæ integritate, & ſeriā ac ſedulā Reip. adminiſtratione poſitum habuerunt: idque illis abundè ſatis erat, nondū corruptis ciuium animis, miniméque accenſis, quæ paſſim nunc ardent ambitionum facibus. At poſtquam deſiit

eſſe tuta inter homines innocentia, & optimi quique opprimi calumniis cœperunt, aliæ mox vires imperiis quæſitæ ſunt: leges namque de Maieſtate quātas nunc videmus, ſancitæ, & ipſi Reges armorum potentia in omnem euentum ſtipati non ſolùm dignitatis ſublimitate ſpectabiles, ſed ſatellitum etiam multitudine formidabiles ſe ſubditis præbuerunt, quod auctum indies munimentum id nūc ſecuritatis præbet, qua confiſi Reges negligentius aliquando ſe in adminiſtrando imperio gerunt, & propè quod libet licere ſibi ſtulta perſuaſione rentur. BARC. Argutè tu quidem iſtuc, & quaſi præmeditatus. Quòd cùm ita ſit, cur nō ſimiliter eadem de cauſa fateris aptiſſimum regendis populis imperium eſſe Monarchiam, eoſq; perinde nunc Regum indigere, qui & opulentiorum virib. reſiſtāt, & tenuiorum iniurias vlciſcantur, & totum deniq; populum in officio contineant, atque iis ipſis temporibus quib. cœperant primū homines eiuſmodi procellis agitari? BOV. Quia, vt iam dictū eſt, minor tunc fuit Magnatū potentia, & priſci illi Reges tū vitæ integritate tum animi conſtantiâ & magnitudine, tum laborū patientiâ & corporis virib. coæuos noſtros longè ſuperarunt. BAR. Hæc nihili ratio eſt: quādoquidem ipſe modò ingenuè faſſus es, Reges nūc multis legum armorúmq; præſidiis aduerſus populi inconſtantiam, & Magnatum opes audaciámq; munitos eſſe, quibus primi illi quos mihi obiectas caruerunt. Si igitur aucta eſt, vt dicis, nobilium & potentiorum hominum audacia: Regum econtrà auctus eſt terror, auctæ pariter ad obſiſtendū vires. Ac proinde ſi ad Geometricam rationem iſta dirigamus, quemadmodum eadem eſt ſex cubitorū ad duos proportio comparatióq;, quam habent nouem ad tres: ita Regum antiquorum recentiumq; par & æqualis poteſtas inuenietur, ſi ſingulos ad ſui ſæculi ſtatum & conditionē referamus. Quod autem prætereà de Regum noſtrorū mollitie animi, & incuria adiecisti, id non genus imperii, ſed genium imperantis culpat, cui nō facultas, ſed volūtas deeſt: illa in virib. regni cōſiſtit, hæc in perſona Regis: illa cōſtans & perpetua regnum vſq; comitatur, hæc varia & mutabilis in eādem perſonâ, in diuerſis rarò eadem, Reges aliter atque aliter erga munus ſuum affectos reddit. Quapropter non ſi aliquis regno impotenter abutitur, idcircò regnum minus ipſum per ſe potens, & nobile, atque vtile iudicari debet. Scitum enim eſt, abuſum rei naturam eius minimè

Regem potentia ſtipari debere tradit Ariſt. lib. 3. c. 11. Polit.

vitiare. Minus vrget quod imbecilla Regum corpora nunc eſſe dicis, ſi cum i:s conferantur qui regna primi tenuerũt: nam in primis id vitium commune eſt totius generis humani, vt, velut ſeneſcente Natura, ſenſim corpora minuantur: deinde in regnis & Rebuſpublicis obeundis, non tàm corpus quàm conſilium firmum requiritur. Et verò Herculem nunc aliquem, aut Anthæum, imò Sampſonem ſi produxeris, quo illi vires? nónne eum pumilio, aut claudus aliquis ſartor, artificioſo fulmine, cùm volet, eminus proſternet? Vides vt tuæ nihil aduerſus regnum rationes faciunt. Bovt. Videre mihi videor, atque ideò regiam poteſtatem, per ſe conſideratam, multò maximam & auguſtiſſimam eſſe. Verumtamen vbi ad Regum vitia oculos conuerto, quorum deprauatis moribus, & ciuilis diſpenſationis neglectu, inſignis illa poteſtas ita viciata eſt & corrupta, vt quæ laudari ſolent monarchiæ cõmoda, ea multis magniſque moleſtiis ab immani & intoleranda Principum licentia profectis ſæpiſſimè compenſentur, adducor vt credam non vanam Regis repudiandi cauſam populis dari, aliámque publici regiminis formam quærendi mitiorem. Barc. Mitiorem ſcilicet? quaſi verò mitior, aut melior dari hominibus, vel optari poſſit. Sed vt hunc etiam tibi ex animo ſcrupulum euellam, idem hîc tibi, quod Marcus Tullius [1] olim Quinto Fratri tribunatus incõmoda acriter vrgenti, reſpondebo: Regum nempe vitia (quæ vtinam non tanta eſſent) rectè tenes: ea enim quòd ab hominibus præter omniũ oculos poſitis cõmittuntur, nullis non cognita eſſe poſſunt, eóque maiora videntur, quò regiæ maieſtatis amplitudo cæteris ordinibus inſignior eſt atque præſtantior: perſonæ namque dignitate ſceleris ſemper augetur indignitas, &

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Verè tragicus [2] *Perlucet omne regia vitium domus.* Sed eſt, vt ille ait, iniqua in omni re accuſanda prætermiſſis bonis malorum enumeratio, vitiorumque ſelectio: nam ne vllus quidẽ iſto modo magiſtratus vituperabilis non erit, ſi multorum qui eo funguntur peccata omnia collegeris. Quod igitur ille de tribunitia poteſtate dixit, id ego ad regiã iure optimo transferam: ac fatebor quidem ineſſe in ea quiddã mali, à Regum vitiis atque negligentia promanans, ſed bonum illud quod eſt in ea quæſitum, ſine iſto malo non habere-

1 Lib. 3. de Leg.

2 Senec. in Agam. act. 2.

Digitized by Google

beremus. Quiſquis igitur Regum arguit inſolentiam, libidinem, auaritiam, crudelitatem (quæ quantumuis exiguæ in eis ſint, vt næuus in fronte, citò conſpiciuntur) ac nō ſtatim commoda, quæ à vinculo imperii vnius Principis orta è regione pugnant, eodem animo perpenderit, næ illis ſimillimus eſt, qui optimè alioqui concionantis vocem, vultum, & verba curioſiùs obſeruant: vt ſi vel caſu lapſum, vel conſultò digreſſum ab optimo dicendi genere animaduerterint, id in circulis & conuiuiis ſubinde vellicent, ſuppreſſis omnibus quæ laudem promerentur. Habent id miſerū mortales, & neſcio quo fato comparatum, vt erratis hominum vix vlla venia, rectè factis exigua laus, & ab inuitis expreſſa, proponatur [1]. Vt igitur haud rectè facit, qui damnū 1 Cic. de leg. A-
tantummodò computans, adiunctum ei lucrum non pari grar. cōtra Rull.
diligentia ad calculos reuocat: ita & qui proprias atque innatas regno vtilitates omittens, fortuita, & non perpetua eius incommoda, à malis Regibus inuenta commemorat. Rarò bona nobis in hac vitâ largitur Deus omnibus malis moleſtiiſque vacua: haud malè quidam,

Omnia cum quodam veniunt incommoda fructu:
Commoditas omnis ſua fert incommoda ſecum.

Quapropter vt regni fruamur commodis, iſta incommoda toleremus. Nam ***aut hæc cum illis ſunt habenda, aut illa cum his amittenda ſunt*** [2]. 2 Terent. in heaut. act. 2. Sce. 3.

Sed quid? mali Reges multi exiſtunt: regnum ergo repudiandum: vitioſa collectio eſt, & cuius exemplo non ſolùm cuncti magiſtratus, ſed ſcientiæ atque artes omnes, eſſent è Republica exigendæ. Nihil n. iniquius, vt ait Iſocrates, q̄
[3] *τὴν τῶν ἀνθρώπων πονηρίαν ἐπὶ τὰ πράγματα μεταφέρειν*. Ve- 3 Malitiam ho-
lim præterea cogitent qui in diiudicandis Principum mo- minum ad res i-
ribus ſeſe plusquam Minoes efferūt, num ſatius eſſe à plu- pſas transferre.
ribus, quàm ab vno proteri multitudinē & proculcari putent: aut qui vnius dominatum, propter perſonę improbitatem, reſpuunt, poſſe eos multorum imperium parib. ſcatentium vitiis tolerare? Pleriq; enim, mihi crede, eorū ipſorum qui iſta in Regib. vitia tantoperè reprehendunt, ſi clauum Reip. tenerent, non minus impotēter quàm Reges eâ dignitate vterentur: atq; illa ipſa quæ reprehendunt & fortè etiam grauiora, perpetrarent. Sed fuit hæc omnib. ſæculis, & adhuc eſt, ad occupandam tyrannidē ambitioſis hominibus expeditiſſima & quaſi compendiaria quædā via, per quam (dum ſummo ſe amore ac pietate in patriam eſſe

ſimulant.) Principum vitia & populi miſeriam, apud ſuos primũ, deinde palàm queribunda voce lamentantur: non quò plebẽ, cuius ſolius cõmodis inſeruire videri volũt, ab illo ſeruitutis iugo aſſerant in libertatẽ, ſed quò populari aura ſubnixi, aditũ ſibi & ianuam ad eam ipſam dignitatẽ, nequiora aliquando auſuri, patefaciant. Audi Senecam.[1] cuius verba literis aureis ſignanda in hanc ſententiam hęc ſunt. *At malè exiſtimat de malis* (de quodã loquitur qui ſe virũ bonum, cum nõ eſſet, prædicabat.) *Hoc etiã mali faciunt, nec vlla maior pœna nequitiæ eſt, q̃ q̃ ſibi ac ſuis diſplicet. At odit eos qui ſubita & magna potẽtia inſolenter vtuntur: Idẽ faciet, cũ idẽ poterit. Multorum, quia imbecilli ſunt latent vitia, nõ minus auſura cũ illis vires ſua placuerint, quã illa quæ iã fœlicitas aperuit: inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tutò ſerpens etiã peſtifera tractatur, dũ riget frigore. Non deſunt tũc illi venena, ſed torpent. Multorũ crudelitas, & ambitio, & luxuria, vt paria peſſimis audeat, fortunæ fauore deficitur. Eadem velle eos cognoſces, da poſſe quantũ volunt.* Veriſſima hæc quidẽ, & variis omnium ſeculorũ exemplis confirmata. Athenionẽ ex ancilla natũ, & literis heri liberalitate inſtructũ, abſq; Atheniẽſib. donatũ ciuitate, in eos ipſos imperiũ aliquando obtinuiſſe ſcribit Poſidonius Apamenſis[2]. Atq; eo quidẽ quamdiu pauperẽ & priuatã adhuc vitam degebat rhetorices ac philoſophiæ profeſſione quæſtũ faciens, blandiorẽ aut obſequentiorẽ fuiſſe neminem. At poſtq̃ variâ arte tyrãnidem occupauit, erupiſſe ſtatim affectionũ in eo deliteſcentiũ fontes, quibus, quis ei animus ante fuiſſet, deprehendebatur: cunctos n. qui vel antè vel poſt in eã Rep. imperitarunt, omni crudelitatis & auaritiæ genere longè ſuperauit. Talem ſe Tarcenſib. præſtitit Lyſias, qualẽ Atticis Athenion, ex philoſopho quippe creatus Στεφανηφόρος, ſummo apud eos magiſtratui id erat nomen, habitũ ſimul & mentẽ tyranni induit. Vides vt ne detritis quidẽ palliis, aut promiſſis barbis credendũ ſit, ſignis licet grauitatis animi & conſtantię, ac contemptus diuitiarũ, gloriæ, voluptatis, cæterarumq; omniũ, quæ ambitionẽ fouent, cupiditatũ: quantò minus fidendũ eſt inani & fictæ oſtentationi eorũ, quos & nataliũ ſplendor, & facultatũ copiarumq; magnitudo, feruor etiã ætatis, atq; ampla clientela cum gregib. amicorũ, ad regni deſideriũ excitant & incendunt? Hos n. certum eſt propoſita ſemel regnandi ſpe, nihil non diſſimulaturos ingenioſè, & ſimulaturos, in quo adiumentũ aliquod ſibi poſitũ eſſe arbitrentur; atq; inprimis omnẽ animi improbitatẽ frõtis

1 Lib. 5. epiſt. 42.

2 Athenæus li. 5.

integumēto, ne videat̃, callidè inuoluturos. Quis gratior, quæſo, Caligula aut acceptior antequā iniret principatū, quiſve adepto eo viſus eſt atrocior toti populo & inhumanior? vt non immeritò de illo dictū ſit. [1] *Nec ſeruū meliorem vllum nec deteriorē dominū fuiſſe.* Ingens adeò res eſt ambitio, vt animi quantũuis vitioſi affectiones omnes, quibus ſua frangi minuíue conſilia putat, edomitas teneat ad tēpus & compreſſas, ac quaſi omnium regina ſingulas in ſui obſequium veluti ac ſeruitutem trahat, de qua haud malè quis vſurpet illud Poëtæ, verbo tantùm immutato, 1 Suet.c.10. Dio Caſſ.lib.59.

Regni ſacra fames quid non mortalia cogis
Pectora?

Hæc illa ferè ſola eſt, quæ mancipatos ſibi homines, quiduis pati, quiduis audere, fas iuxtà ac nefas ſacra ac profana obliuiſci pro arbitrio, & meminiſſe facit. [2] 2 Claudian. in Ruffin.lib.2.

Qua tradente dolos, geſtus, artémque nocendi
Edìſcunt ſimulare Fidem, ſenſúſq; minaces
Protegere, & blando fraudem prætexere riſu.

Præclarè Innocentius [3]. *Ambitioſus ſemper eſt pauidus, ſemper attentus ne dicat quod diſpliceat: humilitatem ſimulat, honeſtatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur & obſequitur, cūctos honorat, vniuerſis inclinat, frequētat curias, viſitat optimates, aſſurgit & amplexatur, applaudit & adulatur: promptus eſt & feruidus vbi placere cognouerit, remiſſus & tepidus vbi putauerit diſplicere: improbat mala, deteſtatur iniqua, ſed alia cum aliis probat, & improbat, vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab omnibus, vt à ſingulis approbetur. Sed ecce grauem intra ſe ſuſtinet pugnam, difficilémque conflictum, dum iniquitas pulſat animum, ambitio continet manum, & quod illa ſuggerit hæc fieri non permittit. Colludunt adinuicem mater & filia, iniquitas & ambitio. hæc vendicat ſibi publicum illa ſecretum. At ſtatim vt eſt ad honorē promotus, in ſuperbiā extollitur, in iactantiam effertur: nō curat prodeſſe, ſed gloriatur præeſſe: præſumit ſe meliorē, quia cernit ſe ſuperiorem: priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultū auertit, ceruicē erigit, faſtum oſtendit, grandia loquitur, ſublimia meditatur, ſubditis oneroſus, omnib. infeſtus, præceps, moleſtus, arrogans, grauis & importunus.* Quid multis? nō terrâ non mari, non cœlo ipſo clauditur ambitio: nam 3 De vilitate cōdit. humanæ.

[4] *Quod non poteſt vult poſſe qui nimium poteſt.* 4 Senec. in Hippolito.

Quorum omnium ſi Græcis fortè aut Romanis exemplis minus aliquis cōmoueatur, ſuæ ipſius gentis annaliū me-

moriam replicet, & refertam, ni fallor, talium tragœdiarum monumentis hiſtoriam inueniet: quo magis mirari licet imbecillitatem iudicii conſiliique multorum. Nam cùm nullius ferè rei tot domeſtica exempla obuerſentur oculis animiſque omnium, quot iſtiuſmodi artium comparandi principatus, tamen non ſolùm plebs, ſed ipſa nobilitas ſubinde decipi ſe, & velut magico carmine irretiri blãdimentis atque illecebris talium hominum ſinit, quaſi non ſatis conſtet, neminem id dignitatis affectare, qui non ſtatim, vt Melius alter, aut Manlius, populo permulcendo ſe totum dedat. (*ſibi volunt,*

Nam ferè maxuma pars morem hunc homines habẽt: quod
Dum id impetrãt, boni ſunt: ſed id vbi iam penes ſeſe habẽt,
Ex bonis peſſumi, & fraudulentiſſimi ſunt.[1]

Plaut. in Capt. act. 2. Sc. I.

Teſtis eſt noſtra ætate inſignis illa adulterini perfidia, qui poſtquam mitioris imperii ſpe vana, & largitionũ pollicitationibus pleroſque ad defectionem incitaſſet, Mariã Scotię Reginam, optimam ſanè ac prudentiſſimam fœminam inſidiis petitam regno exegit. Teſtis & illud omnium ordinum in Belgio rebellium, quorundam ei imperio inhiantium blãda perſuaſione concitatum. Teſtis & illa hęreſis, tyrannidis genus crudeliſſimum, quæ ſimili omninò delinitione Scotorum mentes peruagata eſt donec omnes in ſuam redegit poteſtatem.

Sed dicam (neque enim tanti momenti exemplum prætẽrire poſſum) quibus illa me propè pubeſcente, illecebris vomicam ſuam aperiẽs, regno, fide & religione nulli antea ſecundo, virus teterrimum inſtillauit. Erant in ea regione, præter varios epiſcopatus, & maximam ſecularium, vt vocant, Eccleſiaſticorum ditionem, omnis ordinis ampliſſima & opulentiſſima monaſteria. Non enim illic agrorum domini, vt hîc ſolent, vllam decimarum partem ſibi retinebant: nec fas cuiquam fuit decimas, niſi ab Eccleſiaſticis conceſſas poſſidere. Hinc illi Satanæ prodromi & mendaciorum miniſtri tragœdię ſuę exordium ducentes, in ſacerdorum auaritiam, libidinem, & alia id genus vitia, continuis clamoribus debacchati ſunt: non Epiſcoporum, Abbatum, aut deſidum canonicorum menſis inſtruendis, nec obeſis Monachis, ſed pauperibus, & verbi miniſtris alendis Deum ab initio decimas in Eccleſiam contuliſſe: ſe tenui victu, & veſtitu mediocri contentos eſſe, hoc tantum petere, nec amplius vel oblatum quidẽ velle recipere: nullũ

ſibi in decimis ius arrogare, ipſorum agricolarum arbitrio quid dare, quid retinere velint eſſe permiſſuros. Illis blandimentis & iſta adiunxerunt: intolerandam eſſe Papiſtarũ (ita Catholicos hæretici, vt ſcis, appellant) in laicos omnes tyrannidẽ, à quibus etiam inuitis fidei ſuæ profeſſionem ſoleant extorquere: ſe verò Euangelii libertatẽ prædicare, nullam Chriſtianis animis vim inferre, ſuam cuiq; conſcientiam liberam relinquere, verbo ducere, non vi quemquã adigere: eam eſſe Euangelii doctrinam vt omnes conſcientiæ fruantur libertate, ſibique vt id liceat votis omnib. poſtulare. Bov. Perquam geminos profectò ſermones apud nos etiam, ſicubi audent, clandeſtinis colloquiis in vulgus diſſeminant; ſed ſapiunt credo noſtrates, & ex vicinis iam malis didicere tales fumi venditores non eſſe auſcultãdos. Barc. Faxit Deus Opt. Max. vt iſtuc diu ſapiant. Sed audi huius tragœdiæ cataſtrophem. Talia cum omnium aurib. frequentius inculcarentur, nemo non admiratus eſt tantã nouorum hominum ſanctitatem, diuitiarum, gloriæ, voluptatum omnium contemptricẽ. Itaque nõ vulgi ſolum, ſed etiam magnatum, qui iſta nouæ religionis commoda ſpe & opinione deuorauerant, partem magnam quàm citiſsimè ad ſe traxerunt. Interea communis ea omnib. cautio fuit, vt quamdiu incerto marte, & æquis viribus certandum eſſe viderent, hypocriſi quàm armis omnia potiùs experirentur. At vbi paulatim rerum potiti dominari in ceteros & velut in ſuo iam regno ius dicere cœperunt, Deus bone! quàm ſubitò interiores verſatilis ſuę ſcenæ imagines oſtenderunt. Omnibus anteà ſupplices, omnibus ſtatim imperioſi, & penè inexorabiles minitabantur: & qui libertatem, & nihil niſi libertatem initiò prædicauerant, iidẽ viris bonis libertatem omnem adimebant: quique paulo antè peregrinæ & nouæ religionis fruendæ veniam à Catholicis humiliter exorarunt, ne veteris quidem & verę retinẽdæ facultatẽ iiſdem ſupplicantibus permittere poſtea voluerunt. Bovt. O hominũ imprudentiam! annon aut quã ſplendidè tunc mentiti ſint, aut nunc hallucinentur vidẽt? ſed tẽpori credo & foro ita ſeruiunt. Barc. Nolo minutatim omnia perſequi: longum enim eſſet enarrare quàm variã & multiplicem perſonam continuò ſuſceperint. Nam quęcunq; à vafris ingeniis ad res ſuas amplificandas excogitari potuerunt, ea omnia vt quodque ſe offerebat ſibi licere, & nouæ ſeu reformatæ, vt vocant, religionis leges eſſe

hominibus credulis perſuadebãt. Ac in primis adminiſtros tantæ audaciæ complures illicò ſibi aſciſcebant, ſed quos? pudet dicere, ſtigmaticos, profugas, ſublingiones, ſuperiumentarios, cerdones, ſcroſipaſcos: vt quiſque enim benè linguax, & paulò dicatior inuentus erat, ſtatim Miniſtri titulo inſignitus Eccleſiæ alicui præficiebatur: mox deinde in bona & cenſus eccleſiaſticos inuolabant, verbi Dei miniſtris eas res deberi aſſerentes. BOVT. Callidos mihi narras Retiarios, qui piſcem ſe petere ſimulantes Mirmillonem apprehendunt. BARC. Imo verò vtrumque, vno enim caſſe & plebs & preſbyteri capti ſunt. Nam iſti, ne quid amitterent, in beneficia ſimul & vitia omnia Sacerdorũ ſucceſſerunt, illa diſſipant, hæc quantum poſſunt vario ſcelere aucta ad hæredes tranſmittunt, decimas cum fœnore pluſquam nautico exigunt, & gregem à Sacerdotibus tonderi ſolitũ deglubunt crudeliſſimè. Nullis aut auaritia maior, aut profuſior libido, aut ſæuior arrogantia, aut perfidia denique verſutior quàm his eſt: vt facilè appareat nihil eos iã inde ab initio quæſiiſſe, niſi

Lucrum, ludum, iocum, feſtiuitatem, ferias,
Pompam, penum, potationem, ſaturitatem, gaudium [1].

Ecqua videtur tibi hæc tyrannis? BOVT. Permagna quidem, & eius occupandæ ars longè ſubtiliſſima. BARC. Non alius certè iis ſcopus eſt, qui cùm potentes & gratioſi ſint apud omnes Ordines, de Principum vitiis conqueruntur, quantumuis præclarum virtutis ſuæ ſpecimen populari iudicio exhibeant. Reges enim contrà quàm fas eſt in ordinem redigendos curant, vt ipſemet extra ordinem dominẽtur. Nam cùm id apertè moliri & turpe & periculoſum eſſe ſciant, huiuſcemodi inuolucra obtendunt, & prætextu ſpecioſo ἐπιτίθουσι τὴν μοναρχίαν [2]. Multos tibi poſſum enumerare, qui ſimili fraude ſceptra à Regibus nõ ita malis erepta ſibi vendicarunt. Aduerte igitur animum ſis, & cogita quàm ſit res periculi plena, doloſis talium publicolarum ſuaſionibus multitudinem commoueri, quorum conſiliis ſi obſequatur, Hydram, quam necare ſtudet, ſecabit infœliciter. BOVT. Sint iſta vt dicis, neque enim qui Reges à ſubditis coerceri volunt, eiuſmodi vt arbitror, mutationũ incommoda inficiãtur: ſed iis malis alia remedia inuenerunt. BARC. Quæ? BOVT. Neminem vnum ſufficiunt, cui totius Reipublicæ portiſculus committatur.

1 Plaut. in Capt. act. 4. Sc. 1.

2 Ariſtoph. in Pluto.

BARC.

BARC. Quid ergo? liberúmne populũ, atq; omni magiſtratus vinculo ſolutum eſſe volunt? BOVT. Minimè gentium. Sed ita ſtatuunt, melius ſe habere Rempublicam ſi conſilio Imperioque multorum gubernetur, quàm ſi ad vnius nutum & arbitrium tota fuerit compoſita. BARC. Quid ita? BOVT. Rogas? quaſi verò te lateat ſummum ſemper eſſe in plurium regimine temperamentum: in quo patientes ac lenti iracundis, timidi audacioribus, præcipites cunctabundis, & hi illis obſiſtunt: ex quorum concurſu naſcitur illa moderatio & æquabilitas quæ in extremorum mediis conſiſtit. BARC. Agnoſco Buchanani rationem ab Ariſtotele mutuatam [1], qua premi valdè nos putat [2], & cogi vt fateamur publica negocia multitudinis iudicio pertractanda: ſed eam fucatam eſſe & minimè firmam faxo paucis intelligas. Coniungendus enim hic locus eſt cum illo ſuperiore, qui ſimilem de vtilitate regiminis multorum ſententiam continet. Multitudinem nempe plus ſcire ac ſapere, quàm vnum aliquem, nec tam citò perturbationibus atque affectibus animi vitioſis commoueri, aut à debita Reipublicæ procuratione abduci poſſe. Poſſum his omnibus reſpondere, Buchanani opinionem communi omnium de Rebuſpublicis rectè philoſophantium conſenſione reprobari, ita vt totius antiquitatis iudicio huic cauſæ iam ſit factum præiudicium. Quippe inter varias Reipublicæ formas Monarchiam præcellere, viri graues, Philoſophi [3], Oratores [4], Poetæ [5], Hiſtorici [6], atque ipſi etiam Theologi [7], & Iuriſconſulti tradiderunt (quo nuper imprudentior Caluinus, imò verò impudentior, cui tot ſanctorum & ſapientum virorum cõcors ſententia diſplicuit. *Equidem ſi in ſe conſiderentur*, inquit, *tres illæ, quas ponunt philoſophi, regiminis formæ, minimè negauerim vel Ariſtocratiam, vel temperatum ex ipſa & politia ſtatum aliis omnibus longè excellere* [8].) Quapropter mihi aduerſus eum nouo nũc iudicio experientem rei iudicatæ exceptione vti licet. Verùm ne iniquè iudicatum cauſetur, rationes eius referam refellamque.

Ac in primis falſum quidem illud eſt quod ſcribit: vbi multitudo ad Reipub. gubernacula coit, temperamentum quoddam & mediocritatem naſci ex commixtione & concurſu contrariarum qualitatum, quæ aliis aliæ atque aliæ inſunt. Nam contrà multorum nos authoritas, ipſaque rerum experientia docet, nihil periculoſius, imò pernicioſius

1 L.3. Pol.c.7. & cap.11.
2 Pa.33. Sup.p.36.
3 Plat.l.16. Ariſt. l.8. Eth.c.16. Philo Iudæus lib. de confuſione linguarum.
4 Iſoc. in Nicoc.
5 Hom. Iliad.2.
6 Dio Caſſ. li.44. Plutar. libello de trib. Reip. generib. Herodot. l.3.
7 S. Atha. in oratione cõtra idola. S. Chryſoſt. homil. vlt. epiſt. ad Hebr. S. Iuſti. in orat. exhortator. ad gent. S. Hier. To.1. epi.4.
8 Li.4. inſt.c.20. §.8.

ſius eſſe tali commixtione & contẽtione aduerſantiũ inter ſe voluntatum, ſi nemo ſit qui pro Imperio diſſidium eiuſmodi poſſit componere. Itaque Liuius [1]. *Tribuni militũ conſulari poteſtate quatuor creati ſunt* (inquit) *T. Quintius Pœnus ex conſulatu. C. Furius. M. Poſthumius. A. Cornelius Coſſus: ex iis Coſſus præfuit vrbi: tres delectu habito profecti ſunt Veios, documentoq́; fuere, quàm plurium Imperium bello inutile eſſet. Tendendo ad ſua quiſq; conſilia, cùm aliud alij videretur, aperuerunt ad occaſionem locum hoſti: incertam namq́; aciem, ſignum aliis dari receptui, aliis cani iubentibus, inuaſere opportunè Veientes: caſtra propinqua turbatos, ac terga dantes accepere. Plus itaq; ignominiæ quàm cladis eſt acceptum. Mœſta ciuitas fuit, vinci inſueta, odiſſe Tribunos, poſcere dictatorem: in eo verti ſpes ciuitatis.* Ratio autem qua vtitur ex numero eſt τῶν αὐτοπεριφερόντων, vt facilè in eum ipſum vnde prodiit retorqueri poſſit. BOVT. Quo pacto? BARC. Scis ſtultorum quàm ſapientum ſiue prudentium numerum eſſe maiorem. BOVT. De perfectè ſapientibus fortè loqueris. BARC. Imò verò de iis qui vulgari illâ prudentiâ commendantur, quæ in quotidiana hominum conſuetudine, & vitæ vſu, atque publicis priuatiſque negotiis eſt occupata. BOVT. Vulgarem vocas hanc prudentiam? At ego homines neutiquam vulgares, qui ea præditi ſunt exiſtimo. BARC. Igitur vulgi quàm horum maior eſt multitudo. BOVT. Sanè quidem. BARC. Et malorum etiam quàm bonorum. BOVT. Nec dubium id quoque. *Rari quippe boni.* BARC. Et horum etiam ipſorum prudentium diſcordes animi, contrariaq; ſtudia plerumque exiſtunt. BOVT. Nihil vſquam ſæpius. BARC. Iam verò, nónne conuocatâ in vnum multitudine, vt virtutum, ita & vitiorum, quæ in ſingulis ſunt particulæ congregabuntur? BOVT. Subſiſto. neque enim vt certamen vitiorum ſit conueniunt: ſed vt vnuſquiſque quantum in ſe eſt prudentiæ in medium conferat. BARC. Quâ fine cõueniant non quæro. Sed nónne ſinguli ſua ſecum vitia pariter & virtutes circumferunt? BOVT. Etiam profectò. BARC. Hæc ergo cùm ita ſe habeant, diſpice nunc animo & conſidera communem hominum φιλαυτίαν, & innatam ad contradicendum propenſionẽ: & erit cur exiſtimes turbamentum potius quàm temperamentũ ex eiuſmodi pugnantium voluntatum diſſidiis oriri: cõſtat enim, vbi ſuffragiis res deciditur, vt fit in publico populi conuentu, non quod probiſſimis placuit, ſed ꝙ plurimis, obtinere, multo-

que

[1] Lib. 4.

quefacilius corrumpi bonum quàm malum corrigi. Quâ decauſâ prudenter Iuſtinianus Imperator adſtringi noluit eos, quibus Pandectas noſtros iuris ciuilis ex multis multorum authorum voluminibus componēdi negocium dederat, vt ſemper in maioris partis ſententiam irent. *Sed neq;* (inquit) *ex multitudine authorum quod melius & æquius eſt, iudicatote, cùm poſſit forſitan deterioris ſententia, & multos & maiores in aliqua parte ſuperare* [1]. eoque fit vt in conſiliis capiendis ſæpe maior pars meliorem vincat [2]. Non referam hic contentiones quæ frequenter eueniunt, cùm plures & opibus & authoritate pares in varias ſententias diſtrahuntur, graueſque inde dimicationes quæ extremo cum Reipublicæ intertrimento oriuntur. Qua de cauſa Dio, vir vſu rerum & experientia literiſque inſigniter eruditus ſcribit [3] Rempublicam non potuiſſe diu incolumen ſtare ſi populi Imperio ſubiecta manſiſſet, quòd parum abfuiſſet, quin ipſis comitiis ac magiſtratibus creandis res ad tumultum perueniret. Et Cornel. Tacitus, eximius profectò hiſtoriæ ſcriptor, vbi occupatum ab Auguſto imperium memorat, qui paulatim munia Senatus, magiſtratuum, legum in ſe nullo aduerſante traxit, ſubiicit [4]. *Neque prouinciæ illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatu, populique Imperio, ob certamen potentium & auaritiam magiſtratuū: inualido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremò pecunia turbabantur:* & rurſus quàm pernicioſus ſit ſtatus popularis vbi ſuffragiis leges feruntur alibi oſtendit [5]. Sed & idem Dio alibi hæc [6]. *Populi quidem principatus nomen ſpecioſum habet, verùm re ipſa comprobatur nihil ei cum ſua appellatione conuenire. Contrà verò Monarchiæ nomen auditu difficile, penes vnum tamen ſummā eſſe Reipublicæ, vtiliſſimum eſt. Nam facilius reperitur vnus aliquis vir bonus, quàm multi; & ſi hunc inueniri difficulter quidā exiſtimant, iidem coguntur omninò fateri impoſſibile eſſe multos bonos inueniri, quando virtute præditos eſſe multos cōſentaneum non eſt. Quo fit vt ſi quis ſummæ rerum vitioſius præſit, tamen id ſatius ſit, quàm à multis eius ſimilibus Rempublicam adminiſtrari. Cuius rei fidem facere poſſunt res geſtæ Græcorum, barbarorumq; atq; etiam ipſorum Romanorum: nimirum cùm ſemper vrbes ipſæ, priuatiq; in iis ciues, longè præſtātiora & plura ſub Regibus, quàm ſub populari gubernatione, beneficia ſint conſecuti: longeq; minus rerum aduerſarum ſub vnius quàm multitudinis Imperio ſuſtinuerunt. Ac ſi qua floruit aliquando ſub populari Imperio Reſp. id tantiſper durauit dum non ad faſtigium magnitudinis*

1 De concept. ff. §.1. Sed neque.
2 Liuius lib.21. in princ.
3 Lib.54.
4 Lib.1. Annal.
5 Lib.3. Annal.
6 Lib.44. in pr.

tudinis & vires altiores perueniſſet: tum enim ex rebus ſecundis libido, inuidia ex contētionibus apud eos exorta ſunt. Qua etiam de cauſâ Plutar. [1] vbi cùm optimarū Politiarū formas ſuis proprietatibus adornaſſet commēdaſſetque, ſubiecit Monarchiam (ſi optio ſapienti daretur) eſſe eligendam, vtpote quę ſola perfectam illam & rectam virtutis rationem contineat.

1 In opuſcul. de trib. Reip. gener.

Deinde ſpecioſa quidē illa eſt ac blandiens ſed minimè profectò vera ratio, quâ Buchananus populare regimen commendat, cùm ait *multi plus vident ac ſapiūt, quàm vnus, & multitudo ferè melius quàm ſinguli de rebus omnibus iudicat.* Nam qui res geſtas populorum memoriæ prodiderunt, vnius ſapientiam frequēter emicuiſſe præ tota multitudine variis exemplis demonſtrarunt. Quò enim à tot Græciæ populis atque Principibus vt in maximâ omnium quæ ab hominum memoriâ narrantur expeditione vnus omnibus imperitaret electus eſt [2].

2 Dictys Creten. li. 1. Dares Phryg.

Ille Mycenæus magnorum ductor Achiuûm,

niſi quòd ab eo vno quàm à reliquo exercitu quamuis numeroſo facilius & fœlicius prouideri poſſe omnia, & procurari quæ forent è re Græcorum, communi conſilio iudicarunt? Itaque ſummus Poetarum Vlyſſem multorū principatum reprehēdentem inducit & haudquaquam vtilem eſſe his verbis affirmantem [3],

3 Iliad. β

Οὐ μέν πως πάντες βασιλεύσομεν ἐνθάδ᾽ Ἀχαιοί.
Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,

Idque ipſum Neſtor tot ſeculorum experientia doctus, Agamemnonē hortatur ne ſuſceptum Imperium deponat [4]

4 Ibidem.

Ἀτρεΐδη, σὺ δ᾽ ἔθ᾽ ὡς πρὶν ἔχων ἀστεμφέα βουλὴν,
Ἄρχευ᾽ Ἀργείοισι κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

Quantum autem Æneas, quantum Vlyſſes præter comites prudentiâ valuere? Sed peruetuſta hæc ſunt & poetarum figmentis adulterata: certiora teſtimonia, nec ita remota petamus. Athenienſes in eo exercitu, quem aduerſus Darii præfectum Daten comparauerant, cùm duces belli decem & polemarchum, æquato omnibus Imperio, conſtituiſſent: vt partitis temporibus ſinguli ſingulis diebus ſummum ius atque Imperium in milites haberent: ſolus Ariſtides id factum Athenienſibus parum feliciter ceſſurum maturè præuidit, omnibuſque author fuit vt ad vnum Miltiadem totius belli gerendi ſummam deferrent, [5] quo duce celebri illa ad Marathonē victoria, potiti ſunt.

5 Hero. l. 6. Plut. in vita Ariſtidis.

Vi-

Vides vt vnus plus omnibus vidit, eoq; plus ſapuit quòd *μοναρχίαν τῆς ἀριστοκρατίας ἰσχυροτέραν* iudicauit. Sed pergamus. Multitudo ducum, & Imperatorum quantum rebus gerendis detrimenti afferat, quantumq; in vnius Imperio ſitum ſit opis, res nobis Romanæ clarius patefaciunt. Fuſo enim à Gallis exercitu, cui ſex tribunos militum conſulari poteſtate populus præfecerat, capta & concremata ciuitate, obſeſſo Capitolio, Senatu ad deditionem coacto, hoſtiumque ludibriis expoſito, F. Camillus quà vi & armis, quà virtute, quà conſilio, vrbem atq; Imperium domitis hoſtibus reſtituit reſeruauitque [1]. Deinde verò cùm poſt primam pugnam Tarentinam nonnihil afflictæ res Romanæ eſſent, inclinatis iam ad pacem omnium animis, ac de Pyrrho iniquis conditionibus in vrbem recipiendo conſulentibus, nónne vnus Appius Claudius ille cæcus & ſenex lectica in Senatum vectus, Reipublicæ, & maieſtati Populi Romani ſalubriter proſpexit [2], cuius authoritate nullam pacem, nullam cum Rege amicitiam fore, niſi ex Italia diſcederet, decretum eſt? Sed & Q. Fabius cognomento Maximus, nónne cæteris omnibus qui vel in vrbe vel in caſtris erãt, quis ciuitatis, quis hoſtium ſtatus eſſet planiùs intellexit [3]: & cum modico ſequutus interuallo Luc. Æmilius Paulus, quem ſi Romani certamen cum Annibale detrectantem audiiſſent, prœlium Cannenſi clade nobilitatum minimè commiſiſſent. De P. Scipione Africano quid dicam? recitare ſat eſt quod alius dixit [4]. *In Africam ex Sicilia excercitum ſenatu vetante traduxit, & niſi plus in ea re ſuo, quàm patrum conſcriptorum conſilio credidiſſet, ſecundi Punici belli finis inuentus non eſſet.* Quid quod Epaminondas ea præ cæteris cùm ciuilis prudentiæ laude, tùm militaris ſcientiæ gloria vſque adeò claruiſſe fertur, vt ipſe vnus pluris quàm tota ciuitas fuiſſe iudicetur [5]: quippe Thebas & ante ſe natum & poſt ſe exſtinctum perpetuò alieno Imperio ſubiectas, aliarum Græciæ ciuitatum caput quoad ipſe vixit dominamque conſtituit. Sed ad Athenienſes reuertor: à quibus cùm Alexander, euerſis Thebis, Demoſthenem, Lycurgum, alioſque primi ordinis homines ſibi dedi popoſciſſet, tam ingens metus atque anceps cura omnium animos occupauit, vt niſi Phocium, in quem velut in aram conſiliorum ſuorum oculos conuerterant, hæſitantibus iam & obmuteſcentibus ſuccurriſſet, nihil quod reſponderent fuiſſent habituri [6]. Idem Phocion cùm in concilio populi ſententiam aliquando dixiſſet, ob

1 Liu. lib. 5. Plut. in vita Camil.

2 Cic. Phil. 1. Plu. in vita Pyrrh. Eutr. l. 2. Pomp. l. 2. §. Iuris. D. de orig. iur.

3 Tit. Liu. lib. 22. Polyb. lib. 3.

4 Vale. Max. l. 8. c. 7.

5 Æmil. Prob. in Epa.

6 Plutar. in vita Phocionis.

quam ei ab omnibus ſtatim applauſum fuit, conuerſus ad amicos, quid dixi? inquit: hei vereor ne qua imprudenti atque inuito mihi mala ſententia exciderit, quòd ei tam citò omnes aſſenſi ſint: adeò ille multitudinem malè de rebus omnibus iudicare ſenſit. Quâ ratione fertur Hippomachus quidam gymnaſtes diſcipulũ virgâ vt imperitum percuſſiſſe, quod eſſet multitudinis plauſum canẽdo aſſequutus, hoc ſuper indicto κακῶς ηὔλησας, οὐ γὰρ ἂν οὗτοί σε ἐπῄνουν[1].

[1] Ælian. l. 14. c. 8. id eſt, malè cecinisti, nã alioqui hi te non laudaſſent.

Quid hîc veterem populi Dei, aut recẽtiores aliorũ hiſtorias commemorem, ex quibus innumera ſententiæ noſtræ confirmandæ argumenta ſuppetunt? dies me deficeret atque vox, ſi omnium ſæculorũ exempla proſequerer: Nulla enim gens tam barbara eſt, nulla ætas, quę non huius rei monumenta præter oculos poſita habeat.

Neque hęc tamen cùm dico arbitrere me omnem capiendi conſilii rationem atque vſum tollere de medio, vel inutilem iudicare velle. Nam conſiliarii Principis, & quos Reipublicæ gerendæ adminiſtros ſibi conſtituit, pars corporis eius cenſentur[2]: aures ſcilicet atque oculi à quibus percepta perſenſaque ad ipſum tanquam ad ſenſum cõmunem deferuntur.

[2] l. quiſquis. C. ad l. Iul. Maieſt.

Bovt. Iſtis ego exemplis licet non parum mouear, tamen non planè ab eâ quam impugnas ſententia abducor, quòd rationes illas non ſolùm Buchanani, ſed Ariſtotelis eſſe ſciam[3], cuius tanta apud pleroſque authoritas eſt, vt difficulter eleuari poſſit: quapropter vt planè mihi ſatisfacias, illum tibi philoſophum non obſtare doceas oportet.

[3] Lib. 3. Polit. c. 7. & 11.

Barc. Nil factu facilius. Scito igitur rationes illas ab Ariſtotele quidem ſcriptas, ſed approbatas non eſſe: id autẽ vt penitus intelligas, animaduerte in primis quo ordine quibuſque de cauſis Ariſtoteles eas in medium adduxerit. Cùm enim de omnibus Imperii formis diſputationem iis libris inſtituiſſet, quæ quamque vel commoda vel incommoda ſequi videbantur argumẽtis variè excogitatis more ſuo copioſè diſſeruit, quò planius & quæ optima ſit eluceat, & quibus conſeruetur aut euertatur mediis intelligatur. In relatione igitur popularis Imperii, quod cum paucorum, ſed optimorum principatu confert, hoc eorum qui popularem gubernationem meliorem eſſe contẽdunt, argumento vtitur. *Multi, quorum quilibet vir bonus & probatus non eſt, vbi in vnum conueniunt, contingit vt paucis optimis ſint meliores, non vt ſinguli quidem, ſed vt vniuerſi: nam ſinguli viden-*

videntur habere particulam quandam virtutis, & cùm in vnum congregantur, multitudo eſt velut vnus homo cui multæ ſunt manus, multi pedes , multique ſenſus. Addere quidem debuit, & *multæ diſcordéſque ſententiæ: quæ quoniam nec procedunt, nec reguntur ab vno capite, diſsidio, contentioni, & rixæ materiam dãt.*

Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno[1]. 1 Perſ. Saty.

Et, vt ait tragicus, Ἄλλοισιν ἄλλος θεῶν τε κ᾽ ἀνθρώπων μέλει[2]. 2 Eurip. in Hippolito coronato.

Verùm illa Ariſtoteles, non quò rectam nobis certàmque popularis imperii confirmandi rationem traderet, ſed quò argumenti prima ſpecie veriſimilis fallaciam obiter detegeret: idque ex eo intelligi poteſt, quod antequam illud argumentum efferret, præfatus eſt multitudinem potius quàm paucos optimos imperare debere poſſe defendi. & habere aliquam veriſimilitudinem, & fortaſsis, inquit, putes veritatem: ac rurſus cùm totam eius argumenti vim explicuiſſet, hanc mox ſententiam ſubiecit, *An verò in omni populo, & in omni multitudine poſſit hoc diſcrimen inueniri inter multos numero, & paucos virtute præſtantes, non liquet: atquì verò manifeſtum eſt in quibuſdam inueniri non poſſe.* Audis eundem, qui modò paucis optimis præſtare dixit multitudinem, nunc an id verum ſit dubitare, ac in nonnullis quidem omninò falſum eſſe aſſerere: ex quo patet, prius illud diſputationis tantùm cauſa dictum eſſe: quemadmodum & illud, Regem faciliùs quàm multitudinem corrumpi[3] poſſe: cùm cõſtet inter omnes vel mediocriter in hiſtoriarum lectione verſatos nullum grauius in populari aut paucorum regimine incommodum, nullúmque frequentiùs deprehenſum eſſe, quàm quòd in vtroque largitionibus, gratiæ, odio, ambitioni, atque id genus corruptelarum illecebris datur citiùs locus, quàm in regno: vnde etiam crebræ illæ ſuffragiorum nundinationes exiſtunt, quibus ſceleratiſſimi quique aditum ſibi ad ampliſſimos honores facilè & flagitiosè patefaciunt. Audi Iugurtham ab Roma redeuntem. *O vrbem venalem, & maturè perituram, ſi emptorem inuenerit*[4]. Quoties enim ille Senatum, quoties populum, tentatis pecunia quorundam iudiciis à veri inueſtigatione deflexit?

3 lib. 3. Polit. cap. 11.

4 Saluſt. de bello Iugur.

Et verò quamuis nulla nos antiquitatis monumenta iſtiuſmodi exemplis inſtruerent, nullàque quotidianæ vitæ experientia velut manu duceret in eius rei cognitionem: tamen ipſa ratio, qua præditi ſumus, & cuius lumine per diſputãdi ſubtilitatem vera inueſtigamus, coget nos fateri

multitudinẽ facilius corruptum iri, quàm Regem; vel ob id ſolum, quòd duæ illæ teterrimæ & irrequietæ belluæ, auaritia, & ambitio, quæ dum mentes hominum peruagantur, ad peſſima quæq; ſtimulant, vrgent, impellunt, rarius Regem quàm ſingulos è multitudine infeſtent. Alteram namque gaza regia, & collatio, cùm opus fuerit, Regis arbitrio facienda, ſi non abercent penitus & excludunt, extenuant certè plurimum atque imminuunt. Vt enim ingens cibi copia appoſita edendi cupiditatẽ homini ex parte tollit, ita poteſtas habendi quæ volet omnia, habendi minuit deſiderium. Alteram verò regalis dignitatis faſtigium, & quâ maior ſperari non poteſt, amplitudo Imperii reſidere in animo Regis aut inoleſcere non ſinit: deprauari enim muneribus quî poteſt nullius rei indigus, aut ambitione duci, cui quod ambiat maius nihil eſt. Et tamen hæ illæ ſunt machinæ quibus multitudo plurimum expugnatur, cùm vt plerumq; fit, homines priuati ad quorum ductum ſe applicat, vel opibus augendis, vel honoribus inſeruiunt: his enim quoniam multa abſunt ad eum vitæ in quem feruntur ſtatum, neceſſe eſt multa quoque eius gratia ſeu rectè ſeu perperam agant perferantque. Ferunt qui res Polonorum literis mandarunt,[1] poſtquam à primo eius gentis Rege Lecho, & eius poſteritate, centum & quinquaginta circiter annos fuiſſet regnatum, deficiente tandem ſtirpe regiâ ſummam gubernationis publicæ ad Duodecẽuiros, vulgò Vayuodas dictos, fuiſſe delatam: qui licet initiò ſuſceptæ adminiſtrationis ſpecimen aliquod egregium procurationis Reip. ediderant: tamen breui pòſt muneris ſui obliti, cùm ambitionis, tùm res ſuas familiares amplificãdi ſtudio, ita diſcordibus inter ſe animis Rempublicã vexabant, vt niſi populus vniuerſus de re ad regnum reuocanda conuentum celeriter indixiſſet, miſera omnium ordinum confuſio, belliq; ciuilis funeſti exitus ſubſequuti fuiſſent: id enim regno ſæpe, ꝙ alii vix vlli rei accidit, vt quod imperium ſcilicet ſub vno ſtare poſſet, dum à pluribus ſuſtinetur ruat [2]. Sed hæc relinquo, vt cumulatè tibi in eo quod deſideras ex ipſo Ariſtotele ſatisfaciam.

Hoc regnum Polonicum admiſſa iterum & admiſta Ariſtocratia deſiit tandẽ eſſe verè regnũ, licet nomen adhuc retineat.

1 Ioan. Hertburt. l. 2. c. 3. & 4.

2 Q. Curt. lib. 10.

Rationes igitur illas, quas Ariſtotelicas dicis, fallaces eſſe, & Ariſtoteli improbatas, vel ipſummet Ariſtotelẽ ſibi contradicere, ſecumq; pugnare neceſſe eſt. Nam ſi verum eſt multitudinẽ acutius proſpicere & prouidere, ac rectius etiam ſubtiliuſq; de rebus omnibus iudicare, quàm vnum ali-

aliquem quiſquis ille ſit: corrumpi præterea difficiliùs atque illis animi perturbationib. vinci quæ ſingulos ad peccandum commouent, iis haud dubiò conſequẽs erit, quod iſti volunt, dominationem multorum regiâ præſtãtiorem vtilioremque eſſe. At hoc certè negat Ariſtoteles, dum eius contrarium manifeſtò aſſerit [1]. Ait enim tres eſſe bonæ Reipublicæ ſpecies, Monarchiam ſcilicet, Ariſtocratiam, & Timocratiam (à qua parum abeſt Democratia) moxque ſubiungit, *harum omnium optima eſt regia poteſtas, peſſima verò Timocratia:* ex quo planum eſt, argumenta illa, quibus Monarchiam Ariſtocratię vel Timocratiæ poſthabitam volunt, nunquam Ariſtotelis teſtimonio laudata eſſe, mirumque adeò quod propoſita à ſe non illico diluerit, ni fortè leuiora iudicauit quàm in quibus refutandis operam collocaret: certè conſtat Ariſtotelem nullibi minus quàm in politicis vim ingenii exercuiſſe. BOVT. Liberaſti fidem, & effeciſti vt me tibi habeas aſſenſorem. Sed ecce ſint iſta licet vt dicis, tamen valebunt tantùm ad regalis imperii excellentiam præſtantiamque demonſtrãdam, vbi eius cum plurium regimine inciderit comparatio: & propterea quis eorum vſus eſſe poſſit in hac tua cum Buchanano controuerſia non ſatis intelligo. Ille enim non tolli prorſus aut aboleri regiam poteſtatem aut aliis inferiorem iudicari cupit: ſed multorum conſilio, qui in partem laboris acciti onus gubernandi ſuſtentent, iuuandam eam & muniendam eſſe cenſet. BARC. At hoc ipſum nihil eſt aliud, niſi forte non animaduertis, quàm ſuo Regem imperio ſpoliare, & ius dominandi illi ademptum in eoſdem gubernandi ſocios transferre. BOVT. Quid ego audio? Principi hoc ipſo auelli imperium, quod conſiliarios & adminiſtros rei gerendæ ſibi aſciſcat? Vereor ne iſtam ſententiam, ſi palàm exeat, oderint & perhorreſcant omnes, quò enim tot ſenatus & curiæ, tot prouinciarum rectores, tot belli duces, tot celebres denique omnium ordinum conuentus. & ex ordinibus ſapientiſſimi, quibuſcum Princeps quotidie ſeria & arcana omnia communicat? num tu iſtis auxiliis regiam poteſtatẽ minui putas? BARC. Nequaquam: quinimò plurimum ornari iis atque defendi aſſero [2], eſſeque ad Rempublicam gubernandam apprimè neceſſaria, dummodo talia ſint, quæ Regi pareant, non quæ imperent: quæque non ineundi ſuffragii, aut ſententiæ dicendæ ſociũ, ſed potius publici concilii domi-

[1] lib. 8. Eth. cap. 10.

[2] ſupra. Pag. 41.

num eum & Principem agnoſcant. Etenim profectò fateri oportet ingenuè quod res eſt, & cuius contrarium nemo niſi mentis prorſus & rationis inops tuebitur: regna & ciuitates tunc pulcherrimè ab vno aliquo Principe gubernari, cùm is ſibi peritos Reipublicæ adminiſtrandæ conſiliarios adhibet: nec vllum ferè ex tot retrò ſeculorum memoria Principem vel rebus bello geſtis clarum, vel ciuilis diſpenſationis moderatione charum reperiri, qui Rempublicam ipſe per ſe gerere ſemper voluerit, nullas in rebus magnis & memoriâ dignis aliorum ſententias exquirens. Itaque ſi Philoni [1] credimus, factum illud Moyſis [2], de eligendis ſibi vicariis qui minora negocia tractarent, in ſacra volumina relatum eſt, vt haberent quod imitarentur poſterorum Principes, & eius exemplo aſſumăt ſibi ſpectatæ prudentiæ & iuſtitiæ viros, timentes Deum, atque ab omni auaritia & ambitione alienos, quorum conſilio & operâ ingens illud onus regiæ ſolicitudinis ſubleuetur. Rectè igitur Lucas de Penna [3]. *Licet Princeps habeat plenitudinem poteſtatis, melius tamen faciet circa regimen Reip. ſi eius onera cum aliis partiatur* [4]. *Non eſt enim facile vnum proſpicere multa. Oportebit igitur multos eſſe Principes conſtitutos ſub ipſo ſcilicet Principe*. Quapropter cernere licet in ipſis rerumpublicarum primordiis, Reges deligere ſibi ſolitos ſenatū aliquem, tum ad minuendam curam & ſolicitudinem, quę in regno ritè moderando ſumma eſt, tum vt rebus arduis deliberandis gerendiſque adiutores haberent. His ſine perrarò, aut nunquam ſolebant priſci illi Reges alicuius momenti negocium peragere. Itaque Agamemnonem inducit Homerus concilio ſemper conuocato de ſummâ rerum ſtatuentem.

1 Lib. de crea. Principis.
2 Exo. c. 18.
3 Ad. l. cõtra. nu. 6. C. de re milita. lib. 12.
4 Cap. mandata de præſumpt.

Βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων.

Inquit [5], quinetiam veterem illam Regum in capiendis conſiliis conſuetudinem ſacra nobis ſcriptura certiore teſtimonio indicat. *Iratus Rex*, inquit [6], *& nimio furore ſuccenſus, interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio*. Atque vtinam pari ſtudio noſtri ſæculi Principes populis ſibi commiſſis imperarent, & nullas ſine prudentium conſilio rei bene gerendæ occaſiones dirigerent: rarius profectò, in Deum & Remp. peccaretur. Nam ſimul atque incipiunt Reges ſenatus authoritatem minuere, ordinum conuentus negligere, deliberationibus & conſultationibus ſapientum ſua anteferre iudicia,

5 Iliad. β.
6 Eſth. c. 1.

dicia, excluſis denique primoribus regni incorruptis, obſcuro loco natos & quos virtus & veritas oderunt ad ſummos honores prouehere omnia fatis

In peius ruere, & retrò ſublapſa referri. Virg.lib.1. Geor.

Eſt tamen, prô Deus immortalis, hoc vitium Principibus nimis familiare, qui dum amplitudinẽ maieſtatis ſuæ ſtultâ quadã affectatione conſeruare cupiunt, ſuo ſolùm conſilio niti ſuoque iudicio Rempublicam gubernare ſolent: quaſi verò conſiliorum communicatio regni conſortium inducat, aut adminiſtrorũ ſagax cura Regiæ prudentiæ lucis aliquid ac ſplendoris detrahat: cùm contrà tamen ac illi putãt, perpetuò eueniat. Etenim vel hoc ipſo Rex ſapiẽs iudicatur, quod in ſapientum monitis & conſiliis acquieſcat: ac penè fatuus & furibundus, ſi ſpretis hiſce, tanquam ſi ei ſoli natura mentem largita ſit, cuncta moderetur. Quę res ferè ſola Carolum Burgundum, Principem alioqui vita dignum longiore, non ita pridem immatura morte ad interitum traxit [1]. Et verò ingens gloriæ acceſſio Regibus eſt ex ſapientum cõſeſſu, quòd quæ in conſiliis celebres ſapienteſque ſententiæ dicuntur, licet ab aliis profectæ, ipſis ſemper Principibus aſcribi ſoleant: quaſi inuentorem priuatum, authorem Principem habeant. Itaque Polybius in narratione rerum geſtarum à Philippo Demetrii filio Macedonum Rege adhuc puero: *Poſt omnes*, inquit [2], *Rex ſententiam dixit, ſi tamen Regis fuiſſe eam ſententiam putandum eſt. Neq; enim veriſimile videtur puerum qui vix decimumſeptimum ætatis annum exceſſiſſet, de talibus, tantisq; rebus potuiſſe iudicare. Sed ſcriptorem hiſtoriæ decet, firmatas in conciliis ſententias, Principibus tribuere, quorum nutu omnia gubernantur.* Hoc idem tamen vitium, ne noſtrâ id ætate primùm extitiſſe putes, Dionyſius Halicarnaſſeus ſui ſeculi Principib⁹ exprobrat [3]. *Reges*, inquit, *qui hæreditarium principatum inibant, & qui à populo præficiebantur, conſilium habebant ex optimatibus, neque, vt fit noſtro ſeculo, veteres illi Reges ex animi ſui tantùm ſententiâ poteſtatem exercebant.*

1 Phil.Commin.

2 Lib.2.

3 Lib.2.

Vides quãtum ego Senatui, quantum ordinibus regni, quantum cõſiliariis tribuam, ſine quibus haudquaquam benè adminiſtrari poſſe Imperium arbitror. Bovt. Rectè tu quidem iſthuc: ſed cùm id ita ſtatuis, nunquid in aduerſarii tui ſententiam tranſis, qui nihil à Regibus ſine conſilio tentandum ſtatuit? Barc. Minimè quidem: ego enim

cùm iſtos Regi conſiliarios adhibeo, nihil eius libertati dettactum volo, nullam ei patendi neceſſitatem impono: conſiliis eũ & tantùm auxiliis inſtruo, quæ Regẽ ſemper & dominum agnoſcant, & ſi cum pertinace ingenio confli-ctandum eſſe viderint, precibus flectere, non minis frangere conentur. At ille multum diſſimili ratione conſiliarios Regibus adiungit. Monarchia enim Buchanani, ingeſtis Principi vt ille vult conſiliariis, verè oligarchia eſt, aut ſi propius intueamur, Democratia: idque ni moleſtum tibi fuerit, breui momento patefaciam. BOVT. Moleſtum? imò quidem volupe.

BARC. Primùm ſcis illum tantis Reges anguſtiis concludere, vt non liberè, ſed ad populi præſcriptum & voluntatem imperent: vbi enim longa diſputatione Regem legibus, vt quemuis è populo, ſubiiciendum tradidit, tandem, velut de hoſte triumphans, hanc ad verbum à victo confeſſionem extorquet [1]. *Agnoſco ſententiam & veris vincor. Quando igitur Regem ſoluere legibus non licet, quis tandem erit legislator, quem ei tanquam Pædagogum dabimus?* Cui ille, omnem legum ferendarum poteſtatem penes populum eſſe docens, paucis interiectis in hunc modum reſpondet. *Neminem ego ei dominum impono. Sed populo, qui ei imperiũ in ſe dedit licere volo, vt eius imperii modũ ei præſcribat: eoque iure quod populus in ſe dederit, vt Rex vtatur poſtulo.* Et rurſus paulò poſt quoniam totius populi conuocationem difficilem eſſe & inutilem negare non auſus eſt, ne eo vrgeretur incommodo, *ego*, inquit, *nunquam exiſtimaui vniuerſi populi iudicio eam rem permitti debere: ſed vt propè ad conſuetudinem noſtram, ex omnibus ordinibus ſelecti ad Regem in conſilium coirent. Deinde vbi apud eos προβούλευμα factum eſſet, ad populi iudicium deferretur.* Eho fidem hic tuam atque iudicium imploro Boutelleri, per Deum narra, num quod ineptius publici regiminis ſyntagma ab homine noſtræ ætatis ſano & ſecum conſtante proditum diceris. Aut enim Ariſtotelicas [2] commiſtiones confuſioneſque Rerump. (quas ratio & rerum vſus atque experientia vel nullas vel valde nocuas eſſe docet) in regna bene conſtituta loco Monarchiæ inducere conatur, aut ſi ſimplicem aliquam Reipublicæ formam animo concipit, eam certè ita obſcurè & diſſimulanter nobis proponit, vt quam ex omnibus velit obtinere, ne ipſum quidem

1 Pag. 51.

2 lib. 2. ca. 4. & lib. 4. ca. 9. Polit.

Digitized by Google

dem Apollinem ex ſuo tripode aureo diuinare potuiſſe arbitrer. Nam regnum eſſe & regiam poteſtatem, Regis illud quod ſemper prætendit nomen præ ſe fert: cui cùm nihil de regni negociis ſtatuere, niſi ex magnatum ſententia conceditur, paucorum hic meritò cenſeri principatus debet. Cùmque nec horum quidem conſenſio vim vllam habeat donec populi iudicio fuerit confirmata, quis non videt ſummum populi imperium hac ratione ſtabiliri: Illud autem miror qua fronte adſcripſeris, *Sed vt prope ad conſuetudinem noſtram*, id eſt, Scotorum: cùm nihil vnquam à Scoticæ gentis moribus longius abſuerit. nunquam enim auditum eſt ab eius regni conditu decreta Regis ex procerum conſenſione facta ſuffragiis populi eguiſſe. Bovt. Rem certè abſurdam mihi narras, eoque magis, quod primùm dicat ſe non exiſtimare rem populi iudicio committi debere, mox deinde rem ad populi iudicium deferendam: quorum contradictione moueor deque ea aliquid abs te audire cupio. Barc. Opportunè quidem: inde enim non parum deprehendes quorſum omnes eius conatus euadant.

Scis, opinor, cuiuſmodi fuerit Reipublicæ ſtatus Romę, poſt Tribunitiam poteſtatem conſtitutam, & lege Hortenſiâ auctam. Bovt. Nempe popularis, debilitatâ iam fractaque per Tribunorum interceſſionem Senatus authoritate: qui vel ipſos conſules & Cenſores in vincula coniicere auſi ſunt. Idque poteſtatis D. Curiatius, homo omnium infimus & ſordidiſſimus, Tribunus plebis, in D. Brutum & P. Scipionem Coſſ. [1] aliique Tribuni plebis in L. Licinium Lucullum & Aul. Poſthumium Coſſ. [2] L. Flauius Trib. pleb. in Metellũ Coſſ. [3] & P. Sempronius in Appium Claudium Cenſorem [4] exercuiſſe fertur. Barc. Scis etiam quem in legibus ferendis modum, ii quibus togãdæ legis ius erat, vtplurimùm obſeruarũt. Bovt. Scire mihi videor. Primùm enim is qui legem laturus erat, eam domi ſcriptam cum amicis & peritioribus communicabat: quã vbi è Republ. eſſe intellexiſſet, de ea ad Senatum referebat, vt eius conſilio & authoritate promulgaretur, exceptis ſeditioſis magiſtratibus, qui ſpreto Senatu leges aliquando rogabant: promulgatam deinde populus poſt totum trinũdinum arbitratu ſuo vel approbabat vel antiquabat: ita multitudo nullis niſi quas ipſa ſancierat legib⁹ tenebatur.

1 Cic. lib. 3. de legib.
2 Flor. Epit. 48.
3 Dio Caſſ. li. 37.
4 Liu. lib. 9.

Barc. Diſtinctè & ſuccinctè complexus es ea ex quibus Bucchanano quis animus ſit & quis ſcopus facilè dignoſces. Confer igitur hunc iubendarum legum morem, cum illius opinione de legibus ſub Regum dominatione condendis, & vel inuitus fatebere, Reges & Monarchas omnes eodem ordine & loco habitos ab eo, quo fuerunt Romæ conſules & Prætores: vt ſi legem Rex ferre velit, eam communicet prius cum multitudine ſelectorum ex omnibus ordinibus qui Senatus inſtar erunt, deinde ſi viſum eſt id inuentum populo expedire, horum authoritate promulgetur: hoc eſt, vt ille ait, ad populi iudicium deferatur, quo probante iubentèque vim legis ſortietur quod antè tantùm erat προβούλευμα. Non igitur Rex, non Senatus, non optimates, nec ſi omnes conſenſerint, legem in Buchanani Republica ferre poſſunt: tantùm illis προβουλεύματα facere licet, quæ vbi populo placuerint, fient leges. Quid me intueris: annon vides, quàm in anguſtum contrahat non Regis modò (cui Regium quicquid eſt aufert) ſed procerum & magnatum omnium poteſtatem? ecqua tibi hæc videtur alia Reipublicæ ſpecies, quàm quæ ſæpius iam nominata eſt democratia? Bovt. Ratione cogis me hic quod non cogitabam credere. Verumtamen putáſne eum tam Regibus eſſe iniquum, vt his annuos magiſtratus Romanos poteſtate exæquet? Barc. Imò Reges illis inferiores facit. Sed ordo huius diſputationis id hoc loco non patitur demonſtrari.

Vt cœpta igitur proſequamur, finge plures ex Buchanani ſententia Regi à conſiliis adeſſe, vt id demũ in publicis negotiis ratum ſit, quod horum conſenſu fuerit decretum: Regis hîc quæ erunt partes? Bovt. Sciſcere quæcunq; à prudentioribus ſuggeſta expedire compererit. Barc. Hoc autẽ qui faciat velim explices. Cùm enim tanta ferè ingeniorum quanta facierum in hominibus varietas & diſſimilitudo exiſtat, difficillimũ erit multos inuenire, qui in eâdem ſimul omnes opinione ſemper acquieſcant, ac non in diuerſas potius ſententias diſtrahantur: atque ita eueniet aliquando vt rebus arduis in deliberationem cadentibus, conſiliariorum pars hoc, pars illud Regi ſuadeat: quid igitur hîc ei faciendum cenſes? Bovt. Non eſt obſcurũ: maioris nempe partis nitetur ſuffragiis: id enim cùm rationi tum iuri veſtro ciuili conſentaneum eſt, quo factum à maiore parte curiæ perinde habetur, ac ſi id omnes egiſſent [1].

[1] L. quod maior. 19. ad Municip. l. aliud. 160. de reg. iur.

Barc.

BARC. Papæ nũquid perſpicis omnem Regi hoc pacto adimi poteſtatem? poſitum ſiquidem eſt adhibendos in conſilium plures ſine quibus publicum nihil peragatur, & maioris etiam partis ſequendam ſententiam. Quid igitur reliquum eſt niſi vt Rex aſſentiatur? quid ſi nolit aſſentiri? non rata erunt, dices, quæ ab Ephoris acta ſunt, ergo nũ omnia ex ipſorum ſententia gerentur, cùm quod illi volunt nolẽte Rege, non habeat locum. At non hoc forte dicturus es. Quid ergo? Nihil Regis voluntatem obſtare, quo minus horum προβουλεύματι ſua cõſtet authoritas, ſi modo id maiori conſiliariorum parti placuerit. Quò igitur regia poteſtas? quo inane hoc & ſine viribus nomen? ſi inuito Rege id liceat, licebit & neſciente: nec etiam deſiderabitur abſens, qui præſens renitendo non proficiet hilum, poterit & Rex furioſus eſſe, quod licet verum ſit, ille tamen minimè admittit. Nec quicquam intererit ſtolidúſne & inſanus, an verò gnarus, & prudens rerum omnium ſit, qui regio nomine titulóque inſignitur: æquè enim hic vt ille multitudinis libidini inſeruiet: niſi in eo fortè ſagacem inſano præſtare dixerit, quod hic diſceptantes non intelligere, nedum benè decernentibus aſſentiri poſſit. Ille verò & perperam dicta reprehendere, & ſapienter laudare, & ſui quẽmque officii admonere, poſtremò vbi quid cęteris acutiùs animaduerterit, ratione cum omnibus agere vt veram & Reipublicæ profuturam ſententiam amplectantur. Aut idcirco non valere ſcitũ abſente Rege factum, quia is præſens aliis aliud ſtatuendi author eſſe potuit [1]. At hæc tamen quid Regem à quolibet conſiliariorum ſecernunt? nonne itidem ſingulis ſuam dicere ſententiam, & eam ſi poterunt, cæteris perſuadere fas eſt? At ſinguli cæteros cogere non poſſunt dices. neque Rex etiam poterit, alioqui non libera erunt ſuffragia. Quid reliquum igitur eſt, niſi vt Rex dicis cauſa in cætum conſultantium introducatur? Equidem non ſatis aſſequi coniectura poſſum quæ Regi partes in hac Republica conueniant, niſi eæ ſint, quas mens nunc mihi ſuggerit. Dabit nempe Regibus (ne nihil ſibi relictum queratur) eam in concionibus dignitatem, quam vel inter arbitros habet, qui tertius, quintus, aut numero quouis ſimili velut moderator ſuperiórque electus eſt: vt ſi æquales vtrinque diſſentientium partes ſint, ea obtineat, in quam ſuo Rex ſuffragio propenderit: vel eam fortè quam incuria præſes, in cænobio Prior, in collegio is habet quem vulgò Decanũ

[1] L. Item. 27. §. Celſus. D. de recept. qui arb.

vocant, vt concilii vocandi, & comitiorum habendorum author ſit, in quibus vbi quid animi habet expoſuerit, quemlibet vnum authoritate vincat. O Principes terque quaterque beatos, quos iſta Buchananus libertate atque honore dignatus eſt: grauiora metuebam, ac tantùm non cætu & ciuitate pellendos expectaui. Rides, at ſeriò loquor: nam id eum animi habere pòſt ex Bruto didici, qui magiſtratus omnes vrbanos & prouinciales regii imperii conſortes eſſe tradit, & hoc tantùm à Rege differre, quòd hic quaſi præſes inter eos ſedeat primo loco, quorum ſententiis ni libens acquieuerit parere cogatur. Ipſa eius verba, piis licet & probis auribus indigna, ſubiiciam. Is itaque Regem primùm contemptus cauſa, regni officiarium appellat, ac eum deinde cum magiſtratibus, quos regni etiam officiarios vocat componens ita fatur [1]. *Hi Regis in iure dicundo veluti aſſeſſores, regii imperii conſortes, adeo vt omnes quidem illi Rempublicam adminiſtrare teneantur non ſecus ac Rex: is tamen inter eos quaſi præſes primum tantùm locum teneat: vt verò populus vniuerſus Rege ſuperior eſt, ita etiam hi, etſi ſinguli Rege inferiores ſint, vniuerſi tamen ſuperiores cenſendi ſunt.*

Quæſt. 3. pag. 89.

Hæc eo retuli, vt intelligas quo loco iſtiuſmodi ſectæ homines Reges ſuos habere ſoleant: quorum cor inſipiens ita eſt obſcuratum, vt non probent Deum habere in notitia, ac proinde traditi ſunt in reprobum ſenſum; repleti omni iniquitate & malitia, ſuperbi, elati, contumelioſi; inuentores malorum, inſipientes, incompoſiti, ſine fœdere aut affectione erga Deum & homines, id vnum affectantes, vt, quod proprium eſt ſuperborum, ſuperiorem non habeant: & ſicut Eccleſiaſtici ordinis principem, velut ignominioſi deſertores, iampridem abnegarunt: ita Reges, quos Deus ciuilium munerum diſpenſatores conſtituit, hoc nouo ſtratagemate illudant: inter hos Brutus æquè ac Buchananus præ cæteris impuratus eſt & ſceleſtus, cuius os infame & mendax conuitiis neutiquam ſat multis cædi poteſt.

Sed demus illis quod optant, & animi gratia fateamur aſſeſſores iſtos regalis imperii conſortes eſſe, & vniuerſos Rege ſuperiores (quod falſum tamen eſſe infrà planiſſimè demonſtrabitur) qui poterunt, hoc ſemel admiſſo, monarchiam ab ariſtocratia aut democratia ſeparare? aut ſi numero, non authoritate dicentium, ſententias metiātur

ea effu-

ea effugere atque vitare incommoda, quæ popularem gubernationem euertunt? eueniet ſiquidem non rarò vt (quēadmodum dixi) in deliberationū diſſenſu, pars maior melioris ſententiam explodat. BOVT. Equidem non ſuſpicabar eos tam inhumaniter & parum piè cum Regibus agere velle, vt non maiorem multò ipſis quàm aſſeſſorum pluribus authoritatem tribuant: ſed velle potius vt Rex auditis omnium ſententiis, quod æquius melius eſt ex ſanioris partis opinione ſtatuat: quem morem Alexander Imperator obſeruaſſe fertur [1]: qui adhibitis in conſilio viginti iuriſperitis, aliiſque viris diſertiſſimis non minus quinquaginta, nullam niſi iis auditis ſacrauit conſtitutionem, *dato etiam ſpatio ad diſquirendum cogitandúmque priuſquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus*. BAR. Id iſti ſi ſtatuiſſent, ratione fortaſſis aliquâ orationem cōfirmaſſent, quaſi non omnem licentiam libertatémq; Regibus præcidere conarentur: atque etiam regnum ab aliis Reipublicæ formis hoc ſaltem diſcrimine ſeiunxiſſent: quòd cùm non fecerint, nec regnum nec Rempub. attigere: hanc enim Regis nomen appoſitum, illud regia poteſtas adempta peruertit.

1 Ælius Lāprid. in vita Alexan.

Sed quoniam rectè tibi viſum eſt Regis eſſe in omnium ſententias inquirere, & optimam ac Reipub. maximè ſalutarem ſuo decreto confirmare: peto à te, optima ſententia quî cognoſcetur? BOVT. Multæ ſunt coniecturæ, multa indicia, quæ tum imprudentiam, tum commotiones animorum & affectiones plerumque detegunt, vt homini earum perturbationum vacuo & diligenti non difficile fuerit quæ optima ſit inueſtigare. BARC. Neque planus hic eſt, neque perfectus inueſtigandi modus; nam qui prudentes & ſedati habentur, ſententiis nonnunquam & rationibus pugnant. Sed eſto, errorem ab aliquo deprehendi poſſe: cui huius rei iudicium committes? Non enim conſultis ipſis, qui ſententiam rogati ſunt, tribui poteſt, ne ex vna diſſenſione plures oriantur. Neque enim credibile eſt eos, qui initiò citra reprehenſionem conſpirare potuerunt, poſtea, cùm id ſine aliqua inconſtantiæ nota & hominum de ſe opinionis deminutione nequeunt, in contrariam ſententiam facturos diſceſſionem. Nam obſtat primùm commune illud nobilitatis malum ſuperbia [2]: deinde ingenita hominibus ad diſſentiendum procliuitas quædam, & animi altitudo quæ quiduis libētius vel inimi-

2 Saluſt. de bello Iugurt. Velleius Paterc. li. 2.

cis

eis concedit, quàm de ingenio victoriam amiciſſimis.

Aurum, & opes, & rura, frequens donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Bovт. Quid ſi has Regi partes demus? mihi certè videntur ei multùm conuenienter tribui: non enim animaduerto quî poterint alia ratione componi diſſenſiones eiuſmodi, quæ inter viros graues de Republica conſultantes oriri ſolent: nam neque aleâ & ſorte dirimi debent tantæ controuerſiæ, ex quarum fine populi ſalus pendet (licet in priuatis negociis locus iis ſit [1]) nec, ſi cum ſuperiore oratione volumus conſentire, multitudinis ſemper iudicio ſtãdum eſt? [2] Barc. Hoc Regi ſi conceſſeris, omnem ei, qua ſpoliatus ab iſtis eſt, velis nolis, poteſtatem reſtitues: ac tantam certè, quanta, ſi optio daretur, maiorem non expeteret. nam ſi ea iudicandi libertate fruatur, illam ſemper ſententiam optimam eſſe cenſebit quæ ſibi maximè arrideat, atque ita eius ſolius nutu publica, priuata, ciuilia, militaria omnia dirigẽtur; quippe cui liberum eſt in quam velit partem inclinare: nunquam enim deerunt ex conſiliariis nonnulli, qui quod Regi gratius fore intellexerint libẽter pronuncient. Aut igitur ariſtocratia, vel democratia ſit, aut anarchia (ad quam iſti citiſſimè tendunt, licet id prima ſpecie minimè videatur) aut habenas Reipub. Princeps liberè moderetur neceſſe eſt. Si enim de aliorum ſententiis iudicandi facultatem ei detrahamus, res omnes, vt in populari gubernatione, maioris partis ſuffragio decidentur; ſin eam ei conceſſerimus, quæcunque ſunt regiæ libertatis reliqua facillimè conſequetur. Hæc vbi dixiſſem ad cœnam vocati conceſſimus in triclinium, ibi, omiſſis ſeriis, hilari & conuiuali colloquio reliquum lucis cum ipſo Principe, adhuc puero, tranſegimus.

1 L. Si quæ. 5. D. fam. hercisc. l. vlt.
2 Communia de leg. l. Sed cum. 14. D. de iud.

FINIS LIBRI PRIMI.

GVIL.

GVIL. BARCLAII I.C. DE REGNO ET REGALI POTESTATE aduerſus Monarchomachos, liber ſecundus, in Buchananum poſterior.

POSTERO mane cùm nos ad abitionẽ compoſitos ante ſolis ortum vidiſſet Boutellerius: quorſum hæc feſtinatio? inquit, non patiar vos abſcedere ieiunos. te verò (me autem intuebatur) parum abeſt quin retineam, dum aliquid adhuc de Regibus audiero: quos ex ergaſtulis Buchananicis in lucem & libertatem educere, atque ſupra omnes magiſtratus extollere heſterno ſermone conatus es. BARC. Num ſatis non eſt, paritum tibi eſſe heri: vis nobis huius quoque diei moram iniicere? BOVT. Nequaquam abire ſino, ſed tantiſper dum paratur ientaculum indulge nonnihil amici deſiderio, & progreſſum lõgius de regno & Regibus ſermonem proſequere mecũ parumper, eum vbi volueris abrupturus. BARC. Deſine ad ientandum hortari: certum enim nobis eſt non eſſe, priuſquam ad D. Nicolai fanum ſacris & ſupplicationibus interſimus. Horam tamen vnam aut alteram, quoniam ita vis, & per ſolſtitialis diei longitudinẽ licet, huic colloquio libens impertiar: ea lege vt prius ipſe dicas qualiter affectũ animo te heri dimiſerim. BOVT. Erga te quidem optimè. BARC. De ea re nec dubito nec diſputo. Sed erga Reges? BOVT. Vt hominem & iis antea beneuolum, & argumentis ac rationibus à te allatis beneuolentiorem factum: quibus perſuaſiſti penitus vt credam eos liberos omninò, hoc eſt nullis conſiliariorum ſententiis aſtrictos, eſſe oportere: non quòd regiæ maieſtatis amplitudo perſpicaci conſultorum prudentia non plurimùm adiuuetur: ſed quòd admiſſis in conſilium aliis, quibus ea parendi lege obnoxii ſint, monarchiæ nomen & vim omnem tolli quam-

quamprimum & aboleri neceſſe ſit. Itaque longè aliter Regibus & cæteris Monarchis conſiliarios adeſſe, atque Conſulibus ſenatores, aut aſſeſſores præſidibus exiſtimarem: hi enim patrum ſententiis alligantur, illi ſuorum in rebus arduis deliberationes exquirunt, quas ſequi, niſi velint, non habent neceſſe. Nec eſt quod quiſquam eo pacto conſiliarios incaſſum adhiberi dicat, quaſi *fruſtra iubeatur quod in arbitrio eius ponitur cui iuſſum eſt* [1], nam id licet in obligationibus locum habeat, quæ ſub hac conditione, *ſi volam*, minimè contrahuntur [2] (& nos hîc nullam contrahi aſſerimus) in hac re tamen & aliis multis, arbitrii libertas non impedit vtilitatem: cùm nemo niſi ad extremum perditus, bonum conſilium ſciens prudens aſpernetur. Et verò quantas nobis commoditates conſilia afferant amicorum, quamuis iis non aſtringamur, vnuſquiſque non aliũde quàm à ſemetipſo teſtimonium petat: ecquis enim grauioribus curis atque negotiis implicatus, non maximum ſibi retur in conſiliis amicorum poſitum eſſe adiumẽtum? quorum ſequi tamen ſententias in conſultotis cuiuſque ſitum eſt poteſtate. Cuius rei causâ quoties alicui quid cum aliorum conſilio peragendum committitur, aduocaſſe cõſilium & ſententias rogaſſe ſat eſt, vt iis auditis ex animi ſui ſententiâ negotium exequatur is qui mandatum recepit, ni forte omnes eiuſdem officii participes fuerint, vt pontificiis reſcriptis eſt conſtitutũ [3]. Reprehenditur Xerxes, nec iniuriâ, quòd cõuocatis Aſiæ Principibus, bellum indicturus Græciæ, *ne viderer, inquit, meo tantummodo vſus conſilio, vos contraxi. Cæterum mementote parendum magis vobis quàm ſuadendum* [4]. Reprehenditur, inquam, quia iure ſuo inſolẽter abuſus eſt: tametſi enim ius faſq; ei eſſet in tot populos dominari: tamen cùm res tanti momenti ageretur in cuius ancipiti euentu totum Perſarum imperium erat periclitãdum, non capere conſilium, nec viris prudentib. principibúſq; aurem præbere & auſcultare, hominis fuiſſe, non ſolùm inſolentis & temerarii, ſed prorſus veſani, & Regis inprimis peruerſi iudicandum eſt. Fecit itaque meo iudicio quod potuit Xerxes, non quod debuit; & propterea in eam meritò reprehenſionem incidit, qua & ſuperiorum temporum, & noſtræ ætatis Principes aliquot digni ſunt. BARC. Rectè cenſes, atque optimam in medium diſtinctionẽ profers, quæ quòd a nonnullis neglecta, ab aliis non intellecta iacet, denſiſſimam in hoc diſputationis genere caliginem

diſpu-

1 S. Hieron. lib. 1. aduer. Iouin.
2 L. Sub hac D. de obl. & act.
3 Cap. cum in veteri. 52. de elect. cap. cũ olim. 7. & ibi Panorm. nu. 5. de arbit.
4 Valer. Max. li. 9. cap. 5.

diſputantibus offundit. Cùm enim tranſlatitium ſit & peruulgare, poſſe hominem multa quæ non debet: id iſti tamē in Principum rebus geſtis non diſcernentes, nihil Regum potentiæ concedunt, quod priuatorum impotentiæ denegatur. Inde factum, vt cùm noſtras ille in Regum libertatē acrius inueheretur, & argumento ex ſacris Bibliis ſe premi animaduerteret, eò, ſiue inſcitiâ, ſiue malitiâ delapſus ſit, vt tyrannum non Regem à Iudæis fuiſſe petitum cōtendat [1], eóque legem regni in primo Regum libro deſcriptam nequicquam ad Regem pertinere: quaſi Deus ibi per Samuelem, non Regum (vt ille vocat) legitimorum iura, ſed tyrannorum iniurias populo exponeret: hac vna ſolùm de cauſa vt terror iniectus vniuerſos à Rege expetendo auerteret. BOVT. Probabilis hæc videtur interpretatio; quam, ne ſolius Buchanani commentū id eſſe putes, magnus ille Theologus D. Thomas amplecti videtur [2], eóq; magis arridet quòd (vt idem Buchananus ait) Regum iura multo ante præſcripta fuerint à Moyſe, contraria prorſus iis quæ à Samuele recenſentur [3] quod idem quoque Ioan. Gerſonem, magni nominis ſuo ſeculo Theologum, alicubi affirmaſſe video. [4] BAR. Fallacem tamen nihilominus eam eſſe, ac à mente S. Thomæ, atque etiam à veritate alienam hîc facile demōſtrarem, ni id inſtitutæ diſputationis ordinem interſecaret, adque alia feſtinantes moraretur. BOVT. Iſtas apage excuſationes: planus enim hic eſt ad digreſſionem exitus, ipſáque per ſe quæſtio eſt eiuſmodi, cui nullus in hoc ſermone locus non eſt idoneus. Perge igitur, nec ſinas oblatam hanc rei controuerſæ agitandæ opportunitatem de manibus elabi: cupio enim ex te audire quibus illam ſententiam rationibus reprehendas. BARC. Primùm fallitur in eo Buchananus quòd tyrannum illic non Regem à populo petitum fuiſſe credat. Nam vt alia taceam multa quæ eius errorem arguunt, inficiari nemo poteſt talem à Deo datum, qualem populus poſtulauit: id enim ipſa ſcriptura docet. Dominus enim cùm Samuelem iuſſiſſet conteſtari filios Iſrael, & indicare iis quanta ex regio dominatu mala perpeſſuri eſſent nec ii tam ſalutaribus Prophetæ monitis aures patefeciſſent, ſed Regē inſtanter vno omnes ore flagitaſſent, dixit ei tandem, *audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regē* [5]: audire porrò vocē in diuinis literis, quid eſt aliud quam annuere poſtulatis? Conſtituit ergo Deus Regem eadē forma qua illi petierāt: quod ſi ita eſt, vt certè eſt,
non

1 Bucha. pag. 79
2 1. 2. q. 105. art. 1. ad 5.
3 Deut. c. 17.
4 Parte 4. Alphab. 60. lit. L Conſiderat. 8.
5 1. Reg. 8.

non tyrannum ſed Regem petiere. Nam Saul qui primus à Domino datus eſt, & eum proximè ſequutus Dauid, ſi tyranni ac non legitimi Reges dicantur, qui debeāt legitimi Reges appellari prorſus ignorō. Atenim in ipſorum inauguratione, & imperio in populum occupando aliquid fortè quod tyrannidem ſapit inueniri poteſt. Itane verò? Num ſuos fraude tribules circumueniunt? num terrent potētia? num ambitioſis flectunt largitionibus? nū gratia denique, & auræ popularis auxilio nixi viam ſibi ad regalis honoris faſtigium aperiunt? Nihil horum: ignari namque rerū quæ agerentur, & nec opinantes vncti ſunt, tenuis fortunæ homines, ſimplices, obſcuri, parere quàm imperare etiam tūc paratiores. At inuito populo obtruſi. Ne id quidem: *clamauit omnis populus, & ait viuat Rex* [1]. pauci diſſenſerunt filii Belial, quos cùm cętera multitudo eo nomine ad ſupplicium poſceret Regis lenitas meliori fortunæ reſeruauit [2]. Sed quid lucerna ipſo meridie opus eſt? quid interpretationem adhibere rebus claris? Nunquid tyrāni dici poſſunt quos Deus conſtituit Reges vt facerent iudicium & iuſtitiam [3]? cuiuſmodi fuerunt omnes qui Domino iubente Hebræis imperarunt. *Viuit Dominus*, inquit Salomon [4], *qui firmauit me & collocauit me ſuper ſolium Dauid patris mei.* Aut nunquid Deus tyrannidis author vel fautor exiſtimandus? qui quantum tyrannos aſpernetur paſſim per ſe ipſum & per Prophetas Regibus populiſque demonſtrat: abſit, abſit talibus vltionem diuinam blaſphemiis laceſſamus. Minatur Deus Salomoni [5] ruinam imperii, & ſceptri de domo Dauidis translationem, ſi legitima ſua mandata & iudicia neglexerit. Abſalonem verò & Adoniam affectantes tyrannidem, è veſtigio perdidit [6]. Ieroboam, Baaſan, Achab, cum ſua quemque domo ſtirpitùs euertit: eò quòd accepto ritè imperio flagitioſè abuterentur. Quod ſi vnctos à ſe & regali in ſolio collocatos ita auerſatus eſt Deus, cùm primum tyrannicis moribus ſeſe inquinauerāt, vt eos manifeſto cunctis diuinæ vindictæ exemplo deleret, quanto magis à concedendis conſtituendiſque initio tyrānis abhorruiſſe putandus eſt?

1 1. Reg. 10.
2 1. Reg. 11.
3 3. Reg. 10.
4 3. Reg. 2.
5 3. Reg. 9.
6 2. Reg. 18.
3. Reg. 1. & 2.

Sed ecce propius accedam, agamque cum eo ex iiſdem illis libris, vt cùm oſtendero & Regum legitimorum, & tyrannorum in iis fieri mentionem, atque hos ab illis apertè diſtingui, mendacium ipſius nullo negocio redargui poſſit. BOVT. Quid ais? in Scripturis alios Reges, alios tyrā-

nos

nos dici? id ſi monſtraueris facilè dignoſcetur vtri fuerint quos populus petierit dederitque initiò Dominus: ſed vereor vt commodè poſſis quandoquidem qui peſſimè regnarũt in ea gente video Regum nominibus perpetuò appellari. BARC. Regis quidem & regnandi verbum, vt fatear, in omnes vſurpatum, qui per fas aut nefas imperio in eum populum poſt regnum ſemel conſtitutum potiti ſunt. ita etiam, certè quod dixi, tyrannorum & Regum ex iiſdẽ libris peti poteſt diſtinctio. Res eſt tamen acriore iudicio pendenda quæ vt planius intelligatur, dic mihi, ſi places quotuplex tibi in vniuerſum ineundi regni via videtur? BOVT. Multiplex profectò, alios arma alios amor, alios diuitiæ, alios blanditiæ ad id honoris euehunt. Nec quiſquam hactenus extitit in eam ſpem erectior,

Qui non mille dolos mille & contexuit artes?

BARC. Nec ego id à te quæro, quibus modis viam ſibi homines ad eam dignitatem ſoleant patefacere: ſed quot in ſumma principatus obtinendi vias ſeu formulas eſſe iudicas? BOVT. Teneo. Sunt, ni fallor, quatuor. Aut enim ab inuitis expreſſum, aut à volentibus delatum, aut à maioribus iure ſanguinis, & naſcẽdi lege acceptum, aut (quod rarum eſt) extraordinario Dei beneficio datum imperium, quicunque regnat poſſidet. BARC. Nunquid hos omnes acquirendi modos eodem iure cenſes? BOVT. Minimè verò: qui enim in libera ciuitate ſubactam vi multitudinẽ in ſuam poteſtatem redigunt, tyranni paſſim iudicantur. Aſt quibus regna vel libero ciuium delectu offerri, vel generis propinquitate deferri contingit, ii ſanè Reges & ſunt & appellantur: eòque reſpexit Iul. Capitolinus, cùm Cæſares à tyrannis diſtinxit[1] BARC. Iam verò perpende totidem modis apud Hebræos regnatum fuiſſe iiſdem ex Scripturis colligi poſſe. Saul namq; Dauid Ieroboã. Iehu & alii nonnulli quorũ familię præ cęteris non ita erant illuſtres, Deum populumq; ſui imperii authores habuere[2]. Pleroſq; autẽ naturæ ordo & ius gentiũ in paterna regna ſuffecerũt: quoſdam denique malis artibus, & vi armata, in regale ſolium irrupiſſe legimus, quorum in numero fuere Zambri, Sellum, Phacee, aliique quos illa refert hiſtoria: quæ cũ ita ſint, nõne poſtremis hiſce tyrãni nomẽ rectè impertimus? BOVT. Equidẽ arbitrarer ſi eoſdem quoq; Scriptura Regũ titulis non efferret. BAR. Id vſitato loquendi genere accipiendũ eſt, quo Reges vulgò oẽs appellantur qui quo iure

1 In principio vitæ Macrini.

2 1. Reg. 10. & 16. ca. 1. 2. Reg. 5. 3. Reg. 1. 11. 12. 1. Paral. 28. 4. Re. 9.

Q quáve

Digitized by Google

quáve iniuria dominatū occupant, & regia dignitate fruũtur.[1] Sed tamen, ſi ſatis meminiſti, iidem tyranni etiã nonne, vt certo ac proprio vocabulo, deſignari ſolẽt: cuius differentiæ cum apud profanos ſcriptores aperta teſtimonia, tũ in iis ipſis ſacris annalib. nõ obſcura veſtigia inueniũt.

Nam quamuis permulti Regum, qui Iudæis vel à Deo dati, vel populi ſuffragiis electi vel naſcendi ſorte oblati fuerunt, ab optima regnandi via deflexerint, ac nullo non crudelitatis genere populum ſibi cõmiſſum auarè, ſuperbè, libidinosè oppreſſum tenuerint, eáque perpetrauerint omnia quæ ab immanibus tyrannis committuntur: tamẽ nemo eorum tyrannidis notatus, nemo tyrannus vocatus in ea hiſtoria legitur: idque admirabili quadam prouidentia, & diuini ſpiritus afflatu ab eorum librorũ authore perpetuò ſeruatum eſt: vt intelligamus Reges initiò legitimè conſtitutos, & potentatu ſubinde ſuo impotenter abutentes, neque multitudinis vindictæ ſubiici, neque cruentis ac nefariis ſingulorum telis obiici vt tyrannos poſſe. At in relatione rerum geſtarum ab iis qui imperium nullo iure ſibi debitum inuaſerunt, rebellii, tyrannidis, & coniurationis ſtatim fit mentio. Adhæc nemo priuatus quemquam illorum Regum iniuſſu Dei occidit, qui non acerbas flagitii ſui pœnas vindici coniurationis populo dederit: cùm horũ tamen cædes inulta ſemper fuerit, & aliquando etiã regno occupato, adque hæredem tranſmiſſo, velut mercede quadam ſtudii in Rempublicam nauati, compenſata. Qui ſe Saulem, quamuis derelictũ à Domino, occidiſſe faſſus eſt, nonne Dauidis iuſſu ſtatim confoditur, quòd auſus eſſet *mittere manum vt occideret Chriſtum Domini*[2]? Nec proderant ei quicquam illa ſiue commiſerationis ſiue neceſſitatis vela, quæ ſceleri ſuo prætendebat: quòd ſcilicet mortiferè vulneratum, quódque rogantem, ne viuus hoſtiũ petitus ludibrio incircumciſis eſſet, vt homo officioſus & Regi obſequentior interemiſſet. Sed & eiuſdem Dauidis mãdatu pœnas ſimiles pependerunt, qui Isboſeth filium Saulis, quem mortuo patre Abner Princeps militiæ cum toto exercitu Regem elegerat, inſidiosè occiderunt[3]. Nefaria verò Ioæ & Amonis cædes coniuratorum nece pariter expiata[4] eſt. Quid Elam prętereo filium Baaſę, patre nequiſſimo nequiorem? hunc cùm Zambri inſidiis petitum occidiſſet, ac ſeſe in regni ſolio collocaſſet, nonne tyrannus ſtatim habitus eſt? nonne cõiurationis & regni per ſcelus occupati

cupati

1 3. Reg. 16. 4. Reg. 15.

2 2. Reg. 1.

3 2. Reg. 4.

4 4. Re. 14. & 21. 2. Para. 33.

cupati ſupplicium intra paucos dies abominanda ſui internecione toti populo ſoluit? Nec vllus in ſacra Scriptura locus notatu dignior eſt, quantum ad præſens inſtitutum attinet: mos ſiquidem (vt noſti) eſt ei hiſtoriographo poſt narrationem rerum præcipuè geſtarum à Regibus, in fine vt adiiciat, reliqua ſermonum cuiuſque, & quæ fecerit, eſſe ſcripta in libro verborum dierum Regum Iſrael vel Iuda, ſed in relatione imperii Zambri addit præterea: ***reliqua autem ſermonum Zambri, & inſidiarum eius & tyrannidis, nonne hac ſcripta ſunt in libro verborum dierum Regum Iſrael***[1]? Quid hoc teſtimonio clarius? quid ad occludendum os aduerſariis dici aptius vel excogitari poteſt? Tyrannidis accuſatur Zambri: quid ita? num quia Elam Regem cum totâ domo & cognatione ſuſtulit? at Baaſa quoque tyrannus hac ratione dicetur, qui Nadab Rege cum integra ſtirpe Ieroboam occidione occiſis, regnum in ſuam familiam tranſtulit[2]. Dicetur & Iehu, qui Ioram Regem cum ſeptuaginta fratribus, & totam gentem regiam gladio extinxit[3]. At hæc credo non audent publicolæ iſti affirmare: nam vtrumq; Deo authore & adiutore cœptum eſt & peractum. Aut num ideo quia populũ nimia ſeruitute oppreſſit, & publica regni commoda ad priuatam vtilitatem trahens ſuperbè crudeliterq; imperauit? certè ne hoc quidem dici poteſt: ſiquidẽ vnam tantùm hebdomadam regnaſſe, inque Elam ſolùm & eius familiam ſæuiiſſe fertur. Num deniq; tyrannus Zãbri, quòd in deſperationem actus mortem ſibi cõſciuerit, & quas Regi eaſdẽ ſibi manus ſceleratas intulerit? At Saul etiam, haud abſimili agitatus furiâ, proprio ſe gladio confecit. Supereſt igitur, quod res eſt, tyrannidis & inſidiarum damnatum eſſe Zambri, quia ſeruus dominum, principem priuatus, ſubiectus Regẽ, Dei iniuſſu crudeliter occidit: & regnum ei per ſcelus ereptum tyrannicè occupauit. Pergamus porrò, & rurſus in eodem genere ius idem conſpiciamus. Mox vbi Zacharias poſtremus ex ſanguine Iehu, à Sello, cõiuratione facta, per inſidias occiſus memoratur: nónne id facinus pari nequitiæ elogio conſignatum eſt? Nam & is vno non amplius menſe ſceptro potitus eſt, & rebellionis ac tyrannidis pœnas à Manahen impunè interfectus perſoluit: cuius fini ſimiliter aſcriptum eſt, ***Reliqua autem verborũ Sellum & coniuratio eius per quam tetendit inſidias nonne hac ſcripta ſunt in libro ſermonum dierum Regum Iſrael?*** Quę cùm ita ſint, qs eſt tã obtuſo ingenio tãq; peruicaci animo

1 3.Reg.16.
2 3.Reg.15.
3 4.Reg.9.& 10.

Digitized by Google

qui ex his ſimilibus quæ ſacra illa hiſtoria cõtinentur, diſcrimen tyrannum inter & Regem nõ perſpicuè agnoſcat? cùm alter iure acceptum, alter vi ereptum imperium & ditionem teneat: cúmque alterius interfectori ſupplicia, alterius impunitas & præmia decernantur.

Vt igitur aliquid effici longiore hac narratione demonſtremus, reuertamur ad eum Buchanani locum, quem cœpimus reprehendere. Ait tyrannum, non Regem legitimũ, à Iudæis fuiſſe expetitum: at libri illi longè Regem à tyranno, vt vides, diſcernunt: nec Deus vnquam tyrannidis author vel fautor, niſi per blaſphemiam dici poteſt, qui talem tamen populo Hebræo Regem dedit qualem poſtulabat, vt eſt à nobis paulò antè certiſſima ratione demõſtratum. Quid quòd, ſi verum ſcribit Buchananus, Chriſtus Saluator noſter Rex Regum, à nullo Rege ſecundum carnem, ſed à tyrannis tantummodo cenſebitur oriundus: quo quid fœdius aut flagitioſius concipi animo vel efferri poteſt? Vah Buchanane, ecquid iſta ſcriptis tuis conſentanea & conſequentia eſſe animo non aduertiſti? quis ita tibi mentis oculos faſcinauit, vt iſta non proſpiceres? tibi ratio, tibi hiſtoria, tibi gentium nationumq́ue mores & cõſuetudo, tibi denique veritas ipſa, & fides Chriſtiana aduerſatur. Mira mehercle & miſera res eſt, Boutelleri, hominem qui vſu rerum multos antecedit, & varia ac multiplici lectione à paucis ſuperatur, tam pernicioſè ac turpiter in re aperta, ſimplici, & trita lapſum, vt ea ſibi vera eſſe perſuaderet, quæ nulla ratione poſſunt conſiſtere. Sed peperit id ei in ingrato animo hæreſis, aluit perfidia, & innatum in Reges odium, quibus aſſueta & ſtipata diu ſenectus, cùm legitimæ dominationis ſub Principe puero contemptrix, tum quorundã patriæ proditorũ largitione & blandimẽtis corrupta, hominẽ ſuapte naturâ fictorẽ audaculũ ad quiduis comminiſcendum in Regum perniciem ſollicitauit.

Adhæc duo ſunt, vt video, quæ iſtum ei errorẽ crearunt, vel, quod veriſimilius eſt, quibus ille ſciens prudens nos in errorem trahere conatur. Vnum ex collatione Regum qui vicinis Aſiæ populis dominabantur: quos omnes tyrannos fuiſſe autumat. Alterum ex formula regnandi, à Deo per Moyſen Regibus in Deuteronomio præſcriptâ, deprompptum.

Nam quod præterea de legitimo Rege ſcribit, id ænigmatis inſtar mihi eſt: non quòd neſciam quid legitimi verbo ſi-

bo ſignificetur, id enim bonorum authorum lectione pu-
to me iampridem aſſequutum;ſed quo id ipſe ſenſu extule-
rit haud facile poſſum coniicere. Si enim (quod velle vide-
tur) legitimum Regem intelligit eum qui ius populo legi-
timè ex legum præſcripto dicit, vt ille ait [1], ſine exemplo 1 Pag.70.
loquitur,& contrà ac verbi notatio,& latinè loquendi cõ-
ſuetudo patitur. Nec ſi eo verbo interpretetur Græcum
illud *νόμιμος* ſiue *νομικὸς*,imò *νομιμώτατος* vel *νομικώτα-*
τος,vnquam efficiet vt id vocabulum legibus ſubiectum
ſignificet, ſed aut iuſtum & æquum, aut lege inſtitutóque
obſeruatum,legi conſentaneum,legum ſcientiſſimum,aut
quid ſimile. Itaque Ariſtoteles,vbi oſtendit in quibuſdam
ciuitatibus eſſe conciones ex legum præſcripto ſtatas & fi-
xas,quæ paribus temporum interuallis aduocantur, in a-
liis verò incertas tantùm & repentè indictas,prout res no-
uæ incidunt exiguntque,[2] *οὐδ᾽ ἐκκλησίαν νομίζουσι*, inquit: 2 Lib.3.Polit.c.1
quæ verba Strebæus vertit ad ſenſum, *neque habent legiti-*
mam concionem: quia quod ſecundum legis ordinationem
fit,id eſt legitimum. Illam præterea ſuppoſititiam legitimi
ſignificationem ſi admittamus,duo ſequi oportet auribus
animíſque hominum abſurdiſſima, quorum alterum ab
eo poſitum eſt & conceſſum: alterum neceſſaria conſecu-
tione efficitur. Quod ille aſſumit,hoc eſt. Samuelem fu-
iſſe Regem legitimum: verba eius ſunt [3]. *Regem petunt,at* 3 Pag.70.
qualem? legitimum? at habebant. Erat enim Samuel eis à Do-
mino,penes quem ius præficiendi erat, datus, ius eis legitimè ex le-
gum diuinarum præſcripto multos annos dixerat. Papæ, quo ſe
homo præcipitat? Ergóne Samuel Rex legitimus? qua ra-
tione? num ob hoc ſolùm quòd à Deo iudex fuerit datus?
an verò quia ex legum diuinarum præſcripto ius dicebat?
an ve quia horum concurſus in eius perſona, vt Rex eſſet
legitimus effecit? Primam, aut poſtremam ſi admiſerit
cauſam,duplex in promptu contradictio eſt: tum quia Io-
ſue, Iudas, & alii duces iudicéſque dati fuerunt à Deo [4], 4 Exo.18. Deut.
quorum Regem fuiſſe neminem, oſtendunt illa quæ de vlt.Ioſue 1.
Regibus multò poſt creandis Moyſes ipſe vaticinatus eſt:
& de Regibus quidem legitimis, non tyrannis: cuius pro-
bandi neceſſitate ipſe nos Buchananus ſua confeſſione le- 5 Deut.17.
uauit, qui eâ formulâ Regis legitimi iura contineri aſſerit. 6 Dixi raro,quia
[5] Tum etiam quia ſi ita eſt, nullum vnquam apud alias Elias mandatu
gentes Regem legitimum extitiſſe fateamur oportet: nuſ- Dei vnxit Hazael Regem Syriæ
quam enim,aut raro [6], legitur Deum vlli alii populo quàm 3.Reg.19.

Hebræo iudicē nominatim dediſſe. Ac proinde faceſſant quæcumque de legitimo Rege identidem nobis inculcat, vt prorſus ſuperuacua, & quæ nullum apud alias nationes locum habere poſſunt: quibus Reges manifeſtis Dei iuſſis atque oraculis non præficiuntur. De Moyſe autem an Rex fuerit, dubirandi cauſam præbuere nobis ſcriptores aliquot, qui eum regio nomine ac titulis ornarunt. Nam & popularis eius Philo Regem eum vocat. *Hæc eſt vita*, inquit, [1] *hic exitus Moyſis, Regis, legislatoris, Pontificis, Prophetæ.* Er D. Greg. Nazianzenus dicit Moyſen principum principem & Sacerdotum Sacerdotem Aaronis opera vſū fuiſſe tanquam linguam [2]: ſimiliter S. Aug. ſcribit Moyſen dediſſe iudiciaria ſublimitate ſolùm, populo vniuerſo ſtante. Sed hæc & ſimilia in laudem Moyſis dicta non miretur quiſquis eum Deo inſigniter dilectum, ac propè ſupra ſortem humanam diuini velut conſilii participem factū [3], Hebræorum Rempub. legibus à Domino acceptis fundaſſe, inque ea Regis inſtar ſolum eminuiſſe norit: poſt quē nemo aliorum iudicum aut prophetarum cum eo conferendus extitit [4]: quippe populum illum, velut parens eductos à ſe & educatos, incredibili manſuetudine, ſtudio, & ſolicitudine gubernauit: [5] cuius illud extat elogium, *fuiſſe virum mitiſſimum ſuper omnes homines qui morabantur in terra* [6]. Tamen re vera nec Rex fuit ipſe nec regium ſibi nomē vnquam arrogauit.

1 Lib. 3. de vita Moyſis in fine.

2 In orat. 3. habita coram D. Gregorio Nyſſeno. 1. quæſt. 68. in Exod.

3 Exod. 19. & 31. & Num. 12.

4 Deut. c. vlt.

5 Num. 11. Exod. 32.

6 Num. 12.

Si verò mediam cauſam Buchananus aſſumpſerit, Reges vocantur omnes qui ex legum præſcripto ius dicunt: neque enim vlla ratio probabilis afferri poteſt, cur quod nonnullis certa de cauſa nomē imponimus, id aliis qui in ſimili munere verſantur, & quorum cauſa communis, ius idem eſt, denegemus. Reges ergo L. Lunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus fuere cæterique conſules qui poſt eiectum Tarquinium Superbum populo Romano præerant, vt non tàm exactos quàm mutatos Reges fuiſſe dicas. Nam & hi non minus quàm Reges, quæcunque in legum diſpoſitione aut moribus ciuitatis poſita erant penes ſe habebant. Qua de cauſa Liuius [7] *libertatis*, inquit, *originem inde magis quia annuum imperium conſulare factum eſt, quàm quòd diminutum quicquam ſit ex regia poteſtate, numeres: omnia iura, omnia inſignia primi conſules tenuere: id modo cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent duplicatus terror videretur.* Quid quod Reges hac ratione fuerunt omnes Proconſu-

7 Lib. 2.

8 l. 1, D. de Iurid.

les, [1] Præſides prouinciarum, Prætores, Præfecti Augu- 1 L.1.D.de iurid.
ſtales, ac reliqui magiſtratus, qui cum imperio præfuerunt, quorum officium dicitur eſſe latiſſimum, ſi modo ex legũ præſcripto ius dixerint. Et ne longius abeam, hoc argumẽto Rex appellabitur quiſquis in libera ciuitate ſummum magiſtratum gerit: quod quàm vanum ſit & abſurdum teſtantur ii omnes qui res populorum ab hominum memoria literis prodiderunt, quique diuerſas Reipublicæ formas, & earum mutationes in ſingulis ciuitatibus & nationibus docent: nam regiam, hoc eſt liberam, & legibus ſolutam poteſtatem, ab imperio magiſtratum, quod legibus ſeruit, omnes vno ore diſtingunt: quos tamen, ſi huic credimus, neceſſe eſt fateamur ita pares eſſe, vt inter eos nihil prorſus interſit, omnes nempe Reges legitimos.

Quod autẽ his conſequens eſſe admonui, ſic habeto. Si Rex legitimus ideo dicitur, quia ex legum formulis pẽdet, & ſecundum earum præſcriptum ius dicit: qui ſecus faxit, Rex profectò legitimus vocari nequit. His autem propoſitis nonne hæc ſtatim ſunt conſequentia: Vxorem non eſſe legitimam ſi maritum aliquando iurgationibus & importuna garrulitate laceſſat, ſi fribuſculum fecerit, aliúdve quod præceptorum connubialium cancellos vel minimum tranſgrediatur. Nec filium eſſe legitimum, ſi officii erga parentem immemor ſui patris mandata interdũ negligat. Nec hæredem legitimum, ſi non ex voluntate defuncti fideicommiſſum codicillis relictũ ſtatim perſoluerit: multáque id genus alia ex eodem fonte promanantia, ſi ea vis verbi eſt, efferri poſſunt, quæ quàm incondita ſint & ridicula tu ipſe, ſat ſcio, animaduertis. BOVT. Equidem non arbitror virum illum, quem latini ſermonis puritate verborúmque proprietate in ſuis ſcriptis delectatum eſſe video, tàm temerè, tamque alienâ ſignificatione abuſum eſſe verbo legitimi, vt ea dicat quæ Grammatici virgis, Iuriſperiti irriſione & ſibilo citra controuerſiam exciperent: præſertim cum alibi in hoc ſuo dialogo legitimos aliâ ratione ab eo dictos animaduerterim [2] *tyranni*, inquit, *quia* 2 Pag.52.
legibus potentiores erant, legitimi autem quia populi conſenſu electi. BARC. Attamen quin ita ſcripſerit vt recitaui negari non poteſt, licet an ita intellexerit, nonnihil dubitari propter alium illum locum à te recitatum poſſit, niſi ipſemet ita ſe legitimũ Regem accipere docuiſſet. [3] Et Brutus 3 Pag.13.
ẽt deliriorũ Buchanani vafer interpres, magiſtri ſui ſentẽtiã

 dila-

1 C.q.3.p.117. dilatans, ſic ſcripſiſſet.[1] *Inde verò factum eſt, vt cum primis temporibus Reges abſolutè imperarent, quorum arbitrium lex erat paulò pòſt inter politiores & ciuiliores paſſim legitimi fierent, id eſt, legibus ſeruandis cuſtodiendiſque obligarentur.*

Sed demus aliter Buchananum intellexiſſe, & defectæ ſenectutis hominem aliud ſcripſiſſe aliud voluiſſe: ſumamuſque illam legitimi ſignificationem, quę in planè ac latinè loquentium vſu & obſeruatione propria eſt & perpetua: vt legitimus Rex cenſeatur is qui ex aliquo legis capite aut more inſtitutoque maiorum ad imperium vocatus eſt: annon cōſtabit ſtatim nullis magis quàm Iudæorum Regibus eam laudem eſſe tribuendam? quorum plerique à Deo & populo aut à maioribus ſceptrum iure optimo ſibi delatum acceperunt. Neque enim arbitror quenquam ita frontem perfricuiſſe, vt Dei Opt. Max. voluntatem legē eſſe omnium firmiſſimam & antiquiſſimam, aut ſucceſſionis ordinem & rationem naturæ legi conſentaneam eſſe neget. Legitimi ergo Iſraelitici Reges, non quia munere ſuo probè & ſecundum leges functi ſunt, ſed quia ritè, & ex legum præſcripto facti: quo modo legitimus tutor[2] legitima vxor[3] legitimum tempus,[4] legitima ætas[5], & alia quæ perſequi longum eſſet legitima intelliguntur. Vides vt iſtam eius ſententiam propria & genuina hæc legitimi ſignificatio euertat, vtque prior illa commentitia futilem prorſus & ineptam reddat. His autē etſi redargui refelliq; ſatis poſſit, tamen (vt eſt hoc genus hominum, quod Deo & Eccleſiæ ſe ſubtraxit, impensè in diſputando pertinax) quia errorem fortaſſe ſuum haud facilè agnoſcet: addam præterea quędam ex ſacræ ſcripturę libris teſtimonia, quibus Samuelem neque ręipſa neque titulo tenus Regem fuiſſe ita perſpicuè demonſtrabitur, vt ſi quis illi ſenſus eſt aut cogitatio veritatis victus vinctuſq; in noſtram ſententiam trahatur.

2 l.1.& l.5.D. de legit.tut.
3 Lib.1.& 8.D. de pot.hæred.
4 ca.4.D.de tit. nupt.D.l.5.D.de vſuf.l.10.de his qui not. infa.l. 4.§.3. D. de re iud.
5 l.vlt.§.Di.D. de public. & vectig.

Qui iudicandi munere in Iſrael functi ſunt, vt Samuel, ij dominationem in eum populum minimè habebāt, quæ regnum & Regem vſque adeò comitatur vt ſine ea ne fingi quidem aut concipi animi poſſint. *Reges gentium dominantur eorum*[6] (inquit Saluator) Hortari autem iudicibus & admonere conſilioque ſuo dirigere ac ducere multitudinē permiſſum fuit: niſi dum fortè ſingulari aliquo Dei præcepto ad certas res obeundas mandatum ſibi imperium recepiſſent. Inde erat quod filii Iſrael exultantes lætitia recē-

6 Lucæ 22. Mar.10.

tis

tis victoriæ per Gedeonem mirabiliter partæ ipſi Gedeoni dixerunt, *Dominare noſtri tu & filius tuus, & filius filii tui, quia liberaſti nos de manu Madian* [1], quibus ille. *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* Si Samuel Rex fuit, Rex etiam & Gedeon: vterq; enim pari authoritate iudex à Deo atque dux ei populo datus eſt: nec quicquam Samueli in ea re ſuffragatur, quod Gedeoni abſit. Nam quod propheta fuerit, id quid ad regiam dignitatem? Certè pontificem non fuiſſe, cum neq; ſacerdotem, ſed tantùm leuitam B. Hieronymus obſeruauit [2]: ob eamque cauſam Dauid Rex & propheta Samuelem ab ordine ſacerdotali ſeparat [3]. At ſi rex fuit Gedeon, quomodo rogatur à Iudæis vti in eos dominationem ſuſcipiat? aut ſi dominationem ſe non habere, nec velle ſuſcipere faſſus eſt & profeſſus, qua fronte audeat aliquis Regem illum appellare? Eadem Samuelis, & cæterorum, qui iis libris continentur, iudicium conditio fuit: qui quantum à Regum titulis & authoritate abhorruerint, id in primis declarat, quòd tot ſeculorum curriculo ex omnibus vnus repertus ſit qui regium nomen vſurparit. Is eſt Abimelech filius Gedeonis nothus ex concubina Sichimitide [4], qui occiſis ſeptuaginta fratribus ſuis, filiis Gedeonis legitimis, & Republica per tyrannidem occupata, Regem ſe & nomine & imperio deſignari curauit: quo ſublato de medio, regium cum eo ſtatim nomen concidit. *Poſt Abimelech,* inquit author hiſtoriæ, *ſurrexit dux in Iſrael Thola* [5]. Qua in parte doctores ſummam ſcriptoris diligentiam obſeruāt, qui iis verbis rem iterum ad duces rediiſſe docet. Vnde Nicolaus Lyranus interpres acutiſſimus, *Non dicit Rex* (inquit) *ſicut de Abimelech, qui inique vſurpauit ſibi nomen regium, iſte autem rediit ad modum priſtinum quo iudices præerant, ſcilicet per modum directionis & conſilii, magis quàm per modum dominii.* Oſtendat ergo Buchananus regium imperium Samueli iure aliquo ſpeciali fuiſſe delatū, vel eum haudquaquam fuiſſe Regem velit nolit fateatur neceſſe eſt: quandoquidem id ei nomen, & quæ nomini coniuncta eſt authoritas, iure communi cæterorum ducum tribui non poteſt.

Quæ cùm ita ſint, expendamus modò, quàm vanæ ſint & nullius ponderis aut momenti duæ ille rationes, quibus perſuadere nobis falſiſſimam opinionem ſuam & confirmare nititur. Ait tyrannum, non legitimum Regem à Iu-

Q 5 dæis

1 Iud. 8.

2 lib. 1. aduer. Iouin.

3 Pſalm. 98. vide ibi Genebrardum.

4 Iud. 9.

5 Iud. 10.

1 ag.70. dæis fuiſſe petitum hoc argumento doceri [1], quòd Regem petierint *qualem vicinæ gentes habebant, qui domi iudex, foris imperator eſſet. Erant autem re vera tyranni*, inquit, additque neſcire ſe ab hiſtoricis mentionem fieri legitimi Regis in Aſia. Hic rurſus quo ſenſu *legitimum* proferat, prorſus ignoro. Nam ſi, vt antè, legitimum Regem intelligit eum qui regni habenas ita moderatur, vt ius perpetuò ſecundum leges dicat, cur Aſiaticos ab Afris, aut Europæis in hoc diſtinguit non video. Quandoquidem multos Aſiæ Reges commemorare poſſum, quos nemo eorum qui in Europa regnarunt, pietate vlla ac probitate in ſuos, iuriſque diuini & humani obſeruatione, non dicam ſuperauit illa tempeſtate, ſed ne æquauit quidem. Nam Ægyptii Reges omnes ex legum diſciplina ius dixiſſe, & iis ſe ſua ſponte ſubieciſſe feruntur [2]: quod miror ab illo prætermiſſum iis in locis, vbi legum vincula noſtris Regibus iniicienda ſuadet. Sed & Aethiopum quoque Reges ex ſacerdotum numero delectos, cæteroquin diuinis auctos honoribus, vitam degiſſe legibus conformem, & ſecundum patrios mores, ſcitaque maiorum ius in ſubditos dixiſſe literis proditum eſt [3]. Næ parum æquus ille rerum æſtimator videtur, qui gentes illas Aſiæ (à quibus omnem cultioris vitæ rationem Græci, cæteriſque per Europam diſperſi, velut ab ipſo honeſtatis fonte hauſtam acceperunt) tam infortunato cœli ſolique ſtatu natas fuiſſe arbitratur, nullos vt ex ſeſe vnquam procrearent Reges legitimos. Nam quod ſubiicit, Aſiæ incolas ſeruili præter cæteros animos fuiſſe, proptereaque tyrannorum imperiis magis obnoxios, id ratione & rei veritate deficitur. Nam quamuis abundè iis ſuppeterent quæcunque vel locorum amœnitates, vel aeris puri & tenuis afflatus, vel agrorum vbertates conferre poſſunt, ita vt talibus voluptatum illecebris ad vitam mollius paulò atque delicatius tranſigendam inuitarentur; tamen neque ſapientiæ ſtudium, neque rerum agendarum prudentia, neque celſitas animi & magnitudo iis deerat: quæ omnia ſeruilibus haudquaquam ingeniis conueniunt. Nec Regum ſe arbitriis dediderunt inuiti, quaſi adempta aliam aliquam regiminis formam conſtituendi facultate, ſed omnibus propoſitis monarchiam ſemper reliquis prætulerunt: tum quia id illos edocuit vis naturæ & primorum parentum inſtitutio, vt infra vberius demonſtrabitur, tum quia ſatius eſſe vni

2 Diodor. lib. 1. Part. 2. cap. 3.

3 Diod. li. 3. ca. 1.

parere,

parere, quàm premi à multis, ſapienter & verè iudicarunt. Itaque cùm S. P. Qu. Romanus Cappadoces & Paphlagones Regibus liberare voluiſſet, ac ſuæ poteſtatis conſtituere, recuſarunt eam libertatem Cappadoces, id potius ſupplicium quàm beneficium eſſe rati; reſponderuntq́; nullam ſine Rege gentem viuere poſſe [1]. Scio Ariſtotelem dicere Aſiaticos eſſe patientiores ſeruitutis quàm Europæos [2]. Sed eius teſtimonii fidem eleuat quod ipſemet ibidem præmittit: nempe Barbaros eſſe patientiores ſeruitutis quàm Græcos, quod profectò falſum eſt: quis enim neſcit Gręcos verè ſeruos eſſe, ſi cum Romanis, Francis, Germanis, Scotis, aliiſque, quos ille Barbaros vocaſſet, comparentur? Sed & illud æquè abſurdum eſt quod eodem in loco ſcribit, tyrannica regna eſſe Aſiaticis, ſed firma tamē, propterea quod patrium morem legemque ſeruant: nam ſi patriam legem ſeruant, cur non potius legitima & regia, quam tyrannica imperia dicentur? Quod ſi Aſianos ideo tyrannis paruiſſe Buchananus credit, quia imbecilliores ſunt, & minus animoſi quàm qui plagam Septentrionalē habitant: ſiquidem, vt ait Vitruuius, qui ſunt ad axem meridianum, breuioribus corporibus, colore fuſco, criſpo capillo, nigris oculis, cruribus inualidis, ſanguine exiguo, ſolis impetu perficiuntur. At qui ſub Septentrionibus naſcuntur & degunt, proceris corporibus, candido colore, directo capillo & rufo, cæſiis oculis, & ſanguine multo ſūt. Si hanc, inquam, Aſiaticis cauſam parendi tyrannis arbitratur, cogitare ſecum potuit, quòd licet ea ratione probetur, non tantum virium iis eſſe ad exterarum gentium impetus propulſandos, quantum aliis qui axi Boreo propiores ſunt: tamen non inde effici rectè, populos illos acumine ingenii prçſtātes, alicuius popularis ſui tyrannidē facile velle ſubire: & libertatē qua nihil amabilius, nihil in vitâ charius poteſt contingere, hominum apud ſe natorum libidini contra rationem mancipare: cùm id præſertim omnibus à naturâ benè informatis inſitum ſit, vt nemini parere velint, niſi præcipienti, aut docenti, aut vtilitatis cauſâ iuſtè & legitimè imperanti [3]. De Aſiaticis ergo facilè ab extera natione opprimendis fortè aliquid: de ſuorum verò tyrannide ab ipſis ſubeunda, nihil omnino argumenti affert: eadem enim proportio Pygmæorum inter ſe eſt & gygantum. Et verò, ſi qua inde coniectura aut ratio

1 Iuſt. lib. 38.

2 Lib. 3. Pol. c. 10.

Ariſtoteles reprehenſus.

3 Cic. lib. 1. off.

Digitized by Google

ratio probabilis duci poſſet, ea etiã ad Græcos optimo iure transferetur. Nam Cicero teſtatur Græcos ita fuiſſe imbelles & parùm animoſos, vt ne quidem aſpicere hoſtẽ auderent [1], quamuis prudentes, & omni diſciplinarum genere ſatis excultos: & tamen conſtat eos fuiſſe ſemper tyrannis infenſiſſimos, adeoque eorum impatientes, vt cùm omnes initio Regibus parerent, plerique tandem democratias ſibi & ariſtocratias conſtituerint paucis in Regum fide permanentibus. Non ergo ſequitur ob corporum imbecillitatem, homines ſeruitutis aut tyrannidis ſuorum popularium tolerantes reddi, cùm ſatis virium iis ſit ad reſiſtendum ſui ſimilibus, vt ante dixi, & animi etiam ſatis in exiguo corpore eſſe poſſit.

1 Lib. 2. Tuſcul.

Quæ cùm ita ſint, miror ipſum tam parùm verecundum eſſe narratorem, vt ea ſe ſcire diſſimulet, quod neſciiſſe pudeat. *Neq; vſquam* (inquit) *quod ſciam ab hiſtoricis mentio ſit legitimi Regis in Aſia.* At ego illi repono, paſſim ab hiſtoricis mentionem fieri legitimorum Regum in Aſia: ſi modò legitimos admittat eos, qui Imperium quod virtutis commendatione, & ſummo populi conſenſu nacti erant, pari animi moderatione ac Iuſtitiæ temperamento retinuerũt: quiq; leges vel à maioribus acceptas, vel à ſe latas anxiè cuſtodierunt. Nam, ſi verum eſt quod tradunt probati hiſtoriæ authores [2], regna olim deferri ſolebãt ad eos, qui plurimùm de hominum vitâ meriti videbantur, quique rectis inſtitutis, honeſtis moribus, aptis legum iudiciorumq; formulis, ornare & amplificare Rempublicam & poſſe & velle ſperabantur. Audiuítne fando inclitum illud de Bocchore Ægyptio elogium, cuius ſumma iuſtitia locũ dedit prouerbio: vt cùm hominem integrè & incorruptè iudicantẽ ſignificare vellent, Bocchorẽ eum ſiue Bocchyrem appellarent [3]? An non meminit artes verè regias & Imperatorias illius, qui

2 Iuſt. in princ. Diod. li. 1. Part. 2. cap. 1.

3 Suid. Plutar. in vita Demetrii. Eraſmus in Prouerb.

Venit ad occaſum mundiq; extrema Seſoſtris:
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit [4]?

4 Lucan.

Quantâ foris armorum, domi Iuſtitiæ, & rerum à ſe geſtarum gloriâ vitam tranſegit? Annon illud Antiochi tertii, quod cũctis publicè ciuitatibus edixit, aut tyrannicam illam & non regiam vocem exiſtimat, *Si quando legibus aduerſum & repugnans aliquid iuſſero, ne pareatis: ſed ignoratione me lapſum credatote* [5]. Vbi quæſo terrarum gens vlla patrii moris obſeruantior, vbi rigidiores legum antiquarum cuſtodes,

5 Plut. in apoph.

ſtodes, vbi addictiores maiorum ſcitis Reges, quàm apud Medos, Perſaſque memorantur? Danielem, quamuis innocentem, quamuis amicum, leonibus obiicere maluit [1] 1 Dan.6. Darius ſubtriſtis, ac penè inuitus, quàm eximere pœnis decreti ſui, contra leges regnorum quibus imperauit. Cabades Perſarum Rex Seoſem hominem amiciſſimum, & cui vitam atq; regnum debebat, calumniis oppreſſum & damnatum maluit amittere, quàm de Perſicâ obſeruatione quicquam remittere [2]. Pacurium verò ſummus mæror lacerauit, quòd antiquam eius gentis legem ex euentu, propter conſtantiam promiſſi, cogeretur diſſoluere [3]. Dies me deficeret, ſi eorum qui in Aſia regnarunt ſummam in leges obſeruantiam, clementiam erga ſuos & humanitatem, in rebus denique publicis & priuatis diuinam propè animi conſtantiam, moderationemq; recitarem: vt mirum mihi videatur quid iſtum mouerit ad Aſiaticos Reges è numero legitimorum exigendos. Sed nunquid non meminit Melchiſedec Regis Salem, [4] qui Rex ſimul & ſummi Dei ſacerdos appellatus eſt, aut eum Regem fuiſſe legitimũ negabit? Certè neque hiſtoriæ fidem eleuare poteſt, neque quod reſpondeat habere: niſi reſumpto vetere, & iampridem exploſo Origenis & Didymi errore, ἀναγωγικὴν aliquã nobis ſomniet interpretationẽ, & angelum eum, aut Spiritum ſanctum fuiſſe dicat. Nam nomenclatio ipſius, idem quod Rex iuſtitiæ ſignificat, & Rex Salem, id eſt pacis, dictus eſt [5]: quem Diuus Hieronymus [6], ex Hebræorum & Græcorum ſcriptis, verè hominem fuiſſe docet, atq; eundem qui & Sem filius Noe, trecentos iam & nonaginta annos natum quo tempore Abraham editus eſt. Bovt. Fortaſſis in alia adhuc ſignificatione legitimi verbo vſus eſt (idque te iſta diſſerente, modò mihi in mentem venit) legitimos Reges intelligens eos, qui legibus obſtricti, obnoxii iudiciis, moribus alligati, faſces populo primatibúſve ſubmittunt. Barc. Id quàm alienum ſit ab eius vocis ſignificatione nemo non videt. Ecquis enim latinè ſciens ita vnquam locutus eſt? nam & eo ſenſu legitimus tutor dicetur, quia legibus eſt ſubiectus? & hæres ſimiliter legitimus quia legum vinculis aſtringitur: itáne? teſtamẽtarius ergo tutor, & hęres ſcriptus, quin legibus ſoluti ſint negari non poteſt: nam horum appellationibus, differentiæ inter ipſos & diuerſitates nobis indicantur. Quid quod iuſtum & legitimum hoſtem dicere ſolemus [7]? Sed hæc legitimi inter-

2 Procop. li. 1. de bello Perſ.

3 Proc. eod. lib.

4 Gen. 14.

5 Apoſt. ca. 7. ad Hebr.

6 Tom. 3. ep. 126.

7 Cic. lib. 3. offic.

interpretatio nimis eſt puerilis & reſponſione indigna, ſiue ipſe eam Buchananus cogitarit, ſiue alii ex eius grege pòſt maleficiosè commenti ſint: cùm inter omnes conſtet legitimos dictos eſſe, quòd lege facti, teſtamentarios verò, & ſcriptos, quòd teſtamento dati ſcriptiq́ue fuerunt. Sic etiam legitima omnia, quia ex legum inſtitutis & ſecundum leges fiunt, non quia legibus ſubiiciuntur, aut ſecundum leges viuunt. Et vt iam paulò ante dixi, legitimus Rex appellatur, quòd non vi & armis in regale ſolium inuito populo irrupit, ſed more maiorum, & ex legis præſcripto Rex factus eſt, licet poſtquam iam regnum iniit leges iudiciaque peruertat. Sed demus id eum cogitaſſe, idque ita ſe habere, vt legitimo ſignificetur quod legibus eſt ſubiectum: quid ei conſequens erit? Non fuiſſe legitimos Reges in Aſia, dicet: addo, ac ne in Europa quidem vel Africa. Nam eos nego eſſe Reges, qui ita legibus vincti conſtrictiq́ue tenentur: nego Imperium & poteſtatem regiam in iis deprehendi, qui eo pacto imperant, licet Regis forte appellationem blando ciuium ſermone retineant. Proinde neque Ageſilaum, neque cæteros Spartanos, poſt Ephororum creationem, inter Reges numerãdos Æmilius Probus rectiſſimè iudicauit [1]: propterea quod hi à Theopompo Regibus appoſiti, imò oppoſiti, regiam prorſus authoritatem infringebant: quam habuiſſe quidem priores Reges teſtatur Plutarchus [2], & ex vno Lycurgi reſponſo notũ eſt: qui poſtulanti, *vt populo adminiſtrationem Reipublicæ traderet: tu prior*, inquit, *domi tuæ Imperium domeſticis tuis trade.* Qua de cauſa Ariſtoteles [3] docet Lacones mixtum Reipublicæ genus habuiſſe, quamuis regnum id vocitatum ſit: quia Reges non plenum perfectumq́ue imperium, obſtantibus, vt dictum eſt, Ephoris habuerunt. Et Plutarchus [4] Cleomenem poſt exſtinctos Ephoros Regem & nomine & re fuiſſe ſcribit: quibus verbis annon perſpicuè nobis indicat, alios qui cũ Ephoris imperarunt nomine tantùm fuiſſe Reges? Ac mihi quidem iſta cogitanti venit in memoriam Polybii locus [6], in quo, accuratâ ſcribẽdi diligentiâ, verè Reges ab iis qui nomine tantum tales ſunt illis ipſis temporibus diſtinctos fuiſſe indicat. *Philippus*, inquit, *Demetrii filius, adhuc puer, iam Macedoniæ imperium ſuſceperat. Achæus omni prouinciæ, quæ circa Taurum eſt, imperans, nõ modò nomen ſed vires quoque regias habebat. Antiochus, cui magno cognomen fuit, Seleuco fratri non multo ante defuncto, in regno*

1 In vita Ageſilai: & in breui ann. de Regib.

2 In vita Lycur.

3 Lib. 3. Polit. c. 10. & 11.

4 Plut. in Apophthegm. Laco. In vita Agid. & Cleoph.

6 Lib. 4.

gno Syriæ quamuis adoleſcens ſucceſſerat. Ariarates quoque regnum Cappadociæ inuaſerat. Eodem tempore Ptolomæus Philopater Ægypti erat Imperium adeptus. Nec longè poſt Lycurgus Rex à Lacedæmoniis appellatus fuerat. Carthaginenſes Annibalem, ad res quas ſupra commemorauimus gerendas ducem elegerant. Ecce vt alios nomen tantùm, alios nomen & poteſtatem regiam habuiſſe tradit: nam Lycurgus iſte, paulò ante Cleomenem, dominantibus adhuc Ephoris Lacedæmone Regis nomen ſortitus eſt [1]. Fruſtra igitur Buchananus in has ſe latebras coniiciet, in quibus neque occultari diu, neque tutum perfugii locum inuenire poſſit.

Sed altera tunc ratio quam vim habeat expendamus. *Tyrannum* [2], inquit, *non Regem hic deſcribi vel ex eo facilè apparet, quod in Deuteronomio formulam eis ante præſcripſerat, non modo ab hac diuerſam, ſed etiam planè aduerſam: ex qua formula Samuel, cæteriq; iudices tot annos ius dixerant: quam cùm reiicerent, Dominus ſe reiectum ab eis conqueritur.* Hæc ille: cuius errorem vt planius faciliuſque coarguamus, vtrumque ſcripturæ locum committemus inter ſe, vt ſi qua in iis aut pugna ſit, aut diuerſitas & diſſimilitudo appareat. Modò id præmunitionis loco ad ea quæ aggredimur teneamus: nihil regiæ dignitati, nihil Monarchiæ præſtantiæ, hoc ſcripturæ teſtimonio detrahi. Neque enim Deus idcirco ſe infenſum Iudæis prædicat, quòd regia ſibi gubernatio diſplicuiſſet: quódve Regem petere, res fuiſſet ipſa per ſe diuinæ maieſtati ingrata aut inuiſa: ſed quia ipſemet eius populi tutelam ſingularem geſſerat, & eum ex omnibus orbis nationibus in peculium ſibi ſumpſerat [3], atque inſigni quadam prouidentia, & illuſtribus quoties opus fuit miraculis, multos iam annos antè rexerat. Eoque factum eſt, vt Dominus meritò veſanam illius gentis ingratitudinem ei exprobret, ſeque ab ea reiectum cōqueratur: quæ tot miſericordiarum oblita, tot beneficiorum immemor, tot mandatorum contemptrix, & miraculorū etiam negligens, eò prorupit audaciæ, vt cæteris ſe nationibus æquare atque aſſimilare voluerit, quibus vt diſſimilis eſſet, diuina hæc diſpenſatio procuratioque ſpecialis effecerat: Regemque ſibi dari petierit, cùm iam Regem haberet, non Samuelem quidem, vt eſt à nobis iam ſatis ſuperque demonſtratum, ſed Deum ipſum præpotentē ſingulari propè cura eorum iam diu inuigilantē bono (quod nulli vnquam alii nationi obtigit) qui Samuelem, & cæteros

[1] Vt patet collatione huius loci cum hiſtoria Plut. de Agid. & Cleom.

[2] Pag. 70.

[3] Exod. 19. Deut. 7. & 14.

ros retro Duces, ſeu regni vicarios, proreges, aut præſides iuri dicundo præfecerat: à quibus ipſemet Deus de rebus arduis & negotiis lege non definitis, velut Princeps à ſuis iuridicis [1], conſulebatur. Vnde haud mirari quidem oportet ſi in eo peccatum ſit ab illis grauiſſimè, qui conſtitutā manifeſtā Dei ordinatione Reipublicæ formam mutare, ac præpoſitos ſibi Duces reiicere, inconſulto Rege ſuo Deo Opt. Max. in animum induxerāt. Quin potius mirandum quòd nō malos ſtatim malè perdidit, quos tam aperto ſcelere maieſtatis reos propria ipſorum confeſſione peregerat [2]. Atque hoc quidem illud eſt, quod ferunt Theologi: alias gentes Regem ſibi poſcere & conſtituere ſine peccato potuiſſe, Iſraeliticam verò ideo non potuiſſe, quod ordinatam aliter à Deo Rempublicam expreſsè accepiſſet: non quidem Ariſtocraticam, vt falsò ſcribit Caluinus [3], ſed monarchicam, Deo Rege & homine prorege (vt antea diximus) conſeruatam. Atque hoc etiam illud eſt quod D. Hieronymus ait [4]: *Saul non ex voluntate Dei, ſed ex populi errore Rex factus eſt.* Sed ad inſtitutum redeamus.

Moyſes prophetico Dei ſpiritu vaticinatus eſt, fore vt populus Hebræus aliquando Regem ſibi poſceret: cuius rei dum eum monitum vellet ita fatur [5]: *Cùm ingreſſus fueris terrā quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaueriſq; in illā, & dixeris: conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Cumq; fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populū in Ægyptum, equitatus numero ſubleuatus, præſertim cùm Dominus præceperit vobis vt nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas quæ alliciant animū eius, neq; argenti & auri immenſa pondera. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neq; declinet in partem dextrā vel ſiniſtram, & diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt: vt longo tempore regnet ipſe & filii eius ſuper Iſrael.* Hæc regnandi lex eſt, quā Moyſes futuris Iudæorū Regibus præſcribit, quamq; Dauid filio ſuo Salomoni repetit & commendat [6]. At Samuel, petenti iam populo Regem cùm non poſſet obſiſtere, legem horrendi carminis, ius inquam Regis impensè crudele, & ſuperbum, iubente Domino in hunc modum edixit. *Hoc erit ius Regis qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet & ponet in curribus ſuis, facietq; ſibi equites & præcurſores quadri-*

[1] L. 1. & l. 10. C. de legib. c. inter alia 31. de ſent. excō.

[2] 1. Reg. 12.

[3] L. 4. inſt. ca. 20. §. 8.

[4] In cap. 8. Prop. Oſee.

[5] Deut. 17.

[6] 3. Reg. 2. c.

quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetũ, & fabros armorum & curruum ſuorum. Filias quoq; veſtras faciet ſibi vnguentarias, & focarias, & pannificas. Agros quoq; veſtros, & vineas, & olineta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Sed & ſegetes veſtras & vinearũ reditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis ſuis. Seruos etiam veſtros, & ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoq; veſtros decimabit, voſq; eritis ei ſerui. Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis Regem.

Conſiderandum in primis hîc eſt, de quibus Regibus loquatur Moyſes & de quibus Samuel: iiſdémne an diuerſis. Moyſes ait, *cùm dixeris, conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes.* Hoc quando dixit populus Iſraeliticus? certè neque ante, neque poſt illud tempus, quo vniuerſi natu maiores, exoſi auaritiam & iniuſtitiam filiorum Samuelis, venerunt ad eum in Ramatha, dicentes, *ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos ſicut & vniuerſa habent nationes.* En quomodo non effectu ſolùm completur hîc vaticinium Moyſis, ſed iiſdem verbis quibus ille prædixerat: nec alibi vſquam proditũ eſt Hebræos Regem ſibi hac formulâ poſtulaſſe. Rogarunt quidem antea Gedeonem, vt ipſe in eos Imperium ſuſciperet, atque ad poſteros tranſmitteret: ſed neque tali eum ſermone affati ſunt, neque Regem eum conſtituerunt, id dignitatis humaniter recuſantem. Addit Moyſes, *Eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Et hoc quoque eodem tempore perfectum eſt, cùm Deus Saulem elegit, populus verò Regem ipſum conſtituit, & clamauit, *Viuat Rex.* De Saule igitur, & eum ſequutis Regibus Moyſes procul dubio vaticinatus eſt. De iiſdem ſimiliter quin Samuel ius regni promulgando cogitarit nemini poteſt eſſe obſcurũ. Vtrumq; ius regni eſt, & iiſdem Regibus, populoque præſcriptum: Dicet aliquis, quî ergo conuenire poſſunt? Nihil quicquã eſt magis extricabile, eius diſtinctionis ope, quã paulo antè retulimus. Regem Moyſes inſtruit legibus & inſtituit, quas obſeruare perpetuò eum oporteat, ſi vel congruẽter naturæ vitam degere, vel rectam muneris accepti rationẽ Deo reddere velit. Samuel id ipſum nõ negat, ſed hoc amplius Regem facere poſſe affirmat. Ille Regis officium, hic

R pote-

poteſtatem & amplitudinem Imperii: illæ quæ ſunt bonis Principibus agenda, hic quæ populo à malis oppreſſo toleranda deſcribit: ille ni recta fecerint, Deum, per quem regnant, vltorem certò habituros, hic ſi iniuſta perpetrauerint, ab iniuriâ populi, & humanâ vindictâ in priuatos legibus conſtituta, ſecuros & protectos eſſe oſtendit: ille ad Reges ſermonem conuertit, & eos officii admonet, hic populum alloquitur, & præmonſtrat quanta eum patientia Imperii iugum ferre oporteat, ſi quando in tyrānicum ingenium regius ſe animus induerit. Neque res ea tamen populum illum noui Regis deſiderio flagrātem quicquam perterrefecit: accepit conditiones, & Regem amplexus eſt cum omnibus quæ ſequi poſſent incommodis. Audito enim iure regni peracerbo, quod Samuel recitauerat, reſponderunt omnes, *Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoq; ſicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noſter.* Nihil acutis hominibus facilius, nihil planius proponi poteſt. Moyſes quid debeat Rex facere, Samuel quid poſſit [1] enunciat: hæc nemo mediocriter eruditus neſcit diuerſa quidem nō aduerſa & contraria eſſe. B o v t. At ſi Iuriſconſultos veſtros audiamus, ne talia quidem facere poſſe Rex videtur. *Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & vt generaliter dicam, quæ contra bonos mores ſunt, nec facere nos poſſe credendum eſt* [2]. Barc. Eius loci non is ſenſus eſt, quaſi quæ turpia ſunt & contra pietatem, ſint factu impoſſibilia. Sed quo nemo ad talia facienda magis obligetur quàm ad impoſſibile. Non omne quod licet honeſtum eſt, inquit alius [3]: exempla nuſquam non obuia ſunt: Pater filium, vel filius patrem iudicem habere poteſt [4]: id tamē parum honeſtum eſſe, propter mutuæ affectionis, qua perpetuò laborant, ſuſpicionem, indicat aliud iuris caput his verbis: *Qui iuriſdictioni præeſt neque ſibi ius dicere debet, neque vxori vel liberis ſuis, neque libertis vel cæteris quos ſecum habet* [5]. Ecce Africanus dicit patrē in cauſa filii iudicem eſſe poſſe, Vlpianus eundem ius dicere non debere: vterque rectè: poteſt enim, ſed non debet, vt ſuſpicionis occaſionem à ſe remoueat. Rurſus circumuenire ſe inuicem contrahentes in pretio emptionis poſſunt [6]: nec vllo eis remedio iuris ſuccurritur, extra quàm ſi venditor fraudatum ſe queratur vltra dimidium iuſti precii [7]. Lucrum itaque ex mendacio abſque vllo pœnæ humanæ metu percipere quis poteſt. At id tamen per ſe turpe & pernicioſum eſt: vt non ſine cauſa dictum

1 Poteſtatem hic intelligit, non eā quæ competit ex præcepto, neque eam etiam quæ ex permiſſu eſt, quatenus liberat à peccato: ſed quatenus pœnis legalibus eximit operantem, vt infra docetur.

2 Papini. l. filius 13. D. de cōd. Inſt.

3 Pau. l. nō omne. 144. D. de reg. iu.

4 L. in priuatis 77. de Iud.

5 L. 10. de Iuriſd.

6 L. in cauſæ. D. de minor. l. item ſi. 22. D. locat.

7 L. 2. l. 8. Cod. de reſc. Vend.

Digitized by Google

dictum ſit à Cicerone [1], illiberalem & ſordidum eſſe quæſtum, qui ex tenui mercatura percipitur, quia qui eam exercent parum proficiunt, niſi admodum mētiantur. Quid, quod ne periuriū quidem leges noſtræ pœnis vllis aut ſuppliciis vindicarunt, quia diuinam in ea re vltionem ſufficere creditum eſt [2]: idque omnino ita eſſe, ſi per Deum iuratur, viri docti annotarunt [3]: & noſtris commentariis, quos lucubratos habemus in reſponſa iuriſconſultorū de iureiurando, planius atque vberius, diuini Numinis auſpicio, demonſtrabitur [4]. Vnde Pacuuius vocat iuſiurandū, *mantile quo quotidiana noxa abſtergūtur* [5]: & Laberius in Mimis [6], *emplaſtrum æris alieni*, facetè ſatis. Sed videamus an aliqua nobis exempla in diuinis libris ſuppetant: firmiora quippe illa ſunt quæ humana ratione ſubuerti nequeunt, ac ne reprehendi quidem. Et ſtatim occurrit de repudio, quo nullum huic diſputationi magis aptum & cōueniens afferri poteſt. *Si acceperit homo vxorem*, inquit Moyſes [7], *& habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquā fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Quaſi dicat, hoc erit ius mariti: qui vxorem duxerit, eam, cùm volet, dato libello repudii à ſe ablegato. En ius coniugii, ſeu mauis legem connubialem, multò iniquiorem in fœminas, quàm ius illud Regis in populum, & qua nemo omnium, qui in ſacris literis ſempiternæ gloriæ commendantur, vſus fuiſſe legitur. Malis tamen iuxtà ac bonis hanc libertatem lex permiſit, vt videatur ſpe quadam impunitatis velut anſam delinquendi peruerſis hominibus præbuiſſe: ſed id ita, maioris multò & acerbioris mali declinandi cauſa, conſultò permiſſum eſt: & proinde quàm parum gratus Deo eius vſus fuerit, Saluator ipſe in Euangelio prædicat [8]. Simili de cauſa nunc alicubi in Chriſtianis gentibus luſtra & proſtibulæ tolerantur. Sed & rurſus in eodem libro fœnerandi ius ac poteſtas, ſine vllo pœnarum metu, conceditur [9]: quod tamen homicidio ſimile eſſe, & cum ipſa rerum natura pugnare, vel Ethnici tradiderunt [10]. Vide quàm non ſit inſolens, multa legibus permitti, quæ ſine ſcelere committi nequeūt [11]. Quemadmodum ergo, neq; mercatores, qui mēdaciorū decipulis emptores circumueniūt: neq; periuri, qui omni contēpta religione falſum perinde ac verū diris execrationibus atteſtātur: neq; lucripetæ

R 2 fœne-

1 Lib. 1. off.
2 C. de reb. cred.
3 Cuiac. l. 1. obſ. c. 19.
4 In l. Si duo Patroni §. vlt. ill. tit.
5 Feſt. in verbo mantile.
6 Gell. l. 16. c. 7.
7 Deut. 24.
Vide ſupplementum ad 3. Part. S. Thom. q. 68. art. 3. vbi duplex lex refertur opinio de repudio, quarum cōmunior eſt, hanc permiſſione non excuſaſſe à peccato, ſed tantùm à pœna ſecundū legem infligēda.
8 Matth. 19. Marc. 10.
9 Deut. 23.
10 Vide Cic. lib. 2. off.
11 Vide S. Thom. 2. 1. q. 78. art. 1. ad 2. & 3.

Digitized by Google

fœneratores, quos, tanquam alienæ ſubſtantiæ hirudines, Romani olim grauius quàm fures multabant [1]: neq; ſcortatores, & proſtibulæ, aut diuortii per repudium ſine iuſtâ cauſâ anthotes, Hyminis Hyminæi, & Iouis ὁρκίου κ' ἀγοραίου, Dei, inquam, Opt. Max. iudicium effugient: quamuis ciuiles omnes leges eludant, aut nullas eſſe cõtigerit, quibus ad iudicum ſubſellia iis de cauſis accuſari, & ad pænam rapi poſſint. Sic etiam Reges, quibus omnia iure regni ſolutiſſima ſunt, quantumuis licet inter homines emineant, & humanæ coertionis timore liberentur: Deum tamen, qui eos cũ purpurâ & ſceptro in regni ſolio collocauit iniuriarum in populum, & tyrãnidis, atq; adeo omnium iniquitatum ſuarum & inueſtigatoré acerrimum & vltorem habent. *data eſt*, inquit Sapiens [2], *à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quia cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè indicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis: horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt fiet, exiguo enim conceditur miſericordia. potentes autem potenter tormenta patientur: Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus, fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.* Exiſtimo equidem iſtiuſmodi exẽplis locum hũc ſatis illuſtrari, vt nemini in dubium venire poſſit, cur Samuel, cùm populo Regem poſtulanti multa propoſuerit, quæ tyrannorum propria videntur, ea ius Regis ſiue legem regni eſſe dicat: id enim perinde eſt ac ſi dixiſſet: Regem petitis, at eius quanta ſit poteſtas ignoratis: illam ego vobis oſtẽdam, vt intelligatis eum vobis dari, cuius ferre vos Imperium oportet in omnibus & perferre: & ſi quando boni Regis officium deſerẽs in fortunas & opes ſingulorum inuolauerit, nulla vobis in eum animaduerſio relinquetur: quia vos ei, ille Deo ſubiectus eſt [3]. Fieri enim poteſt vt Rex, cætetoquin bonus, vno aut altero forte adulterio, & homicidio contaminetur, qui cùm ob eam rem dici tyrãnus nequeat, illâ defenſione vtetur rectiſſimè, qua iure Regis ſiue lege regni poſſe ſe id impunè facere, ſed non debere tamen, contendat: qua de re copioſior alibi inſtituetur diſputatio. Hæc igitur, & ſimilia quæ Samuel profert, cùm facere ſoleant tyrãni, poſſint verò Reges abſque pœnæ humanæ metu, nihil vetat quo minus & Regum legiti-

morum

1 Cato in proœm. de re ruſt.

2 Sap. 6.

3 Hanc interpretationem velut certam & indubitatam ponit R. epiſcopus Cunerus. c. 7. de off. Princip.

Digitized by Google

morum iura, & tyrannorum iniurias verbis prophetæ, alia licet atque alia ratione, contineri dicamus. BOVT. Quid? tyrannorum ergo iniuriæ Regum iura cenſebuntur? id ſi ita eſt, Regibus an tyrannis pareamus, etſi opinione hominum fortaſſis aliquid, re ipſa nihil intereſt: niſi quod grauiores populo videri poſſunt quæ à Regibus, quam quæ à tyrannis acceptæ ſunt calamitates. Siquidem vnuſquiſque noſtrum non tàm iniuriis ab inimico, quàm ab amico illatis commouetur: nec quicquam in vita homini moleſtius, quàm deſeri diripíque ab eo in cuius præſidio ſpem vitæ & dignitatis tuēdæ collocarit. Præclarè Rex Theodericus [1], *Deteſtabilis eſt quidem omnis iniuria, & quicquid contra leges admittitur, iuſta execratione damnatur: ſed malorum omnium probatur extremum, inde detrimentum ſuſcipere, vnde credebantur auxilia prouenire: exaggerat enim culpam in contrarium verſa crudelitas, & maius reatui pondus eſt inopinata deceptio.* Caueſis igitur tyrannorum iniurias Regum iura vocites. Calumnioſa ſiquidem pleriſque videri illa interpretatio poteſt, qui, quantū agnus ab apro, ab accipitre columba, imò quantùm homo diſtat à bellua, tantùm paſtorem à populatore, Regem, inquam, à tyranno differre iudicant. Iura autem Regis præterea quî poſſunt ea dici, quæ Rex ſine iniuria exercere nequit? Scis enim vetus illud eſſe & verum, *ius ex iniuria leges facere non poſſe* [2]. BARC. Et tu quoque ſcis, neque inſolens illud eſſe neque recens, *Summum ius ſumma ſæpe iniuria* [3]: vel, *ſumma crux*, vt ait Columella [4], & ab Vlpiano dictum, *quod perquam durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt.* Sed nos in eo genere nunc non verſamur: Non enim inficias imus, nihil eorum quæ lege illâ regni continētur, queque boni Principis officium excedunt, à Regibus citra iniquitatem tentari poſſe: neque an ius iſtud Regum cum populi iniuria coniunctum ſit, vel minimum digladiamur. Sed an, & qua ratione, ius Regis ſit, vel dicatur, exquirimus excutimuſque. Nemo itaque noſtram ſententiam reprehendet, niſi qui eam, quo ſenſu dicta eſt, mente non aſſequetur: ac in primis quidem iis diſplicere non poteſt, qui ſuperioris filum orationis ſedatè nec oſcitanter percurrerint. Nam ius hoc perinde Regis eſſe diximus, atq; exteris fœnerari, & vxores repudiare Iſraelitidum iura fuiſſe proponuntur: quod nempe qui talia committunt,

Nil pœnas metuunt, nulla quia [5] lege tenentur.

Tantùm illud in eos exclamare licet:

1 Caſſiod. lib. 4. var. epiſt. 27.

2 Cic. lib. 1. de leg.

3 Cic. lib. 1. off.

4 Lib. 1. cap. 7. de re ruſt.

5 Intelligit de humana lege.

Digitized by Google

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

Et, vt vno verbo dicam, iniuria tyranni in facto: ius Regis in facti impunitate verſatur. Vnde B. Gregorius vocat hoc ius de quo agimus ius regium tyrannorũ [1]. *Electus Rex David*, inquit, *cum ad ædificandum altare Domino, Ornam Iebuſæi aream peteret, regio illo tyrannorum iure non vti voluit.* Faceſſant igitur quæ Peregrinus quidam Roſſæus, qui ſe peregrinum vocat in libro quẽ inſcripſit, *de iuſta Reip. Chriſtianæ in Reges impios & hæreticos authoritate*, Valde peregrina de hoc iure ſcripſit [2], aſſerens Samuelẽ iuris verbo nihil aliud niſi morem & conſuetudinem aliorum Regum ſignificare voluiſſe: quaſi verò vel populus ille impotentem vicinorum Regum dominatum ignoraſſet, vt ea de re docẽdus videretur: vel inclytus Dei propheta, imò ipſemet Deus per prophetam, appellaſſet vnquam tyrannicas illas iniurias, ius Regis, niſi aliqua ſaltem ratione ius dici poſſent, non poſſunt autem niſi ratione impunitatis, vt iamiam dictum eſt, ac proinde de eo iure ſenſiſſe Prophetam nemini in dubium vocari debet.

1 lib. 4. c. 2. expoſit. in 1. Reg. Tom. 2.

2 cap. 2. ſect. 10.

Quam iuris appellandi cauſam & rationem cùm Ioan. Gerſon in ſuis *Conſiderationibus* [3] parum conſideratè animaduertiſſet, perperam & inſcitè, quod pace tanti Doctoris dictum ſit, vel certè nimis præciſè & obſcurè eundem Samuelis locum nobis expoſuit, *Clericus ille*, inquit Gerſon, *malè & perverſè textum Bibliæ intelligeret, qui ad prædictos errores verba ſcripta primi Reg. 8. cap. vertere vellet: vbi ſermo fit de inſtitutione Saulis: hoc erit ius Regis. Nam verus literalis ſenſus alibi eſt, & ſpecialiter Deuteronomii capit. 17. omnino oppoſitus: & etiam naturalis bonum iudicium, cui naturalis rationis bonum non contrariatur ius diuinum. Dictio hac ius, non ſignificat ſemper iuriſdictionem ſeu iuſtitiam: ſed ſignificat interdum poteſtatẽ qua non eſt iuſta, Verſus, ius æquum, ius rectum, ius dicitur eſſe poteſtas.*

3 tract. ne Principes fatuis adulatorum decipiantur aſſertionibus, parte 4. alp. 66. lit. L conſider. 8.

Hæc ille, in quibus duplex eius erratum cernitur. Alterum in eo quòd locum illum Deuteronomii omnino oppoſitum, ſeu contrarium loco Samuelis de iure Regis eſſe putauerit: quod falſum eſſe, & diuerſas tantum, non etiam oppoſitas ſententias locis illis contineri, iam ſatis ſuperq; monſtrauimus. Alterum verò in vocabuli *iuris* explicatione, quod non ſatis ſcienter & peritè interpretatus eſt, *ius*, inquit, *ſignificat interdum poteſtatem qua non eſt iuſta*. Fateor:

ſed

ſed hoc tamen in re qua de agitur, non ſatis explicatè, intelligenter, & illuminatè dictum eſt. debuit adiicere de qua poteſtate iniuſta loqueretur, vtrum ſcilicet nudam efficiendi facultatem, ſiue poteſtatem quæ facti tantùm eſt intelligat: veluti quam quiſque potentior opprimendi debiliorem habet, an verò poteſtatem iniuſtam quæ legis permiſſione nititur. Priore modo ſi intellexit, maximus eius & ſine excuſatione error eſt, tum quod nuſquā apud vllum probatum linguæ latinæ authorem *iuris* vocabulum in ea ſignificatione vſurpatum reperiatur: tum etiam quia iuris nomine ita ſumpto, non magis ius Regis hoc eſſet de quo Samuel, quàm ius latronis, aut cuiuslibet potentis & peruerſi, qui re vera & de facto (vt loquuntur) poteſtatē habet alios opibus atque adeò ipſa vita ſpoliandi, quo nihil quicquā abſurdius. Ecquis n. vnquā fando audiuit aut ſanę mentis vnquam dixit, latrones viatorum ſpoliandorum & iugulandorum ius habere? & tamen iniuſtam hanc iugulādi poteſtatem, quæ facti eſt habēt. Sin poſteriore modo intellexit, rectè quidem intellexit, & nobiſcum cōſentit, qui non id aliter intelligimus. Et verò poteſtas nunquam dicitur eſſe ius, niſi lege aut iubente aut permittente competat. *Legis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire* [1]. Poteſtas quæ lege imperāte exercetur, ſemper iuſta eſt, quæ verò legis permiſſu indulgetur, ſæpe etiam iuſta eſt: interdum autem iniuſta, cùm ſcilicet vel maioris boni conſeruandi vel grauioris mali euitandi cauſa conceditur, vt variis iam ſuprà exemplis patefecimus [2]. Ex his itaq; perſpici poteſt, nihil hac Gerſonis *Conſideratione* dici inconſideratius. Nam licet verum ſit *Clericum illum malè & peruerſè textum Bibliæ intelligere* (vt ille loquitur) qui ex iſto Samuelis loco Regi perſuadere conatur, eū in corpora & fortunas ſubditorū manus iuſtè pro arbitrio poſſe iniicere, q̄ facere ſine iniuria & ſumma iniuſtitia nequit: tamē *non malè & peruerſè*, imò optimè & rectiſſimè *textum Bibliæ intelligeret*, qui Regem ita facientem nullis humanarum legum pœnis coerceri poſſe, propter eundem Samuelis locum, affirmaret: quòd iure Regis nimirum, hoc eſt lege regni permittente, id faciat: Sed Deo tamen per quem regnat, & quem ſolum ſuper ſe iudicem habet, maximas & acerbiſſimas tantæ ſæuitiæ & iniuſtitiæ pœnas daturum. Quæ cùm ita ſint, conſequens profectò iis eſt, ipſummet Gerſonem *malè* (non dicam *peruerſè*, propter viri cum honore defuncti exi-

1 L. virtus D. de leg. Can. omnis diſt. 3.

2 Vide gloſ. ord. in cap. 5. Matt in ver. dict illi. & gl. in dict. Can. omnis.

Digitized by Google

ſtimationem) aliam eiuſdem tractatus ſui *conſiderationem* concluſiſſe [1]. Quamuis enim verum ſit, vt eſt veriſſimum, quod in illius conſiderationis principio ſcribit: nempe *errorem eſſe dicere terrenum Principem in nullo ſuis ſubditis dominio durante obligari: quia ſecundum ius diuinum & naturalem æquitatem, & verum dominii finem, quemadmodum ſubditi debent fidem, ſubſidium, & ſeruitium domino: ſic etiam dominus ſubditis ſuis fidem debet & protectionem*, tamen falſiſſimum eſt quod ibidem ſubiicit, perperamque ex iſtis principiis colligitur: Principem ſcilicet à ſubditis occidi poſſe, *ſi eos manifeſte & cum obſtinatione in iniuria & de facto perſequatur*. Idque nulla ſacra authoritate confirmauit, imò nec confirmare potuit, tantùm tragici Senecæ, & Ciceronis teſtimonio vſus eſt, quorum hic quidem non de legitimis Principibus in tyrannidem lapſis, ſed de tyrannis verè propriéque dictis, id eſt dominationis vſurpatoribus ſcribit: ille verò æqua, iniqua, læta, triſtia, bona, mala, pro perſonarum qualitatibus & affectibus, tragœdiis inſerit, præclara ſcilicet Chriſtiani dogmatis ſtabiliendi fundamenta. Quantò rectius Cunerus Epiſcopus [2]. *Regia poteſtatis licet ex lege Dei ſimul & ex iuramentis & pactis ſint in exercitio limites & cancelli: nulla tamen pacta vel contractus diuinæ ordinationi, qua Rex poteſtatem ſuam habet, præiudicare poſſunt, vt populus aliquando contra Regem ſuum ad arma conuolare queat.* Cuius quidem ſententiæ veritatem nos alibi certiſſimis ſacris & profanis teſtimoniis, rationibus, & exemplis fuſiſſimè demonſtrabimus. Sed redeo nunc eò vnde me reuocaſti, vt alio adhuc argumento errorem Buchanani coarguam.

Legem igitur regni hanc eſſe de qua loquimur, & non ſolùm ad timorem populo Hebræo propoſitam, ne miſeræ tyrannorum dominationi ſeipſum temere concrederet, teſtimonio ſunt manifeſtiſſimo ea quæ in Rege poſtea inaugurando & eius imperio in ſubditos ſtabiliendo, feciſſe Samuelem ipſa eadem hiſtoria refert. Cùm enim Saulem clàm vnctum ſors ducta per tribus iam Regem palàm deſignaſſet, eumque multitudo ouans fuiſſet amplexa, Samuelis ad populum rurſus hæc fertur oratio [3], *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo* (*ſtetit* enim, *in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero & ſurſum*) quo audito, *clamauit omnis populus, & ait, viuat Rex*. Peractis deinde omnibus, quæ vel eius ſeculi cõſuetudo ferebat, vel Dei monitu Samuel inſtituerat:

[1] Conſid. 7.

[2] lib. de offic. Principis Chriſtiani cap. 5.

[3] 1. Reg. 10.

tuerat: cum iam tempus ſoluendis comitiis inſtaret, ſequitur in ea hiſtoria. *Locutus eſt autem Samuel ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino: & dimiſit Samuel omnem populum, ſingulos in domum ſuam.* Ecce repetitã, ſcriptam, & coram Domino, id eſt in arca fœderis repoſitam legem regni: at quam? eam ipſam profectò, quam rogantibus initio Regem propoſuit. Id enim ex verbis hiſtoriæ deprehendi poteſt: ait namque, *locutus eſt ad populum*: non dicit ad Regem, non ad populum & Regem: ea ergo lex erat, cuius præcepta parendi potius quam imperandi modum, & rationem præſcriberent: iis ſiquidem populus non Rex, imbuendus erat. Præterea id etiam ex eo perſpicuè apparet, quòd legem hanc ſcripſerit, & repoſuerit coram Domino; quæ ſi de Regis officio intelligatur, conſtat Samuelem nihil noui eo facto præſtitiſſe, ſed actum egiſſe: ita vt inanis prorſus & ſuperuacanea illa eius opera cenſeri poſſit. Nam, vt ſuperius relatum eſt multis ante Samuelem ſeculis tradita fuit lex regni complectens ea quæ regii ſunt muneris [1], & eo in libro perſcripta quem Moy- ſes in latere arcæ fœderis collocari iuſſit; vt eſſet ibi perpetuò in teſtimonium contra legis tranſgreſſores [2]. At nihil quicquam antè de populi obſequio, & patientia ſub malis Principibus ſancitum fuit niſi id quod ſemel verbo tenus ipſe Samuel paulò prius enunciauerat: ob eamque cauſam de illa re meritò ei curæ fuit, vt lex, quæ populum ſui ſemper officii admoneat, propoſita iam & promulgata, literis immortalitati commendaretur. Quæ cùm ita ſint, conſequens iis eſt, eius legis capita non ſolùm ad deterrendam à propoſito multitudinem, ſed ad cohortandam quoque & inſtruendam, vt Regi vltrà quàm par eſt imperioſo humaniter & demiſsè obſecundet principiò fuiſſe vulgata: alioqui quid attinuiſſet eam iterum legem recitaſſe, atque in ſacris condidiſſe monumentis, eo præſertim tempore quo nullus pœnitentiæ locus, nullum mutandi cõſilii ſpacium, nullum remedium, nulla denique metus iniecti vel iniiciendi vtilitas, amplius ſupererat iis, quibus conſultum voluit.

1 Deut. 17.
2 Deut. 31.

Verum ne coniecturis tantùm, aut argumẽtis, licet grauioribus, meo marte adductis egiſſe videar, Ioſephum præterea integerrimum & religioſiſſimum teſtem acceſſo, qui Hebræorum monumenta, quę vel mandata literis, vel maiorum traditione, in animis hæſerant, ſi quis alius, optimè

1 Li.6.antiq.c.5. calluit. Is enim diſertè ſcribit [1], Samuelem poſt inauguratum à ſe Saulem, & fauſtis populi acclamationibus Regem ſalutatum, ſcripſiſſe in libro, & repoſuiſſe coram Domino, vaticinationem ſuam de cruciamentis, & malis omnibus quæ populus erat ſub Regibus perpeſſurus. Hæc autem vaticinatio quæ potuit eſſe alia, quàm lex illa regni, ſeu ius Regis quod paulo antè deſcripſerat, cùm Regem poſtulantibus varias oppreſſionis afflictiones, aduerſaque omnia minitaretur? Idipſum confirmat, etiam communis Eccleſiæ obſeruatio, annotatioque, appoſita margini vulgatæ editionis, ad collationem Scripturarum faciens, quæ legem ſecundò promulgatam eandem fuiſſe docet cum ea quam initiò Samuel propoſuit. Sed operæpretium eſt ipſa Ioſephi verba adſcribere, λέγει δὲ ὁ προφήτης, inquit, τοῦτον ὑμῖν ὁ θεὸς ἔδωκε βασιλέα: ὁρᾶτε δὲ ὡς καὶ κρείττων ἐστὶ πάντων, καὶ τῆς ἀρχῆς ἄξιος: ὡς δ᾽ ἐπευφήμησε τῷ βασιλεῖ σωτηρίαν ὁ λαὸς, τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι κακὰ γράψας αὐτοῖς ὁ προφήτης ἀνέγνω τοῦ βασιλέως ἀκροωμένου, καὶ τὸ βιβλίον τίθησιν ἐν τῇ τοῦ θεοῦ σκηνῇ, ταῖς μετέπειτα γενεαῖς μαρτύριον ὧν προείρηκε. id eſt. *Ait autem Propheta; hunc vobis Deus Regem dedit. Aſpicite quàm ſit omnibus præſtantior, & imperio dignus. Poſtquam autem populus ſalutem & fœlicitatem Regi precatus eſſet, Propheta ſcripſit mala quæ illis euentura erant, & legit Rege audiente, librumque repoſuit in arca Domini, vt eſſet apud poſteros teſtimonium eorum quæ prædixerat.* Quæ cùm ita ſe habeant miror profectò ſummoperè Stephanum Brutum duobus in locis [2] ſuarum vindiciarum indubitanter ſcripſiſſe, Samuelem, quem falsò ſacerdotem ſummum vocat, eam ipſam legem regiam quæ Deuteron. 17. capite extat, Sauli electo & conſtituto deſcriptam in volumine tradidiſſe: id autem vnde Brutus acceperit equidem non animaduerto: non enim ex ſcriptura diuina, ſat ſcio, niſi alios ipſe Samuelis & Regum libros vidit, quàm qui ſacro Bibliorum volumine continentur, aut niſi, vt cæteri ſuæ ſectæ homines, inſomnia ſua & opinionum commenta, pro ſacræ ſcripturæ teſtimoniis accipienda putarit. At quantò melius modeſtiùſque B. Gregorius [3]: *Dum ergo regni lex ſcribitur*, inquit, *perpetua memoria pœna traditur, qua audaces puniantur: quæ quia per Domini iuſtitiam lata fuerat, coram Domino reponi perhibetur. Sed fortaſſe ius illud aliud fuit, quàm lex iſta quæ ſcribitur. Quod ſi verum eſt, hanc Samuel coram Rege ad populũ loquitur, vt Rex*

2 Quæſt.3.pag. 119.& pag.157.

3 Li.4.ca.vlt.expoſit.in 1.Reg.

ſciat, à populo quid exquirat: ſciat populus quid exhibere ſuis Regibus debeat. En vt id verecundè & dubitanter proponit vir ſanctus, quod euidente ſacrarum literarum probatione deficitur: vtque audacter aſſerit Brutus, quod nulla conlectura, nullo probabili argumento ſuſtinetur. Nam licet verum ſit (quod tamen veriſimile non eſt) legem hanc aliam fuiſſe, quàm ius illud Regis prius à Samuele diuulgatum, tamen non fuiſſe illam quæ in Deuteronomio deſcripta eſt, ex eo patet, tum quòd nulla neceſſitas nullaque ratio ſuaſiſſe videtur legem iam latam, ſcriptam, & repoſitam coram Domino, quam recitare fuiſſet ſatis, iterum ferre, ſcribere, & reponere coram Domino: tum etiā quia lex iſta, ſi alia fuit, ea complectebatur quæ vel Rex à populo exigere; vel populus Regi exhibere debeat, vt ait D. Gregorius, cùm tamen lege in Deuteronomio poſita ſolius Regis officium deſcribatur.

Supereſt nunc monere Buchanani opinionem D. Thomæ ſententia nequicquam iuuari. Nam neque ipſe, neque alius Sanctorum Patrum, quod ſciam, vnquam ſcripſit vel ſenſit Iſraelitas petiiſſe tyrannum, aut Saulem, Dauidem, Salomonem, & cæteros ritè inauguratos non fuiſſe Reges legitimos: quin potius contrà, & verè, & optimo iure Reges fuiſſe, omnes vno ore prædicarunt. Quid multis? à Buchanano non ſolùm viri boni & veritatis amantes diſſentiunt, ſed eius etiam ipſius ſequaces, homines licet perditi & mirè populares, in hoc deſciſcunt. Nam Brutus, qui primas inter eos fert, Iſraeliticum regnum omnium optimè conſtitutum fuiſſe tradit. Deinde verò quod ſcribit ſanctus Thomas [1]; *ius illud non debebatur Regi inſtitutione diuina, ſed magis prænuntiabatur vſurpatio Regum, qui ſibi ius iniquum conſtituunt in tyrannidem degenerantes, & ſubditos deprædantes*: id totum à nobis ſtat, & cum noſtra explanatione conſentit: qui Deum non iccirco ius iſtud propoſuiſſe dicimus, quòd eo Rex ſine iniuria populi, ſineque peccato vti poſſit, ſed vt Regem, tyrannicis moribus inquinatum, talia facturum prænuntiet: pro quibus tamen, etſi priuatus pœnam lueret, ipſe à populo plecti nequeat. Alioqui ius iſtud non magis ius Regis, quā ius ſingulorum de populo diceretur: nam quilibet factioſus & potens, in alterius fortúnas inuolare, agros, oliueta, vineas auferre, ſed & filios quoque ac famulas vi eripere poteſt; vt ſi iniuriam facti tantùm ſpectemus, ac non etiam

[1] 1.2.quæſt.15. art.1.ad.5.

etiam ius impunitatis, quo Rex ſingulari beneficio gaudet, æquè dicatur hoc eſſe ius cuiuslibet diuitis & potentis, atque ipſius Regis. Sed quia illum talia committentem publici iudicii reum facere, & pœnis lege conſtitutis ſubiicere licet, hunc verò non licet, cùm directiuè tantùm, vt aiunt, non etiam coactiuè, legibus humanis ſubſit, ob eam rem meritò vocatur ius Regis, quòd eius factum perinde legibus impunitum maneat, ac ſi verè ſecundum leges factum fuiſſet. Rurſus quòd ait D. Thomas, ius hoc à Samuele propoſitum ad terrendum Iſraelitas, ne Regem peterēt, quod & ante eum D. Hieronymus [1], & Gregorius [2] admonuerunt, id nos quoque fatemur: fatemur, inquam, hanc fuiſſe cauſam, ſed nec ſolam fatemur, nec illi dicunt: plus igitur quàm illi, non verò pugnantia illis dicimus. Quod autem non ſolum ad terrorem propoſuerit id Samuel, perſpicuis rerum argumentis & rationibus abundè iam demonſtratum eſt.

[1] In cap. 1. Oſee.
[2] Lib. 4. c. 2. in 1. Reg.

Vides quo pacto aliquot elenchorum eius acies, hac interpretationis veritate retunditur, quam eo pluribus ſum proſecutus, vt ſit hæc vna omnibus cautio, ne decipi ſe captioſis maleuolorum hominum argumentis in hoc diſputandi genere patiantur: quorum pleroſque inuidia, nonnullos gloriæ & laudis ex ingenio comparandæ libido ad ſcribendum impellit: ſed ita vt ab omnibus peccatum ſit in eo grauiter, quòd cùm materiam omni iudicio illuſtrē iuxtà ac vtilem tractandam ſuſceperint, vel nolint, vel neſciant imperii poteſtatē ab officio imperantis diſtinguere: cùm tamen nihil aut in præceptis philoſophorum, aut rerum geſtarum exemplis ex omni ſeculorum memoria, planius certiúſque intueri liceat, quàm hāc officii & poteſtatis diſtinctionem in perſonis tàm publicis quàm priuatis. Scitum eſt illud Catonis [3], *potentes parcè vti debere poteſtate ſua, vt eam ſemper retinere poſſint:* & tamen nullum tempus tribuendi officii non eſt amplectendum.

[3] Plut. in apoph.

Quo pertinet memorabile illud factum Clodouæi primi Francorum Regis Chriſtiani, cuius animi moderatio Xerxis inſolentiam in ſuo genere ſuperauit. Id quoniam nunc animo occurrit, quibus relatum eſt verbis ab ipſo authore, recitabo [4]. *Exercitus Francorum multas Galliarum eccleſias inuadens, theſauros earum diripuit (Clodouao nondum ad fidem conuerſo) vnde inter cætera ſpolia, de eccleſia Remenſis vrceum miri ponderis ſimul & decoris aſportauerunt: pro quo beatus*

[4] Aimoin. li. 1. c. 12. & Grego. Turon. li. 2. hiſt. c. 27.

Remi-

Remigius, ipſius vrbis pontifex, legatum ad Clodouaum direxit, multa prece depoſcens, vt ſi non aliud recipere mereretur, ſaltē vrceus ille ſibi redderetur. Tunc Rex legato præcepit dicens, ſequere, inquit, me vſque Sueſſionis, ibi quæ capta ſorte miſſa diuidentur: & ſi mihi ſors iuſta vas, pro quo oras, dederit, in recipiendo eo nulla tibi generabitur mora. Parens ille præcepto, iter Regis vſque ad deſtinatum proſecutus eſt locum. Quò cum perueniſſent, ex Regis edicto ſuppellex cuncta in medium defertur, ſorte diuidenda. Porrò Rex veritus ne ſorte miſſa vrceus ad alterius deueniret dominiū, conuocatis principibus hac eos alloquitur oratione. Cum rationis ordo expoſcat Principem imperare potius ſubditis, quid velit quàm prece depoſcere, ego tamen fortiſſimi commilitones malo cum gratia quàm cum auſteritate quicquã à vobis exigere. Tyrannorum quippe eſt leuia quæque cum vi & feritate ſubiectis præcipere: bonorum verò Principum ad grauia etiam ac difficilia toleranda, ſola lenitate inuitare verborum. Regii itaque dignitas nominis, pii patris debet exempla ſectari, vt plus reuerentiæ ſibi ex benignitate, quàm timoris exigat ex crudelitate. Rectius igitur duxi manſueti animi beneuolentia id vos rogare, quod poſſum regia vſus auctoritate inconſultis vobis præripere. Vnde oratos vos omnes eſſe volo, vt vas iſtud (vrceum demonſtrans) veſtra mihi munificentia extra ſortis meæ portionem tribuat, deque remunerationis præmio nullus veſtrum ambigat cùm me retributorem profitear, ſi hoc cum bona quiuero impetrare gratia. Ad hæc Franci, reſpondentes Regi, dixerunt. Nos ô inclyte Rex, ſacramento olim tibi fidem promiſiſſe recolimus: vtque mortem pro corporis tui ſalute ſubire parati eſſemus, profiteri non erubuimus. Si ergo vitam ipſam, quæ cunctis charior eſt opibus, tibi vouimus, quid maius erit quod iuſtè negemus? Sanè ex his ſpoliis non partem, ſed totum tuæ poteſtati cedimus; vt volueris fac: aut mergi fluminibus, aut flammis iubeas tradi voracibus, nil ad nos attinet, tantùm vt tuo ſatisfiat deſiderio. Tam deuotam totius erga ſe exercitus voluntatem Rege admirante, atque laudante, vnus ex Francis leuitate animi commotus, gladio vrceum percutiens ad Regem dixit. Tu inquiens, Rex, hinc nihil accipies, niſi quod tibi vera ſors auferre permiſerit. Mirantibus cæteris, ſimúlque audaciam viri incuſantibus, Rex moleſtè id ſe ferre diſſimulans, vas ſuprà memoratum legato pontificis reddidit.

Emenſo labentis anni curriculo, idem princeps exercitum adunari præcepit in campo qui Martius dicebatur: generale proponens edictum vt ſic adeſſent armati, ac ſi contra hoſtes pugnaturi. Procedit eo loco quo iuſſum fuerat exercitus geſtis militiæ clarus, ac ar-

morum nitore conſpicuus: Progreditur & Rex Clodouæus ordinatam ſuorum aciem inſpecturus: circuitóque agmine deuenit ad eũ qui vrceum ſuo percuſſerat mucrone, quem intuitus taliter alloquitur. Vniuerſum, inquit, perluſtrans exercitum, ignauiorem non reperi, nec inutiliora gerentem arma conſpexi. Nam nec haſta aut clypeus, nec galea aut gladius, alicuius ſunt vtilitatis. Et extenſa manu Franciſcam eius terra deiecit (quæ ſpata dicitur) ad quam recipiendam cùm ſe ille inclinaſſet, Rex ſuam vagina exemit, eiúſque ceruici valido conamine illiſit dicens. Sic tu Sueſſionis in vrceo illo mihi feciſti. Eo itaque mortuo, Rex vnumquemque ad propria redire præcepit. Grandis propter hoc factum Francos terror inuaſit, & ne quis eius voluntati in poſterum contrairet, coercuit. Inerat vultui eius grauitas mixta alacritati, vt & iucunditate aſpectus mulceret probos & ſeueritate terreret improbos.

Libuit integram rei geſtæ hiſtoriam referre, quamquã particula ad id quod agimus ſat eſſe videbatur: ineſt enim in ea boni Principis expreſſa imago, qui non tàm quod poteſt, quàm quod debet in imperio facit. Impetrat Clodouæus à volentibus, quod ab inuitis potuit extorquere: & datam ſibi iure regni poteſtatem, honeſtatis & humanitatis legibus temperauit. Nam quod publico ſcelere violatum in Principe ſuo exercitum publicè expiarit, &, diſſimulata ad tempus offenſione, hominem ex multis milibus vnum audacem, refractarium, ſeditioſum, & maieſtatis etiam contemptorem, tàm inſigniter & dexterè peremit: id tantum abeſt vt ei probo vertatur, vt reliquis eius heroicis laudibus annumerari debeat. Eam ipſam poteſtatem agnouit Cæſar [1] quidem, ſed non exercuit: licenter nimis & arroganter eos facere dicens, qui de officio Imperatoris deſperare, aut ei præſcribere audeant: quíve plus ſeipſos, quàm Imperatorem, de victoria atque exitu rerum ſentire exiſtimant.

[1] Lib. 1. de bell. Gall. & li. 7.

Sed nolo nunc plura in hanc ſententiam dicere: Neque enim cùm tuo hortatu in eam digrederer, tam multis mihi opus fore credidi, ad hunc Buchanani de Regibus Hebræis errorem refellendum. Cæterùm de abſoluta Principum poteſtate, & commiſſis eorum à populo non puniendis, aptius & vberius alio loco dicetur [2]: tempus enim nunc inſtat abire hinc nos, & Vale dicere. BOVT. Nec morari te audeo diutius, nec libens diſcedere permitto. Quamuis enim fidem tuam egregiè liberaſti, & meum hac in re expleſti deſiderium: tamen ingens me adhuc libido

[2] Tractatur hæc infrà, li. 3. & 4.

tenet

tenet audiendi ex te aliquid de legum origine, imperio & poteſtate:(quod diſputationis caput, cùm de illo antè mētio fieret, huic loco viſus es reſeruare) aſpice in æſtiuali ſigno ſurgentem iam ſolem: abunde tibi eſt antemeridianæ lucis ad ea quæ cupis: tuáſque ego hodie preces & prandium tardare parumper volo, non tollere. Agedum ergo, legum fontes ortúſque paucis ſcrutare, vt vtrum iidem illi, quos aduerſarius autumat, ſint, necne videamus. Nam is Regibus duo iniecit vincula arctiſſima, conſiliariorum nempe arbitria, aſſenſionéſque, & legum imperium: ex quorum altero nodis omnibus diſſolutis eripuiſti eos ſtrenuè: altero verò ſimiliter ſi iure nunc eos exuas, liberos tandem, atque ſolutos, in oculos hominum produces.

BARC. Quid non tuâ gratiâ fecero? innexum me habes vinculis multò grauioribus, quàm ille Reges: ſanctiſſimâ videlicet amicitiæ lege, qua velut coactus aliquid temporis adhuc tecidam, atque iis aculeis euellendis tribuam, quos iſti, ſi Deo placet, philopatrides, falſis aſſertionibus, & deprauatis authorum locis in animos hominum mentéſque inſigunt.

Verùm ne qua illis iniuria fieri videatur, ſi ſuppreſſa ipſorum ſententia, refutationem tantùm ſubiecero: lege breuiter, ſi placet, quæ Buchananus de legum origine preſcripſerit: ita enim commodiſſimè fiet vt obſcuriores eius errores aduerſantium argumentorum lumine deprehendantur. BOVT. Legum originem Regum ille temeritati aſcribit: quippe gentes, Regum vitia pertæſæ, leges ſibi cœperunt conſtituere, quæ populum Principémque tenerent. Is enim vbi Reges initio tutandæ æquitatis cauſa conſtitutos fuiſſe dixiſſet, mox hæc ad verbum adiecit [1]. *Id illi ſi tenere potuiſſent, imperium quale acceperant, tenere perpetuo potuiſſent: hoc eſt liberum & legibus ſolutum. Sed (vt humana ſunt omnia) ſtatu rerum in peius prolabente, quod publica vtilitatis cauſa fuerat conſtitutum imperium, in ſuperbam dominationem vertit. Nam cùm libido Regum pro legibus eſſet, hominéſque in poteſtate infinita & immoderata collocati, ſibi non temperarent, ſed multa gratia, multa odiis, multa priuatis commoditatibus indulgerēt, Regum inſolentia, legum fecit deſideriū. Leges igitur hac de cauſa inuenta ſunt à populis, Regéſque coacti non ſua in iudiciis licētia, ſed quod populus in ſe dediſſet iure vti.* Et alio in loco [2], Regis autori-

1 Pag. 12.

2 Pag. 13.

toritatem à lege pendere eâ potiſſimum ratione nititur oſtendere, *quia non Rex legi*, inquit, *ſed lex Regi coercendo quæſita eſt: & à lege idipſum habet quod Rex eſt. Nam abſque ea tyrannus eſſet.* BARC. Vah. BOVT. Quid mirare? BAR. Quæ fundit mera mendacia. Agedum ergo refer nunc animum ſis, vt omnes mecum Reipublicæ formas volutando, legum in ſingulis conſtituendarum originem perquiras: & inuenies proculdubio earum ferendarum neque cauſam eandem, neque modum eſſe, qui ab iſto perſcriptus eſt. Nam primùm conuenientes in vnum homines, atque ab illo agreſti & inculto viuendi genere ad communis vitæ ſocietatem digreſſos cupido ſtatim inceſſit vnius alicuius arbitrio ſe committendi eiúſque potiſſimùm quem cœtus & ſocietatis ſuæ authorem habuerant. Hunc, ſiue Ducem, ſiue Regem mauis appellare, ſatis conſtat multitudinem ſibi commiſſam incerto iure, & ſine lege variè ſuo arbitratu principio gubernaſſe: idque iſti neutiquam inficiantur. Itaque regalem, ſiue monarchicam dominationem, antiquiſſimam eſſe, imò ſolam primis temporibus obtinuiſſe, illuſtrius eſt, quàm cui probando inſudetur. Inde fit, vt tametſi in rerum geſtarum monumentis perſcriptum reperiatur, qui primi Democratias, aut Ariſtocratias in antiquiſſimas ciuitates inuexerint: tamen qui primi Reges fuerint, paucis compertum ſit. Vel quia veriſimile non eſt literas æquè ac primos Reges vetuſtas extitiſſe: vel ſi quis literas etiam tunc fuiſſe contendat, certè rerum ſcriptores multo pòſt tempore cœpiſſe fateatur neceſſe eſt [1]. Nam & Græciæ ciuitates, in quibus maxima fuit Reipublicæ adminiſtrandæ varietas, omnes initio Regibus paruerunt: [2] & Aſiæ populi omnes (quos antiquiſſimos eſſe vel ipſa hominis in ea creatio ſatis indicat) Regum nutu olim gubernabantur. *Principio*, inquit Iuſtinus [3], *rerum gentium nationúmque imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium huius maieſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur: arbitria Principum pro legibus erant.* Idem teſtatur Cicero, qui omnes antiquas gentes Regibus quondam paruiſſe ſcribit [4]. Et Saluſtius [5], *Igitur initio Reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diuerſi, pars ingenium, alii corpus exercebant.* Poſteà verò quàm diſplicuiſſet nonnullis hoc regiminis genus, ſiue quod perſenſerant iniqua ſibi à Regibus imperari, ſiue quod vt veriſimilius

1 Diod. li. 1. c. 1.

2 Dion. Halicar. li. 5. antiq. Cic. li. 3. de Legib.

3 In princ. hiſt.

4 Li. 3. de Legib.

5 Lib. de Coniur. Catilinæ.

lius eſt, ambitioſorum hominum inſtigatione odium illud in Reges conceperant: tum alii alias, vt quæque maximè arridebat, Reipublicæ formas ſibi arripuerunt: nec vlla ferè reperta eſt ciuitas, quæ excuſſo Regum iugo, eâdem ſemper adminiſtrandæ Reipublicæ formâ contenta fuerit. Adeo enim præceps eſt via vitâque mortalium, vt vbi ab optima ſemel abſceſſerint, vix vſquam conſiſtant donec in peſſimam prolabantur. Certè Populum Romanum omnes publici regiminis ſpecies pertentaſſe, ſi opus eſſet & otium, hîc facilè demonſtrarem.

Videamus ergo quæ cauſa legum ferendarum, & quis modus tàm in regia, quam ariſtocratica, & populari gubernatione fuerit. Ac vt à poſterioribus prius ordiamur, quis non videt leges in iſtis ea potiſſimum de cauſa expetitas, quod cùm permulti eſſent viribus & gratia pares, qui non vnius alicuius iuſſo parebant, neceſſe fuit tumultuantium diſcordes animos legum vinculis, & aliqua iuris æquabilitate continere? ac proinde,

[1] *Iura inuenta metu iniuſti fateare neceſſe eſt,*
Tempora ſi faſtoſq; velis euoluere mundi. 1 Hor. li. 1. Sat. 3.

Cauſam tenemus, modus perueſtigandus. Legibus igitur eiuſmodi conſtituendis, nunquid ipſi initio populi præfuerunt? nunquid ipſi eas ſuo iudicio ſancierunt? minimè gẽtium. Sed vnum aliquem, cuius fidem & authoritatem ſequebantur, legum & ſanctionum ſuarum latorem ſinguli deligebant. Nam, vt antiquiſſimas oligarchias aut democratias commemorem, nonne cùm regnari deſitum eſſet Athenis, ſiue poſt mortem Ægei, vt quidam exiſtimant, ſiue, vt aliis placet, poſt Theſei & Meneſthei genus extinctum [2], Populus Athenienſis, qui tunc ſine duce & ſine capite incerto iure vtebatur, Draconi legum ferendarum poteſtatem contulit? cuius ſcita, quamuis ſeuera & impendio acerbiora eſſent, vtpote quæ ob leuiores noxas, veluti pomi aut oleris furtum, capitale ſupplicium irrogarent [3], & parem omnibus delictis pœnam conſtituerent (vt non immeritò Demades dixerit eum ſanguine non atramento leges ſuas ſcripſiſſe [4]) tamen eas populus nec grauatè amplexus eſt, nec oſcitanter aut ſolutè coluit. Et quamuis ſcirent plerique dura quædam & dira iis legibus contineri, & quæ viuendi libertatem, qua prius vſi fuerant, plurimum diminuerent: diu tamen hominis illius iudicio velut oraculo quodam ſacroſancto contenti, iiſdem legibus

2 Plut. in Theſei vita. Pauſan. in Atticis.
3 Gell. li. 11. c. 18.
4 Plut. in Solo.

bus paruere. Ac rurſus, vt eſt ingenium omnium hominum ab arctiore vitæ conditione ad libertatem procliue, vbi idem populus obſeruationis diſſuetudine velut tacito conſenſu, eas ipſas leges in totum ferè obliteraſſet: & Athenæ tribus grauiter factionibus premerentur, Epacriorum ſcilicet, Paralorum, & Pediæorum, qui omnes inter ſe diſcordes & animis abalienatis, legum & iudiciorum ordinem, atque adeò totum ciuitatis ſtatum euertere videbantur: nonne communibus omnium ſuffragiis, adhibito etiam iureiurando, vnus electus eſt Solon, quem totius diſſidii arbitrum, & legumlatorem conſtituerunt? ſed quanta cum poteſtate, audi. Solonem, inquit Plutarchus[1], Athenienſes Reipublicæ emendatorem ac legislatorem deſignauerunt: nec verò poteſtatem ei vllis circumſcriptam cancellis tribuerunt. Sed vt ſemel vniuerſa, magiſtratus, iudicia, curiam, & horum cuiuſque cenſum, numerum, & tempus definiret: vtque præſentia inſtituta, pro arbitrio, vel abrogaret, vel confirmaret. Numquod hic ſibi populus ius arrogauit? numqua eius alia authoritas hîc conſpicitur, præter illam qua ſponte ſuâ ſe authoritate abdicauit, quâque vt rata forent quæ ab iſto ſciſcerentur vniuerſi ſtatuerunt? ea enim rogatione perlata, ius omne & facultatem legum condendarum à ſe in legislatorem tranſtulerunt.

1 in Solone.

Pari modo & authoritate Zaleucus Locrenſibus, Phidon Corinthiis, Androdamus, Philolaus, Charondas, Cataneus, & cæteri ſimiles, alius aliis, leges tradiderunt[2]. Sic etiam Populus Romanus, Decemuiris, quos legibus mutuandis à Græcis præfecerat, ſummum & abſolutum imperium, ſine vlla prouocatione, tribuit: eo tantum à cæteris diſcrepans quod decem pro vno dominos habuerit. *Exactis deinde Regibus*, inquit Pomponius, *lege Tribunitia omnes leges hæ exoleuerunt: iterúmque cœpit Populus Romanus incerto magis iure, & conſuetudine ali, quàm per latam legem: idque prope viginti annis paſſus eſt. Poſtea, ne diutius hoc fieret, placuit publica authoritate decem conſtitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, & ciuitas fundaretur legibus: quas in tabulas eboreas perſcriptas pro Roſtris compoſuerunt, vt poſſint leges apertius percipi. Datúmque eſt eis ius eo in anno ciuitate ſummum: vti leges & corrigerent, ſi opus eſſet, & interpretarentur: neque prouocatio ab eis, ſicut à reliquis magiſtratibus, fieret.* Nemini itaque obſcurum eſſe poteſt, leges in his

2 Ariſt. lib. 2. Polit. c. 4. & c. vlt.

Rerum-

Rerumpublicarum generibus, non Regum in ordinem cogendorum, ſed multitudinis in officio continendæ cauſa fuiſſe expetitas: neque populum vni alicui quem domitum voluit, ſed vnum eas toti populo præſtituiſſe. Nec aliud putes ſenſiſſe Ciceronem in officiis [1] cùm dicat eandem conſtituendarum legum cauſam fuiſſe quæ Regum, *ius enim*, inquit, *ſemper quæſitum eſt æquabile*. quem locum, & quæ eum ſequuntur apud Ciceronem, idem ille Buchananus ad ſuæ ſententiæ confirmationem ineptiſſimè ſine vlla ratione detorquet [2]. neque enim quicquam iis verbis continetur, ex quo Regum coercendorum cauſa leges inuentas fuiſſe colligatur. BOVT. At id tamen ab eo poſitum eſt, tanquam ſolidum totius diſputationis fundamentum, vel vt eius verbis vtar, veluti fons quidam vnde iſtam ſuam doctrinam hauſerit. BARC. Idem & Brutus facit, qui vt eſt Regibus infenſior, ita etiam in comminiſcendo impudentior, cùm ex eodem Ciceronis loco bina, imò trina mendacia prauæ interpretationis ſubtilitate conſuat. [3] *Sæpe verò*, inquit, *dum arbitria Regum legum inſtar eſſent, eueniebat, vt alia aliis loquerentur, leges tum, quæ cum omnibus vna eademque voce loquuntur, à prudentioribus & cæteris magiſtratibus proximè inuenta fuerunt. Regibus verò id præcipuè muneris commendatum, vt legum cuſtodes, miniſtri, & conſeruatores eſſent. Ne verò legi vim facerent, optimates ſubinde Regibus à populo adiuncti fuerunt.* Hæc ille. Cuiuſmodi multa in iſtis ſcriptoribus queri omnes, mirari nemo debet: niſi qui eorum ingenia non ſatis cognita habet & perſpecta. Nam is ei hominum generi mos eſt, vt vbi ſemel à veritate deflexerit veritatem ſe tueri, & veterum authorum veſtigiis inſiſtere, ſuperba ſententiæ obſtinatione contendat. Quoniam igitur vtriuſque, Buchanani, inquam, & Bruti error idem eſt, parque figmentum; in illius opinionis refutatione huius mendacia detegentur. Audiamus itaq; quantum iſtis aſtipuletur Cicero: ipſa eius verba hæc ſunt. *Mihi quidem non apud Medos ſolùm, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros iuſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati Reges conſtituti. Nam cùm premeretur initiò multitudo ab iis qui maiores opes habebãt, ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantẽ, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituẽda ſummos cum infimis pari iure retinebat. Eadẽq; conſtituendarũ legum cauſa fuit quæ*

[1] Lib. 2.

[2] Pag. 13.

[3] Quæſt. 3. pag. 114.

Regum, ius enim ſemper eſt quæſitum æquabile, neque enim aliter eſſet ius: id ſi ab vno & iuſto viro conſequebantur, eo erant cõtenti, cùm id minus contingebat, leges ſunt inuentæ, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de iuſtitia magna eſſet opinio multitudinis: adiuncto verò vt iidem prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his authoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Num quod vel minimum in his verbis indicium ineſt, ex quo ad Reges in ordinem cogendos, leges inuentas appareat? Audis Ciceronem dicentem eandem legum conſtituendarum cauſam fuiſſe, quæ Regum: non ergo Regis, ſed populi cohibendi, & in officio continendi causâ leges latæ fuerunt: nam teſte eodem, Reges initio electi ſunt eius ipſius æquabilitatis fruendæ ſpe: *Cum premeretur*, inquit, *multitudo ab iis qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant*, hoc eſt, ad Regem. Multitudinis igitur ſubleuandæ causâ deſideratus Rex eſt. Poſtquam verò pertæſum fuerat Regum, & iterum populi ſine ducibus eſſe cœperant, leges ſibi aliæ alias, pro arbitrio gentes conſtituebant, quibus Regum vice vniuerſi ſimul parerent; delectis ad id munus viris, omnium opinione, prudentia & authoritate præſtantibus, qui iſtis legum ſanctionibus cunctorum vtilitati conſulerent. Quid hoc ad Reges legibus ſubiiciendos? nunquid aut legum vincula iis iniecta à populo, aut ſub eorum imperio multitudinem leges ſibi tuliſſe, hoc argumento poteſt colligi? Equidem demiror hominem doctum vſque adeo oblitum ſui, vt ea antecedentibus adiungeret atque annecteret conſequentia, quæ nulla ratiocinandi formula inter ſe poſſunt congruere: vereórque vt fides potius quàm ſcientia in eo deſideretur: nec enim quia iſta eum fefellerunt, ſed quia iſtis alios fallere cupiebat, talia ab eo ſcripta probabile eſt. Ad rem verò: quid multis? annon hac vna ratione victi cõticeant, quod in democratico ciuitatis ſtatu, & aliis extra monarchiam Reipublicæ formis, leges experi ferrique Regum coercendorum cauſa non poterant, cùm ibi Reges nulli eſſent. At cogitabant forte de Regibus recipiendis, & ideo legibus latis ſibi præcauebant: nugæ. regium nomen nonnulli eorum adeo perhorreſcebant, vt ne haurire id quidem auribus ſine odio & indignatione poſſent. Eſto igitur, eandem legum conſtituendarum cauſam fuiſſe, quæ Regum, vt ait Cicero: ei tamen conſequens haud

erit,

erit, quod iſti inferunt, Regibus ſcilicet cogendis leges introductas: ſed hoc tantùm, æquitatis & iuſtitiæ fruendæ cauſa, cuius ergo Reges, vt idem refert, initio fuerunt conſtituti.

Supereſt itaque de legum origine ſub Regibus videamus, verùm quoniam heſterno ſermone pollicitus ſum [1] me aliam præterea Regum conſtituendorum cauſam Ciceroni quidem ignotam, Buchanano inuiſam tibi proponere, id prius hoc loco commodè abſoluam.

Animus humanus, cùm ſit nihil aliud quàm quædam diuinæ mentis particula, vt ipſemet Cicero teſtatur [2] &, ſi rectus eſt, veluti Deus quidam in humano corpore hoſpitans, vt ait Seneca [3]: vel certè, quod res eſt, opus Dei ad eius ipſius ſimilitudinem creatum [4], ita ſuas actiones inſtituit & componit, vt, quantum per terreſtre hoc & turbidum inuolucrum poſſit, ſimpliciſſimam ideæ ſuæ naturam identidem referat. Quo fit, vt non modò ratio & iudicium (quæ, depulſa erroris nebula, docent atque explanant quid faciendum fugiendúmve ſit) verùm etiam innata quædam in homine propenſio, illam ei regiminis formam, quæ vnius principatu contenta eſt, vt optimam & antiquiſſimam commendat: tum quia diuinæ gubernationis, cuius inſtar habet, ſimilitudo & velut imago quædam in ea emicat: tum etiam quia lenior eſt illa ſubiectio, quæ vnius, quàm quæ plurium iugum hominibus imponit. Quapropter licet regnorum quidem inſtitutiones iuri gentium rectè tribuantur, quòd ea populi, dictante docentéque ratione, primitus amplexi ſunt: tamen quà homines occulto quodam naturæ inſtinctu ad ea inclinabantur, eatenus iuris naturalis dici poſſunt. Ac proinde, ſi quis rem altius repetat, inueniet regalia eum ipſo humano genere cœpiſſe atque creuiſſe imperia. Deus enim in mundi conſtitutione vnum creauit Adamum ex quo omnes ortum traxerunt [5] nec mulierem de limo, ſed de viro producere voluit: vt in ordine generis humani, omnes vnum caput vnúmque communem parentem agnoſcant: quod ideo feciſſe Deum Chryſoſtomus ait [6], vt regnum democratiâ præſtantius, & ſibi gratius eſſe ſignificaret. Certè poſt cataclyſmum, Sem quamprimum in aliquot poſteros ſuos regiam ſibi dominationem aſſumpſit [7]. Abrahæ autem ſeculo, qui nondum effluxis trecenis poſt diluuium annis natus eſt, regulorum tanta multitudo fuit,

1 Suprà lib. 1.
2 Li. vlt. Tuſc. q.
3 Epiſt. 3. li. 4.
4 Gen. 1. cap.
5 Act. 17.
6 Homil. 34. in 1. ad Corint. c. 13.
7 Suprà demonſtratum eſt, ex D. Hieronymo.

vt nouem vno tempore in exigua Aſiæ parte congreſſos ſacra nobis Scriptura referat [1]. Inque illa terræ plaga quam Dominus Iſraelitis conceſſit, Ioſue triginta vnum Reges percuſſiſſe fertur [2]. Et iiſdem temporibus Adoni-beſec ſeptuaginta Reges à ſe victos amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, reliquias ciborum ſub menſa ſua collegiſſe faſſus eſt. Tranſactis deinde aliquot ſeculis, triginta duos Reges auxiliarios ad Ben-adad Regem Syriæ cõueniſſe ſacra Regum hiſtoria memorat.[3] Quo minus mirari oportet, quod antiqui ſcriptores tradiderunt [4], Reges ex Græcia plus minus ſeptuaginta ad ſuſcipiendum in Troianos bellum conſpiraſſe: vel, quod ante Cæſaris aduentum totidem, imò plures, in Gallia Reges imperitarint, quàm quot ibidem nunc numerantur prouinciæ: quódque ex Germania nouem Reges ad Probum ſupplices confluxerunt [5]. Inde illud tractum arbitror, quòd anilibus fabulis, quo pueri delectantur, velut condimentum quoddam aptari ſolet: homines népe errabundos & peregrinos, quoquò verſus ſe proriperent, alternis ferè diebus ad regiam aliquam diuertiſſe: quod priſci illius ſeculi ſtatum conſiderantibus, neque incredibile, neque difficile etiamnum iudicabitur.

1 Geneſis 14.

2 Ioſue 12.

3 Iud. 1.

4 Dictys Cretenſ. lib. 1. Dares Phry.

5 Flauius Vopiſcus in vita Probi.

Hæc illa eſt creandorum Regum, & monarchiæ amplectendæ cauſa abſtruſior ſanctiorq́; , ipſius diuinæ maieſtatis referens vnitatem: ad cuius etiam inſtar æternitatis, nõ annuum vel menſtruum imperium, vt magiſtratibus quibuſdam, ſed perpetuum & ſtabile, quoad ſpiritum ducunt tribui Regibus ſolet.

Et verò ne quis hanc Regum conſtituendorum cauſam (vt vocant) impulſiuam mente & ratione tantùm poſitam exiſtimet, ac non potius ei, quam diximus, vi occultæ, & naturæ facilitati tribuendam: cætera animantia contempletur, quibus natura parem ingenuit monarchiæ ſectandæ cupiditatem. Nam quæ bruta faciunt concitatione naturali, ea ſi ab hominibus concurrente etiam ratione fiant, iure naturali fieri dicuntur [6]. *Muta animalia, & ferarum greges, ductores ſequuntur ſuos* [7]. In apibus Princeps & Rex vnus eſt, erga quem tanta cernitur fides, tã flagrans ſtudium, vt

Regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes

6 Vide Cuiac. in not. ad Tit. de iure nat. gent. Inſtit.

7 D. Cypria. de idol. vani. D. Hieron. epi. 4. tom. 1. Can. in apibus 7. q. 1.

Obſer-

Obſeruent. Rege incolumi mens omnibus vna eſt:
Amiſſo, rupere fidem, conſtructaque mella
Diripuere ipſa, & crates ſoluere fauorum.
Ille operum cuſtos, illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantq; ſequentes:
Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Grues etiam vnam ſequuntur ordine literato. Quid, quòd in ſingulis ceruorum armentis ducem vnum, & velut principem cernere licet, ad cuius nutum progrediuntur, ſiſtunt, & regrediuntur, non ſecus ac in bello milites. Idque ego notabili præter cætera ſpectaculo ſemel edoctus fui. Anno enim redemptionis noſtræ ſexageſimo tertio ſupra ſeſquimilleſimum, Comes Atholiæ ex regio ſanguine princeps, venationem ingenti apparatu, & magnis ſumptibus, optimæ atque Illuſtriſſimæ Reginæ Scotiæ exhibuit, cui ego tunc adoleſcens interfui (cuiuſmodi venationem *regiam* noſtrates appellare ſolent.) Habebat autem Comes ad duo millia Scotorum montanorum, quos vos hic Scotos ſylueſtres appellatis, quibus negocium dedit vt Ceruos cogerent ex ſyluis & montibus Atholiæ, Badenachæ, Marriæ, Morauiæ, aliiſque vicinis regionibus atque ad locum agerent venationi deſtinatum. Illi verò vt ſunt valde pernices & expediti, ita dies noctéſque concurſarunt, & intra bimenſis tempus amplius duo millia ceruorum cum damis & capreis vnum in locum compulerint: quos Reginæ, principibuſque in valle conſidentibus, & cæteris qui vna aderant omnibus, viſendos venandoſque propoſuerunt. Sed ita mihi crede; omnes illi cerui velut agmine compoſito incedebant (hæret enim, hærebitque ſemper id animo ſpectaculum meo) vt ducem vnum & rectorem cerneres præeuntem, quem alii quoquò iret ſubſequebantur: is autem

Ceruus erat forma præſtanti & cornibus ingens. Virg. 7. Æneidos.

Qua ex re non mediocrem animo Regina cepit voluptatem: cepit mox & timorem vbi ad eam Atholius, qui talibus à pueritia venationibus aſſueuerat: Vides, inquit, ducem illum cornigerum qui turmam præit? periculum nobis ab illo eſt. Si enim aliquis eum furor timorúe, ab iſto montis dorſo in hāc planiciem compulerit, noſtrū ſibi quiſque proſpiciat: nemo certè ab iniuria tutus erit:

quandoquidem cæteri eum ſequentur confertim, & viam ſibi ad hunc, qui à tergo eſt, montem nobis proculcatis ſtatim aperient. Cuius ſententię veritatem alius illico euentus patefecit. Laxatus enim Reginę iuſſu atque immiſſus in lupum inſignis admodum ac ferox canis, dum fugientem inſequitur, ita ceruum illum ductorem exterruit, vt retro vnde venerat fugam capeſſeret: cunctique cum eo regreſſi eruperunt ea parte, qua montanorum corona arctiſſimè cingebantur: ipſis verò montanis nihil ſpei, nihil perfugii reliquum fuit, niſi vt ſtrati in erica pronos ſe proculcari, aut pręteriri paterentur: quorum nonnullos cerui tranſiliendo vulnerarunt, alterum quoque aut tertium peremerunt, vt ſtatim Reginę nunciatum fuit. Et verò ita glomerati euaſiſſent omnes, ni homines illi venatus peritiſſimi ipſos eueſtigio ſequuti, arte quadam extremos ab ipſo agmine diſtraxiſſent, qui mox Reginę & nobilium canibus in prædam ceſſere. Confecti autem eo die fuerunt circiter trecenti ſexaginta, cum quinque lupis, & capreis aliquot. Atque hanc quidem ceruorum naturã, ſcitè nobis poeta indicat, cùm ait:

Nauim in conſpectu nullam, tres littore ceruos
Proſpicit errantes: hos tota armenta ſequuntur
A tergo, & longum per valles paſcitur agmen.
Conſtitit hic, arcumque manu celereſque ſagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.
Ductoreſq; ipſos primum, capita alta ferentes
Cornibus arboreis, ſternit: tum vulgus & omnem
Virg. 1. Æneid. *Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam.* [1]

Nam quod tres ductores dicat, id ita accipi poteſt, quaſi triplex ibi ceruorũ grex ſimul paſceretur, aut duo inſignes ductorem errantem ſtiparent.

Quod ſi hæc Chriſtiano homini non fecerint ſatis, diuini inſtituti exempla ſaltem ſufficiant. Deus enim in ſuo peculiari populo hunc gubernandi modum expreſſit, vnum illis ducem iudicemque præficiens. Eiuſdem ſic & Chriſtus typum nobis edidit, ſacratiſſimam illam monarchiam in perſona Petri inſtituens: cui cùm plures eſſent Apoſtoli, quos omnes in adminiſtratione Eccleſiæ ſciebat perpetuò fore concordes (vtpote quibus viſibili forma inuiſibilem Spiritum Paracletum, omne ad id opus auxilium & conſilium miniſtrantem, vno & loco, & tem-

tempore pòſt impertitus eſt) tamen ne formoſiſſimũ illud corpus myſticum, multicipitis alicuius monſtri ſpeciem præ ſe ferret: Neue in tam auguſto perfectoque imperio imperfectam regiminis formam poſt ſe ſineret inoleſcere: vnum omnium hierarcham eſſe voluit, quem tota vbique Eccleſia principem agnoſcat & paſtorem. Quæ res ſatis declarat, quanto cæteris gubernandi ſpeciebus, gratior ſit vnius principatus, ad quem omnes ferè nationes, quantumuis barbaræ & feroces, occulta quadam naturæ vi, & primorum parentum exemplis, incitantur. Præclarè D. Hieronymus [1], *Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma, vt condita eſt, duos fratres ſimul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebecca vtero Eſau & Iacob bella geſſerunt. Singuli Eccleſiarum epiſcopi, ſinguli archipresbyteri, ſinguli archidiaconi: & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator: in domo vnus dominus: in quamuis grandi exercitu, vnius ſignum expectatur.* Quid pluribus? monarchiæ præ cæteris diligendæ, diligendæque cauſa quædam myſtica, atque in naturæ penetralibus recondita hæc eſt, vt regimen iſtud humanum & temporale ad Diuinum ac cœleſte, quantum quidem fieri poteſt, conformetur.

1 Epiſt. 4. Tom. I.

Sed ex hoc diuerticulo ad alteram nunc inſtituti partẽ redeamus, & quæ fuerit ſub Regibus legum ferendarum cauſa, quis etiam modus, paucis, celeriterque intueamur.

Et cauſas quidem plures commemorare poſſum generales, & communes tam regalis imperii quàm cæterorum. Nam vt regulæ quædam ſint humanarum actionum, quibus iuſtum ab iniuſto, æquum ab iniquo diſcernatur: & correctiones delictorum quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur [2], leges hominibus præſcribuntur. Idque in ea prima lege, quę parenti noſtro protoplaſto data fuit, manifeſto conſpectum eſt. Vno namque pręcepto quid feciſſe, quid cauiſſe oportuit, quóue in delinquentem ſupplicio animaduertendum oſtendebatur [3]. Vnde Apoſtolus, *Per legem* (inquit) *cognitio peccati* [4]. Sed inter alias vna eſt, quę ad monarchiam & regiam adminiſtrationem ſpeciatim referri debet. Vt ſcilicet, quoniam Regis vel bello occupati, vel publicis curis intenti diſtentique, vox viua ad omnes peruenire non potuit, haberent ſinguli, quãtumuis à Principis conſpectu remoti voluntatem ipſius in tabulis delineatam: ſecundum quam ſuas inter ſe controuerſias componerent, ſiue de re familiari diſceptarent, ſiue publicas

2 Domeſt. Chriſipp. Papin. l. 1. & 2. D. de legibus.

3 Geneſeos 2.
4 ad Rom. 3.

priuataſque iniurias perſequerentur: & ne de vllis priuatis negociis Regem adire vel audire neceſſum eſſet, niſi ſiqua vel propter obſcuritatem interpretatione, vel propter nouitatem ſupplemento legis egere viderentur. Qua vna opera ſapientiſſimè Rex ſibi populoque proſpexit: illo quidem per iudicii legiſque dationem, magnis moleſtiis, & penè intolerabilibus, ad inſtar Moyſis [1], leuato: huic verò, lege velut monitrice quadam domeſtica, & regiæ vocis ac voluntatis interprete conceſſa: quæ in omnes regni partes diffuſa, Regis vbique præſentiam poteſtatemque repræſentaret. Sed & eadem cautione ei malo occurſum eſt, quod à ſolutiore iudicum licentia timendum fuit, nam cùm, vt dictum eſt, ipſimet Reges ſingulis adeſſe ſeparatim, aut conueniendi ſui copiam facere per publicas & grauiores occupationes non poſſent, ac proinde neceſſe haberent operæ ſuæ vicariam fidem priuatorum hominum in iudicando ſupponere, communibus hiſce legum præſcriptis effecerunt, ne iſtorum quiſquam arbitrio ſuo ad alterius iniuriam liberè vteretur, cùm ſciat legibus, non exemplis, aut propria opinione iudicandum [2]: néue reus quamlibet clientelæ & facultatum abundans, horum tribunalia deſpiceret; cùm non ipſorum ſed Regis & legis iudicium id eſſe videretur. Quemadmodum igitur cùm Conſules finitimis bellis auocati: iuri dicundo præeſſe nequiiſſent, Prætorum origo cœpit [3], qui in vrbe ius diceret. Prætores verò controuerſiis priuatis diſceptandis iudices dare ſoliti ſunt: ita Reges, cùm ipſimet obire omnia per ſe non poſſent, vicarios & adminiſtros rei gerendæ cōſtituebant, iiſque legem veluti normam iudicandi adiungebant. Atque hæ quidem ſunt legum ſub Regibus conſtituendarum cauſæ: non autem illa, quam impius ille author commentus eſt: nempe propter inſolentiam Regum, vt cogerentur ſcilicet in ordinem, ne ſua in iudiciis licentia, ſed eo iure quod populus in ſe dediſſet vterentur. Nam, vt cætera taceam argumenta quæ ad hunc errorem refellendum ſuppetunt, ſi ita res ſe haberet, neceſſe eſt vt quandiu boni Reges populo imperarunt tamdiu nullas fuiſſe leges fateamur. Hoc autem quàm ſit abſurdum & incredibile declarant ea quæ de rebus geſtis antiquorum Regum monumenta extant. Nam qui primi ad eam dignitatem euecti in ſingulis nationibus feruntur, ſimul atque à bellicis artibus ad pacis ſtudia animum transferre licuiſſet,

1 Exod. 18.

2 l. nemo. 13. C. de ſent. & interloc.

3 De orig. iur. l. 2 §. cumque conſules.

cuiſſet, in eam curam & cogitationem enixè incumbebant, vt victricia foris arma domi legibus ſe vinci paterentur: & qui in caſtris ad tubæ clangorem excitati ſpem omnem in militari fortitudine collocauerant, iidem in vrbe apparitoris voce citari in legum diſpoſitione victoriam ſcirent eſſe repoſitam. Itaque Nemrod, cuius imperium longè antiquiſſimum fuiſſe plerique ſcriptores tradiderunt, dicitur fuiſſe *robuſtus venator coram Domino* [1], non quod corporis tantùm viribus eius ſeculi homines ſuperarit (id enim non eſt venari coram Domino) ſed quia ſubactos à ſe, ciuili poteſtate, quæ Dei ordinatio eſt, primus omnium ſtrenuè gubernarit. Aliorum verò Regum, qui poſt huius exceſſum in Aſia imperium tenuere, licet res geſtæ penuria ſcriptorum magna ex parte ignorentur, in iis tamen quæ extant hiſtoriarum reliquiis non obſcurè cernimus, armorum ſimul & legum diſpoſitionem in ſua eos poteſtate tenuiſſe. Etenim nobiliſſimus hiſtoriæ ſcriptor Diodorus, etſi nihil in Nini Regis vita de legum ab eo latione ſcribat, quòd totam, amplificandi regni ſtudio, bellis occupatam conſumpſit: eius tamen filium, quietis & otii amantiorem, cùm ad pacis ſeſe voluptates conuerteret, omnia domi foriſque pro arbitrio compoſuiſſe tradit. *Hoc pacto*, inquit, [2] *duces exercitus, prouinciarum præſides, domeſticarum rerum curatores, iudices inſuper ſingularum gentium, aliaq; pro regni cura diſponens, vitam agebat.* Si præſides iudicéſque conſtituit, aut leges iis formuláſque præſcripſiſſe eum oportet, ſecundum quas iudicarent, aut vt regiâ ipſi libertate fruerētur permiſiſſe: quorum alterum veriſimile, alterum ab hominum opinione alieniſſimum eſt.

1 Gen. 10.

2 Lib. 2. c. 6.

Ægyptii etiam, qui ſe mortalium omnium antiquiſſimos prædicant, & Deos apud ſe initio regnaſſe gloriantur, à Regibus, qui Diis illis patriis in adminiſtratione ſucceſſerunt, leges & inſtituta accepiſſe neutiquam diffitentur [3]: quibus formatum, firmatúmque imperium, multis ſeculis ſtetit incolume. Quinetiā primos Perſarum & Medorū Reges, eandē in legibus condēdis poteſtatem habuiſſe indicat non ſolùm ipſorum apud ſuos virtute parta opinio exiſtimatióq;, quia maximè ſtipati regale ſolium aſcenderant, verùm etiam ſuccedentiū Regum in proponendis edictis libertas, in exequēdis authoritas, in conſeruādis maieſtas, & in legib. deniq; antiquis, quas gētes illæ ſuperſtitioſa ſolicitudine cuſtodiebāt, ꝑ arbitrio interdū abrogādis,

3 Diod. lib. 1.

diſſol-

[1] Exempla ſunt in lib. Eſdr. Eſth. Dá. & apud Procop. lib. 1. de bello Perſi.

diſſoluendiſque, ſingularis quædam & abſoluta facultas.[1]

Quod ſi ab Aſianis ad Europæos animum oculoſque tranſtuleris, occurret tibi creberrimè in Regum priſcorum vitis legum ab ipſis latarum mentio: eaſque non Regum libertati coarctandæ, ſed moderandis populis datas eſſe cognoſces. Aſpice Romulum ab ipſis vrbis primordiis in legibus ferendis occupatum. *Rebus diuinis ritè perpetratis*, inquit Liuius [2], *vocataq; ad concilium multitudine, quæ coaleſcere in populi vnum corpus nulla re, præterquam legibus poterat, iura dedit: quæ ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſe ipſe venerabilem inſignibus imperii feciſſet, cùm cætero habitu ſe auguſtiorem, tum maximè lictoribus duodecim ſumptis fecit.* Prodi nunc Buchanane cum tuis illis legum cauſis, & Liuium mendacii vel inſcitiæ argue, aut errorem ipſe agnoſcas tuum, fatere, inquam, leges non ad compeſcendam Regum inſolentiam principiò fuiſſe deſideratas. Idem author eſt eum ipſum Romulum & Aſylum aperuiſſe, & ſenatores ſibi conſiliarioſque arbitratu ſuo ſine vllis populi ſuffragiis ſelegiſſe. Itaque non ſolùm Regem eum ſed etiam legiſlatorem Romanorum Dionyſius Halicarnaſſæus appellat [3]: & Cornelius Tacitus, *Nobis*, inquit [4], *Romulus vt libitum imperitauerat: dein Numa religionibus, & diuino iure populum deuinxit, repertaq; quædam à Tullo & Anco. ſed præcipuus Seruius Tullius ſanctor legum fuit, queis etiam Reges obtemperarent.* Bovt. Eho, tu mihi aduerſus te argumentum ſuppeditaſti ex hoc Taciti loco, vbi leges à Seruio Tullio ſancitas fuiſſe traditur, quibus etiam Reges obtemperarent: cur ergo tu in eo tantopere inſudas vt eos legum vinculis exutos oſtẽdas? an non Cornelius Tacitus tibi penitus diſerteque aduerſatur? Barc. Nequaquam: non enim nego debere Reges legibus obtemperare, dignamque maieſtate regnãtis vocem eſſe [5], *alligatum ſe legibus Principem profiteri*, ſed cogi poſſe nego: verùm ea ſententia ad diſputationem de impunitate Principis in legem committentis, non ad præſentem de legum origine orationem pertinet: ideoque alibi excutienda. Pergamus ergo: Romulum ſecutus Numa, vt ait Liuius [6], *Vrbem nouam conditam vi & armis, iure eam legibusq; ac moribus de integro condere parat.* Sed & Tulli etiam Hoſtilii, & cæterorum ordine Regum leges & iura populo data, eorum temporum hiſtorias legenti obuia ſunt. Iam verò Epirotæ ab Arymba & Tarrhita [7], Macedones à Carano [8], Argiui à Phoroneo [9], leges, certiſſima regnorum funda-

[2] Lib. 1.

[3] Lib. 2. anti.

[4] Lib. 3. ann.

[5] L. digna vox C. de leg.

[6] Lib. 1.

[7] Iuſt. lib. 17. Plu. in Pyrrh.

[8] Iuſt. l. 17. & 33.

[9] Pauſa. in Corint. Euſ. in Chr.

fundamenta, accepiſſe feruntur. Prætereo quæ à Iano in Italia, Thubale apud Iberos, Samote in Gallia, Thuyſcone in Germania, leges & iudicia conſcripta memorantur [1]. Nec vſquam, quod ſcio, proditum eſt, regnādi libertatem præſcriptis à multitudine arctandi imperii legibus, ademptam, aut minutā priſco illo ſeculo fuiſſe, quominus Reges cuncta pro arbitrio moderarentur, legeſque vel ſciſcerent vel abrogarent. Nam quod ad Lacedæmonios, & ſimiles Reges attinet, quibus capiſtrum ex populi ſcitis iniiciebatur, ii neque inter priſcos Reges, neque omnino inter reges numerandi ſunt, vt ſuperius probatum eſt.

1 In Beroſo Annii VViterbēſis.

Sed vt primos illos Reges nimio ſeculorum interuallo à nobis diſiunctos hîc mittamus, veluti de quibus nōnulli fabuloſa quædam tradi ſuſpicantur: luſtremus animo, ſi placet, ſequentium temporum curricula, quæ pluribus & certioribus nituntur teſtimoniis: & cuncta ſtatim apparebunt exemplorum plena, non ſolùm iſtiuſmodi poteſtatis Principum in figendis & refigendis legibus, ſed omnis omnino libertatis: vt facilè mendacii conuincantur qui legum inuentionem Regum inſolentiæ domādæ aſcribunt.

Ac primùm quidem, de Aſię Regibus omnem nobis dubitationem tollit diſputatio illa trium adoleſcentium, qui Dario aſtabant ſacris literis commendata [2]. Qui enim Regem omnibus rebus antecellere contendebat, ad ſuæ ſententiæ confirmationē hac ratione vſus eſt. *O viri num præcellunt homines qui terram & mare obtinent, & omnia quæ in eis ſunt? Rex autem ſuper omnia præcellit, & dominatur eorum, & omne quodcunq; dixerit illis faciunt. Et ſi miſerit illos ad bellatores, vadunt, & demoliuntur montes & muros, & turres. Ingulantur & iugulant, & Regis verbum non prætereunt. Nam ſi vicerint, afferunt Regi omnia quæcunque prædati fuerint. Similiter & alii omnes, & quotquot non militant, nec pugnant, ſed colunt terram, rurſum cùm fuerint metentes, afferunt tributa Regi: & ipſe vnus ſolus ſi dixerit, occidite, occidunt: ſi dixerit remittite, remittunt: dixerit percutite, percutiunt: dixerit exterminate, exterminant: dixerit ædificate, ædificant: dixerit excidite, excidunt: dixerit plantate, plantant: & omnis plebs & virtutes [3] eum obaudiunt: & ſuper hoc ipſe recumbit, & bibit, & dormit. Hi autem cuſtodiunt in circuitu eum, & non poſſunt ire ſinguli & facere opera ſua, ſed in dicto obaudientes ſunt ei.* En quanta fuerit Regum libertas omnia ex animi ſentētia modetandi, etiam tunc cùm faſtu tumeſcerent, & multæ graueſque de

2 Lib.3.Eſdr.c.3. & 4.

3 Id eſt Principes: vt patet Iud. 14. vbi dicitur, nullus audebat cubiculum virtutis Aſſyriorū, &c.

regno

regno contentiones exſtarent, & poſtquam etiam populorum inconſtantiâ, ambitionibuſque magnatum imperia turbari cœpiſſent. Atque hæc quidem ab eo dicta ſunt, qui laudem & præmium à ſapientia, non ab aſſentatione, quęrere nitebatur. *Dicamus*, inquiunt tres cuſtodes regii, *vnusquisq; noſtrum ſermonem qui præcellat, & cuiuscunq; apparuerit ſermo ſapientior alterius, dabit illi Rex Darius dona magna, purpurâ cooperiri, & in auro bibere, ſuper aurum dormire, & currum aureo fræno, & cidarim byſſinam, & torquem circa collum, & ſecundo loco ſedebit à Dario propter ſapientiam ſuam, & cognatus Darii vocabitur. Tunc ſcribentes ſinguli ſuum verbum ſignauerunt, & poſuerunt ſubtus ceruical Darii Regis, & dixerunt: Cùm ſurrexerit Rex, dabimus illi ſcripta noſtra, & quodcunq; indicauerit Rex è tribus, & magiſtratus Perſidis, quoniam verbum eius ſapientius eſt, ipſi dabitur victoria ſicut ſcriptũ eſt. Vnus ſcripſit: Forte eſt vinum. Alius ſcripſit: Fortior eſt Rex. Tertius ſcripſit: Fortiores ſunt mulieres, ſuper omnia autem vincit veritas.* Secundi argumentum illud eſt, quod retulimus, à regiæ poteſtatis amplitudine deriuatum, quam nec cãcellis popularibus circumſcriptã, nec anguſtatã legibus, nec procerũ libidini obnoxiã, nec conſiliariorum aſtrictã ſententiis, ſed in ipſius vnius volũtate ſitam eſſe, cui parere omnes teneãtur, ſine fuco aut circuitione oſtendit.

Neq; verò dici poteſt iſtũ Regib. plura tribuiſſe, q̃ quib⁹ tunc fruebãtur, quaſi hoc aulico blandimẽto Darium Regẽ ſibi demereri ſtuduiſſet: vt noſtri tũc adulatores ſolent, qui Principes quotidie iugulãt, dum vitia in iis ſimulatione fouent, mẽdaciis augent, & imitationis cõmendatione virtutũ inſtar venerantur. Nam iudices diſceptationis habuit magiſtratus omnes Perſarũ & Medorum, & purpuratos, & Prætores, & Præfectos: quos cùm non lateret quæ regię tunc maieſtatis eſſent, impudentis vel potius dẽmẽtis fuiſſet, in perſpicuè falſis totũ cauſæ ſuæ firmamentũ collocare. Præterea vir ſanctus Zorobabel, qui terti⁹ diſſeruit, huius ſecũdi rationes veras eſſe neutiquã inficiatus eſt, imò verò approbauit: ſed omnib. admiſſis, mulierũ tamen fortius, & veritatis fortiſſimum imperium eſſe docuit. Is ergo tũc erat ſtatus populorũ Aſiæ, eaq; Regum poteſtas, quam in celeberrimo Satraparũ & Summatũ conſeſſu deſcriptã ab iſto cernimus. Licet enim inſaniens multitudo Regibus ſuis audacius aliquando tunc temporis inſultabat, tamen ſedato ſemel furore, Regis authoritas pro maieſtate Imperii

rii

tii ſemper agnita fuit, & ſeditionis authores ſuppliciis exquiſirioribus vlta eſt [1]. Et quidem φιλοδημοτικοὶ iſti nihil quod hîc reſpondeant inuenire poſſunt, præterquam quod Reges illos tyrannos, & non legitimos Reges fuiſſe autument. Cuius perfugii fundamentum etſi ſtirpitus iam à me exciſum ſit, cùm legitimos in Aſia Reges, id eſt, vel naſcendi ſorte datos, vel electionis iure Imperio admotos, riteque & more maiorum, inauguratos, complures exſtitiſſe docuerim: qui non minus piè ac prudenter, imò verò ſedatius quàm Principes Europæi ſubditis ſuis imperitarunt: Addere tamen & illud hîc volo, quod ipſorum defenſionis iugulum confodiat: nempe, ſi legitimus Rex is demum vocari debeat, qui ſubiectus & adſtrictus legibus eſt, (vt illi falsò, & contra omnem Latinè loquendi conſuetudinem, & iuris diuini vel humani rationem ſomniant) Aſianos alias omnes nationes in hoc genere ſuperaſſe: quòd Reges habuerint patriarum legum, & moris maiorum longè obſeruantiſſimos, quibus ita ad ſuperſtitionem addicti erant, vt extrema ferè citius pati, quàm antiqua gentis ſuæ ſcita diſſoluere maluerint. Ad cuius rei fidem faciendam ſacros & prophanos authores, ſi opus eſſet, laudare poſſem, & antè aliquot memoraui. Verùm enimuero quamuis ſuam illis rationem demus, videlicet pleroſque Aſiaticos Principes fuiſſe tyrannos: non video tamẽ quid adiumenti ex ea conceſſione nanciſcantur, vt veritatis iudicium ſubterfugiant. Neque enim noſtra hîc tumultum refert, Regéſne fuerint iſti, an tyranni, quos cum tanta poteſtate populis præfuiſſe contendimus, dummodo eos regio nomine & authoritate ſceptra tenuiſſe conſtet. Licet enim quidam eorum regiam dignitatem nacti (hoc eſt liberam & quantam maximam in populum poteſtatem) ea in populi perniciem aliquando abuſi ſint: nullum tamen eo facto cæteris Regibus præiudicium attulerunt, quo minus hi illis in regno ſuccedentes eandem pro maieſtate imperii facultatem reciperent. Hoc enim quicquid eſt libertatis, ita regiæ maieſtati adhæreſcit & agglutinata eſt, vt ab ea diuelli aut diſiungi nequeat. Itaque quoties nonnulli regium animum exuunt, inque tyrannos degenerant, mutare eos tantum voluntatem, non etiam poteſtatem, dicendum eſt. Vt quemadmodum de Deo rectè ſentientes, licet omnia in eo infinita eſſe credãt, tamen ſcire eum & poſſe multa quæ non vult, verè ſancteque

[1] Dan. c. 6. & c. vlt.

que profitentur: ita qui de Regibus humaniter & piè iudicant, iſtam iis libertatem non adimũt, ſed immenſam eius amplitudinem quodam veluti fręno conſilii & rationis intra iuſtitiæ fines cohibendam eſſe cenſent. Hoc itaque tyrannus à Rege differt, quo homo malus à bono: ſuæ poteſtatis ambo ſuique iuris ſunt: at ille frænum erumpẽtibus cupiditatibus omninò adimit atque laxat, ille irretitos efferueſcentis animi impetus compede rationis vinculoque coercet, ne extra illius ſapientiſſimæ rectricis limites volitent ſolutæ & religionis & pudoris curâ libidines. Atque de illâ quidem differentiâ belliſſimè Seneca[1], *Quid intereſt,* inquit, *inter tyrannum & Regem? ſpecies enim ipſa fortunæ ac licentia par eſt: niſi quod tyranni ex voluptate ſæuiunt, Reges non niſi ex cauſa ac neceſſitate? Quid ergo, non Reges quoq; occidere ſolent? ſed quoties id fieri publica vtilitas perſuadet. Tyrannis ſæuitia cordi eſt. Tyrannus autem diſtat à Rege factis non nomine.* Huc pertinet quod in Bibliis dictum eſt[2]. *Rex inſipiens perdet populum ſuum.* Perdere enim qui poterit, ſi non voluntatis ſuæ arbitratu, ſed populi, ſed ſenatus, ſed optimatum iudicio & nutu omnia regni præſidia domi foriſq; muniat atque mutet? imò quis Regi, ac non conſiliariis potius eiuſmodi, quorum ſententiis aſtringitur, inflicta Reipublicæ aſcribat vulnera, & neglecti muneris aſpergat infamiã? Iam verò quod Deus minatur peruerſis gentibus Regem in furore ſuo ſe daturum[3], nónne iſtam regnandi libertatem apertiſſimè demonſtrat? Quemadmodum & illud[4], *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis:* &, *Væ tibi terra cuius Rex puer eſt*[5]: id eſt puerili ingenio iudicioque regnum adminiſtrat. Pueros enim moribus non ætate ciuilis ſcientia dimetitur[6]. Hęc autem, & alia id genus multa quorſum, ſi populo Rex pareat, aut Regi ſenatus in adminiſtratione Imperii dominetur? An verò in aliis rebus vllis populo Princeps ſubmittat faſces, alibi, ſi otium ſuppetat, accurata magis atquę vbera inſtituetur diſputatio. Id enim nobis hoc loco tantùm curæ eſt, vt oſtendamus indefinitam illam, & infinitam, in Republica adminiſtrãda libertatem, quam vel aduerſariis ipſis iudicibus, primi Reges habuerunt, ad reliquos etiam qui ſequẽtibus ſeculis imperitarunt iugi ſubditorum conſenſu permanaſſe, ac poſt leges multas iam latas & inueteratas duraſſe: proindeque falsò aſſeri leges ad minuendam Regum libertatẽ initiò fuiſſe deſideratas. Etenim profectò abſoluta hęc admini-

1 Lib. 1. de Clem. c. 11. & 12.
2 Eccl. 10.
3 Oſeæ 13.
4 Iſaiæ 3.
5 Eccl. 10.
6 Ariſt. Eth. c. 2.

miniſtrandi Imperii poteſtas libertaſque velut perpetua quædam regiæ maieſtatis comes & ſocia eſt, ſine qua nec Rex nec regnum concipi animo & excogitari poſſit. Quod cùm animaduertiſſet Ariſtoteles in libris de ciuili ſciētiâ [1], ingenuè faſſus eſt, Regem legis iugo obnoxium nullam regni ſpeciem conſtituere. Quæ res etiam effeciſſe videtur, vt (quod mirabere fortaſſis) ſocordes & ignaui, perinde ac diligentes & frugi Reges, iſtam regnandi libertatem integram & intactam retinerent: videlicet quòd Regem eſſe, & non ex animi ſententia regni habenas moderari, haud ſatis inter ſe conuenire, imò pugnantia eſſe, tam excellentis tituli ſplendorem & dignitatem intuentibus videbantur.

1 Li. 3. Pol. ca. 12.

Quâ de cauſa Memmius, vt eſt apud Saluſtium [2], cùm populi Romani in puniendis malis ciuibus negligentiam incuſaſſet, deteriores fore peccandi licentiâ, & ſpe impunitatis propoſitâ, oſtendens, ita tandem concludit. *Quare moneo, hortorq; vos ne tantum ſcelus impunitum omittatis. Non peculatus ærarij factus eſt, neq; per vim ſociis erepta ſunt pecuniæ: quæ quamquam grauia ſunt, tamen conſuetudine iam pro nihilo habentur. Hoſti acerrimo prodita Senatus authoritas, proditum imperium veſtrum eſt, domi, militiaq; Reſpublica venalis fuit: quæ niſi quæſita erunt, niſi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, niſi vt illis, qui ea fecere, obedientes viuamus? Nam impunè quælibet facere, id eſt, Regem eſſe.* Sed ecce huius rei proferam tibi teſtimonium illuſtrius, quod Athenæus ex Heraclidæ Cumæi ſcriptoris Perſicorum hiſtoria nobis reſeruauit: quodque libro duodecimo Deipnoſophiſtarum in hunc modum recitat: *Heraclides Cumæus Perſicorum author in libris quos Præparentes nuncupat, cum dixiſſet in Regione thurifera, voluntatem Regis eſſe pro lege, nec eum legibus vllis obſtringi, addit perquam ignauum, negligentem, & luxurioſum eſſe, in balneis ſemper verſari, ſummo ſumptu mollem vitam agere: nihil rerum gerere, paucos in ſui conſpectum & familiaritatem admittere, iudices decernere ac conſtituere: quos ſi quis non rectè iudicaſſe putet feneſtram in ſuprema palatii parte catena reuinctam apprehenſa catena trahit, & referat: tum Rex hoc vbi reſciuerit, eo qui conqueſtus eſt accerſito, ius dicit. Et ſi malè à iudicibus pronunciatum eſt, occiduntur: ſin rectè, qui feneſtram mouit interficitur.* Cernis, quod dixi, Regibus mollibus, effœminatis, negligētibus, iura regni integra relinqui: eo quod regnum alias nullum eſſet.

2 De bello Iugur.

thor tradit impenſam eius & vxorum & amicorum in dies ſingulos eſſe quindecim talenta Babylonica [1]. Boyt. Gentem ſanè perquam ſtolidam mihi narras, cui tanta in tales Reges obſeruantia: vel certè paribus vitiis inquinatam, vt quibus ipſa delectatur in Rege non reprehendat: nam

1 Quæ conficiũt decem circiter millia aureorum ſolarium.

Omnibus eſſe lupos licet in regione luporum.
Inter Pigmæos non pudet eſſe breuem.

Barc. Falleris coniecturâ: in neutro iſtorum poſita eſt huius rei cauſa. Nam etſi mollem vtcunque, & voluptuariam vitam degant, qui illas terræ plagas incolunt: tamen quod Regibus ſuis voluntatem pro lege exercentibus, ſupraque modum imperioſis, tam facilè obſequantur, id neq; ex infractione & demiſſione animi neque ex conſilii & rationis inopia, neque ex voluptatis tanquam ſummi boni cõmendatione natum eſt: vtpote quibus & roboris & animi ſatis fuit ad reſiſtendum homini gentili & patriotæ: & aliquis etiam humanitatis & honeſtatis ſenſus, qui vitia in cõmune diſſuadebat: Sed ex inſita quadam à natura regalis tituli & dignitatis reuerentia, cuius maieſtati, tanquã numini cuidam in terris, vel certè Dei omnipotẽtis imaginẽ quandam & poteſtatem præ ſe ferenti, vt omnes ſine cunctatione & inuidia pareant, ipſemet Deus Optim. Maxim. naturalem animis propenſionem indidit, brutorumque animantium exemplis docuit, vt paulò antè oſtendimus. Quapropter Regis imperium detrectantes, à communi hominum natura degenerare, & Dei ordinationi reſiſtere videntur.

Quod ſi minus hæc cuiquam ſatisfaciunt, ita vt Arabũ mollitiem in cauſa fuiſſe putet, cur tantam Regum tyrannidem paſſi ſint: is truciſſimas & bellicoſiſſimas nationes, ac in primis alienæ dominationis impatientes cernere poteſt: quę Reges ſuos maiore veneratione, quàm Arabes colere, & eorum crudelitatem perferre ſummiſſius cõſueuerunt. Et ne longius aliunde exempla quęrat, vnum ego pro multis hîc adducam, memorabile quidem illud & mirabile, quod exſtat apud eundem Athenæum [2] ex Poſidonii libro quinto de Parthis. *Cùm Rex Parthorum,* inquit, *amicum aliquem ad cœnam vocat, is menſæ particeps nõ eſt, ſed humi ſubſidet, Rege in ſublimi lecto recumbente, & quod à Rege proiicitur,*

2 Lib. 4.

canis

tanis inſtar comeſt, ac ſæpe ob quamuis leuiculam cauſam ab ea cœna, qua humi paſcitur, abreptus, virgis, lorisq́; nodoſis verberatur, & cruore fœdatus Regem à quo cædi iuſſus eſt tanquam accepto beneficio, in terram pronus ac procumbens veneratur. Et paulò inferius ex eiuſdem Poſidonii lib. 16. *Rex Parthorum, cùm cœnat, in altiore, quàm cæteri, lecto ab aliis ſeparato, ſolus accumbit, eiq́; ſoli tanquam Heroi menſa apponitur barbaris repleta ferculis.* BOVT. Quàm timeo quorſum euadas: quid enim ſupereſt, niſi vt Reges mihi tandem commemores, qui ſubditos ſuos agreſti feritate inſtar pecudum mactent? Nihil enim referre puto, vtris generoſis & bene natis Rex aliquis mortem inferat, an Parthicum eiuſmodi conferat beneficium, niſi quòd internecione ignominiam luere vir nobilis optaret potius, quàm ita turpiter & abiectè viuus hoſpitio excipi: ſiquidem, vt ille ait, *in dedecore plus mali eſt, quàm in dolore* [1]. Sed dic, amabo, credis vera eſſe hæc, quæ de barbari Regis immanitate, & abiectâ procerum eius gentis patientia retuliſti? Mihi enim nec verum nec veriſimile videtur, Reges vllos, quantumuis imperii maieſtate elatos, ita humanæ conditionis ſuæque naturæ immemores exſtitiſſe, vt talem plebeiis, nedum magnatibus, nedum familiaribus, nedum amicis, gratiam perſoluerẽt: vel mortales vllos tam ſeruili animo reperiri potuiſſe, vt homines ſe ab homine tam fœdè tamque indignè tractari paterentur. Nam quod nonnulli tyrannorum nimis prodigioſè ſuperbientes crudelitatem inſatiabilem, & carnificinam aliquando in ſubdito ſibi populo exercuerint, id me parum mouet vt fidem Parthicæ hiſtoriæ habeam: quandoquidem homines eam tyrannidem neutiquã ſponte ſubibant: ſed victi potentia, viq́ue & armis oppreſſi, ferre ad tempus cogebantur. Atque ob eam cauſam, facta eiuſmodi neque ad argumentũ regiæ libertatis, neque ad exemplum transferri poſſunt. Quis enim ſanæ mentis monſtroſum Caligulæ, aut Neronis imperium [2] huc pertinere dicat? quorum alter optimis quibuſq; multiplici clade ſublatis, poſtquam vrbem imperiumque innocentum ſanguine paſſim fœdauerat, tot cædibus laſſatus, ſed non ſatiatus, optauit vnam toti populo ceruicem, vt totus vno ictu interiret. Alter verò & externorum occidione, & frequenti parricidio infamis, eò tandem crudelitatis & inſaniæ proceſſit, vt inceſſione vrbem, internecione ciues, ferarum laniatu Senatum delere prorſus, & nouam imperii ſedem

1 Cic. li. 4. Tuſc.

2 Suet. cap. 30. & Sext. Aurel. Vict. de Cæſarib.

ſibi quærere ſtatueret. Aut quis acerbiſſimum illud ſeruitutis iugum, quod Sarmatæ ſubactis à ſe Moſcis impoſuerunt, & noſtrâ ferè ætate excuſſum eſt, ad regiam dominationem trahat? quorum qui nuncius, vel tributi exactor ad Moſcos mittebatur, ei Dux ipſe Moſcus obuiam prodire, & poculum in equo ſedenti equino plenum lacte propinare, is enim Tartaris potus in deliciis eſt, & ſi, bibente barbaro, aliqua lactis guttula in iubas equi decidiſſet, eam Dux ipſemet elingere tenebatur [1]. Legenti deinde imperatoris Tartari literas, togam mattibus egregiè pellitam, pro tapete ſubſternere, ac genibus nixus, vnà cum aulæ, & cõſilii ſui principibus imperata excipere. Hæc & ſimilia mihi nunc in mentem veniunt, quæ faciunt vt credam vel Parthicum illud in Regem obſequium violentiâ extortum, non populi voluntate oblatum fuiſſe: vel ſcriptoris fidem in rerum geſtarum narratione eſſe ſuſpectam. BARCL. De priore habeo quod reſpondeam, ex aliis multis qui res Parthicas obiter memoriæ prodiderũt: nempe regnatum apud eos ſummo populi conſenſu: gentemque illam ſub Regibus, quæſito magnæ partis Aſię imperio, nomen ſibi & gloriam bellis ſecundè geſtis comparaſſe: & variâ etiam fortunâ cum populo Romano terrarum Principe congreſſam, id laudis retuliſſe, quod exercitum eius fudiſſe ſæpius quàm fugiſſe memoretur. De poſteriore verò, tu videris: ego enim ſat habeo antiquum hiſtoriæ ſcriptorẽ tibi produxiſſe, cui credere par eſt, vel aduerſarium laudare meliorem. Nam ſi *famæ rerum ſtandum eſt, vbi certam derogat vetuſtas fidem* [2], quãtò magis authorum teſtimonio, quos nemo falſi conuicit ac ne inſimulauit quidem? Neque enim dubitare debemus permulta olim in vſu & vitâ communi poſita fuiſſe quæ nobis portenti ſimilia apparent, multaque nunc exſtare, quæ poſteris incredibilia videbuntur. An non conſtat Ruthenos & Moſcos non ita pridem Baſilium Ducem (qui regium ſibi titulum primus aſſumpſit) ingenti beneuolentiâ & amore complexos: cùm ipſe eos interea proternè, nequiter, auarè, ac nulla non barbaricæ feritatis crudelitate tractaret? An non apud eam gentem, quo magis cæduntur mulieres, eo amplius in maritorum amorem exardeſcunt? quod ſi cum noſtrarum coniugum moribus componatur, minus profectò videtur credibile, quam Parthica Poſidonii hiſtoria. Mihi ergo tantiſper fidem faciet, dum alium probatio-

1 Ioan. Herb. lib. 17. cap. 9. de reb. Polonicis.

2 Liu. lib. 7.

Vide Surium in principio hiſtor.

batiorem compercro, qui hunc in eo errorē, mendaciúmque redarguet. Nam vltra id quod de veterum authoritate non temerè eleuanda dixi, alia etiam ratio ſuppetit, cur eum veracem eſſe arbitrer: quod Parthis nimirum illud peculiare fuiſſe didicerim, vt populus cætera ferox, & truculentus, ſiue naturæ facilitate edoctus, ſiue barbaræ ſuperſtitionis opinione imbutus, Reges ſuos velut Numina quædam obſeruaret, ſolis & lunæ fratres eos appellans[1]: vt mirum non ſit, ſi in eius Regis amicitiam recepti, de quo præiudicatam diuinitatis opinionem iam imbiberant, inflicta nonnunquam verbera æquanimiter tolerarent, dolorem delectatione, iniuriam amici nomine penſantes. Vtut autem ſe res habuerit, nobis ſat eſt oſtendiſſe Regum voluntatem pro lege habitam, ſimulque falſum eſſe quod ab aduerſariis aſſeritur: leges, ſcilicet, inuentum eſſe multitudinis ad minuendam Regum libertatem. Id enim cùm illi nuſquam apud veteres ſcriptores inuenire poſſint, & nos contra ipſorum libros infinitis regiæ libertatis exemplis, etiam poſt leges latas, ſcatere demonſtremus, erit cur apud omnes æquos iudices victoriam in hac liberali cauſa certam nobis promittamus: ſed progrediamur.

1 Ammianus Marcel. lib. 32.

Reges Perſarum quàm ſoluta in ſuos poteſtate regnauerint, non obſcurè indicat, quod vt ſuprà dictum eſt, terror ille Græciæ, conuocatis omnium prouinciatum ſatrapis, præfatus eſt ſe bellum Græciæ indicturum, & accerſitos eos eſſe, non vt ſuaderent, ſed vt parerent: ſimul etiam quòd apud eos nulli fas eſſet aureum annulum, vel zonam, vel monile, aliudue aliquod ornamentum inſigne, niſi regiâ liberalitate & gratia conceſſum geſtare[2]. Quæ res Ariſtotelem fortè mouit, vt imperium apud Perſas verſum in tyrannidem putarit[3], quòd Rex omnia ſuo arbitratu gereret, & tam ſubmiſſè ac diuinis propè honoribus à populo coleretur. Sed alia eius rei cauſa fuit, ab Ariſtotele quidem prętermiſſa: nempe illa legi diuinæ conſentanea quam Artabanus tribunus militum Regis Perſarum à Themiſtocle conuentus, vt ſe ad Regem perduceret, piè & ſapienter expoſuit: quamque refert Plutarchus,[4] his verbis, ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν, ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ τοῦ τὰ πάντα σώζοντος? id eſt, *nobis inter multas & præclaras leges hæc eſt præclariſſima, venerari Regem, & imaginem adorare omnia* con-

2 Proco. lib. 1. de bel. Perſi.
3 Libr. 8. Eth. cap. 10.
4 in Themiſt.

conſeruantis Dei. Quid Armeniæ, Syriæ, Cappadociæ, alioſque Reges memorem? quorum omnium conſimilis in regnando libertas fuit.

At Aſiatici hi omnes populi, molles quidem, & tyrannidē ferre aſſueti: itáne verò? Europæi ergo meliore iure vixerunt? imò quidem pari: nam paucis exceptis apud quos vel omnino regnatum non eſt, vel tantùm nomine tenus, omnes in Regum poteſtatem conceſſere, à quibus iura & leges acceperunt, non tam quæ populis q̃ quæ Principibus placuerant. Cuius rei fidē, ne in antiquis Græciæ regnis recenſendis tempus conſumam, vel ſoli Romani nobis facient: qui cæteras omnes nationes, tum amplitudine imperii, tum firmitudine principatus & diuturnitate, tum rerū geſtarum gloria longè ſuperarunt: quique vt incunabula imperii ſui à regio dominatu traxerunt, ita eiuſdem perfectionem pari regiminis ſtatu ſunt adepti. Neque enim obſcurum eſt, rem ad regnum rediiſſe, ſimulatque in vnius ditionem ſe dediderunt, exploſa populari gubernatione, ſub qua quingentos circiter annos imperii ſui fines longè lateque protulerant. Nam teſte Appiano Alexandrino. qui Adriani ſeculo vixit [1], quotquot illud imperium poſt Cæſarem tenuerunt, ii nomen licet Imperatoris retinuerint, quo temporarii exercituum duces olim cenſebantur, tamen re vera omnino Reges erant: hoc eſt regali poteſtate ampliſſimam illam monarchiam regebant: ipſa Appiani verba ſunt [2]. Καὶ ἔστιν ἤδε ἡ ἀρχὴ μέχρι νῦν ἐφ' ἑνὶ ἄρχοντι, οὓς βασιλέας μὲν οὐ λέγουσιν, ὡς ἐγώ γε νομίζω, τὸν ὅρκον αἰδούμενοι τὸν πάλαι, αὐτοκράτορας δὲ ὀνομάζουσιν, ὃ καὶ τῶν προσκαιρίων στρατηγῶν ὄνομα ἦν, εἰσὶ δὲ ἔργα τὰ πάντα βασιλεῖς. Qua de cauſa Dion [3] Caſſius de Romanis & Romani imperii forma ſub Auguſto & ſequentibus imperatoribus ſcribens, τοῦ δὲ δὴ τῆς πολιτείας τέλους ἐς αὐτοὺς ἀνακειμένου, οὐκ ἔστιν ὅπως οὐ βασιλεύονται, inquit. Ideſt, *Porro deuoluta ad ipſos*, ſcilicet imperatores, *ſumma Reipublicæ, fieri non poteſt, quin* Romani *regio imperio ſubſint.* Imò verò ne Regis quidem nomen in libellis ſupplicibus abhorrebant. Nam ita Antoninum compellat Eudæmō quidā Nicomedienſis: [4] Κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε Domine Rex Antonine. Certè poſteriores Imperatores id nominis libenter amplexi ſunt, eoque erga ipſos viri diui & docti frequenter vtebantur. Cuius rei, quoniā ab homine haud vulgariter erudito mihi ſemel fuit negata, quędam hic indubitata teſtimonia proferam. Iulius Capitolinus

[1] Vt ipſe teſtatur li. 2. de bell. ciuilib.

[2] in præfat. Hiſt.

[3] Lib. 53.

[4] L. 9 D. ad l. Rhod.

nus de M. Antonino Philoſopho [1]. *Vbi autem comperit ſe ab Adriano adoptatũ magis eſt deterritus quàm lætatus. Quumque ab eo domeſtici quærerent cur triſtis in adoptionẽ regiam tranſiret, diſputauit quæ mala ſe contineret imperium:* D. autem Hilarius in libello quem Conſtantio Imperatori tradidit, *locuturus ſum tecum cum honore regni & fidei tuæ,* inquit. Et in alio ad eundem de Arianis loquens. *Authoritate nominis ſui, in errorem Imperatorem tranſducunt, rectum affirmantes ut ſub ſpecie timoris Dei, in hac peruerſitate ſubditos ſibi tradát: quæſtiones poſcunt: iudiciorum ſubſidia deſiderant, authoritatem regiam implorant.* Et in libello aduerſus Auxentium Mediolanenſem epiſcopum Arianum. *Sed cùm hoc myſterium impietatis diu occultatum iam non taceretur, diceremq́; fingi omnia, fidem negari, Deum atq; homines illudi, iubeor de Mediolano proficiſci, cùm conſiſtendi mihi in ea inuito Rege* (ideſt Imperatore Conſtantio) *eſſet nulla libertas.* Sed & alibi ſæpe in eodem libro Imperatorem Conſtantium Regem vocat: *cum edicto graui ſanctus Rex,* inquit: &, *continuò libellum Regi per quæſtorem offero:* & iterum, *ſed qui tum audiebant, de fide potius, ut Regi placuerat, agitandum eſſe decernunt.* Sic etiam D. Hieronymus [2]: *Conſtantius enim Rex, Arianorum fauens hæreſi:* & alio in loco [3]. *Omnes Reges Romani à primo Caio Cæſare qui imperium occupauerat, Cæſares appellati ſunt.* Conſtantinum & Iulianũ ſimiliter Reges ſæpe D. Greg. Nazianz. & Athan. [4] vocant. Eodem modo S. Ambroſius de Valentiniano filio [5], *prætexitur Regis iniuria:* & rurſus, *Pauci de familia regia.* Qua ratione Iuſtinianus in quadam conſtitutione [6] (dum eos reprehendit, qui fiſcum à priuato non ſecernunt). *Hoc eorum eſt,* inquit, *qui nec maieſtatem imperialem agnoſcunt, nec quantum inter priuatam fortunam, & regale culmen medium eſt:* & in alia [7]. *quid maius, quid ſanctius imperiali eſt maieſtate? vel quis tanta ſuperbia faſtidio tumidus eſt, ut regalem ſenſum contemnat?* Quid multis? Reges & Imperatores eodem ſenſu dictos, infinitis ex locis apparet [8].

1 in vita Antonini Philos.

2 In vita Hilarionis.

3 in ca. 22. Matth.

4 Orat. I. in Iulia.

5 in epiſt. ad ſolitar. vitam degentes. & in Apologia ad Conſtant. li. 5. epi. 33.

6 li. 2. C. de quadri. præſ.

7 l. vlt. C. de legibus.

8 l. vl. C. de Aſſeſſor.

Hunc igitur populum intueamur, quem ab ignauiæ nota virtutis militaris laus, à iuris verò & æquitatis ignoratione ingens legum ciuilium gloria vindicat. In eo enim cùm multi excellentes viri, & acutiſſimis ſplendidiſſimiſque ingeniis prædıti memorentur, nemo inuentus eſt, qui publicè vel priuatim legis ferendæ ius Principi denegarit: aut eum legis præſcripto aſtrictum atque obnoxium teneri, vt priuatum quemlibet, opinatus ſit. Sed omnes

vno ore delatã lege regia poteſtatem agnoſcētes, ſolutum legibus Principē, legis condendæ poteſtatē ſummã habere profitentur. Vnde Vlpianus [1]. *Quod Principi placuit legis habet vigorem, vtpote cùm lege regia, quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem cõferat. Quodcunque igitur Imperator per epiſtolam vel ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decreuit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat.* Idem alibi de capite quodam iuris controuerſi diſſerens [2], an filius nimirum apud hoſtes ſuſceptus habeat poſtliminium. *Nulla*, inquit, *dubitatio eſt poſt reſcriptum Imperatoris Antonini & Diui patris eius.* & alibi [3]. *an autem apud legatum proconſulis ſuſpectus poſtulari poſſit, dubiũ fuit. Sed Imperator Antoninus cum Diuo Seuero, Bradnæ Maurico proconſuli Africæ reſcripſit poſſe.* Sic Scæuola [4]. *Quæris, an ingenuitatis iure vtatur is, quem ſanctiſſimus & nobiliſſimus Imperator natalibus ſuis reſtituit: ſed ea res nec dubitationem habet nec vnquam habuit, quum exploratum ſit, ad omnem ingenuitatis ſtatum reſtitui eum qui iſto beneficio Principis vtatur.* Paulus item, de alia re conſultus, reſpondit ſimiliter [5]. *Poſt literas Imperatoris noſtri dubitari non oportet.* Extra controuerſiam igitur tunc erat, edictis, decretis, reſcriptis Imperatorum iura conſtitui: cui rei, ne ambigi amplius de ea poſſit, teſtimonio ſunt infinita iuris capita quæ etiamnũ libris noſtris continentur. Nam vt eas omittam conſtitutiones quæ in duodecim Codicis libros congeſtæ ſunt: quid, quæſo, frequentius in Pandectarum voluminib. occurrit, quàm tales iuris deciſiones, ex Imperatorum reſcriptis vel decretis profectæ? Iuriſconſulti ad confirmandas ſuas ſententias horum authoritate nuſquam non vtuntur, velut regula certiſſima confirmiſſimaque, ad quam ius anceps in omnibus controuerſiis dirigatur. Poſſum ſexcenta tibi exempla proferre, ſed ex plurimis pauca ſubiiciam. Vlpianus libro quartodecimo ad edictum [6]. *Si fideiuſſor non negetur eſſe idoneus, ſed dicatur habere fori præſcriptionem, & metuat petitor ne iure fori vtatur: videndum quid iuris ſit. & Diuus Pius (vt & Pompinianus libro epiſtolarum refert, & Marcellus lib. 3. Digeſtorum. & Papinianus libro tertio quæſtionum) Cornelio Proculo reſcripſit, merito petitorem recuſare talem fideiuſſorem.* Idem libro decimo ad edictum [7]. *Pupillus ſanè ſi negotia geſſerit, poſt reſcriptum Diui Pii etiam conueniri poteſt in id quod factus eſt locupletior.* Idem libro tertio ad Sabinum [8]. *Poſtumi per virilem ſexum deſcendentes ad ſimilitudinem filiorum nominatim*

1 l.1.D.de conſt. Princ.

2 l.apud.9 D.de capt. & poſt.reuer.

3 Suſpect.tutor. delegat. 2.l.1 §. 2.D.de ſuſp.tutel.

4 l.3.D. de natal.reſt.

5 l.Titia, 87. §. Lucius. D.de legibus.2.

6 l.7. D. qui ſatis.cog.

7 l.3. §.1.de neg. geſt.

8 l.3 D.de iniuſt. rupt.teſt.

natim

tim exhæredandi ſunt, ne teſtamentum adgnaſcendo rumpant. ratio. *Nam Diuus Marcus decreuit idem in poſtumo quod in filio ſeruandum.* Idem libro decimo ad Sabinum [1]. *Hi quorum teſtamenta irrita damnatione fieri diximus, ſi prouocauerint, capite non minuuntur, atque ideo neque teſtamenta quæ ante fecerunt irrita fient: & tunc teſtari poterunt, quid tamen ſi appellationem eius præſes non recipit, ſed Imperatori ſcribendo pœnam remoratus eſt? puto hunc quoque ſuum ſtatum interim retinere: nec teſtamentum irritum fieri*, ratio. *Nam vt eſt oratione Diui Marci expreſſum, tametſi prouocantis, vel eius pro quo prouocatur, appellatio non fuerit recepta: pœna tamen ſuſtinenda eſt, quoad Princeps reſcripſerit ad literas præſidis & libellum rei cum literis miſſum: niſi forte latro manifeſtus, vel ſeditio prærupta, factioque cruenta, vel alia iuſta cauſa, quam mox præſes literis excuſauit, moram non recipiant, non pœna feſtinatione, ſed præueniendi periculi cauſa: tunc enim punire permittitur, deinde ſcribere.* Idem lib.4. diſputationum [2]. *Poſtumus præteritus viuo teſtatore natus deceſſit, licet iuris ſcrupuloſitate, nimiaque ſubtilitate teſtamẽtum ruptum videatur, attamen ſi ſignatum fuerit teſtamentum, bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas accipere hæres ſcriptus poteſt, remque obtinebit, vt & Diuus Adrianus & Imperator noſter reſcripſerunt.* Idem libro ſecundo fideicommiſſorum, [3] *Si quis ita ſcripſerit, illum tibi commendo: Diuus Pius reſcripſit fideicommiſſum non deberi.* Idem libro tertio fidemcõmiſſorum [4]. *Fuit quæſitum, ſi ipſi tutori rogatus ſit reſtituere pupillus an ipſo auctore reſtitutionem facere poſſit & eſt decretum à D. Seuero non poſſe tutori ſe auctore reſtituere hæreditatem.* Idẽ libro octauo diſputationum [5]. *quæri poteſt an is qui de adulterio cognoſcit, ſtatuere in maritum ob lenocinium poſſit, & puto poſſe*, ratio. *Nam Claudius Gorgus vir clariſſimus, vxorem accuſans, cùm detectus eſſet vxorem in adulterio deprehenſam retinuiſſe, & ſine accuſatore damnatus eſt à Diuo Seuero.* Multa ſimilia huius conſultiſſimi viri teſtimonia omitto, quæ perſequi ſingula lõgum eſſet [6]. Nihil enim huic authori principalium conſtitutionum obſeruatione antiquius: in quibus recenſendis adeo frequens eſt, vt vno iuris capite, ſiue lege, vt vocant, vicies ad earum authoritatem recurrat. [7]. Idem & cæteri ſæpe faciunt, Papinianus libro quinto decimo reſponſorum [8]. *Sed Diuus Seuerus bonorum tacitè relictorum citra diſtinctionem temporis, fructus duntaxat deberi, non etiam vſuras eorum benignè decreuit, quo iure vtimur.* Idem libro vigeſimonono quæſtionum [9]. *Imperator Marcus Antoninus*

1 l. Si quis 6 §. 6. & 7. D. de iniuſt. rupt. teſt.

2 l. Poſtumus D. de iniuſ. rupt.

3 legat. 3. l. 11. D. de regib. 3.

4 l. 1. §. 6. ad Sc. Treb.

5 l. 2. §. ſi publico. D. ad l. Iul. de adult.

6 Vt in l. 4. D. de leg. commiſſ. l. 7. §. 2. de don. int. vir. l. 2. §. vl. Solut. Matr. l. 9. de excuſ. tutor. l. 61. §. 1. de leg. 2. cum multis ſimilibus.

7 l. 1. D. de quæſt.

8 l. cum 19. D. de his quæ vt indignis auf.

9 l. in ratione 11. ad l. falc.

regno contentiones exſtarent, & poſtquam etiam populorum inconſtantiâ, ambitionibuſque magnatum imperia turbari cœpiſſent. Atque hæc quidem ab eo dicta ſunt, qui laudem & præmium à ſapientia, non ab aſſentatione, quęrere nitebatur. *Dicamus*, inquiunt tres cuſtodes regii, *vnuſquiſq; noſtrum ſermonem qui præcellat, & cuiuscunq; apparuerit ſermo ſapientior alterius, dabit illi Rex Darius dona magna, purpurâ cooperiri, & in auro bibere, ſuper aurum dormire, & currum aureo fræno, & cidarim byſſinam, & torquem circa collum, & ſecundo loco ſedebit à Dario propter ſapientiam ſuam, & cognatus Darii vocabitur. Tunc ſcribentes ſinguli ſuum verbum ſignauerunt, & poſuerunt ſubtus ceruical Darii Regis, & dixerunt: Cùm ſurrexerit Rex, dabimus illi ſcripta noſtra, & quodcunq; indicauerit Rex è tribus, & magiſtratus Perſidis, quoniam verbum eius ſapientius eſt, ipſi dabitur victoria ſicut ſcriptũ eſt. Vnus ſcripſit: Forte eſt vinum. Alius ſcripſit: Fortior eſt Rex. Tertius ſcripſit: Fortiores ſunt mulieres, ſuper omnia autem vincit veritas.* Secundi argumentum illud eſt, quod retulimus, à regiæ poteſtatis amplitudine deriuatum, quam nec cãcellis popularibus circumſcriptã, nec anguſtatã legibus, nec procerũ libidini obnoxiã, nec conſiliariorum aſtrictã ſententiis, ſed in ipſius vnius volũtate ſitam eſſe, cui parere omnes teneãtur, ſine fuco aut circuitione oſtendit.

Neq; verò dici poteſt iſtũ Regib. plura tribuiſſe, q̃ quib9 tunc fruebãtur, quaſi hoc aulico blandimẽto Darium Regẽ ſibi demereri ſtuduiſſet: vt noſtri tũc adulatores ſolent, qui Principes quotidie iugulãt, dum vitia in iis ſimulatione fouent, mẽdaciis augent, & imitationis cõmendationẽ virtutũ inſtar venerantur. Nam iudices diſceptationis habuit magiſtratus omnes Perſarũ & Medorum, & purpuratos, & Prætores, & Præfectos: quos cùm non lateret quæ regię tunc maieſtatis eſſent, impudentis vel potius dẽmẽtis fuiſſet, in perſpicuè falſis totũ cauſæ ſuæ firmamentũ collocare. Præterea vir ſanctus Zorobabel, qui terti9 diſſeruit, huius ſecũdi rationes veras eſſe nentiquã inficiatus eſt, imò verò approbauit: ſed omnib. admiſſis, mulierũ tamen fortius, & veritatis fortiſſimum imperium eſſe docuit. Is ergo tũc erat ſtatus populorũ Aſiæ, eaq; Regum poteſtas, quam in celeberrimo Satraparũ & Summatũ conſeſſu deſcriptã ab iſto cernimus. Licet enim inſaniens multitudo Regibus ſuis audacius aliquando tunc temporis inſultabat, tamen ſedato ſemel furore, Regis authoritas pro maieſtate Imperii

tii ſemper agnita fuit, & ſeditionis authores ſuppliciis exquiſitioribus vlta eſt [1]. Et quidem φιλοδημοτικοὶ iſti Dan. c. 6. & c. vlt. nihil quod hîc reſpondeant inuenire poſſunt, præterquam quod Reges illos tyrannos, & non legitimos Reges fuiſſe autument. Cuius perfugii fundamentum etſi ſtirpitus iam à me exciſum ſit, cùm legitimos in Aſia Reges, id eſt, vel naſcendi ſorte datos, vel electionis iure Imperio admotos, riteque & more maiorum, inauguratos, complures exſtitiſſe docuerim: qui non minus piè ac prudenter, imò verò ſedatius quàm Principes Europæi ſubditis ſuis imperitarunt: Addere tamen & illud hîc volo, quod ipſorum defenſionis iugulum confodiat: nempe, ſi legitimus Rex is demum vocari debeat, qui ſubiectus & adſtrictus legibus eſt, (vt illi falsò, & contra omnem Latinè loquendi conſuetudinem, & iuris diuini vel humani rationem ſomniant) Aſianos alias omnes nationes in hoc genere ſuperaſſe: quòd Reges habuerint patriarum legum, & moris maiorum longè obſeruantiſſimos, quibus ita ad ſuperſtitionem addicti erant, vt extrema ferè citius pati, quàm antiqua gentis ſuæ ſcita diſſoluere maluerint. Ad cuius rei fidem faciendam ſacros & prophanos authores, ſi opus eſſet, laudare poſſem, & antè aliquot memoraui. Verùm enimuero quamuis ſuam illis rationem demus, videlicet pleroſque Aſiaticos Principes fuiſſe tyrannos: non video tamē quid adiumenti ex ea conceſſione nanciſcantur, vt veritatis iudicium ſubterfugiant. Neque enim noſtra hîc tumultum refert, Regéſne fuerint iſti, an tyranni, quos cum tanta poteſtate populis præfuiſſe contendimus, dummodo eos regio nomine & authoritate ſceptra tenuiſſe conſtet. Licet enim quidam eorum regiam dignitatem nacti (hoc eſt liberam & quantam maximam in populum poteſtatem) ea in populi perniciem aliquando abuſi ſint: nullum tamen eo facto cæteris Regibus præiudicium attulerunt, quo minus hi illis in regno ſuccedentes eandem pro maieſtate imperii facultatem reciperent. Hoc enim quicquid eſt libertatis, ita regiæ maieſtati adhæreſcit & agglutinata eſt, vt ab ea diuelli aut diſiungi nequeat. Itaque quoties nonnulli regium animum exuunt, inque tyrannos degenerant, mutare eos tantum voluntatem, non etiam poteſtatem, dicendum eſt. Vt quemadmodum de Deo rectè ſentientes, licet omnia in eo infinita eſſe credāt, tamen ſcire eum & poſſe multa quæ non vult, verè ſanctéque

que profitentur: ita qui de Regibus humaniter & piè iudicant, iſtam iis libertatem non adimũt, ſed immenſam eius amplitudinem quodam veluti fręno conſilii & rationis intra iuſtitiæ fines cohibendam eſſe cenſent. Hoc itaque tyrannus à Rege differt, quo homo malus à bono: ſuæ poteſtatis ambo ſuique iuris ſunt: at ille frænum erumpētibus cupiditatibus omninò adimit atque laxat, ille irretitos efferueſcentis animi impetus compede rationis vinculoque coercet, ne extra illius ſapientiſſimæ rectricis limites volitent ſolutæ & religionis & pudoris curâ libidines. Atque

1 Lib.1.de Clem. c.11.&12. de illâ quidem differentiâ belliſſimè Seneca[1], *Quid intereſt*, inquit, *inter tyrannum & Regem? ſpecies enim ipſa fortunæ ac licentiæ par eſt: niſi quod tyranni ex voluptate ſæuiunt, Reges non niſi ex cauſa ac neceſſitate? Quid ergo, non Reges quoq; occidere ſolent? ſed quoties id fieri publica vtilitas perſuadet. Tyrannis ſæuitia cordi eſt. Tyrannus autem diſtat à Rege factis non nomine.*

2 Eccl.10. Huc pertinet quod in Bibliis dictum eſt[2]. *Rex inſipiens perdet populum ſuum.* Perdere enim qui poterit, ſi non voluntatis ſuæ arbitratu, ſed populi, ſed ſenatus, ſed optimatum iudicio & nutu omnia regni præſidia domi foriſq; muniat atque mutet? imò quis Regi, ac non conſiliariis potius eiuſmodi, quorum ſententiis aſtringitur, inflicta Reipublicæ aſcribat vulnera, & neglecti muneris aſpergat infamiã? Iam verò quod Deus minatur peruerſis gentibus Regem

3 Oſeæ 13. in furore ſuo ſe daturum[3], nónne iſtam regnandi libertatem apertiſſimè demonſtrat? Quemadmodum & illud[4],

4 Iſaiæ 3. *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis:*

5 Eccl.10. &, *Væ tibi terra cuius Rex puer eſt*[5]: id eſt puerili ingenio iudicioque regnum adminiſtrat. Pueros enim moribus non

6 Ariſt.Eth.c.2. ætate ciuilis ſcientia dimetitur[6]. Hęc autem, & alia id genus multa quorſum, ſi populo Rex pareat, aut Regi ſenatus in adminiſtratione Imperii dominetur? An verò in aliis rebus vllis populo Princeps ſubmittat faſces, alibi, ſi otium ſuppetat, accurata magis atquę vbera inſtituetur diſputatio. Id enim nobis hoc loco tantùm curæ eſt, vt oſtendamus indefinitam illam, & infinitam, in Republica adminiſtrãda libertatem, quam vel aduerſariis ipſis iudicibus, primi Reges habuerunt, ad reliquos etiam qui ſequẽtibus ſeculis imperitarunt iugi ſubditorum conſenſu permanaſſe, ac poſt leges multas iam latas & inueteratas duraſſe: proindeque falsò aſſeri leges ad minuendam Regum libertatẽ initiò fuiſſe deſideratas. Etenim profectò abſoluta hęc admini-

miniſtrandi Imperii poteſtas libertaſque velut perpetua quædam regiæ maieſtatis comes & ſocia eſt, ſine qua nec Rex nec regnum concipi animo & excogitari poſſit. Quod cùm animaduertiſſet Ariſtoteles in libris de ciuili ſciētiā [1], ingenuè faſſus eſt, Regem legis iugo obnoxium nullam regni ſpeciem conſtituere. Quæ res etiam effeciſſe videtur, vt (quod mirabere fortaſſis) ſocordes & ignaui, perinde ac diligentes & frugi Reges, iſtam regnandi libertatem integram & intactam retinerent: videlicet quòd Regem eſſe, & non ex animi ſententia regni habenas moderari, haud ſatis inter ſe conuenire, imò pugnantia eſſe, tam excellentis tituli ſplendorem & dignitatem intuentibus videbantur.

1 Li. 3. Pol. ca. 12.

Quâ de cauſa Memmius, vt eſt apud Saluſtium [2], cùm populi Romani in puniendis malis ciuibus negligentiam incuſaſſet, deteriores fore peccandi licentiâ, & ſpe impunitatis propoſitâ, oſtendens, ita tandem concludit. *Quare moneo, hortorq́ vos ne tantum ſcelus impunitum omittatis. Non peculatus ærarij factus eſt, neq; per vim ſociis erepta ſunt pecunia: quæ quamquam grauia ſunt, tamen conſuetudine iam pro nihilo habentur. Hoſti acerrimo prodita Senatus authoritas, proditum imperium veſtrum eſt, domi, militiaq; Reſpublica venalis fuit: quæ niſi quæſita erunt, niſi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, niſi vt illis, qui ea fecere, obedientes viuamus? Nam impunè quælibet facere, id eſt, Regem eſſe.* Sed ecce huius rei proferam tibi teſtimonium illuſtrius, quod Athenæus ex Heraclidæ Cumæi ſcriptoris Perſicorum hiſtoria nobis reſeruauit: quodque libro duodecimo Deipnoſophiſtarum in hunc modum recitat: *Heraclides Cumæus Perſicorum author in libris quos Præparentes nuncupat, cum dixiſſet in Regione thurifera, voluntatem Regis eſſe pro lege, nec eum legibus vllis obſtringi, addit perquam ignauum, negligentem, & luxurioſum eſſe, in balneis ſemper verſari, ſummo ſumptu mollem vitam agere: nihil rerum gerere, paucos in ſui conſpectum & familiaritatem admittere, iudices decernere ac conſtituere: quos ſi quis non rectè iudicaſſe putet feneſtram in ſuprema palatii parte catena reuinctam apprehenſa catena trahit, & reſerat; tum Rex hoc vbi reſciuerit, eo qui conqueſtus eſt accerſito, ius dicit. Et ſi malè à iudicibus pronunciatum eſt, occiduntur: ſin rectè, qui feneſtram mouit interficitur.* Cernis, quod dixi, Regibus mollibus, effœminatis, negligētibus, iura regni integra relinqui: eo quod regnum alias nullum eſſet.

2 De bello Iugur.

thor tradit impenſam eius & vxorum & amicorum in dies ſingulos eſſe quindecim talenta Babylonica [1]. Bovt. Gentem ſanè perquam ſtolidam mihi narras, cui tanta in tales Reges obſeruantia: vel certè paribus vitiis inquinatam, vt quibus ipſa delectatur in Rege non reprehendat: nam

1 Quæ conficiũt decem circiter millia aureorum ſolarium.

Omnibus eſſe lupos licet in regione luporum.
Inter Pigmæos non pudet eſſe breuem.

Barc. Falleris coniecturâ: in neutro iſtorum poſita eſt huius rei cauſa. Nam etſi mollem vtcunque, & voluptuariam vitam degant, qui illas terræ plagas incolunt: tamen quod Regibus ſuis voluntatem pro lege exercentibus, ſupraque modum imperioſis, tam facilè obſequantur, id neq; ex infractione & demiſſione animi neque ex conſilii & rationis inopia, neque ex voluptatis tanquam ſummi boni cõmendatione natum eſt: vtpote quibus & roboris & animi ſatis fuit ad reſiſtendum homini gentili & patriotæ: & aliquis etiam humanitatis & honeſtatis ſenſus, qui vitia in cõmune diſſuadebat: Sed ex inſita quadam à natura regalis tituli & dignitatis reuerentia, cuius maieſtati, tanquã numini cuidam in terris, vel certè Dei omnipotẽtis imaginẽ quandam & poteſtatem præ ſe ferenti, vt omnes ſine cunctatione & inuidia pareant, ipſemet Deus Optim. Maxim. naturalem animis propenſionem indidit, brutorumque animantium exemplis docuit, vt paulò antè oſtendimus. Quapropter Regis imperium detrectantes, à communi hominum natura degenerare, & Dei ordinationi reſiſtere videntur.

Quod ſi minus hæc cuiquam ſatisfaciunt, ita vt Arabũ mollitiem in cauſa fuiſſe putet, cur tantam Regum tyrannidem paſſi ſint: is truciſſimas & bellicoſiſſimas nationes, ac in primis alienæ dominationis impatientes cernere poteſt: quę Reges ſuos maiore veneratione, quàm Arabes colere, & eorum crudelitatem perferre ſummiſſius cõſueuerunt. Et ne longius aliunde exempla quęrat, vnum ego pro multis hîc adducam, memorabile quidem illud & mirabile, quod exſtat apud eundem Athenæum [2] ex Poſidonii libro quinto de Parthis. *Cùm Rex Parthorum*, inquit, *amicum aliquem ad cœnam vocat, is menſæ particeps nõ eſt, ſed humi ſubſidet, Rege in ſublimi lecto recumbente, & quod à Rege proiicitur,*

2 Lib. 4.

canis

canis inſtar comeſt, ac ſæpe ob quamuis leuiculam cauſam ab eâ cœna, quâ humi paſcitur, abreptus, virgis, loriſq; nodoſis verberatur, & cruore fœdatus Regem à quo cædi iuſſus eſt tanquam accepto beneficio, in terram pronus ac procumbens veneratur. Et paulò inferius ex eiuſdem Poſidonii lib. 16. *Rex Parthorum, cùm cenat, in altiore, quàm cæteri, lecto ab aliis ſeparato, ſolus accumbit, eiq; ſoli tanquam Heroi menſa apponitur barbaris repleta ferculis.* BOVT. Quàm timeo quorſum euadas: quid enim ſupereſt, niſi vt Reges mihi tandem commemores, qui ſubditos ſuos agreſti feritate inſtar pecudum mactent? Nihil enim referre puto, viris generoſis & bene natis Rex aliquis mortem inferat, an Parthicum eiuſmodi conferat beneficium, niſi quòd internecione ignominiam luere vir nobilis optaret potius, quàm ita turpiter & abiectè viuus hoſpitio excipi: ſiquidem, vt ille ait, *in dedecore plus mali eſt, quàm in dolore* [1]. Sed dic, amabo, credis vera eſſe hæc, quæ de barbari Regis immanitate, & abiectâ procerum eius gentis patientia retuliſti? Mihi enim nec verum nec veriſimile videtur, Reges vllos, quantumuis imperii maieſtate elatos, ita humanæ conditionis ſuæque naturæ immemores exſtitiſſe, vt talem plebeiis, nedum magnatibus, nedum familiaribus, nedum amicis, gratiam perſoluerẽt: vel mortales vllos tam ſeruili animo reperiri potuiſſe, vt homines ſe ab homine tam fœdè ramque indignè tractari paterentur. Nam quod nonnulli tyrannorum nimis prodigiosè ſuperbientes crudelitatem inſatiabilem, & carnificinam aliquando in ſubdito ſibi populo exercuerint, id me parum mouet vt fidem Parthicæ hiſtoriæ habeam: quandoquidem homines eam tyrannidem neutiquã ſponte ſubibant: ſed victi potentia, viq; & armis oppreſſi, ferre ad tempus cogebantur. Atque ob eam cauſam, facta eiuſmodi neque ad argumentũ regiæ libertatis, neque ad exemplum transduci poſſunt. Quis enim ſanæ mentis monſtroſum Caligulæ, aut Neronis imperium [2] huc pertinere dicat? quorum alter optimis quibuſq; multiplici clade ſublatis, poſtquam vrbem imperiumque innocentum ſanguine paſſim fœdauerat, tot cædibus laſſatus, ſed non ſatiatus, optauit vnam toti populo ceruicem, vt totus vno ictu interiret. Alter verò & externorum occidione, & frequenti parricidio infamis, eò tandem crudelitatis & inſaniæ proceſſit, vt inceņſione vrbem, internecione ciues, ferarum laniatu Senatum delere prorſus, & nouam imperii ſedem

[1] Cic. li. 4. Tuſc.

[2] Suet. cap. 30. & Sext. Aurel. Vict. de Cæſarib.

ſibi quærere ſtatueret. Aut quis acerbiſſimum illud ſeruitutis iugum, quod Sarmatæ ſubactis à ſe Moſcis impoſuerunt, & noſtrâ ferè ætate excuſſum eſt, ad regiam dominationem trahat? quorum qui nuncius, vel tributi exactor ad Moſcos mittebatur, ei Dux ipſe Moſcus obuiam prodire, & poculum in equo ſedenti equino plenum lacte propinare, is enim Tartaris potus in deliciis eſt, & ſi, bibente barbaro, aliqua lactis guttula in iubas equi decidiſſet, eam Dux ipſemet elingere tenebatur [1]. Legenti deinde imperatoris Tartari literas, togam martibus egregiè pellitam, pro tapete ſubſternere, ac genibus nixus, vnà cum aulæ, & cõſilii ſui principibus imperata excipere. Hæc & ſimilia mihi nunc in mentem veniunt, quæ faciunt vt credam vel Parthicum illud in Regem obſequium violentiâ extortum, non populi voluntate oblatum fuiſſe: vel ſcriptoris fidem in rerum geſtarum narratione eſſe ſuſpectam. BARCL. De priore habeo quod reſpondeam, ex aliis multis qui res Parthicas obiter memoriæ prodiderũt: nempe regnatum apud eos ſummo populi conſenſu: gentémque illam ſub Regibus, quæſito magnæ partis Aſię imperio, nomen ſibi & gloriam bellis ſecundè geſtis comparaſſe: & variâ etiam fortunâ cum populo Romano terrarum Principe congreſſam, id laudis retuliſſe, quod exercitum eius fudiſſe ſæpius quàm fugiſſe memoretur. De poſteriore verò, tu videris: ego enim ſat habeo antiquum hiſtoriæ ſcriptorẽ tibi produxiſſe, cui credere par eſt, vel aduerſarium laudare meliorem. Nam ſi *famæ rerum ſtandum eſt, vbi certam derogat vetuſtas fidem* [2], quãtò magis authorum teſtimonio, quos nemo falſi conuicit ac ne inſimulauit quidem? Neque enim dubitare debemus permulta olim in vſu & vitâ communi poſita fuiſſe quæ nobis portenti ſimilia apparent, multaque nunc exſtare, quæ poſteris incredibilia videbuntur. An non conſtat Ruthenos & Moſcos non ita pridem Baſilium Ducem (qui regium ſibi titulum primus aſſumpſit) ingenti beneuolentiâ & amore complexos: cùm ipſe eos interea proteruè, nequiter, auarè, ac nulla non barbaricæ feritatis crudelitate tractaret? An non apud eam gentem, quo magis cæduntur mulieres, eo amplius in maritorum amorem exardeſcunt? quod ſi cum noſtrarum coniugum moribus componatur, minus profectò videtur credibile, quàm Parthica Poſidonii hiſtoria. Mihi ergo tantiſper fidem faciet, dum alium probatio-

1 Ioan. Herb. lib. 17. cap. 9. de reb. Polonicis.

2 Liu. lib. 7.

Vide Surium in principio hiſtor.

batiorem comperero, qui hunc in eo errorẽ, mendaciúmve redarguet. Nam vltra id quod de veterum authoritate non temerè eleuanda dixi, alia etiam ratio ſuppetit, cur eum veracem eſſe arbitrer: quod Parthis nimirum illud peculiare fuiſſe didicerim, vt populus cætera ferox, & truculentus, ſiue naturæ facilitate edoctus, ſiue barbaræ ſuperſtitionis opinione imbutus, Reges ſuos velut Numina quædam obſeruaret, ſolis & lunæ fratres eos appellans [1]: 1 Ammianus Marcel. lib. 32.
vt mirum non ſit, ſi in eius Regis amicitiam recepti, de quo præiudicatam diuinitatis opinionem iam imbiberant, inflicta nonnunquam verbera æquanimiter tolerarent, dolorem delectatione, iniuriam amici nomine penſantes. Vtut autem ſe res habuerit, nobis ſat eſt oſtendiſſe Regum voluntatem pro lege habitam, ſimulque falſum eſſe quod ab aduerſariis aſſeritur: leges, ſcilicet, inuentum eſſe multitudinis ad minuendam Regum libertatem. Id enim cùm illi nuſquam apud veteres ſcriptores inuenire poſſint, & nos contra ipſorum libros infinitis regiæ libertatis exemplis, etiam poſt leges latas, ſcatere demonſtremus, erit cur apud omnes æquos iudices victoriam in hac liberali cauſa certam nobis promittamus: ſed progrediamur.

Reges Perſarum quàm ſoluta in ſuos poteſtate regnauerint, non obſcurè indicat, quod vt ſuprà dictum eſt, terror ille Græciæ, conuocatis omnium prouinciarum ſatrapis, præfatus eſt ſe bellum Græciæ indicturum, & accerſitos eos eſſe, non vt ſuaderent, ſed vt parerent: ſimul etiam quòd apud eos nulli fas eſſet aureum annulum, vel zonam, vel monile, aliudue aliquod ornamentum inſigne, niſi regia liberalitate & gratia conceſſum geſtare [2]. Quæ res Ariſtotelem fortè mouit, vt imperium a- 2 Proco. lib. 1. de bel. Perſi.
pud Perſas verſum in tyrannidem putarit [3], quòd Rex o- 3 Libr. 8. Eth. cap. 10.
mnia ſuo arbitratu gereret, & tam ſubmiſsè ac diuinis propè honoribus à populo coleretur. Sed alia eius rei cauſa fuit, ab Ariſtotele quidem prętermiſſa: nempe illa legi diuinæ conſentanea quam Artabanus tribunus militum Regis Perſarum à Themiſtocle conuentus, vt ſe ad Regem perduceret, piè & ſapienter expoſuit: quamque refert Plutarchus, [4] his verbis, ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν, ὄντων κάλλι- 4 in Themiſt.
στος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ τοῦ τὰ πάντα σώζοντος? id eſt, *nobis inter multas & præclaras leges hæc eſt præclariſſima, venerari Regem, & imaginem adorare omnia*

conſeruantis Dei. Quid Armeniæ, Syriæ, Cappadociæ, alioſque Reges memorem? quorum omnium conſimilis in regnando libertas fuit.

At Aſiatici hi omnes populi, molles quidem, & tyrãnidẽ ferre aſſueti: itáne verò? Europæi ergo meliore iure vixerunt? imò quidem pari: nam paucis exceptis apud quos vel omnino regnatum non eſt, vel tantùm nomine tenus, omnes in Regum poteſtatem conceſſere, à quibus iura & leges acceperunt, non tam quæ populis q̃ quæ Principibus placuerant. Cuius rei fidẽ, ne in antiquis Græciæ regnis recenſendis tempus conſumam, vel ſoli Romani nobis facient: qui cæteras omnes nationes, tum amplitudine imperii, tum firmitudine principatus & diuturnitate, tum rerũ geſtarum gloria longè ſuperatunt: quique vt incunabula imperii ſui à regio dominatu traxerunt, ita eiuſdem perfectionem pari regiminis ſtatu ſunt adepti. Neque enim obſcurum eſt, rem ad regnum rediiſſe, ſimulatque in vnius ditionem ſe dediderunt, exploſa populari gubernatione, ſub qua quingentos circiter annos imperii ſui fines longè lateque protulerant. Nam teſte Appiano Alexandrino. qui Adriani ſeculo vixit [1], quotquot illud imperium poſt Cæſarem tenuerunt, ii nomen licet Imperatoris retinuerint, quo temporarii exercituum duces olim cenſebantur, tamen re vera omnino Reges erant: hoc eſt regali poteſtate ampliſſimam illam monarchiam regebant: ipſa Appiani verba ſunt [2]. Καὶ ἔστιν ἥδε ἡ ἀρχὴ μέχει νῦν ἐφ' ἑνὶ ἄρχοντι, οὓς βασιλέας μὲν οὐ λέγουσιν, ὡς ἐγώ γε νομίζω, τὸν ὅρκον αἰδούμενοι τὸν πάλαι, αὐτοκράτορας δὲ ὀνομάζουσιν, ὃ καὶ τῶν προσκαίρων στρατηγῶν ὄνομα ἦν, εἰσὶ δὲ ἔργα τὰ πάντα βασιλεῖς. Qua de cauſa Dion [3] Caſſius de Romanis & Romani imperii forma ſub Auguſto & ſequentibus imperatoribus ſcribens, τῆς δὲ δὴ τῆς πολιτείας πάσης ἐς αὐτοὺς ἀνακειμένης, οὐκ ἔστιν ὅπως οὐ βασιλεύονται, inquit. Ideſt. *Porro deuoluta ad ipſos*, ſcilicet imperatores, *ſumma Reipublicæ*, *fieri non poteſt*, *quin* Romani *regio imperio ſubſint*. Imò verò ne Regis quidem nomen in libellis ſupplicibus abhorrebant. Nam ita Antoninum compellat Eudæmõ quidã Nicomedienſis: [4] Κύρει βασιλεῦ Ἀντωνῖνε Domine Rex Antonine. Certè poſteriores Imperatores id nominis libenter amplexi ſunt, eoque erga ipſos viri diui & docti frequenter vtebantur. Cuius rei, quoniã ab homine haud vulgariter erudito mihi ſemel fuit negata, quædam hic indubitata teſtimonia proferam. Iulius Capitolinus

1 Vt ipſe teſtatur li. 2 de bell. ciuilib.

2 in præfat. Hiſt.

3 Lib. 53.

4 L. 9 D. ad l. Rhod.

nus de M. Antonino Philoſopho [1]. *Vbi autem comperit ſe ab Adriano adoptatũ magis eſt deterritus quàm lætatus. Quumque ab eo domeſtici quærerent cur triſtis in adoptionẽ regiam tranſiret, diſputauit quæ mala ſe contineret imperium:* D. autem Hilarius in libello quem Conſtantio Imperatori tradidit, *locuturus ſum tecum cum honore regni & fidei tuæ,* inquit. Et in alio ad eundem de Arianis loquens. *Authoritate nominis ſui, in errorem Imperatorem transducunt, rectum affirmantes vt ſub ſpecie timoris Dei, in hac peruerſitate ſubditos ſibi tradát: quæſtiones poſcunt: iudiciorum ſubſidia deſiderant, authoritatem regiam implorant.* Et in libello aduerſus Auxentium Mediolanenſem epiſcopum Arianum. *Sed cùm hoc myſterium impietatis diu occultatum iam non taceretur, dicerem q; fingi omnia, fidem negari, Deum atq; homines illudi, iubeor de Mediolano proficiſci, cùm conſiſtendi mihi in ea inuito Rege* (ideſt Imperatore Conſtantio) *eſſet nulla libertas.* Sed & alibi ſæpe in eodem libro Imperatorem Conſtantium Regem vocat: *cum edicto graui ſanctus Rex,* inquit: &, *continuò libellum Regi per quæſtorem offero:* & iterum, *ſed qui tum audiebant, de fide potius, vt Regi placuerat, agitandum eſſe decernunt.* Sic etiam D. Hieronymus [2]: *Conſtantius enim Rex, Arianorum fauens hæreſi*: & alio in loco [3]. *Omnes Reges Romani à primo Caio Cæſare qui imperium occupauerat, Cæſares appellati ſunt.* Conſtantinum & Iulianũ ſimiliter Reges ſæpe D. Greg. Nazianz. & Athan. [4] vocant. Eodem modo S. Ambroſius de Valentiniano filio [5], *prætexitur Regis iniuria*: & rurſus, *Pauci de familia regia.* Qua ratione Iuſtinianus in quadam conſtitutione [6] (dum eos reprehendit, qui fiſcum à priuato non ſecernunt). *Hoc eorum eſt,* inquit, *qui nec maieſtatem imperialem agnoſcunt, nec quantum inter priuatam fortunam, & regale culmen medium eſt:* & in alia [7]. *quid maius, quid ſanctius imperiali eſt maieſtate? vel quis tantæ ſuperbiæ faſtidio tumidus eſt, vt regalem ſenſum contemnat?* Quid multis? Reges & Imperatores eodem ſenſu dictos, infinitis ex locis apparet [8].

1 in vita Antonini Philos.
2 In vita Hilarionis.
3 in ca. 22. Matth.
4 Orat. 1. in Iulia.
5 in epiſt. ad ſolitar. vitam degentes. & in Apologia ad Conſtant. li. 5. epi. 33.
6 li. 2. C. de quadri. præſ.
7 l. vlt. C. de legibus.
8 l. vl. C. de Aſſeſſor.

Hunc igitur populum intueamur, quem ab ignauiæ nota virtutis militaris laus, à b iuris verò & æquitatis ignoratione ingens legum ciuilium gloria vindicat. In eo enim cùm multi excellentes viri, & acutiſſimis ſplendidiſſimiſque ingeniis præditi memorentur, nemo inuentus eſt, qui publicè vel priuatim legis ferendæ ius Principi denegarit: aut eum legis præſcripto aſtrictum atque obnoxium teneri, vt priuatum quemlibet, opinatus ſit. Sed omnes

tim exhæredandi ſunt, ne teſtamentum adgnaſcendo rumpant. ratio. *Nam Diuus Marcus decreuit idem in poſtumo quod in filio ſeruandum.* Idem libro decimo ad Sabinum [1]. *Hi quorum teſtamenta irrita damnatione fieri diximus, ſi prouocauerint, capite non minuuntur, atque ideo neque teſtamenta quæ ante fecerunt irrita fient: & tunc teſtari poterunt, quid tamen ſi appellationem eius præſes non recipit, ſed Imperatori ſcribendo pœnam remoratus eſt? puto hunc quoque ſuum ſtatum interim retinere: nec teſtamentum irritum fieri,* ratio. *Nam vt eſt oratione Diui Marci expreſſum, tametſi prouocantis, vel eius pro quo prouocatur, appellatio non fuerit recepta: pœna tamen ſuſtinenda eſt, quoad Princeps reſcripſerit ad literas præſidis & libellum rei cum literis miſſum: niſi forte latro manifeſtus, vel ſeditio prærupta, factioque cruenta, vel alia iuſta cauſa, quam mox præſes literis excuſauit, moram non recipiant, non pœna feſtinatione, ſed præueniendi periculi cauſa: tunc enim punire permittitur, deinde ſcribere.* Idem lib. 4. diſputationum [2]. *Poſtumus præteritus viuo teſtatore natus deceſſit, licet iuris ſcrupuloſitate, nimiaque ſubtilitate teſtamẽtum ruptum videatur, attamen ſi ſignatum fuerit teſtamentum, honorum poſſeſſionem ſecundum tabulas accipere hæres ſcriptus poteſt, remque obtinebit, vt & Diuus Adrianus & Imperator noſter reſcripſerunt.* Idem libro ſecundo fideicommiſſorum, [3] *Si quis ita ſcripſerit, illum tibi commendo: Diuus Pius reſcripſit fideicommiſſum non deberi.* Idem libro tertio fideicõmiſſorum [4]. *Fuit quæſitum, ſi ipſi tutori rogatus ſit reſtituere pupillus an ipſo auctore reſtitutionem facere poſſit & eſt decretum à D. Seuero non poſſe tutori ſe auctore reſtituere hæreditatem.* Idẽ libro octauo diſputationum [5]. *quæri poteſt an is qui de adulterio cognoſcit, ſtatuere in maritum ob lenocinium poſſit, & puto poſſe,* ratio. *Nam Claudius Gorgus vir clariſſimus, vxorem accuſans, cùm detectus eſſet vxorem in adulterio deprehenſam retinuiſſe, & ſine accuſatore damnatus eſt à Diuo Seuero.* Multa ſimilia huius conſultiſſimi viri teſtimonia omitto, quæ perſequi ſingula lõgum eſſet [6]. Nihil enim huic authori principalium conſtitutionum obſeruatione antiquius: in quibus recenſendis adeo frequens eſt, vt vno iuris capite, ſiue lege, vt vocant, vicies ad earum authoritatem recurrat. 7. Idem & cæteri ſæpe faciunt, Papinianus libro quinto decimo reſponſorum [8]. *Sed Diuus Seuerus bonorum tacitè relictorum citra diſtinctionem temporis, fructus duntaxat deberi, non etiam vſuras eorum benignè decreuit, quo iure vtimur.* Idem libro vigeſimonono quæſtionum [9]. *Imperator Marcus Antoninus* decre-

1 l. Si quis 6 § 6. & 7. D. de iniuſt. rupt. teſt.

2 l. Poſtumus D. de iniuſ. rupt.

3 legat. 3. l. 11. D. de regib. 3.

4 l. 1. §. 6. ad Sc. Treb.

5 l. 2. §. ſi publico. D. ad l. Iul. de adult.

6 Vt in l. 4. D. de leg. commiſſ. l. 7. §. 2. de don. int. vir. l. 2. §. vl. Solut. Matr. l. 9. de excuſ. tutor. l. 61. §. 1. de leg. 2. cum multis ſimilibus.

7 l. 1. D. de quęſt.

8 l. cum 19. D. de his quæ vt indignis auf.

9 l. in ratione 11. ad l. falc.

decreuit hæredes, quib. pars bonorũ ablata eſt, nõ in ampliorẽ partẽ, quã pro ea parte qua relicta eſt, legatorũ nomine teneri Idem libro nono reſponſorũ [1] *ex ſentẽtia cõſtitutionis Diui Marci libertates contingere matre conſentiente reſpondit.* Idem libro trigeſimoſexto quæſtionum [2]. *Imperator Marcus Antoninus & Commodus filius reſcripſerunt, ſi maritus vxorem in adulterio deprehenſam, impetu tractus doloris, interfecerit, non vtique legis Corneliæ de ſicariis pœnam excipiet: nã & Diuus Pius in hæc verba reſcripſit, &c.* & ibidem paulò poſt, ad alterius reſpõſi cõfirmationẽ infert. *& hoc ita Tiberius Cæſar reſcripſit.* Idem lib. nonodecimo reſponſorum [3], *qui non habita ratione tributorum ex cauſa fideicommiſſi prædia reſtituũt, actionem ex Diui Pii Antonini literis habent, quam legato quoque ſoluto locum habere voluit.* Et alibi alia eiuſmodi idẽtidem inculcat [4]. Sic Tryphonius libro ſexto diſputationum [5]. *Fuit quæſtionis, ãn ſi ſua hæres filia patri cum fratribus contenta dote abſtineat ſe bonis, cõpellatur eã conferre, & Diuus Marcus reſcripſit, non cõpelli abſtinentem ſe ab hæreditate patris: ergo nõ tantum dota apud maritum remanebit, ſed & promiſſa exigetur etiam à fratribus.* Idẽ libro octauodecimo diſputationum [6] *Mulier in qua turpis ſuſpicio cadere poteſt, nec ex teſtamento militis aliquid capere poteſt, vt Diuus Adrianus reſcripſit.* Idem libro ſextodecimo diſputationum, & alibi ſæpe conſtitutionum & reſcriptorũ Imperialium authoritatem laudat [7]. Sed dies me deficiet, ſi minutatim perſequar ſingula quæ Paulus [8], Pomponius [9], Modeſtinus [10], Mæcianus [11]. Papirius Iuſtus [12], Calliſtatus [13] Marcianus [14], Macer [15], Hermogenianus [16], Venuleius [17], Arrius Menãder, [18]. Valens [19]. Iulianus [20], Scæuola [21], Iunius Mauricianus [22], at qui & quanti Iu-

1 L. pen. qui ſine manu ad libert. peruen.
2 L. 38. ad l. Iul. de adult.
3 L. 5. §. 1. D. de Cenſibus.
4 vt l. 78. §. 1. de leg. 2. l. 5. §. 3. D. vt legatorum l. vlt. Si à parent. quis manum. l. pen. qui ſine manum. l. 33. de pœn. l. 11. ad Municip. l. 8. de vac. & excuſat. muner.
5 L. vlt. de dot. collat.
6 L. 41. §. 1. de teſtam. militis.
7 L. 7. de legat. præſt. l. 12. de diſtr. pig. l. pen. de curat. furio.
8 L. 35. de ſeruit. præd. ruſt. l. 7. de vſuris. l. 9. de iur. & fact. igno. l. 20. de ritu nupt. l. 13. de reb. eorũ qui ſub tut. l. vlt. de hæred. inſtit. l. 20. de ſtatu li. 7. qui ſine manumiſſ. l. 5. de his quæ vt indignis. l. 49. ad legem Falcid. l. vlt. de pœnis. l. 25. de appell. &c. 9 L. 22. de vſu & habit. l. 21. de Statu. lib. l. 1. de interd. & releg. l. pen. de pollic. &c. 10 Tit. de excuſ. paſſim l. 7. de iure patr. l. 11. ad l. Corn. de ſicar. l. 29 ad l. Corn. de falſ. l. vlt. de requir. vel abſent. dam. l. 16. de q. l. 11. de muner. l. 12. de pollicit. 11 L. 42. de fideicomm. libert. 12 L. 14. de ſeruit. vrb. præd. l. 17. de ſeruitute præd. ruſticorum. l. 33. de re iud. l. 3. ad l. Iul. de annona. l. 18. ad Sc. Turpill. l. vlt. ad Municipal. l. penult. de Decurio. l. vlt. de adminiſtr. ret. ad ciuit. 13 L. 16. de ſeruit. præd. ruſt. l. 3. de teſtib. l. vlt. ne de ſtat. defunct. l. 31. de re iud. l. 3. de abig. l. 2. de term. mor. l. pen. ad l. Iul. de vi priuat. l. 31. ad l. Corn. de falſ. l. 6. ad l. Iul. de plagiar. l. 15. de q. &c. 14 L. 6. de pign. l. 1. quæ res. pig. l. 19. & 58. de rit. nupt. l. 16. de reb dub. l. 1. & 3. de his quæ vt indignis. l. 89. & 91. ad leg. Falc. l. 3. & 31. ad Sc. Treb. l. 3. 4. 5. de iur. patron. l. 26. de manum. l. 6. qui ſine manum. l. 1. de colleg. & corp. l. 10. ad l. Iul. peculat. &c. 15 L. 40. de iniur. l. 32. ad leg. Iul. de adult. l. 5. ad Sc. Turp. l. 2. de bon. eor. qui ante ſent. l. 4. de appell. l. 1. ſi penden. appell. mors. l. 13. de re milit. &c. 16 L. 9. ad leg. Iul. maieſt. 17 L. 35. de pœn. 18 L. 4. 5. 6. de re milit. 19 L. 42. de iur. fiſci. 20 L. 6. §. vlt. de neg. geſt. l. vlt. de diu. 21 L. vlt. de ſeru. export. l. 13. §. 1. de alim. vel cib. leg. l. 29. de fid. inſtr. l. 24. ad Mun. 22 L. 57. de leg. 2. l. 23. de vſu & vſuf. & reditu. l. 15. de iur. fiſci.

riſconſulti, vno omnes cõſenſu hæc de re ſcripſerint. Ac ne quis fortè exiſtimet conſtitutiones iſtas, & earum ſimiles, à Senatu vel concilio re verâ profectas eſſe, licet Imperatoribus aſcribãtur, multis præterea exemplis admonemur, Imperatores non rarò, pro poteſtate imperii, contra iuris cõmunis rationem & formam, contráque ſententias aſſidentium conſiliariorum id iuris, quod adhuc obtinet, pronunciaſſe. Quinetiam quædam non iure facta, id eſt contrà legis præſcriptum, vt firma & rata, velut iure optimo, cenſerentur, ſuâ authoritate roboraſſe. *Adoptio non iure facta*, inquit, *Marcellus* [1], *à Principe confirmari poteſt.* Et Vlpianus [2], *nuptæ prius conſulari viro impetrare ſolent à Principe, quamuis perrarò, vt nuptæ iterum minoris dignitatis viro nihilominus in conſulari maneant dignitate: vt ſcio Antoninum Auguſtũ Iuliæ Mammææ cõſobrinæ ſuæ indulſiſſe.* Idem alio loco huius ſummæ poteſtatis in iure & legib. dandis exemplũ illuſtre profert [3]: & aliud Arcadius [4] Chariſius his verbis. *His incunabulis Præfectorum authoritas initiata in tantum meruit augeri, vt appellari à Præfecto prætorio non poſſit. Nam cùm antè quæſitum fuiſſet, an liceret à Præfectis prætorio appellare, & iure liceret, & extarent exempla eorũ qui prouocauerunt, poſtea publicè ſententia principali lecta, appellandi facultas interdicta eſt.* Paulus. *Imperator cum ſeruum manumittit, nõ vindictam imponit, ſed cùm voluit, fit liber is qui manumittitur, ex lege Auguſti.* Idem [5]. *Solet à Principe impetrari, vt intra legitimũ tẽpus mulieri nubere liceat.* In his nemo non videt libetrimã Principum poteſtatem in condendis legibus apud Romanos, parémque in conditis abrogandis etiam ſeculo illo magnanimorum hominum feraciſſimo, quæ vſque eò creuit, vt contractus imperialis pro lege haberetur, &, vt multa paucis complectar, authoritatis tantum in monarchia ſolus Imperator habuit, quantum in democratia populus vniuerſus: ſiue leges iubere vel abolere, ſiue bellum indicere, aut pacem cum hoſtibus facere & fœdus icere, æquum bonum iudicaret. Qua de cauſa Symmachus (ad Valentinianum, Theodoſium, & Archadium Impp. ſcribens) vocat Imperatores publici iuris conditores: & Iuſtinianus [6]. *Quid maius, quid ſanctius imperiali eſt maieſtate? vel quis tantæ ſuperbiæ faſtidio tumidus eſt, vt regalem ſenſum contemnat: cùm & veteris iuris conditores conſtitutiones quæ ex imperiali decreto proceſſerunt, legis vim obtinere apertè dilucidéq; definiant?* Quæ cùm ita ſe habeant; neſcio quid Bruto venit in mentem, vt abſolutam regnandi poteſtatem penes Barbarorum Reges tantùm manſiſſe

1 l. Adoptio 38. D. de adoptio.
2 l. Nuptæ. 12. D. de Senatoribus.
3 l. 1. de teſtam. militis.
4 L. Vnica. De officio Præfecti prætorio.
5 l. Solet. 1. D. de iis qui notantur infamia.
6 l. vltim. C. de legib.

dicat. *Cùm primis temporibus*, inquit, *Reges abſolutè imperarent, quorum arbitrium lex erat, paulò pòſt inter politiores & ciuiliores paſſim legitimi fierent, id eſt, legibus ſeruandis cuſtodiendiſque obligarentur: abſoluta verò illa poteſtas penes Barbarorum Reges tantùm maneret.* Nunquid Romanos Barbaros fuiſſe cenſet? nunquid Græcos? vel nunquid fidem ſibi potius quàm tot locupletiſſimis teſtibus haberi poſcit? Haud ſcio equidem quî poterit hîc Brutus ab ignominioſâ calumniæ ſuſpicione ſemet vindicare: niſi forſitan nouæ religionis ſuæ patrocinio ſatis ſe protegi arbitretur, & quaſi communi hæreticorum iure tutum, quibus ſolenne eſt nimia mẽtiendi licentia bonas & iuſtas cauſas ludificari, atque opprimere: malas autem phaleris & fuco verborum corruptas miris meriſque mendaciis extollere. Sed eſt tamẽ peruerſi ingenii aut ignota dicere, aut comperta tacere, quò periculum aliis intendas, vel damnum faxis.

Hactenus, Boutelleri, noſtram de legibus ferendis ſententiam, non ratione ſolùm, quantum exiſtimo, ſed externis etiam teſtimoniis exempliſque ſatis confirmatam habuiſti: non quòd domeſtica nos deficerent, ſuppetunt enim abundè, ſed quòd illa, quoniam omnibus ferè nota ſunt, haud accurata relatione egent, & cum his coniuncta liberiorem calumniandi anſam aduerſariis præripiunt atque illud inprimis commune perfugium obſtruunt, quod in priſcorum Regum inſtitutis & moribus populorum iſti nuſquam non ſubdolè quæritant.

Quapropter expugnetur iam tandem quidquid præſidii reliquum habet Buchananus in patrio more poſitum. Ad eam igitur ipſam gentem venio, cuius cauſa ſtylum ille ſuum tàm animoſè tàmque vehementer in Reges exacuit, populares inquam meos, quorum antiqua conſuetudine ſe tueri nititur. Ac ne longius abeat, teſtes contra eum cõplures ex clariſſimis annalium monumentis excitare potero, qui Scotiæ imperium, quo nullum ferè in Europa ſub Regibus viguit diuturnius, principiò Regi ſummâ cum libertate regnandi fuiſſe commiſſum affirment: legéſque pòſt, non à populo, ſed à principibus, vt quiſque eas expedire crediderat, latas fuiſſe & promulgatas. Nam primùm populus ille ex variis collectus partibus, necdum vllis legũ iuriſq; vinculis inter ſe conſtrictus, à primo Rege ſuo Ferguſio, cui omnem in ſe dederat poteſtatem, leges protinus accepit: [1] quas tertius ab eo Rex Dornadilla confirmaſſe, & a-

Hector Boet. li. 1.

& aliis à ſe latis cumulaſſe fertur. Sed & Mainus Ferguſii filius conſiliarios regno adminiſtrando, quos & quot vellet, ſuo ſibi arbitrio delegit. Ac primus quidem Finnanus rex, ducentis plus minus poſtquam regnari cœptum eſt annis, ſanxit vt regia publicáque negotia non niſi de patrũ conſilio tractarentur, quam legem, licet egregiam & Reip. ſalutarem, ipſius filius Durſtus, vbi imperium iniit, quamprimum abrogauit. Nec vlla ferè in ea gente lex, niſi à Rege aliquo lata, memoratur. Idem iuris quoque in ampliſſimo & florentiſſimo regno Galliæ obtinere multi boni authores tradiderunt. Nam Baldus ſcribit [1], regem Franciæ eſſe tanquam ſtellam matutinam in medio nebulæ meridionalis eminentem, & quo ad ſubditos ſuos eſſe tanquam quendam corporalem Deum, & eſſe legem animatam in regno ſuo, & alibi [2] teſtatur Regem ſolum facere conſtitutiones ſeu leges in regno Franciæ, quod idem & Barbatius aſſerit [3]. Boerius verò planiſſimè his verbis [4]. *Ex quibus patet dominos de Parlamento nec de iure nec de facto poſſe leges aut ordinationes facere, ſecundum communem & veram ſententiam Doctorum in locis ſupra allegatis. Sed benè econtrà Princeps ſine conſilio procerum, vel Papa ſine Cardinalibus poteſt condere leges decretales, non obſtante clauſula de qua in d.l. humanum, & illa, de fratrum noſtrorum conſilio, quia videtur magis decentia quàm neceſſitatis.* Cæterorum etiam regnorum, quæ verè regna ſunt, ſi iura & mores animo perluſtres, leges in iis à Regib. profectas manifeſtò comperies. Nam quod Baldus nominatim de Rege Galliæ, id prudentibus vniuersè viſum eſt ad cæteros omnes pertinere: Principem ſcilicet eſſe legem animatam in regno ſuo, & iudicem iudicum, atque caput vnde omnes leges, omnes magiſtratus & poteſtates tanquã à fonte promanant [5].

1 Ad tit. de prohib. feud. alien. per Freder. in vlt. col.

2 Ad c. 1. de conſtitut. in decret.

3 Ad c. memini de off. leg.

4 In tractat. de auth. magni cõſil. nu. 179.

Quæ cùm ita ſint, perſpicuum profectò ex iis eſt nihil, aut excogitari falſius aut dici inuerecundius poſſe, quàm leges initiò ad coercendos cogendóſque in ordinem Reges à populis fuiſſe expetitas. En certiſſimas igitur & ſolas legum condendarum cauſas quas vel ipſæ ciuitates, liberíque populi ſuo arbitratu tulerunt, vel Reges pro maieſtate imperii in ſubiectas ſibi nationes ſanxere: quas ego breuius quàm res tanti, vberius tamẽ quàm tempus exigat, hortatu tuo percurri. BOVT. Habeo gratias. Nihil ſupereſt quod te nunc velim, niſi vt valeas: id tamen in abſceſſu dicam. Vide ne hic tibi obiiciant aduerſarii, quod tu illis initiò

5 Specul. tit. de feriis. §. 1. num. 9. Vide quæ poſt alios ſcribit Lucas de Penna ad l. prædia. C. de loc. præd. ciuil. li. 11. & ad l. contra C. de re mil. li. 12.

tiò exprobraſti: nempe facta neutiquam imitanda, & rerũ malè geſtarum exempla hæc eſſe quæ contuliſti, ac proinde in iis omnibus aliud ab eo quod fieri debuit factum fuiſſe contendant. Scis enim nos non quid factum, ſed quid factu optimum ſit, in hac diſputatione, atque adeò in cuiuſque rei veritate inueſtiganda, percontari. BARC. Rectè mones, neque enim alius inpręſentiarum nobis ſcopus fuit, quàm vt monſtraremus facta eſſe quæ illi infecta, & infecta quę illi facta fuiſſe contẽdunt: vt ꝗ huiuſmodi falſo fundamento ſuperſtruxerunt, ipſo cõuulſo collabatur. Quod & præſtitiſſe nos nunc aliqua ex parte arbitramur, cum apud pleraſque nationes legum originem, quam Regum inſolentiæ perperam aſcribunt, à Regum prudentiâ ortã eſſe: & quas in populi poteſtate leges fuiſſe prædicant, eas in manu Regũ perpetuò ſitas fuiſſe demõſtrauerimus. Quæ quanquam per ſe ſufficiunt ad conuincendos mẽdacii ſcriptores iſtos maleuolos, qui ſpurciſſimis libellis editis, non verẽtur aſſerere eâ formâ regnatum àpud veteres, vt populus daret, nõ acciperet leges, vtque lex Rege, populus lege eſſet ſuperior: tamen ne homines impensè improbi, à quibus facti veritatem tot luculentis teſtimoniis extorſimus, de eius iniquitate querantur, & ad iuris defenſionem recurrant, multas etiam in tranſcurſu rationes grauiſſimas adduximus, quæ huius cauſæ æquitatẽ iure optimo ſuſtinent, quas tamen omnes, arbitror, meminiſti. Ad quarum præterea confirmationem ſi quid amplius deſideres, legitimam ſanctiſſimi ſapientiſſimique patris Auguſtini teſtimoniorum acceſſionẽ excipe, quæ nunc animo occurrunt. Is enim Donatiſtis iuſſa Regum, more noſtrorum hæreticorum detrectantibus, ac villas Imperiali lege ſibi ademptas conquerentib. in hunc modum reſpondit [1]. *Vnde quiſq; poſſidet quod poſſidet? nonne iure humano? nam iure diuino, Domini eſt terra & plenitudo eius, pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra ſupportat. Iure tamen humano dicitur, hac villa mea eſt, hac domus mea, hic ſeruus meus eſt. Iura autem humana iura Imperatorum ſunt, quare? quia ipſa iura humana per Imperatores & Reges ſeculi Deus diſtribuit generi humano.* Et pòſt paucis interiectis. *Tolle iura Imperatorum, & quis audet dicere, mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſeruus, aut domus hac mea eſt? Si autem vt teneantur iſta ab hominibus iura fecerint Regũ, vultis vt reticeamus leges, vt gaudeatis?* Et rurſus ibidem paulò inferius. *Legũtur leges vbi manifeſtè*

[1] Tract. 6. ad ca. 1. Ioan. & refertur diſt. 8. can. quo iure.

nifeſtè præceperunt Imperatores, eos qui præter Eccleſiæ Catholicæ communionem vſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis authorem, nihil nomine Eccleſiæ poſſidere. Sed quid nobis & Imperatori? inquiunt Donatiſtæ, quib. reſpõdet ille beatus, *ſed iam dixi de iure humano agitur, & tamẽ Apoſtolus voluit ſeruiri Regibus, voluit honorari Reges. & dixit Reges reuerimini. Nolite dicere quid mihi & Regi? quid tibi ergo & poſſeſſioni? per iura Regũ poſſidentur poſſeſſioni.* Audis S. Auguſtinum dicentem, Deum diſtribuiſſe leges generi humano per Reges, & Imperatores, ꝙ ſi verum eſt, falſum certè ꝙ iſti iactant, leges populorum eſſe inuentũ & à populis ad frænandam Regum licentiã datas. Sed & idem rurſus alio loco in eandem ſententiam ſic ſcribit. [1] *Res quæq; terrenæ rectè à quoquam poſſideri non poteſt, niſi vel iure diuino, quo cuncta iuſtorum ſunt; vel iure humano quod in poteſtate eſt Regum terræ.* Atque eam quidem poteſtatem non aliis finibus quàm ſolius voluntatis principum coarctari ſolitam alibi clarẽ indicat. [2] *Quoties Imperatores in errore ſunt* (inquit) *leges ad tuendum errorem contra veritatem condunt, per quas iuſti examinantur & coronantur dum non faciunt ea quæ legibus præcipiũtur, quia Deus ea fieri vetat.* Idem quoque alibi vt oſtendat diuini iuſſioni parendum eſſe, argumentum à regio dominatu petens ſic ait. [3] *Si Regi licet in ciuitate in qua regnat iubere aliquid quod neque ante illum quiſquam, nec ipſe vnquam iuſſerat, & non contra ſocietatem ciuitatis eius obtemperatur, imo contra ſocietatem non obtemperatur generale quippe factum eſt ſocietatis humanæ obedire Regibus ſuis: quanto magis Deo regnatori vniuerſæ creaturæ ſuæ ad ea quæ iuſſerit, ſine dubitatione ſeruiendum eſt.* Et alibi [4]. *iudicibus ſtatutum eſt,* inquit, *ne liceat in reum datã ſententiã reuocare. Nunquid & ipſe Imperator ſub hac erit lege? nam ipſi ſoli licet reuocare ſententiam, & reum mortis abſoluere, & ipſi ignoſcere.* Et alibi ſcribit. *Imperatorem non eſſe ſubiectum legibus qui habet in poteſtate alias leges ferre.* En Reges legibus ſolutos, ſupràque leges eſſe ex Auguſtini ſententia: cui etiam libertas Regum in iubendis legib. adeò certa viſa eſt, atque indubitata, vt axiomatis inſtar ei ſit ad aliarum rerum confirmationem.

1 Epiſt. 4. ad Vincent. & habetur 23. q. 7. can. 1.

2 Epiſt. 166.

3 Lib. 3. confeſſ. cap. 8. & habetur diſt. 8. can. 2.

4 De Fato.

Quid igitur, quæſo, ſi publicolas iſtos audiiſſet hanc regalis officii partẽ, omnium penè gentium nationumq; cõſenſu, & in omni memoria approbatam, non modò pertinaciter repudiare, ſed, ne quid ipſi nouare videatur, totius antiquitatis conſuetudinẽ malitioſè inficiari: nõne putas

eum.

eum,qua valuit ſanctitate ſcientiaque,eorum ſtylum velut diuino fulmine fuiſſe proſequuturum? Ergo certè beatiſſimum hunc Papam,velut colophonem, hic addidi, quod eius authoritas tanti eſt apud omnes bonos,vt vel ſola ſufficiat ad talem ſeditioſorum cętum in ſolas terras cum ſuo ſcelere deportandum. BOVT. Grauem inprimis teſtem veritatis produxiſti,vt meritò videri poſſis,& verè &ſeuerè cum aduerſariis egiſſe. Quapropter cùm tuam de legibus ferendis,earûmque origine,ſententiam multis nunc teneam,non eſt,vt mihi videtur,cur à tam acri regalis potentię vindice,aliquid de earum interpretatione exquiram. Si enim Regi leges condere dederimus, earum quas condidit interpretationem denegare ſtultum eſt:quamuis è diuerſo ambiguitatis & difficultatis legum explanatorem aliquē vtcunque facere poſſimus,qui vtique in nouis conſtituendis nullum ius habeat. Ac propterea licet ii quidem, qui Reges tali legum ferendarum imperio non dignantur dubitare poſſint,an Regibus interpretatio committatur:nos tamen non item, cùm non debeat cui plus licet quod minus eſt non licere [1]. BARC. Ita eſt profectò, nam is ipſe contra quem diſputauimus,non modò non latores,ſed ne interpretes quidem legum Reges eſſe voluit [2]. Brutus verò quoniam callidius agere ſtudet,colore quodam verborum Principibus interpretationem videtur concedere [3],re vera autem non minus adimit, quàm qui apertè. Nam ita demum Regi licere interpretari legem ait,ſi & rationem, quę anima legis eſt,adhibeat in conſilium,& ſapientum multitudinem prius conſulat, ſine quorum iudicio nihil ei liberum ſit definire. Quis enim non videt Regis partes in explicanda lege hic propè nullas eſſe: cùm pôſt eius interpretationem quæſtio eiuſmodi adhuc ſuperſit:num ratione rem finierit?num de conſilio prudentium?quorum defectū obiicient ſemper ii,qui ſe rentur hac interpretatione læſos:vt ſatius multò ſit interpretationem Principibus denegari, quàm iis conditionibus tribui, quæ litium materiam augeant & multiplicent.

Sed vnum tamen eſt, quod in hoc hominum genere mirari poſſis,geniis eos & ingeniis ad fallendum paratis adeo miſerè prædítos,imò perditos eſſe, vt vmbris quibuſdā rationum, ſeu ineptiis potius ſophiſticis capi ac deludi poſſe mortales omnes exiſtiment: quaſi verò in ſumma luce latere poſſit veritas,aut reuelatum non videri. Ecquis enim omnium

1 L. non debet de regul.iur.cap. cui licet.de regu. iur.in ſexto.
2 Buchan. pag. 34.&35.
3 Quæſt.3. pag. 127.

omnium ante eos Theologorum, Iuriſprudentum, Philoſophorum, Sapientum, Hiſtoricorum, Poetarum, Oratorum, imò ecquis ſanæ mentis Regi legis interpretandę poteſtatem denegauit? ecquis talium conditionum præſcripto eius coanguſtauit libertatem? At iſti primùm ſapere cœperunt, ſc. nec maiores noſtri, quæ Principis, quæ populi partes eſſent intellexerunt, antequã iſti ex Lutheri & Caluini cloacis abſtruſa hæc ſapiẽtiæ ſuę dogmata hauſiſſent.

Nemo veterum non faſſus eſt Principes conſilio & ratione omnia agere debere, vt ſuæ populíque ſaluti rectè cõſulant. Nemo etiam, niſi qui ex horum ſchola prodierit, non cenſet illa quæ à Principib. ſancita ſunt & finita tantã habere conſtitutionis firmitatem, vt in ea priuato inquirere non liceat, niſi in hoc tantùm, num Dei mãdato expreſsè aduerſentur. Plurima eos mouere poſſunt aliis ignota, nec peruulganda multitudini. Annon pudeat eam Regi denegare, quam Curiæ ſibi poteſtatem quotidie vendicãt, à quibus vbi decreta exeunt aliis in ſpeciem contraria, id vnum pro ratione addi ſat eſt, cauſas ſubeſſe ſpeciales eius in iudicando veritatis, quas nec probare quidem litigantibus tenentur, nec omninò referre: vnde in regno Scotiæ eiuſmodi cauſę vocantur ſimpliciter *the lordis motiues*, quaſi dicas *motiua*, ſc. cauſæ, *Dominorum*.

Sed quàm longè diuerſa ſententia veterum ab iſtorum opinione fuerit, teſtantur quæ etiamnum extant ipſorum dicta illuſtrib. conſignata monumentis, & bonorũ omniũ aſſenſione comprobata. Nam vt omittam quæ Iuriſcõſulti complura in eam ſententiam retulerunt[1]: quis vocem illam Conſtantini Magni velut iniquam aut tyrannicã hactenus damnauit, quà inter æquitatem & ius interpoſitam interpretationem ſibi ſoli licere inſpicere pronunciat[2]? ac non potius vt iuſtam, legitimam & ſummo Principe dignã laudauit? Vel quis Iuſtiniano, Innocentio, aliiſve Principibus, aut Pontificib. obloquutus eſt vnquam, quod ſibi ſolis & ferendæ & interpretandæ legis authoritatem, quà Principes, aſſeruerunt[3]? Prætereo hic iuris vtriuſque interpretes, qui quotquot ſyncero ac ſubtili iudicio in ciuilis ſciẽtiæ cognitionem incubuerunt, fatentur ingenuè ſolum Principem poſſe leges condere & interpretari[4]. Eamque illi poteſtatem velut præcipuam, & propriam ipſius quarto modo, inter ea quæ regalis ſunt dignitatis vnâ omnes voce tribuunt[5]. Nam quas Senatus, quas præfectus præto-

1 Lib. 8. de off. præſid. l. pen. de off. eius cui l. 2. 3. 11. §. ex facto. de minorib. l. 37. §. 1. D. de relig. l. 11. de pact. dot. & alibi ſæpè.

2 l. 1. C. de legib.

3 l. vlt. C. de legib. c. inter alia de ſent. excom. c. in iis de verb. ſign. c. cum veniſſent de iudic.

4 Ad d. l. 1. & vltim. C. de legib. & ad d. c. inter alia 31.

5 Vide quæ refert Lucas de Penna ad l. contra 13. C. de re militari.

rio facit, eas Rex facere dicitur, quia eo authore fiunt. Quæ cùm ita ſint, neceſſe profectò eſt, vel tot inſignium virorū ſententiam, in hanc vſque ætatem productam & probatā, deleamus de libris noſtris tanquam hæreticam, vel Buchanani & Bruti opinionem vt phreneticam explodamus. Sed Deus, vt ſpero, non ita nos infortunatos & infatuatos faciet, vt horum inſomnia ſapientum conſiliis, delirationes totius antiquitatis prudentiæ, figmenta & fucum firmiſſimis rationibus, vanitatem veritati præferamus. Iam verò quoniam huc peruenimus operæ eſt, Buchanani de hac re inter alia reſponſum vnum referre, in quo aut falſum eum fuiſſe, aut fallacem denegari non poteſt! Iuueni enim poſtulanti vt Regibus ſaltem committatur legum pugnantiū vel obſcurarum interpretatio hac ad verbum ratione reſiſtit [1]. *Sed tu mihi Regum nomine plus poſtulare videris, quàm qui eorum imperioſiſſimi ſunt ſibi ſumant. Scis enim ad iudices reiici ſolere hoc genus quæſtionis, cùm aliud lex dicere aliud legis author voluiſſe videtur: perinde atq; illas quæ de ambiguo iure, aut legum inter ſe diſcordia oriũtur. Itaq; de his rebus grauiſſimæ ſunt patronorum in foro contentiones, & Rhetorum præcepta diligentiſſimè tradita.* Cui iuuenem ita reſpondentem inducit. *Scio iſta fieri quæ dicis, ſed mihi in hac parte non minor iniuria fieri videtur legibus quàm Regibus: Satius enim puto ex vnius viri boni ſententia ſtatim litem finire, quàm ingenioſis hominibus, & interdum veteratoribus obſcurandi potius quam interpretandi leges poteſtatem dari.* Hæc ille, quæ quidem vel per ſummā fraudem & malitiam ab eo conficta, vel per inſcitiam temerè effutita eſſe oportet. Nam ſi aliud in lingua promptum, aliud in pectore clauſum habuit, veterator & ipſe improbus iudicandus. Sin verò quod elocutus eſt ſenſit, error quidē eſt non callentis ſcientiam in qua verſatur. Nam quamuis iudices vel patroni ambiguam legis vocem, vel pluriū pugnantium ſententias, ad ſuum quique ſenſum trahant & interpretentur: multum tamen intereſt, vtrum ab illis an à Principe talis interpretatio procedat. Iudex enim haud aliis ſuo interpretamento præiudicat, quàm quibus iudex datus eſt [2], nec facit vt alii iudices eum ſequi in iudicando teneantur, cùm non exemplis, ſed legibus ſit iudicandū [3]. Sed nec ipſum qui interpretatus eſt ita aſtringit, vt ei non liceat ab illa expoſitione recedere in alio iudicio, ſi, vt ſæpe contingit, priorem ſuam interpretationem aliquo defectu laborare pòſt ſolertiore ingenii acumine deprehendat [4].

Præ-

1 Pag. 34.

2 Toto tit. C. res int. alios acta vel iudi. l. Diui. 27. §. 1. & l. ſi ſeruus 42. D. de liber. cau. Innoc. ext. de appellat. c. cum ſpeciali. & Arc. 11. q. 1. c. ſicut.

3 l. nemo 13. C. de ſent. & interloc.

4 l. vlt. §. ſed cū C. de furt. & ſer. corrup.

Præclarè ſiquidem Innocentius [1]. *Non pudeat vos errorem veſtrum corrigere, qui poſiti eſtis vt aliorum corrigatis errores.* Et Iuſtinianus [2]. *Non erubeſcimus*, inquit, *ſi quid melius iis quæ ipſi prius diximus, adinueniamus, hoc facere, & competentem prioribus imponere correctionem.* Idipſum ſimiliter de conſultationibus & interpretamentis adhibitis à iuris doctorib. cenſeri debet [3].

At vbi princeps ſuam in explicanda lege ſententiam interponit, ea generalis eſt & perpetua, atque ad omnes porrigitur, quos lex ipſa habebat obligatos: imò verò talis interpretatio cenſetur pars ipſius legis, & vt lex ab omnibus obſeruanda, à qua ne latum vnguem in iudicando liceat recedere [4]. Plinius ad Traianum, de Bithynis & Ponticis ciuitatibus [5]. *Ego inueni à pleriſque proconſulibus conceſſam eis protopraxiam, eamq́; pro lege valuiſſe: exiſtimo tamen tua prouidentia conſtituendum aliquid, & ſanciendum, per quod vtilitatibus eorum in perpetuum conſulatur. Nam quæ ſunt ab aliis inſtituta, ſint licet ſapienter indulta, breuia tamen & infirma ſunt, niſi illis tua contingat authoritas.* Hæc trita ſunt & peruulgata apud Iuriſconſultos [6], quorum libros ſi Buchananus diligentius euoluiſſet non commiſiſſet, fortè [illegible]arum rerũ longè diſparium & diſiunctarum confuſione falleretur aut falleret. Quinimò iudicantium arbitria principalibus oraculis æquare, aut ambitioſas patronorum contentiones ſpecioſæ Regis intentioni tam inſcienter componere penitùs erubuiſſet. Verum mihi in hanc partem diutiùs incumbendi, neque animus nunc eſt, neque otium: ac ne opus quidem plura dicere. Nam quantumuis obnixè conẽtur huic materiæ in primis illuſtri & peruulgatæ, hominũque ſapientiſſimorum iudicio iampridem deciſæ tenebras offundere: nunquam profectò efficient ne ab acutis hominibus videatur eius veritas, & vindicetur.

Hæc vbi dixiſſem totus iam ad iter compoſitus, atque in equum conſcendere paratus, datis vtrinque dextris, ille me, ego illum valere iuſſimus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

1 c. qualiter 17. de accuſa.

2 Auth. de nup. in ſi. præf. coll. 4.

3 Bald. ad d. ſ. vlt. C. de & ad c. ne imitaris. de conſtitut. Angel. ad l. labeo D. de ſeruit. præd. ruſt. Felin. ad d. c. qualiter. Bal. ad l. de tutela C. de in integr. reſtit. min. Vid. Iaſ. ad l. ſi ita. nu. 27. de leg. 1. fol. 24. & ad l. Prætor. §. ſi aliquando nu. 5. de oper. non nunc.

4 D. l. vlt. C. de legib.

5 Lib. 10. fol. 180. pag. 2.

6 Bart. ad l. 1. C. de legib. Panor. ad d. c. inter alia de ſent. excom.

GVIL. BARCLAII I.C. DE REGNO ET REGALI POTESTATE aduerſus Monarchomachos Liber tertius, in Brutum prior.

Inſtitutum authoris hoc libro: cum quibus confli-ctetur: quâ methodo: Buchananum & Brutum hæreticos eſſe.

CAP. I.

QVAM cæteris Reip. formis Monarchia antecellat, & quantam Reges libertatẽ in conſiliis capiendis, in legib. dandis authoritatem habeant, ſuperiorib. libris ſatis ſupérq;, ni fallor, eſt demonſtratũ. Nunc an populo faſces ſubmittant; & quam ſe in ſingulos, eam populum vniuerſum in ipſos animaduertendi poteſtatem & imperium habere agnoſcant: aut legibus antè, vel à ſe latis, ita teneantur, vt non niſi ex earum præſcripto ius dicant; eoq; ꝙ aliis reddunt, vt ipſi quandoque vtantur conuenti: deq; aliis id genus quæſtionib. ſequẽs nobis inſtituetur ſermo: quem non modò viri boni audient, vt ſpero, libenter, ſed praui etiam & pertinaces, vel tanquam erroris ſui emẽdatorem amplexabuntur, vel certè monitorem officii, velint nolint, opportunum importunúmque habebunt, qui in abſtruſiores cogitationum receſſus penetrans efficiet, vt eos proprii ſceleris conſcientia ſtimulet, &

Surdo verbere cadat
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Et quãuis nonnullos fortè obſtinatior voluntas ita cõcitatos atq; infenſos in Reges detinet, vt ratione & oratio-

ne mol-

ne molliri nequeant; tamen id ſaltē conſequemur, vt imbecilles,quos opinionum varietas torquet,aliquā inde lucem veritatis aſpiciant, quâ magnos illos errorum gurgites,& ingentem mendaciorū Charybdin,quib.aduerſariorum ſcatent opuſcula,prævidere & præterire ſine periculo poſſint. Quanquam autē certamen nobis eſt cum omnib. regalis potentiæ aduerſariis, quotquot ſcripto tantā minuere maieſtatem ſunt conati:tamen in libris hiſce noſtris de regno,trium tantum,Buchanani,Bruti,& Boucherii errores præcipue & nominatim refellendos ſuſcepimus. Ac Boucherii quidē reprehenſioni poſtremus locus datus eſt, quem etiam à cæteris, librorum diſtinctione conſultò ſeparauimus,licet vnà in fronte conſideant: non quòd ipſe melius quàm iſti de Regibus ſenſerit: eſt enim æquè, imò magis,in illos iniurius,ſed quòd rationum eius pars maxima ab iſtorum fontibus deriuata eſt, vt iis confutatis ſat eſſe videatur reliquos huius errores leuiter indicare: addo etiam ne ſe Catholicum, & eccleſiaſticæ dignitatis hominem (quem ego ordinem,ab ineunte ætate,obſeruare ſemper,atque amâre didici) cum impuris & manifeſtis hæreticis copulatum eſſe conqueratur,nêve quos fides pietáſque debent diſiungere,eos vitioſæ opinionis ſocietas (quæ tamen & ipſa pertinaciùs retenta,hæreſis eſt) mutuâ animorum conſenſione & communi ſceleris vinculo conſtringere & colligare videatur. Eius itaque libris, quamuis luce & lectione indigniſſimis,libros dedi ſingulares;vt aliquis noſtræ in ordinem illum obſeruantiæ ſymbolus, & arrepti veritatis patrocinii, Chriſtianæque charitatis teſtimoniū extet: quòd ſi fortè eius aliquando in his libris mētionem fecimus,id ideò eſt,quia præteriri ſine vitio,& magno cauſæ detrimento non potuit. Suſceptum autem à nobis argumentum ita tractare libuit, vt noſtra prius poſita & ſtabilita hoc libro ſententia (ſi modò noſtra dici debeat, ac non potius optimorum authorum à quibus exiit, & quos etiamnum vindices & aſſertores habet, vt eius nos repetitores potius quàm repertores dici mereamur) aduerſariorū rationes, quibus fallacia ſua dogmata fulciunt, ſequenti mox libro excutiantur. In quibus enucleandis διαλογικὸν illud ſcribendi genus, quo ſuperioribus libris vſus ſum,cogitatò deſerui,omnemque de rebus hiſce controuerſis diſſertationem in capita quædam contractiora ſine vllo in-

terpellatore digeſſi: vt ſi quem ſermonis vltro citroq; habiti tædium aliquod ex præcedenti dialogo cœpit, id breuioribus curriculi ſpatiis hic leuetur, dum habeat lector vbi interquieſcat paululum & reſpiret.

Sed quoniam ſuprà commonui, omnem nobis hoc libro diſceptationem contentionemque de regno cum hæreticis ferè hominibus eſſe Buchanano nimirum & Bruto, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi eos tales eſſe indubitatis aliquot teſtimoniis commonſtrem, ne nos fortè in calumniæ ſuſpicionem trahant, quib. iſtorum vel ignorata penitùs religio, vel non æquè ac nobis cognita eſt & perſpecta: agam equidem de vtroque tabellis obſignatis, vt fidem quam profitentur manifeſtem. Ac Buchananũ quidem non ſolùm deprauatis deſperatiſque moribus ex libero Liberi Veneriſque mancipium factum ſciunt omnes, quotquot eum probè nouerunt; ſed & hæreticum inſignẽ, & mẽdacem hiſtoricum ſacra iuxtà ac profana audaci conatu temerantem, oſtendit illud eius opus, cui, *Rerum Scoticarum hiſtoria*, titulum dedit, in quo præter cætera nominis ſui memoriam hoc ſingulari elogio conſecrauit [1]: *Initio anni proximi* (inquit) *qui fuit* M. D. XXXIX. *Lutheraniſmi ſuſpecti complures capti ſunt, ſub finem Februarii quinque cremati nouem, recantarunt, complures exilio damnati: in his fuit Georgius Buchananus, qui ſopitis cuſtodibus, per cubiculi feneſtram euaſerat.* Hæc ille grauis ſuarum virtutum præco, cui ſponte confeſſo credi par eſt: nihil enim eum de ſe mẽtitum pertinax in hæreſi ad mortem animus acclamat. Quod cùm ita ſit, ecqui mirum videri poſſit, in egregium nequitiæ artificem euaſiſſe eum, qui in primis iuuentæ annis, ſcelere omnium maximo flagitioſæ vitæ rudimentum poſuit? Iam verò hiſtoriam reliquam ea fide ſcripſit, q̃ in meo me pudet populari reperire: probiſſimos quoſque lancinat maledictis, pios per calumniam opprimit: quò autem quiſque ſceleratior, & promptior ad malum manu, eò pluribus ille laudibus celebratur. quid multis? in illa eius hiſtoria, quæ vltra Boethii nobilis hiſtoriographi epitomen ſe profert, mihi mendacia occurrunt, vt cùm vera videam, vix vera eſſe, niſi cunctanter, credam. Idipſum & alii mecum queruntur gnari temporum, quæ res geſtas poſtremis ab eo libris mandatas continent [2]. Sed erit ſpero veri, patriæque amãtior aliquis, qui venenatum eius ſtyli mucronem retundet, &

1 Lib. 14.

2 Nempe ſeptẽ poſtremis quos de induſtria in matris & filii Regum necem & ignominiam malitia mala compoſuit.

& fraudem fide ſolida patefaciēs incorruptos eorum temporum annales euulgabit.

Hoc igitur homine relicto, qui vt viri adhuc viuentes clariſſimi norunt, ventri & Veneri obediens, multarum in principes coniurationum fautor, quarundam etiam author, hæreſeos quà domi, quà foris, quà priuatim, quà publicè pertinax propugnator extitit: ad Stephanum Iuniū Brutum venio, qui & Iunium Stephanum alibi ſe vocat [1], adeò ille varius eſt: is trino nomine aſcititio caput, ne agnoſcatur, obnupſit: nominis immutatio nihil habet vitii, ni aſtu fiat alterius fraudandi cauſa [2]. Sed voluit, credo, grauius iſte vindiciarum author, cùm Brutina conſilia de ſummittendis populo imperii inſignibus cæpiſſet, familiæ etiam illius cognomen, velut gemina ipſum virtute meritus, deligere: vt eo inſignior libertatis vindex in publicum prodiret: neque enim primi illius Regum exactoris deductum in hæc tempora genus veriſimile eſt, quem ſoboli toti ſuperſtitem bello aduerſus Veientes occidiſſe bonus in primis antiquitatis author tradit [3]. Verum fecit hac immutatione Brutus, vt quiſnam ille ſit, vbiue gentium, penitus ignoretur ab omnibus, qui eum de facie non cognoſcunt. Nam quod nonnulli coniectura augurantur Hotomanum eſſe, qui ſub ficto Iunii Bruti nomine latitās iura Regū adeò petulanter exagitat, eò quod multa in hiſce vindiciis ſparſim continentur, quæ in ſua ipſe Francogallia conſcripſerit; id aliâ probabiliore cōiecturâ improbatur. Brutus ſiquidem firmandi erroris ſui causâ id aſſerit, quod Hotomanus in Francogallia ridet refutatque, vt inferius ſuo loco demonſtrabitur [4]. Adhæc author iſte ſupinos iuris ciuilis errores non ſemel atque iterum cōmittit, quos neutiquam veriſimile eſt Hotomano excidiſſe, quem diu multumque in ea ſcientia verſatum fuiſſe nemo ignorat. Et quidem parum abfuit quin neſciremus etiam qui vir fuerit Brutus, (vnde enim id expiſcari potuimus?) niſi ipſe nobis fidei ſuæ veſtigia in illis ipſis vindiciis reliquiſſet. Fœliciter itaque ceſſit, quòd homo vel ſui oblitus, vel genio impulſus meliore, id de ſe apertè prodiderit, quod vnicè ſtuduit occultare, & ea religionis ſuæ teſtimonia reliquerit, quæ minimè orthodoxum eſſe arguāt: vt opus illud non homini catholico excidiſſe, ſed ab hæretico quodam exiiſſe intelligamus: ex plurimis pauca ſubiiciam. Primùm

1 In præfatione quæ ipſius eſt, licet alieno nomine inſcripta.

2 l. vni. C. de mut. nom.

3 Dionyſ. Halic. lib. 5.

4 Lib. 4. c. 15.

ex quæſtione prima: vbi cùm Reges Deo, diuinoq; cultui hoſtes factos, mortem miſerè oppetiiſſe, vno aut altero exemplo oſtendiſſet, mox Reges verè Chriſtianos, quorum in tutela Eccleſiã Deus ſuam eſſe voluit, contumelioſè impetit, quaſi eodem dignos ſupplicio, ꝙ fidem Catholicam propugnent, propagentque: ſed ne quid ipſe de eo comminiſci videar, en eius hæc ſunt [1]: *Plena verò ſunt ſuperiorũ ſeculorũ hiſtoria conſimilib. exemplis, quæ nec noſtro etiã ſeculo nobis deſunt. Aliquot abhinc luſtris plerique Reges Babylonicis poculis inebriati, Chriſti hoſti aduerſus Chriſtum, lupo aduerſus agnum militarunt, vt etiamnum plerique militant. Vidimus vero nonnullos in flagranti crimine, in ipſoque adeò, quod agitabãt, ſcelere periiſſe: quoſdam etiam è triumpho in tumulum elatos fuiſſe: nec cæteros melior manet exitus. Stat nĩpe perpetuò hæc ſentẽtia: coniurent licet oẽs Reges terræ aduerſus Chriſtum, & agnum noſtrum diripere conentur, neceſſe eſt tandem illos manum cedere, pedibus Chriſti ſubiici, & agnũ Regẽ regum & dominum dominãtium, velint nolint, confiteri.* Vt vehemens eſt & incenſus? vtinam non ad euertendã veritatẽ. At de catholicis hic principibus ne verbũ, dices: aduerſantibus tantũ Chriſto, & cõtra eius Eccleſiam militantib. interminatur. Itane verò? expecta, alter tibi locus adeſt cum luculẽtiore teſtimonio quicũ ſi prius illud contuleris, planè de catholicis ſenſiſſe Brutũ, non erit cur ambigas. Locus is eſt in ſecunda quæſtione [2], vbi ſubditos aſſurgẽdi & inſurgendi Principib. ſuis cauſas & cautiones docet. Poſtquã n. primam & præcipuã, ac omninò neceſſariam ſeceſſionis cauſam in libertate religionis, & (vt ille loquitur) Dei purè colendi poteſtate aſſerenda conſtituit: atq; ſubditorum id eſſe officium oſtendit, vt Regi iſtam diuini cultus libertatem abnuẽti vim afferant, armis Eccleſiã vindicent (religioſos quippe non rebelles eo facto cẽſeri) tantiſper arma geſtẽt dũ Rex aduerſum gerit animum, nec prius cedant, q̃ ipſe libertatẽ concedat: atq; hæc omnia cũ in laudib. ſubditorum poſuerit, & Dauidis factum, quamuis falsò, ad huiuſmodi rebellionis confirmationẽ adduxerit: tandem ne quid ad plenã ꝓbationem deeſſe videatur, ſimul etiã vt hæreticorum noſtri ſæculi mite ingeniũ ſcilicet, & laudabilẽ in Reges coniurationẽ agnoſcamus, hæc addit. *Noſtro etiã tempore meminimus eos qui pro vera religione aduerſus impietatẽ in Germania Galliaq; pugnarunt, quotieſcunque Dei purè colendi poteſtas facta eſt,*

[1] Pag. 18.

[2] Pagina 61.

eſt, arma vltrò depoſuiſſe, & plerunq; adeo, cũ aut Saulẽ Philiſtini arma aliò vertere cogerent, aut Antiochũ vicinorum impetus reuocarẽt, aut alias bello cõtinuando opportuna eſſent omnia. Quid lector ſatin hoc? Brutine religio tibi amplius obſcura eſſe poteſt? cedo qui noſtra ætate aduerſus principes ſuos in Germania & Gallia regionis ergo rebellarunt? nonne Lutherani, Caluiniſtæ, & id genus alii, tenebrionũ quorundã incantamentis velut circeis poculis infatuati? Qui libertatem colendi Deum arbitratu ſuo inuitis principibus exprimere conabantur? nonne iidem illi? quorum à primo ſectæ ſuæ ortu cantio prima, imò & cautio hæc fuit, libertatem in religione omnibus eſſe concedendam: actum n. eſſe de ſe ſciebant, incognitæ religionis ſemina ſpargentib. ni tale ſycophantiis ſuis mantellum quæſiiſſent. Quib. denique permiſſum fuit noſtro tempore religionem cui adhęſerant publicè profiteri? nonne iis ipſis nouatorib. quos Principes cæteroquin boni vel temporũ iniuria adacti, vel infœlicibus conſiliis adducti, in Republica ad tempus tolerarunt: Catholici enim pacis conditiones in Germania & Gallia hactenus ſemper dare, non accipere conſueuerũt. Et tamen Brutus ait iſtos, qui pactis de religione induciis, libertatem Dei ſuo more colendi à Principibus acceperũt, pro vera religione, aduerſus impietatem Saulis & Antiochi [1], in Germania & Gallia pugnaſſe: additque eos arma nonnunquam vltrò depoſuiſſe, cùm continuando bello omnia opportuna haberent: quos tamen ſatis conſtat nũquam niſi cæſos ceſſiſſe, ac tunc ſolum opportuna pacis tempora captaſſe, cùm omnis belli gerendi apparatus deficeret: denique victos libertatem ſupplices petiiſſe impetraſſeque, quam ipſi, ſi viciſſent, ſupplicantibus denegaſſent. Vides hic, lector, Brutum ſine fuco ſuam religionem profiteri quæ etiam priore teſtimonio non obſcurè deprehendi potuit, ex eo quòd pleroſque Reges aliquot abhinc luſtris, inebriatos Babylonicis poculis Chriſti hoſti aduerſus Chriſtum militaſſe ſcribit. Etenim profectò quis neſcit Reges pleroſque Chriſtianos fuiſſe tunc catholicos, & Eccleſiæ catholicæ ſartæ tectæ conſeruandæ cauſa, in hæreticos alios iudicio publico animaduertiſſe, in alios verò legitimæ dominationis imperium detrectantes, & armis ſe tueri paratos, bellum ſæpius mouiſſe: quo facto ſi Bruti ſententiæ ſtetur, non Chriſto, ſed aduerſus Chriſtum

1 Per Saulem & Antiochum intelligere videtur Carolum V. Imperat. ac Philippum eius filiũ, & Chriſtianiſſ. Reges Galliæ.

militarunt. Sed ecce ἐμφατικώτατον illud *Babylonicis poculis inebriati*, nequibat vir bonus artis ſuæ vocabula obliuiſci: peruulgare id hæreticis eſt, & familiare verbum, quo Eccleſiam catholicam contemptim deſignant. Hi loci quanquam ſatis per ſe ad fidem faciendam valent: tamen quo plenior numerus teſtimoniorum, & indubitata indicia ſint in publici iudicii reum [2], en tertium aduoco teſtem omni exceptione maiorem, qui poſt paucas lineas interiectas, in eadem quæſtione reſidet [3]. *Actum quidem vniuerſi* (inquit) *agnoſcebant pontificem eſſe vicarium Dei in terra, & Eccleſiæ vniuerſæ caput. Itaque quod vulgò dicunt, communis error iuris loco erat.* En rem iam apertè locutus eſt. nihil circuitione vſus: ait in communi errore verſari eos, qui ſummum pontificem Dei vicarium in terra, & Eccleſiæ vniuerſæ caput eſſe credunt: id ſi hæreticum non eſt, profiteor planè nullam me in orbe terrarũ hæreſin ſcire: neque enim aliud eſt fidei noſtræ caput, in quod perfidi omnium ſæculorum apoſtatæ, machinas plures pararint, eo enim labefactato, diſperſum ſine paſtore gregem, membraque capite trunca, lupinis ſe rictibus voraturos facilè nec falsò crediderunt. Sed eſt cur Bruto hic gratias habeamus, quòd omnes olim Chriſtianos in eo fidei dogmate conueniſſe profiteatur, cui Brutus ipſe cæterique hæretici, vt non ſolùm tyrannico, ſed mõſtroſo & diabolico rabidè oblatrant: quid multis? Euangelicam religionem Romanæ religioni opponit, quòd nemo vnquam niſi hæreticus fecerit. His igitur ſi adnectam alia, ſuperuacaneus mihi labor futurus eſt: quando quidem eiuſmodi opprobramenta fictitia in Dei Eccleſiã, & principem eius paſtorem in terris, nuſquam non obuia ſunt legenti Brutum diligentius.

[2] L. vlt. C. de probat.

[3] pag. 62.

Quæ quamuis ita ſe habeant, tamen præfationem de laudibus huius ſcriptoris, & eius operis vtilitate auſus eſt affingere, & affigere quidam Cono Superantius, qui re vera non aliis quam ipſe Brutus eſt (oratio authorem vel me tacente indicat) ſed appoſitè dictus Superantius, nam eo dum ſe ſermone effert, ſeipſum mentiendo ſuperat. Ait nulla quenquam inſectandi cupiditate, aut vllarũ partium gratia ſcriptas eſſe quæſtiones illas, ſed ſolo veritatis ob oculos ponendæ deſiderio, ex Gallicarum calamitatum neceſſitate & ruinis: quod q̃ verũ ſit facilè æſtimabũt, qui eas ab hæretico homine ſcriptas norũt, & ea tẽpeſtate, qua ſoboles Caluiniana Galliã, q̃ ciuili toties bello laceſſerat

ceſſerat & laſſarat, armis animiſq; infeſtā ſibi cernēs, omnē defectionis ſuæ cauſam in religionis puræ putæ tuēdæ ſtudio, atque officio collocabat. Bruti nunc de religione ſenſum tenemus: teneamus & de regno: ſed prius eſt vt noſtrū de eo iudicium confirmemus.

Monarchia optimum imperii genus: diuinum inuentum: Reges non dari à Deo immediatè: qui propriè dicantur: Dei iuſſu conſtitui vt intelligendum: populus cauſa Regis quo ſenſu dicatur.

CAP. II.

MOnarchia, vti ego accepi ab iis qui politica ſeriò & ſapienter tractarunt, optimum atque antiquiſſimū imperium eſt: quapropter iis aſſentio, qui firmiſſimum ſocietatis humanæ, vitæque ciuilis præſidium à monarchia eſſe, in monarchia interire, credunt: nec ei ſententiæ quenquam, cui ſanum eſt ſynciput, aduerſaturum arbitror. Hinc ipſe Dominus [1] inenarrabilem beatitudinem cœlorum regnum appellauit, quòd eo nihil pulcrius, nihil nobilius, nihil vtilius inter homines reperiatur: Si enim aliud quippiam excellentius quàm regnum apud homines eſſet, per illud potiſſimū nomen animos audientium quaſi alis additis erexiſſet, ad inexplicabilis, & inenodabilis beatitudinis ſtudium atq; cupiditatem inquit D. Gregor. Nyſſenus [2]. Ac nos quidem de Monarchiæ commodis, vetuſtate & primordio penè coæuo propaginis humanæ, haud pauca ſuperiore libro diximus: iis hîc addere libet, non humani conſilii inſtitutum hanc formam regiminis eſſe: ſed æternæ rerum conditoris Sapientiæ inuentum, ad communem hominum vtilitatem cum hominibus communicatum. *Ad vtilitatem gentilium terrenum regnum poſitum eſt à Deo* (inquit vir ſanctus) [3] *cuius enim iuſſu homines naſcuntur, huius iuſſu & Reges conſtituuntur, apti iis qui in illo tempore ab ipſis regnantur.* Et Tertullianus [4]. *Inde eſt Imperator, vnde & homo antequam Imperator: inde poteſtas illi vnde & ſpiritus*, teſtante ſcilicet Apoſtolo [5] nullam eſſe poteſtatem niſi à Deo. & paulò poſt: *Nos iudicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit.* Nec hoc cùm dico id volo tamen Deum ſemper Reges ſiue Monarchas populis dare immediatè (vſus ei verbo nunc locum fecit) & quis cui imperet nominatim præſcribere: id enim perrarò, & non niſi extraordinariæ tantum mutationis, reique ingentis perficiendæ causâ, priſcis tem-

1 Matth. 5.
2 L. de Beatitud.
3 Irenæus l. 5. aduerſus hæreſes Valent.
4 In Apologet.
5 Ad Rom. 13.

temporibus factum eſſe didici: nec eum quem Deus expreſſim deſtinat Imperio, antè Regẽ eſſe quàm populi conſenſus acceſſerit, qui eum ſuper ſe Regem conſtituat: & coronæ ſceptrique regalis traditione velut in regni poſſeſſionẽ inducat. Nam & Saulem electum à Domino, populi ſuf-
1 1.Reg.10. fragiis poſtea Regem factum conſtat [1]: & Dauidem, Saule adhuc rerum potiente, vnctum & electum, nec Regem tamen niſi ab obitu Saulis, & voluntaria gentis ſuæ in eum
2 1.Reg.16. 2.Reg.2.& 5. conſenſione nouimus [2]: cui etiam rei teſtimonio eſt, quòd quamuis Helias propheta iuſſus ſit vngere Hazaelem Re-
3 3.Reg.19. gem ſuper Syriam [3] viuente adhuc Rege Benadad, tamen anno pòſt circiter octauodecimo, Rege Benadad morbo mortifero iam laborante, Eliſæus propheta eundem Ha-
4 4.Reg.8. zaelem ſic affatus eſt.[4] *Oſtendit mihi Dominus te Regem Syria fore.* Dixit regem fore, non fuiſſe, non eſſe licet eum Dominus ante tertium retrò luſtrum legiſſet perque Heliam vngi præcepiſſet. Vult quippe Dominus, quos deligit Reges offerre populis, non obtrudere: & multitudinem ſpontis ſuæ ductu ſub vnius imperium, & ditionem legitimam redigere: vt quem ſuopte nutu ſuper ſe conſtituit, ei non ſolùm amorem, beneuolentiam, conſilium, auxilium, & quicquid potis eſt officii, libenter deferat: verumetiam authoritate diuina, & iure gentium ſubiectam ſe planè, & parendi neceſſitate conſtrictam eſſe ſciat agnoſcatque. Et hæc quidem cùm ita ſe habeant, conſequens profectò iis eſt, non niſi κατ' ἐλπίδα, id eſt ſecundum ſpem, Regem dici poſſe, quem Deus elegit, & deſignauit imperio, donec à populo, aut, populi totius nomine & cõſenſu, primatibus qui multitudinem repræſentãt, Rex conſtituatur: vt olim Da-
5 1.Reg.25. nu. 25.& 30. uid [5], quem ob hanc ſpem & promiſſionem regni Regem
6 In epiſt. ad ſolitar. vitam agentes. vocat Athanaſius [6]: quo modo & dominum aliquando dici eum, qui nõdum reuera dominus eſt, iuris ciuilis authores tradiderunt [7]. Quapropter vt deberi talibus regnum
7 Paul. in l. in ſuis ff. de lib.& poſth. Alcia. li.2. parerg. c.15. aliquis rectiſſimè dixerit, ita eoſdem interea eſſe, vel vocari iure Reges, niſi per anticipationẽ ſpe regni ineundi, perperam contendet, quod enim nobis debetur, id noſtrum
8 Q. Mutius Vlp. Pau. Scæu. l.27. §. 2. l.34. D. de aur. arg. leg. l.28. §.4. de lib. leg. non eſſe prudentes definierunt [8]. Atque iis quidem quos beneficio ſingulari Deus nominatim hoc modo ad Imperium vocat, conſimiles magna ex parte ſunt filii Regũ natu maximi, aliiq; in ordine ſucceſſionis proximi, quibus natura ſimul & gentium iure paterna regna deferuntur: nam & ipſis etiam regnum debetur, ſed Reges tamen non ſunt,

ante-

antequam ritu patrio, & more maiorum inaugurētur. Niſi fortè populus alicubi ius aliud in Regum ſuorum fauoré, vel expreſſa lege conſtituit, vel tacito & diuturno cōſenſu, qui legem imitatur & pro lege cuſtoditur [1], introduxit. Quemadmodum apud Francos in more poſitum & obſeruatum, atque etiam Ampliſſimi Ordinis decreto confirmatum [2] eſſe ſcio, vt qui ad ſceptrum iure hæreditario ſine cōtrouerſia vocatus eſt, is ante ſolennem inaugurationem & conſecrationem, pro conſecrato & inaugurato quod ad ius & honorem regium habeatur: idque ſapienter vt alia multa, & publicæ vtilitatis cauſa, ab illo Senatu conſtitutum eſt. Sed cùm hoc fictione quadam quæ naturalem rationem commutare non poteſt [3], & iure ſingulari ſit introductum, generalem noſtram de Regum ſucceſſione ſentētiam non tam eleuat quàm confirmat. Ex eodem rationis fonte manat, vt quiſquis Dei permiſſu viam ſibi ad imperium vi & armis munierit, quantumuis moderatè leniterque ſubactis à ſe populis dominetur, tyrannus & ſit & habeatur, tantiſper dum mitigatis & flexis in fauoré animis, Rex communi ordinum conſpiratione atque conſenſu declaretur.

1 L. de quibus 32. & l. ſeq. D. de leg.
2 19. April. 1498. vide Papon. de Areſt. lib. 4. tit. 2. Areſt. 1.
3 L. 2. D. de vſuf. ear. rer. quæ vſu. conſ.

Quod igitur poſitum eſt, Regnum à Deo eſſe, Dei iuſſu Reges conſtitui, Reges per Deum regnare, & quæ ſunt id genus ſumma beneficia Dei largitione conſequi: id eò pertinet, vt intelligamus Deum Regibus, ſeu inſtinctu, ſeu permiſſu diuino ab hominibus legitimè conſtitutis, eam authoritatis prærogatiuam impertiri, quæ omnem populi poteſtatem ſuperet: & amplitudine maieſtatis tanta ornare, vt Regis quàm populi celſius quoddam atque auguſtius imperium conſpiciatur. Itaque hac ratione à Deo conſtituti eſſe, & poteſtatem accipere dicuntur, quod is poteſtatis à multitudine in ipſos collatæ, ſummus & autor & approbator ſit: vt quamuis eius potentiæ largitor populus videatur, qui Regem ſuper ſe conſtituit, & ſuum omne imperium & poteſtatem in eum transfert: tamen id donum, atque beneficium Dei frequentiùs quàm populi, in ſacris literis nuncupetur. *Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie*, inquit Samuel [4], *& tradidit illud proximo tuo meliori te*. Sic Deus per Nathan Dauidem alloquitur [5]: *Ego vnxi te in Regem ſuper Iſrael, dediq́; tibi domum Iſrael & Iuda.* Et Salomon [6]: *viuit Dominus qui firmauit me, & collocauit me ſuper ſolium Dauid patris mei*, & alibi Deus [7]: *Ecce ego ſcindam regnum*

4 1. Reg. 15.
5 2. Reg. 12.
6 3. Reg. 2.
7 3. Reg. 11.

regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. & paulò poſt [1]. *Quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſrael, & ſcidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi:* Et rurſus [2]: *Pro eo quòd exaltaui te de puluere, & poſui te ducem ſuper populum meum Iſraël.* Multaque alia his conſimilia ex iis libris teſtimonia peti poſſunt. Sed ecce Deus etiam conſtituere Regẽ dicitur: ne quis putet id multitudinis eſſe proprium [3]. Sic enim Ahias propheta: *Conſtituet ſibi Dominus Regem ſuper Iſrael, qui percutiet domum Ieroboam in hac die.* Quid ita? quod nimirum Deus ipſe Regis conſtituẽdi princeps author eſt, populus verò velut inſtrumentum, cauſave ſecunda: vt quamuis pro immenſæ maieſtatis ſuę imperio, regnum in quemlibet, ſine vllis populi ſuffragiis, vllóve delectu transferre poſſit: non ſecus ac Rex prætores, vel præſides, cum imperio in ſingulas regni prouincias mittere, vel mutare, prouincialium vel non rogatâ, vel non exſpectatâ ſententiâ: tamen, quæ ſua eſt in rebus humanis diſponendis & dirigendis benigna prouidentia, non, niſi iſto Regis accipiendi ordine ſeruato, ſummam illam in populos poteſtatem cuiquam mãdare velit. Quemadmodum igitur æternus ille rerum opifex Deus Opt. Max. à prima mundi origine, res à rebus, ſeu cauſis ſecundis, rato & perenni ordine oriri, ac procedere voluit: cùm per ſe potis ſit omnes rerum naturaliũ effectus, nullo intermedio procurare: ita Regem à populo & per populum fieri, quem ipſe ſine populo facere poteſt, ad illuſtriorem gloriæ ſuæ magnificentiam, mirabili hoc diſpenſationis artificio declarandam præcipit. Dicitur etiam conſtituere Regem Deus, quòd potentiam Dominationis inſtituto Regi delatam ita confirmat, vt infringi à populo, aut infirmari amplius, nullâ ratione poſſit. Neque enim vt Reges creare, ita & creatos abdicare, aut in ordinem cogere, populorum arbitrio commiſſum eſt, idque infrà pluribus demonſtrabitur.

Vt autem quæ dicimus planiùs intelligantur, in memoriam reuocare oportet vſitatam illam, ac tritam apud Philoſophos cauſarum diuiſionem [4], qua nonnullis efficiẽtia quædam rerum, dum fiunt & producuntur tantùm, aliis verò rerum quandiu fiunt manentque, & producendarum & conſeruãdarum vis ac poteſtas tribuitur: vt armarii domuſque faber, ephippii ſtratorum artifex, donec fiunt & coagmentantur, cauſæ ſunt: vbi autem conſummatũ iam

atq;

1 3. Reg. 14.
2 3. Reg. 16.
3 Deut. 17. 2. Paral. 22.
4 Vide Titelmã. l. 2. comp. na. philoſ. cap. 15.

atque perfectũ opus eſt, nihil horum operâ egent. his ſine conſiſtunt, & eſſe ſuum retinent, adeò quidem, vt effectus dici amplius non ſoleant, cùm nihil quicquam ab iis cauſis iam accipiant, à quibus initio perficiebantur: quinimò ſemotis & ſublatis talibus efficiendi cauſis, atq; etiam nolentibus vel retinentibus interdum, res ſemel factæ conſiſtũt: exẽpli gratia, ædificatore mortuo, prætorium, palatiúmve nihilo magis concidit, aut id eſſe deſinit, quod viuo artifice fuerat, quippe eſſe ſuum in ſe habet nullo iam externo cõditoris adiumento ſuffultũ. At corpus luciferum, gignendi ſimul & conſeruandi luminis in alio cauſa eſt: vt ſol luce cœlo diffuſa diem nobis producit, quamdiu per noſtrum hemiſphærium currit ſubiectaſq; terrarũ plagas illuſtrat, & ſtatim atq; abſcedit, effectu defectũ, caſſum inquã, atq; orbatũ lumine, corpus antè illuſtratũ reddit, ob eamq; harum cauſarum differentiam, qui explicatiùs de iis tractare nituntur, has quidem ſecundũ eſſe cauſas meritò vocitãt, quia nec ſine iis produci effectus nec conſiſtere producti poſſunt: illas verò cauſas ſecundũ fieri (mos loquendi Philoſophis) ſimili prorſus ratione nominãt, quòd ſcilicet ad componendum non item ad cõſeruandum ſint neceſſariæ.

Quæ cùm ita ſint, in priore cauſarum genere populus, in poſteriore Deus Omnipotens, quantum ad regnũ attinet, iure optimo collocandus eſt: populi enim non vt in conſtituendo, ita in conſeruando Rege conſenſus, conatuſque neceſſarius eſt. Sed ne me fortè in hoc vel curioſus rerũ obſeruator aliquis inſcitiæ arguat, vel inuidus mei, peruerſa & calumnioſa interpretatione, odio multitudinis ſubiiciat, me meæ explanatorem ſententiæ, lector, auditor, habẽto. Non inficior equidem infenſum Regi ſuo populum regnũ facilè conquaſſare, & Regem non modò de ſolio deiicere, ſed totius etiam Reipublicæ ſtatum turbare ſæpe, atque euertere ſolere: nec me latet ad diuturnitatẽ imperii valere plurimùm, diligi atque amari ab iis, quibus imperatur: ſcitum enim eſt, optimum regnandi præſidium eſſe ciuium beneuolentiam. Sed aio diſſenſum, defectionẽ, atq; rebellium populi, nihil priſtini iuris Regi adimere, nec quo minus Rex ſit efficere poſſe: & quin ſiue ciuilibus armis appetitus ſuccumbat fortunæ, viſque regno excludatur, retineat dominium, id eſt ius regnandi in ſe collatũ, quamuis metu poſſeſſione cedat: ſiue compreſsâ atque edomitâ ſubditorũ quoquo pacto temeritate, inuitis dominari perſeueret,

iure

iure ſuo, hoc eſt regni, in ſe collato vtatur: & vt vno verbo dicam, populus conſtituere Regem poteſt, ſceptro autem deſtituere minimè: nec quemadmodum conſenſu populi fit, ita contrario conſenſu deſinit eſſe Rex, qui legitimè ſemel regno præfectus eſt: quippe poſt acceptum & inauguratum Regem, populo quod ei amplius det, iuris nihil eſt reliqui, quódve adimat citra iniuriam, nihil. Igitur quod regnum adeptus ſit aliquis, Deo ſimul & populo: quod autem rerum potitus regali in ſolio ſedeat permaneatq; ſoli Deo conſtitutori & conſeruatori acceptum ferre debet.

Conſtituendi Reges facultatem omnibus gentibus eſſe tributam, eligendi pauciſſimis, hanc adimi iure ſucceſſionis hæreditariæ, quam in regnis obtinendis naturali & gentium iure locum habere, multis teſtimoniis atq; exemplis ſacris & prophanis demonſtratur. Populi arbitrium de regno, etiam genere regio ſuperſtite, qui caſus inducant, eorum exempla quædam.

CAP. III.

EX duobus ſuprà propoſitis, alterius probandi neceſſitate liberamur, quòd ipſum aduerſarii non modò nobis concedant, ſed etiam contra nos in argumentum trahant ad popularem poteſtatem demonſtrandam: quaſi populum Principe ſuperiorẽ eſſe, hoc ipſo euincatur, quòd huius creandi penes illum poteſtas ſit [1]: ſed ea ratio quantum habeat momenti ſecretiùs inter alia aduerſariorũ argumenta ſuo loco diſpiciemus. Alterum verò, quod eſt, Regem legitimè conſtitutũ neque abdicari à populo, neq; in ordinem iure cogi poſſe, quoniam iſtorum ſententiæ ex diametro (vt aiunt) opponitur probare ſedulò, & confirmare exquiſitis rationibus oportet: quod tamen priuſquã aggrediamur, libet præterea nonnihil de hoc ipſo quod conceſſerunt inquirere: Regem non propriè dici, antequã ei populus de regno aſſenſus fuerit, imperiumque cõtulerit, & ipſi vtique affirmant, & nos faſſi ſumus. An ergo populus quem volet eligere, & Regem facere vel ſufficere poſſit? id iſti quoque admittunt [2], & ſuperiori ſententię conſentaneum, atque conſequens eſſe rentur. Nos contrà, eligendi Regis facultatem à conſtituendi poteſtate, longo planè interuallo diſtinguimus: & hanc gentibus, ſuo cuique more, omnibus cõpetere profitemur, iis ipſis de cauſis,

1 Brut. quæſt. 3. pag. 65.

2 Brut. pag. 83. in fin. & ſeq.

ſis, quæ ſuperius à nobis relatæ ſunt [1], illam verò pauciſſimis, ac propè nullis, eſſe conceſſam: quandoquidem apud omnes ferè nationes, quæ ſub Regibus degunt, hæreditario iure in regnum ſucceditur; quæ res omnem populo eligẽdi facultatem adimit: ſtabilitum enim in familia ſceptrũ ad hæredes naſcendi ſorte, & iure gentium ita deuoluitur, vt eripi iis, atque auferri, conſenſu arbitrioque multitudinis nequeat, (de iure loquor, non de facto atque vi, quæ, vt ille ait, *ſummas frangit, infirmatque opes*) nam vt antè diximus, talibus debetur regnum, licet Reges non ſint antequã volente populo inaugurentur.

Nec his aduerſatur quod ex D. Hieronymo [2] inter Canones relatum eſt de Moyſe [3]. *Moyſes*, inquit, *Amicus Dei cui facie ad faciem Deus locutus eſt potuit vtque ſucceſſores principatus, filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatẽ, ſed extraneus de alia Tribu eligitur Ieſus, vt ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ.* Nam de Eccleſiaſtico eum principatu loqui, alia ab eo illic in eandem rem ſcripta, quæ partim antecedunt, partim ſequuntur, perſpicuè oſtendunt. Quapropter apud veterem Dei populum res ita de regno compoſitæ erant, vt Dei electio, multitudinis conſtitutio Regis eſſet [4]. Itaque cùm ſemel atq; iterum Dominus Regem nominaſſet, tandem velle ſe in domo Dauidis regnum Iudæ perpetuò manere declarauit: vt eo ſucceſſionis ordine propoſito, non ſolùm elatos Iudęorum ſpiritus comprimeret, ſed etiam contentiones ac turbas illas maximas compeſceret, quæ inter regni proceres, eò dignitatis aſpirantes in tanta eligendi libertate exiſtere potuerũt: ſimulque hęreditariam in regno ſucceſſionem, rem nec iniquam nec inutilem eſſe declararet. Sed & ſimili planè modo regnatum fuiſſe à Regibus Iſrael, nobilis illa Regum hiſtoria teſtatur. Ac memorabile quidem illud eſt, & profundioribus animi ſenſibus infigendum, quod Deus nemini ita regnum contuliſſe fertur, vt perſonę id ſolum, non etiam poſteritati legitimo ſucceſſionis iure tenendum daret, quin contrà, ſępe nos Scriptura docet Deum, licet vni nominatim tribuebat imperium, voluiſſe ſemper id beneficii ad ſobolem quoque peruenire, quaſi ſatis patris perſona comprehenſam: quamuis donationẽ nõ tarò ob donatarii commiſſum reuocarit: quò pertinet quod Iuriſprudentes, rationis tantum & ingenii lumine ducti, tradiderũt [5], nos nobis cauẽdo hæredib. etiã cauere, etſi nulla de iis facta ſit mentio.

[1] cap. 2.

[2] in cap. 1. epiſt. ad Tit.

[3] Can. Moy. 8. q. 1.

[4] id Brutus fatetur. p. 77.

[5] Celſus l. ſi pactum 9. D. de probat.

Ac in regno quidem Iudaico (quod vel iſtorum ſentẽtia
2 Brut. q. 3. p. 90. optimè fuit inſtitutum [2]) nullam electionis facultatẽ penes populum remanſiſſe, teſtimonio eſt diadema cum ſceptro ſæpius pueris, atque adeò infantibus traditum: Ioas namque ſeptem tantum erat annorũ cum regnare cœpit, Manaſſes verò duodecimo, Ioſias octauo ætatis anno Re-
3 4. Reg. 22. 2. Paral. 33. & 34. ges vncti ſunt [3]: quos populus, ſi libera atq; ſoluta ei optio Regem eligendi fuiſſet, nunquam poſthabitis adultis, & magnis corporum animorumq; dotibus ad Rempublicam capeſſendam, vt in ea gente, inſtructis, Reges ſibi aſciuiſſet: cùm ſciret præſertim puerile imperium vix ſine magno Reip. intertrimento poſſe conſiſtere, id Deo per Salomo-
4 Eccl. 10. nem denunciante manifeſtò, cùm ait [4]: *Væ tibi terra cuius Rex puer eſt.* Vt autem intelligamus populum illum legitimo ſucceſſionis iure, & non aliter, ad pueros Reges conſtituendos fuiſſe adductum, in eâdem hiſtoriâ expreſſum eſt, peſſimi & idolatræ Regis filium, infantem adhuc, certè infantiæ proximum (qua ætate ingenii indoles, & flexibilis in quoduis ſtudium animus occulitur, inque patrios mores timetur propenſio) Rege à coniuratis interfecto, ad
5 4. Reg. 21. & 22. 2. Paral. 33. & 34. paternum regnum fuiſſe admiſſum [5]: cuius quidem iuſtitiæ religioſius ſanctiuſque ſeruatæ, maximam à Deo mercedem populus ille videtur accepiſſe, eum nempe ipſum Regem puerum, omnium qui in ea gente regnarunt, pietate & iuſtitia, ſecundum Dauidem, optimum.

Iam verò ne quis talem ſucceſſionis ordinem in eo tantum populo inualuiſſe excipiat, facilè oſtendi poteſt idem iuris apud omnes nationes obtinuiſſe, exemplis eorum, qui recens nati, ac ne nati quidem, tantùm vtero concluſi, extraneos omnes, atque adeo patruos ſuos, alioſque de ſtirpe regia ab imperio hæreditatis iure excluſerunt: quos ſi multitudo nulla iuris neceſſitate coacta, ſed ſuopte conſilio, viris iam ætate, ingenio, authoritate grauibus prætuliſſet, certa profectò & infatuata mirum in modum fuiſſet. Lycurgus, vbi accepit Polydecten fratrem vxorem grauidam reliquiſſe, ſtatim Regis, quod antè aſſumpſerat,
6 Plut. in vita Lycurg. nomen depoſuit [6], interim πρόδικον, id eſt tutorem, ſe eſſe profeſſus: ſed & natum deinde poſthumium primo lumine ſtitiſſe Lacedæmoniis, ac dixiſſe fertur. Βασιλεὺς ἡμῖν γέγονεν, ὦ Σπαρτιᾶται. (id eſt, ô Lacedæmonii, Rex nobis natus eſt) moxque infantem regiâ in ſellâ depoſuiſſe. Atque iterum in eâdem Republica Pauſanias Cleombroti filius tutor

tutor fuit Pliſtarcho, Ariſtodemus verò Ageſipolidi[1], vterque regnum pro pupillis adminiſtrans: Aſcanio ad puberem ætatem regnum muliebri tutela reſeruatum fuit[2]. Arimbæ pupillo cui regnum Epiri debebatur publicè tutores conſtituti fuerunt[3]. Hermeas filii Antiocho nati tutelam ſpe & opinione etiam viuo patre deuorabat[4] Eumenes Aſiæ minoris Rex Attalo filio, cui regnum adhuc puero tradidit, Attalum fratrē dedit tutorem[5]. Philippo Demetrii filio Macedoniæ, Ptolomæo Ægypti imperiū fideli tutorum opera in pubertatis annos ſeruatum fuit[6]. Sed inter cætera memorabile illud eſt, quod de Macedonibus refert Ammianus Marcellinus[7]. *Macedones cum Illyriis dimicaturi* (inquit) *Regem adhuc infantem in cunis locauere poſt aciem, cuius metu ne traheretur captiuus, aduerſos fortius oppreſſerunt.* Sed quid ego infinita huiuſcemodi exempla perſequar, & rei adeò vulgatæ teſtimonia externa conquiram? & qualia nemo in regno natus non ante oculos poſita habebit, modò vel patrios gentis ſuæ mores recordetur, vel aliarum nationum quibus Reges dominati ſunt, annales & monumenta perſcrutauerit.

At ſunt iſta tantum exempla; non iura, non leges populorum, dicet aliquis: & tamen, vbi de iuris quęſtione diſceptatur, legibus non exemplis iudicandum eſt[8]. Imò verò naturæ & gentium iuri tributam eſſe hanc in imperio ſucceſſionem, multis argumētis teſtimoniiſque probare poſſum. Ac in primis quidem grauiſſimum & firmiſſimum argumētum huius naturalis ſucceſſionis illud eſt, quòd eam Deus ipſe in Hebræorum regno non permiſerit modò, ſed præceperit obſeruari. Si enim verū eſt, vt veriſſimū, omnia Dei iuſſa naturæ congruere, quis tranſmiſſionem regni ad poſteros iure hęreditario naturalem, certè non contra naturam eſſe, neget? Præterea, quod in iiſdem libris exſtat, non vulgare argumentum, vbi ſcribitur Athaliam interfeciſſe totum genus ſeu ſtirpē regiam[9], id enim inſcitè multùm diceretur, ſi aliis quoque ad regale faſtigium aditus patuiſſet: aut populo quem voluerat regni ſucceſſorem deſtinare, ius faſque fuiſſet. Neque enim quiſquam rectè, ni fallor, dixerit, totum genus conſulare vel prætorium exſtinctum in ea ciuitate eſſe in qua populi ſuffragiis electus quilibet eos magiſtratus inire ſolet, niſi cæſa demum atque deleta tota multitudine: quinimò nec à conſulibus nec à prætoribus oriundos, genus cōſulare vel prætorium

1 Pauſan. in Laconic.
2 Liu. lib. 1.
3 Iuſtin. li. 17.
4 Polyb. l. 5.
5 Plutarch. περὶ φιλαδελφίας
6 Liu. l. 40. & lib. 42.
7 Lib. 26.
8 L. nemo. C. de ſent. & interl.
9 4. Reg 11. 2. Paral. 22.

dicere cõſueuimus. Sed & alias etiam vbique nationes exiſtimaſſe, proximum quemque ex ſanguine regio procreatum, iure gentium communi debere in regno ſuccedere, vel omninò credendum eſt, vel fides hiſtoricis abroganda. Qua de cauſa Etheocles fratrem ſuum iuniorem Polynicem, qui cum pactus erat de imperio alternis annis cõmunicando, in Thebani ſocietatem non admiſit [1], ſed illud petenti ex fœdere per legatos reſpõdit, vt eſt apud Poetã [2].

1 Diod. Sic. li. 4. cap. 6.
2 Stat. in Theb. lib. 2.

Quæ ſors iuſta mihi, quæ non indebitus annis
Sceptra dicauit honos, teneo, æternumq; tenebo.

Sed vt eiuſmodi antiquiſſimas regnorum ſucceſſiones mittamus, quibus dubia propter vetuſtatem fides, ad eas quæ certiore veritatis notã ſignantur veniendũ. Poſt mortem Alexãdri Magni, ortâ de regni ſucceſſore inter primores Macedonum contentione, omnibus viſum fuit generi regio deberi imperium iure gentium [3]: in eo tantùm diſſenſio, poſtumúmne Alexandri ex Roxane prægnante exſpectarent, an Aridæum Alexãdri fratrem in demortui locum ſufficerent: quòd imperii nondum in ea gente ſtabiliti præſens neceſſitas; ſimulque vota militum recente Imperatoris amiſſi memoria flagrantium, ducem militaris ſcientiæ gnarum ſine mora expoſcere videbantur. Nam Herculem ex Barſine ſuſceptũ ideo non admittebant, ꝙ ea fortè Alexandro iuſta vxor non videretur, vtpote haud ſolemni Macedonũ ritu ducta, & ante mortẽ dimiſſa: eam enim ipſe faſtidiens Eumeni deſponſauerat [4]. Similiter ex duob⁹ Philippi regis filiis, Perſeus Demetrium fratrẽ, ficto parricidii crimine apud patrẽ accuſans (quia eius fauorem dignitatemq; indies apud multitudinẽ magis creſcere quã ſuam ſenſerat) id ei inter alia exprobrauit, ꝙ regnũ naturali & gentium iure ſeniori fratri debitũ, ipſe minor ſceleratè affectaſſet; ad ꝙ tranſcendere, niſi per meum ſanguinem non potes, inquit [5]: quo ſermone nihil imprudẽtius, nihil impudentius, ſi populi tantùm ſuffragiis, ac non potius iure ſanguinis, & naſcendi ordine, Perſeo regnũ fuiſſet obuenturum. Nam vel ſingulis conticentibus, nónne hæc totius velut populi vox vna, & patris & filiorũ ipſius aures ſtatim oppleuiſſet. Næ tu Perſeu inuerecundè, arroganter, & nequicquã, de regno cum fratre contendis: mihiq; magnam facis iniuriam, qui de meo litigas, & id tuo tibi iure aſſumis quod meo tantùm munere condonatur: regnum quód inhias meum eſt, id ego cui volo concedo, nec vlli mor-

3 Q. Curt. lib. 10.
4 Plutar. in vita Eumenis.
5 Liu. lib. 40.

mortalium vni cõferre teneor. Nulla apud me tribus, nulla familia prærogatiua eſt, vel præcipua. Neque tu, neque frater, quòd Rege patre ſati eſtis, in ſpem regni vocamini: alterum vel vtrumq; arcere mihi liberum eſt, & alium mei ſtomachi virum aſciſcere. Adeóne tibi deſpicatui ſum, vt ne licere mihi putes, quodlibet de meo facere? volo vti re mea, volo abuti [1]. tibi non fit iniuria, tolle quod tuum eſt, mihi meum relinquito: tibi hoc regnum non debetur, ac ne detur faxo. Hæcce poteſtatis populi vel ſola recordatio, & Demetrium omni criminis ſuſpicione leuaſſet (quòd regnum, in manu ſitum multitudinis, ſedatè & ſine ſcelere aut cæde fratris nanciſci potuerit) & Perſeum fraudis, arrogantiæ, atque mendacii conuiciſſet. Sed aliter res eſt: nemo tunc nõ arbitrabatur regna patrum ad filios, & quidem natu grandiores iuris gentium præcepto tranſire. Regi Ioſaphat plures erant filii, quorum iunioribus largitus eſt. *Multa munera argenti & auri, & penſitationes cum ciuitatibus munitiſſimis in Iuda. Regnum autem tradidit Ioram, eò quod eſſet primogenitus* (inquit Scriptura) [2]. Hoc autẽ quo iure? certè gentium communi Moſaicâ lege confirmato [3]. id enim omnium nationum inſtitutum fuiſſe teſtatur Herodotus [4], vbi docet Artabazanem ſibi regnum aſſeruiſſe, *Καὶ ὅτι πρεσβύτατός τε εἴη παντὸς τοῦ γόνου, καὶ ὅτι νομιζόμενον εἴη πρὸς πάντων ἀνθρώπων, τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν* (id eſt, eò quòd maximus natu eſſet totius ꝓlis Darii, & quòd in more poſitum ſit apud omnes homines, vt primogenitus imperium obtineat.) Idipſum Trogus Pompeius, vt eſt apud eius abbreuiatorem Iuſtinum [5]. *Ex his* (inquit) *Artabazanes maximus natu ætatis priuilegio regnum ſibi vindicabat, quod ius & ordo naſcendi, & natura ipſa gentibus dedit*, & rurſus alibi [6]. *Finito bello Ptolomæus cum magna rerum geſtarum gloria moritur: is contra ius gentium, minimo natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradiderat.* Sed & Pauſanias illuſtri quod dicimus exemplo confirmat [7]. Cuius verba, vt ab interprete Latinè reddita ſunt, ſubiiciam. *Anaxandridas Leontis filius vnus ex omnibus Lacedæmoniis vxores duas eodem tempore habuit, vnde illi ſoboles duplex: nam cùm priorem, probam illam quidem, ſed ſterilem vt dimitteret Ephori iuſſiſſent, id vt faceret in animum inducere non potuit: eatenus tamen paruit quod alteram cooptauit, è qua Cleomenem ſuſcepit, tunc prior quæ adhuc vterum non tulerat Dorieum peperit, deinde*

1 L. ſed etſi 25. §. conſul. D. de pet. hæred.

2 2. Paral. 21.

3 Deut. 21. ca. Nu. 15.

4 In Polymnia ſiue lib. 7.

5 Lib. 2.

6 Lib. 16.

7 Lib. 3.

Leonidam, mox Cleombrotum. Mortuo Anaxandrida cùm longè præſtare conſilio, & belli artibus Dorieum exiſtimarent, Cleomeni tamen quòd natu eſſet maximus, regnum inuiti ſanè detulerunt. addit autem Pauſanias ἐκ τῶν νόμων, id eſt, ex legum præſcripto, quas ex naturæ & gentium iure fluxiſſe ſuperiora nos teſtimonia docent. *Sic cum deceſſiſſet Archidamus* (inquit) [1] *relictis duobus filiis, Agis, quòd Ageſilao maior natu erat, patri in imperio ſucceſſit.* Atq; idem ruſus in eodem libro, certamen de regno fuiſſe narrans inter Cleonymum patruum & Areum fratris ſenioris filium, illũ patri hunc auo ſuccedere volentes, ſic ſcribit. δικάζουσιν οὖν οἱ γέροντες Ἀρεῖ τῷ Ἀκροτάτου, καὶ οὐχὶ Κλεωνύμῳ πατρῴαν εἶναι τὴν ἀρχήν, id eſt, ſenatus adiudicauit paternum imperium Areo, filio Acrotati, & non Cleonymo. Atqui Acrotatus iſte nunquam imperio potitus eſt: nam patre ſuo Cleomene ſuperſtite mortem obiit, relicto ex ſe Areo. quid tum inde? Acrotato naturæ lege, & communi ſucceſſionis iure regnum, ſi vixiſſet, debebatur, de quo ius ei acquiſitum fuit iam tunc viuo patre, quod morte ſua in filium transfuderat: idque iuris Pontificii & Ciuilis interpretes vno omnes ore fatentur, atque ita in publico Francorum concilio fuit iudicatum inter Haimonem & Archenbaldum Borbonios Comites [2], eoque amplius Iuriſperitis viſum eſt [3] filium natu maximum Regis, ducis, Marchionis, aut Comitis, viuente patre cenſeri quaſi Regem, Ducem, Marchionem, vel Comitem. Itaque Philippus Cominæus, vir integer, & candidus in primis hiſtoriæ ſcriptor, aulicíſque adulatoribus infenſiſſimus [4], dum procerum, & aliorum quorundam Gallicani populi factiones, ſtatim ab exceſſu Ludouici XI. ortas narrat contra Carolum Ludouici filium adhuc puerum [5], iuuenem eum Regem appellat, quòd regnum ei hæreditario ſanguinis iure deberetur, quamuis nondum re vera Rex, more maiorum inauguratus eſſet. *Poſt obitum Regis noſtri* (inquit) *defecit populus ab eo qui nunc regnat, itaque optimates cæteriq; ſubditi arma in iuuenem ſuum Regem ſumpſerunt, aliumque ſibi cõſtituere voluerunt. Cupiebant omnem ei authoritatem adimere & libertati frænum iniicere, ne regia poteſtate vti poſſet.* Deinde quærit potuerintne hoc facere? *Certè non,* inquit, *quanquã nonnulli vſque adeo ſuperbiebant, vt ſe poſſe dicerent.*

Multa breuitatis cauſa prætereo quæ communem de hac re omnium populorum conſenſum demonſtrãt. Idem enim Athenienſibus de regno iudicium fuiſſe, quod Mace-

1 dict. li. 3.

2 Gaguin. & Paul. Æmyl. in [illegible] Lud. Craſſ.

3 l. [illegible] uis. 15. D. de lib & poſt.

4 Vide Boeriũ in tract. de auth. mag. conſil. nu. 106. C. vt apparet ex. ca. 108. & 109.

5 Cap. 110.

donibus, Meſſeniis, Epirotis, Spartiatis, ab eodem Pauſania [1] diſcimus: idē Ægyptiis Liuius autor eſt [2], idem & Perſis teſtantur Herodotus [3], Trogus [4], Plutarchus [5], Procopius [6]. Idē Gallis, Scotis, Anglis, Cimbris Hiſpanis, Gothis quoq; & VVandalis, atq; aliis pleriſq; nationib. fuiſſe, notius eſt, quàm quod probatione egeat. Ius namq; gentiū hoc eſt, quod in omnium ſe animos occulta naturæ vi effundit, atq, omnes pertingit qui rationis rectæ recordantur, etiamſi ea vti nolint. Neque enim ſi populus vnus, itē & alter, huiuſcemodi iuris aliquid reſpuerit, id continuò ius gentium eſſe deſiuit. vt inceſtum nemo iure gentium turpe eſſe negauerit, licet Perſis probetur: aut furtum, quāuis id Lacedæmonii haud probroſum duxerint.

His autem omnibus vnum eſt conſequens, nullam videlicet Regis eligendi poteſtatem penes multitudinem eſſe, quamdiu regiæ ſtirpis aliquis ſupereſt: niſi fortè ſit is quem regno inhabilem natura reddidit, nam tunc ſeries perinde habet quantum ad regnū, ac ſi omnino ſuperſtes non eſſet, vel niſi is caſus incidat, qui obſcuritate facti, aut iuris non præuiſi & præcauti difficultate, pluriū de regno contendētium cauſam ancipitē reddat: tunc enim quin ſit populi arbitrium cui litē addicat, haud equidē inficior, quēadmodū cùm plures in ſchiſmate Pontifices de cathedra Petri contendunt, omnes Concilio ſubſunt; & eius iudicium ſubeunr: licet alioqui verus Papa reuera ſupra Concilium ſit, nec poſſit ab eo iudicari. Qua ratione Euphaes Meſſeniorum Rex, cùm nullos ipſe liberos haberet, optionem populo tribuit, vt ex Epitidis, id eſt regali genere Meſſeniorū, aliquem eligerent [7], multis Epitidarum, vt eſt veriſimile, id imperii ſuo ſibi iure vindicantibus. Pari de cauſa populi arbitrium fuit inter Xerxem & Artabazanem ſiue Ariamenē Darii Perſarū Regis filios [8], cùm hic, ꝙ natu maximus eſſet, regnū ætatis priuilegio ſibi vindicaret: ille verò ꝙ Artabazanē Dario adhuc priuato natum, ſe autem Dario iam Regi primum proueniſſe contenderet, ac proinde Artabazanem non ad regnum ab incunabulis natum, ſed priuatum, priuatique hominis filium aliquando exſtitiſſe, ſe verò rege patre in regia domo editum, atque ex vtero purpurā ſuſceptum ferebat: ita vt à ſole homo ſimul & Rex videretur (quemadmodum de ſeipſo Commodus olim gloriatus eſt [9]). Sic Clotharius dum regnum Burgūdiæ ſibi vindicat, Brunechilde id Theodorici liberis debeti

1 Lib. 1.
2 Lib. 42.
3 Lib. 7.
4 Iuſtinus lib. 2.
5 Lib. περὶ φιλαδελφίας.
6 Lib. 1. de bello Perſico.
7 Pauſan. lib. 4.
8 Iuſt. l. 2. Plutar. περὶ φιλαδελφίας.
9 Herodian. l. 1. ὁμοῦ δέ με εἶδεν ἥλιος ἄνθρωπον καὶ βασιλέα. Id eſt, ſimul enim me vidit ſol hominē & Regē.

Digitized by Google

deberi contendente: poſtulat ab ea vt in communi Francorum conuentu diſceptatio illa terminetur, ſeque illorum iudicio pariturum ipſe promittit [1]. Huius generis & illa de regno Scotiæ controuerſia fuit annis abhinc circiter trecentis, Baliolo & Bruſſio competitoribus: quæ Scotos & Anglos multis atrocibus & cruentis belli certaminibus inter ſe commiſit. Nam cùm vtrique competitori magnis amicorum clientelis nixos is animus eſſet vt ſi ſuffragiis inferior deceſſiſſet, ferro cerneret: paucæq; illuſtres in Scotia familiæ reperirentur, quæ alterutrius partes non tenerent, & res adeò ad ſeditionem, eamque proximam, ſpectaret: populus reliquus, etſi eius ſe litis arbitrum iure ſciret, tamen quia factionibus optimatum compeſcendis impar erat, atque ex ipſo iudicio in alterius ſtatim odium incurſurus, Regem Angliæ (qui tum rebus Scoticis fauere plurimùm, & tranquillitatis regni ſtudioſiſſimus videbatur) totius controuerſiæ diſceptatorem de litigantium conſenſu fecit [2]: ratus nimirum, quod res non erat, ſuas ſe partes candido iudici commiſiſſe, eumque & ſyncera iudicandi libertate, & ſeuera iudicati authoritate, fidem in ſuſcepto negotio ſuam egregiè liberaturum. At Anglus contrà ad conſuetos genii ſui dolos conuerſus, Scotos nequiter, incautos ab eius perfidia & fraude deluſit. Exemplo namque peſſimo arbitri illius inter Nolanos & Neapolitanos olim à S. P. Q. R. dati [3] regnum vt in ſuam ditionem redigeret, non omnem, vt dicitur, lapidem, ſed omnia arma, omneſque artes mouit & admouit, vt niſi Deus altero velut Gedeone ſuſcitato [4], tam ſceleſtæ machinationi occurriſſet, ac rebus Scotorum penè deſperatis ſuccurriſſet, ocyus id bellum Scotos omnes partim ciuilibus factionibus & diſſidiis, partim Anglorum fraude & inſidiis vndique petitos, vel ſeruire turpiter, vel miſerè perire coegiſſet. Similis planè controuerſia de regno Galliæ fuit (licet diſſimilem ſortita exitum) inter Philippum Valeſium & Eduardum Anglum Iſabellæ Galliæ filium, anno ſalutis 1328. quæ fecit vt populi Francici iudicio, arbitrioque res tota committeretur: qui in publico Ordinum & Optimatum conuentu, poſthabitis Eduardi rationibus, regnum Philippo adiudicauit. Quod exemplum vt rectè hoc loco profertur ad probandum ius populo eſſe decernendi de regno inter illos qui hæreditatis iure de eo contendunt: ita perperam allatum eſt ab Hotomano in ſua Francogallia, ad

1 Aimoin. libr. 4. cap. 1.

2 Hector. Boeth. lib. 14.

3 Cic. 1. offic.

4 Guill. Valaſio incredibili & animi & corporis robore prædito.

ad demonſtrandum populi ſiue Concilii publici, authoritatem in Reges. Verba eius hæc ſunt [1]: *qua controuerſia nulla neque maior neque illuſtrior ad publicum Concilium deferri potuit. Quinetiam quod ad publicum Concilium introducta eſt, perſpicuo argumento eſſe poteſt maiorem Concilii quam Regis authoritatem eſſe cùm eius ſe iudicio atq; arbitrio ambo illi Reges ſubiecisſent.* Duplex hic peccatum eſt Hotomani: vnum in eo quòd eandem regni & interregni rationem eſſe putat. Nam licet Concilii authoritas ſumma ſit in interregno, poteſtate ſcilicet ad populum reuerſa, populuſque legitimus iudex diſceptationis de regno exiſtat inter eos qui ſceptrum ſibi hæreditario iure aſſerunt; tamen nemo rectè ex illis principiis colliget, Rege ſuperſtite, maiorem eſſe authoritatem Concilii quàm Regis, quandoquidem nullus manente interregno Rex eſt qui cum illa populi poteſtas conferatur: ſed eſt tunc penes populum atque Concilium ſumma Reipublicæ: tantiſper dum alium ſibi Regem præfecerint: quo inaugurato, ius quod in interregno habuerunt ſtatim amittunt. Alterum eius peccatum in eo eſt, quòd ſcribat duos Reges ſe illi Francorum concilio ſubieciſſe. Hoc enim ſi verum eſt, erat iam Philippus Rex antequam id ei regnum adiudicaretur, imo antequam eius cauſa in Concilium deduceretur, quod nemo non falſum eſſe nouit. Quinimò Eduardus etiam, quamuis tunc Angliæ Rex eſſet cùm Gallicani Concilii iudicio ſe ſiſteret, tamen non vt Rex, ſed tanquam priuatus, reſpectu regni cuius erat competitor, illud iudicium ſubire coactus eſt.

[1] cap. 13.

His alia qui volet id genus exempla adnectito, nobis nunc ſat eſt pauca hæc poſuiſſe, queis indicemus populum idoneum atque legitimum iudicem eſſe, qui quæſtioni de regno præſit inter plures obſcuro & ancipiti iure contendentes. Neque enim eo caſu regnum ſtirpi denegatur, nec an ſucceſſione ad ſceptrum aditus ſit ambigitur: ſed tantùm cui ius ſuccedendi potiſſimùm competat, Iuſtitię trutina ponderatur: vt ei ſoli, quem naturæ lege, & more patrio cæteros anteire liquidò conſtiterit, imperium in ſubditos legitimum, ſine vllo ætatis, virium, cōſilíve delectu, decernatur; omninoque hæreditarium cenſeatur: quod vſque eò moribus atque conſenſu populorum increbuit, ac extentum eſt, vt ne ſexus quidem diſcrimen haberetur, quin regna etiam priſcorum Regum temporibus ad fœmi-

Quod dico ætatis rationem non haberi, accipe de iis qui in eodem gradu non ſunt.

nas peruenirent. Qua de cauſa cùm Harpagus mandatum ab Aſtyage de necando parru filiæ ipſis Aſtyagis recepiſſet, miſerationem inter metumque, quid faceret diu animo fluctuans, tandem conſtituit non a ſe ſuis-ue, ſed ab aliquo ſeruorum Aſtyagis, necem puero afferendam [1]: idque *veritus ſi ad filiam mortuo Rege veniſſet imperium eò quod nullum Aſtyages virilis ſexus genuerat, ne illa necati infantis vltionem, quam à patre non potuiſſet, à miniſtro exigeret.* Sic Eurotæ Regi ſine virili ſobole mortuo ſuccedit Lacedæmon, quod is Spartem Eurotæ filiam vxorem haberet: & Menelaus quia Tyndari, Oreſtes quia Menelai gener erat, ſoceri regnum adeptus eſt [2]. Atque ex innumeris ferè populis ſoli Franci muliebre imperium ſunt aſpernati. Et verò quod initio Franci lege lata de remouendis ſceptro fœminis enixè cauerũt, annon id perſpicuè nobis oſtendit eatenus eos à communi aliarum gentium more & conſuetudine deſciuiſſe: & eam ſibi de regni ſucceſſione conſtitutionem, velut iuris omnium nationum communis exceptionem, ſeu ius quoddam ſingulare præſcripſiſſe? Alioqui quid attinuiſſet legem illam tanta celebritate latam, tam ſolemniter cuſtoditam, tot magnorum hominum ingeniis dextriſque protectam, atque defenſam, vllis publicis monumentis literiſue mandare? Quid quod cùm de ea abroganda, atque ad ius commune reuocanda. Anglus oratione & armis diu multumque certaſſet, eius contra ius gentium contraque naturam nequicquam cauſatus iniquitatem, aſſenſores ſibi in Gallia, nec paucos quidem, nec paruos habuiſſe fertur [3], licet ii quorum in animis antiquæ Francorum gloriæ, nominiſque memoria penitus inſederat, bello premi diuturno, atq; extrema pati omnia, quàm legem illam à maioribus, tam ſeuerè ſanctèque ſeruatam, ac per manus traditam, violari, velliique maluerint.

1 Herodot. libr. 1. Iuſtin. ex Trogo. lib. 1.

2 Pauſanias in Laconicis ſeue. lib. 3.

3 Gaguin. Æmyl. & alii in vita Philippi Valeſii.

Vlterius in hoc campo procurrere haud libitum nunc eſt animo meo; ſat enim, vti reor, hiſce teſtimoniis, exemplíſque hæreditaria in regnis ſucceſſio poſita eſt, atque probata: ademptaque populis eligendi Reges poteſtas, aliquo regii generis ſuperſtite qui ſine controuerſia deceſſori proximus ſit, & lege patria ad ſucceſſionem vocari poſſit. Quod tamen de iis gentibus dictum ſit, apud quas ſceptra ſucceſſionis iure deferri conſueuerunt: aliis ego iniu-

rius eſſe nolo, libertatem retineat ſuam, quæ facit illas ſæpe duram ſeruire ſeruitutem.

Reditio ad ſententiam intermiſſam: Reges videlicet legitimè conſtitutos neque abdicari à populo, neque in ordinem cogi poſſe. Ea, rationibus, authoritate, exemplis, ſuſcipitur probanda. Rationes à natura, & differentiis Rerump. à familiæ & regni comparatione, ab antiqua regnandi conſuetudine, à Diuini & humani iuris rato & conſtanti in puniẽdis flagitiis ordine iudiciorum, aliiſq; ex locis petita: Defenſus ab Henrici Stephani calumnia Vlpianus: atque alia inibi ſcitu digna exponuntur.

CAP. IV.

Redeo nunc ad intermiſſam de Regibus ſuperiore capite ſententiam: ea eſt; legitimè ſemel conſtitutos, & malo more extra numerum modumque bonorum Regum digreſſos, neque repudiari à populo, neque rectam vt in viam remeent cogi pro imperio poſſe, (iam prædixi de iure me, non de facto contendere.) Scio hanc viſum iri duriuſculam primo aſpectu hominibus præiudicata opinione imbutis, quam ex iis opuſculis hauſerunt quæ de effrænæ populi libertate, atque imperio in Reges ſolutiſſimo, ab authoribus plurimùm ignotis edita, ad patriæ perniciem circumferuntur. Sed eam ego (propitio numine) rationibus, authoritate, exemplis, ita planè ac perſpicuè veram eſſe oſtendam, vt nulli non æquo rerum æſtimatori probetur, ac vel ipſis fortè arbitris, ad quorum aures animóſque error iſte penetrauit, fucatam aduerſariorum opinionem peruincat. Exemplis tamen parcius vtar, quòd ea nobis, non quid fieri debuerit, ſed quid factum fuerit, oſtendant: ac propterea locum iis ſecretum non tribuam, tantùm reliquis intermiſta argumentis, quædam obiter, vbi res poſtulauerit, recenſebo, atque eò maximè, ne quis putet iuris à nobis propoſiti exempla nos deficere. Neque enim tam ſumus inſipidi, inſulſique, vt idcircò fieri aliquid debere, quia factum eſt, contendamus, ſed quia id facere ius faſque erat ideo factum aliquando fuiſſe lectori proponimus.

Ignotos authores vocat quorũ ſcriptis aut nulla aut falſa fictaq; nomina præfiguntur.

Exordium autem à penitiſſimis Rerumpub. differẽtiis, & natura capiemus: Tres enim cum ſint ſimplices, perfectique Reipubl. ſtatus, eorum inter ſe diſcrimen non in impe-

imperii viribus, & poteſtate, ſed in imperantium diuerſitate, modiſque imperandi diſſimilib. poſitum eſt. Siue enim Democratiam ſpectemus, quæ generis nomine Reſpublica vocari ſolet, ſiue Ariſtocratiam, ſiue Monarchiam regnũque, vnum ſemper atque idem conti nendæ ſocietatis humanæ vinculi genus apparebit; pacta nempe, & conſtituta imperandi facultas, ac parendi neceſſitudo, quæ pro eorũ qui ſummæ rerum præſunt diſſimilitudine ſunt diſſimillima, & aliud atque aliud imperiis nomen indiderunt. Nam aut viciſſitudine adminiſtrationis inter omnes communicatæ, Rempublicam; aut bonorum quorundam ad totius regimen ciuitatis acceſſu, Ariſtocratiam; aut inſignibus, atque infulis imperii ad vnum delatis, Monarchiam conſtituunt. In prima multitudo principatum tenet, & ſui ipſa potens fert aufertque pro arbitrio iugum: in altera optimatibus ſubiacet, quorum ductu omnia pacis belliq; munia expediuntur: in vltima dominator & Princeps vnus eſt, cui populus regendi ſui facultatem atque imperium omne commiſit: & ſe, vrbes, agros, aquam, terminos, opes, vtenſilia, & humani quicquid iuris eſt, eius in ditionem ac poteſtatem dedidit. Vt igitur populo in democratia ſuperior nemo; ſic optimatibus in Ariſtocratia; ſic Rege in monarchia nemo. Atque hoc quidem non de ſingulis tantum è populo intelligi volo, ſed de ipſo populo vniuerſo: neque enim ſi ſingulos Regi ſubiectos, cunctum verò populũ iure poteſtatis æquare, aut ſuperare Regem fateamur, vnquam efficere poterimus, vt regnum inter & Rempublicam, atque ariſtocratiam, differentiæ conſpiciantur, quæ ſpecies illas conſtituunt ac diſiungunt. Nam & magiſtratui à multitudine creato, in ſingulos, prout id ei lege definitum fuerit, ius & poteſtas eſt: nec eo tamen cõſtituto, extincta ſubinde democratia euerſaque creditur: ac vt multa paucis dicam, populare imperium, ſeu democratia, ſemper eſt vbi ſumma penes populum poteſtas reſidet: hoc ratio, hoc res ipſa, hoc verbi notatio demonſtrat. Quicunque igitur populi vim potentiámque extollunt, & regiam obterunt maieſtatem calatis eam ſupponentes comitiis, ii aut Democratiã cum regno confundant, aut non eſſe eam tunc, cùm ſummum populus imperium obtinet, fateãtur neceſſe eſt: quorum alterum peruerſi, alterum inſcientis, ne dicam inſciti hominis eſſe conſtat. Triplex eſt ciuilis gubernatio, inquit Plato [1], *Vnius, paucorum, & multorum*; idipſum & Ariſto-

[1] Lib. 10. qui Ciuilis, ſiue de regno inſcribitur.

riſtoteles [1], *Neceſſe eſt*, inquit, *aut vnum eſſe penes quem ſummum ſit imperium, aut paucos aut multos*. Ac de eo quidem omnes quotquot ciuilem nobis ſcientiam tradiderunt, aliis licet in rebus diſcordes, nullo excepto, & verbis & animis conſentiunt. *Interdum populus eſt quem timere debeamus* (ait Seneca [2]) *interdum ſi ea ciuitatis diſciplina eſt, vt plurima per Senatum tranſiguntur, gratioſi in ea timeantur viri: interdum ſinguli quibus poteſtas populi & in populum data eſt.* Hi autem quibus iſta in populum poteſtas data eſt, ii ſunt quos deſcribimus Reges, regalíve cum imperio Monarchæ. Sed & Vlpianus, qui vir optimus & Iuriſconſultorum coryphæus à Modeſtino [3] nuncupatur, neque rerum geſtarum à Romanis immemor, neque iuris antiqui vſitati vel antiquati, aut moris etiam & conſuetudinis inſcius, *legem Regiam* fuiſſe teſtatur [4], qua populi imperium omne, non in ſingulos modò, ſed in ipſum populum, Regi tributum fuit: eáque ſub Auguſto renouata [5], lex imperii cœpit appellari [6]. Hæc illa eſt (vt apparet) vetus lex regia, de qua Lucius Valerius tribun. pleb. vt eſt apud Liuium [7], *Ex vtro tandem genere ea lex eſſe videtur quam abrogamus? an vetus regia lex ſimul cum ipſa vrbe nata?* Qua de cauſa Bartolus [8] *tertio modo indicitur bellum publicum* (inquit) *quando indicitur à populo Romano, vel ab Imperatore, in quem translata eſt omnis iuriſdictio populi Rom.*

At noui tamen iam tandem Critici exorti ſunt, qui legē hanc, vt ſpuriam, expugnandam cēſent; adeò nihil eſt tam vel probatum conſenſu, vel authoritate firmatum, vel antiquitatis veneratione commendatum hominibus, quod, his cenſoribus, in diſcrimen exiſtimationis non veniat. Nā Henricus Stephanus (homo eruditus, & de literis ac literatis benè meritus, atque vtinam æquè de religione) in ſua *Muſa monitrice*, [9] hanc legem, vt adulterinam, damnare auſus eſt, hâc formula.

— iam mihi reſpondeat
Iuriſperitus quiſpiam (nam talium
Verſatur illa ſæpe lex in oribus)
Quando ſit, & à quo lata ſit, verbis quibus
Concepta ſi non & parentem nominant
Legis loquentis adeò verba grandia.
Audebo pariter grande verbum proloqui,
Pro lege habendam potius eſſe ſpuria.
Legitima verò quæ vocari, haud ſpuria

Poſſit,

1 lib.3.c.5. Polit.
2 epiſt.14.
3 l.2.in fi.l.4. l. 14.§. ἐπειγ δὲ D.de excuſ.tut.
4 l.1.D.de conſt. Princip.
5 Dion.lib.53.
6 l.ex imperfecto C.de teſtam.
7 lib.34. in orat. de lege Oppia abroganda.
8 ad l.hoſtes 24. D.de cap.& poſt.
9 in Epimetro ad carmen 34. pag.171.

Poſſit, reperta cuipiam ſi forte ſit,
Is magna dignus conſequi ſit præmia
A Principe omni.

Sed heus Henrice, dic, amabo te, cur hanc pro ſpuria legem habendam dicis? certóne in contrarium teſtimonio niteris, an tuâ ſolius opinione? Illud ſi habes profer, ſi non habes, hanc quæſo ne effer. Nam audenti tibi tam grande verbum proloqui, audebit fortè grandiloquus aliquis reſpondere. Itâne ſapientum & grauium authorum ſcripta, ſine vlla authoritate ſine argumentis, ſine teſtibus, ſine *indiciis ad probationem indubitatis, & luce clarioribus*,[1] falſi condemnas? Tibine potius de rebus in antiquitatis memoria poſitis credi par ſit, quam ipſiſmet antiquis tantò te fide dignioribus, quantò illis quàm tibi plura ad earum rerum veritatis cognitionem ſuppetebant, quarum ad nos tam longo pòſt ſeculorum interuallo procreatos fama tantùm, vel breuis commemoratio ab iis ipſis facta peruenit? Ecquis veterum talem calumniam effugiet, ſi omnibus hanc conditionem ſtatuas nullam vt relationi rerum geſtarum ab iis factæ fidem habeas, ſi non & alios ipſi authores laudent? Num vt ex mentione documenti facta in alio documento exactionem fieri lex vetat[2]: ita etiam tu in laudatiſſimos quoſque ſcriptores priſcos imperii tantum tibi arrogas, vt fidem illis antiqua populorum ſcita memorantibus tuo iudicio abroges, niſi legum ipſarũ authores, formuláſque proponant? Quid? qui Herodotum antiquiſſima & pene incredibilia narrantem, veracem eſſe longa nobis *apologia* conaris perſuadere, alios magni nominis & non vera ſolum, ſed & veriſimilia tradentes, qua tu fronte tandem exagitas? Sed ecce legem hanc regiam ad ſuæ ſententiæ firmamentum citat Vlpianus, & haud ſpuriam quidem ſibi viſam, ſed planè legitimam, cuius ortum etiam ac parentes compertos habuiſſe creditur. Alioquin enim quid attinuiſſet eam illo præſertim ſeculo Iuriſconſultorum feraciſſimo, in re tam ſeria prædicare? eandem & alii omnes qui poſt Vlpianum ius tractarunt, nemine, quod ſciam, diſſentiente, vt legitimam amplexi ſunt. At vis tamen reſpondeamus quando, & à quo lata ſit, & quibus verbis concepta? En reſpondemus, quòd ad Vlpiani defenſionem ſatis eſt, à ſenatu populóque Romana latam, ſeu potius renouatam, Auguſto imperante, & ea formula, quam facile eſt hominibus Romanæ linguæ

1 l. vlt. C. de probat.

2 Nouel. vt ſponſ. largit. 119. cap. 3. l. vlt. D. de probat.

peritis ex hiſtoria concipere. Scribit enim Dio [1], Imperatores poſt Cæſarem nomen Imperatoris ſemper tenuiſſe, ad ſignificandum plenam ſuam & perfectam potentiam, loco nominis Regii & Dictatoris, quæ ſublata ſemel è Republica quamuis ſibi non imponebant, tamen eorum vim ac rem ipſam Imperatorio titulo confirmabant. Qua ratione docet ius iis fuiſſe omnia agendi, quæcunque Conſulari, Tribunitia, vel Dictatoria poteſtate expediri antè poterant, & ſenatu populóque volentibus, omnem eos totius Reipublicæ poteſtatem accepiſſe, atque etiam regiam, niſi quod inuidiam nominis vitabant. Quod ſi hæc tibi reſponſio non faciat ſatis, & in tua illa opinione accuſationéque perſiſtas: ad aliam iuris defenſionem confugiemus: & quoniam tu nunc primum, Henrice, poſt tot ætates ſtatus ei controuerſiam mouiſti, nos, quod æquum eſt, contrà in omnem euentum vindicias ſecundum libertatem & ingenuitatem poſtulamus: tibi autem ipſi, ſi ſapis, caue, ne rea nimirum aliquando abſoluta, de tuo iudex incipiat conſilio quærere, & vel *non probaſti*, vel quid grauius in te pronunciet [2]. Interea verò dum quod intendis probes, probare autem numquam poteris, lex regia integri ſtatus vigebit. Ac propterea ipſum de ea Vlpianum audiamus. *Quod Principi placuit legis habet vigorem: vtpote cùm lege regia, quæ de eius imperio lata eſt, populus ei & in eam omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.* Vbi, ne quà impetamur à grammaticis, relatiuum *eum*, poſitum eſſe pro reciproco *Se*, periciſſimi tum Græci tum latini affirmant interpretes [3]. Atque id ita eſſe præſcriptus etiam Senecæ locus euincit, ſed & antiquiſſimus regnandi mos, & monarchiæ nomen hominumque prudentiſſimorum conſenſus, idipſum declarant.

Ioſepho diuina præſagatione futuram vbertatem, ſterilitatemque nuncianti, gratulatum primò Pharaonem, mox imminentia damna vitabundum, vices in regno ſuas commiſiſſe, Moyſes in hunc modum refert [4]. *Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid ſapientiorem & conſimilem tui inuenire potero? tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantum regni ſolio te præcedam. Dixitque rurſus Pharao ad Ioſeph: ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti.* & iterum: *Dixit quoque rex Ægypti ad Ioſeph: ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non* mo-

1 lib. 53.

2 l. 1. ad Sc. Turpil.

3 Theophil. de nat. gent & ciuil. §. εἰρήκαμεν. Duar. VVeſemb. Hotom.

4 Gen. 41. cap.

mouebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Ecce mandatum Ioſephò imperium in cunctum populum, quod niſi fuiſſet in delegãte, qui poterat ad præfectũ tranſire, cùm *nemo plus iuris ad alium transferre poſſit quàm ipſe habeat* [1]? Neque verò ſolum illud eſt ex ſcripturis, quo Regẽ vniuerſo populo ſuperiorem eſſe doceamur. Nam & Moyſes futurum præſagiens, vt Hebræi tandem aliquando Regem peterent, populum ipſum ſic affatur [2]. *Cùm ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaueriſque in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes.* En cunctos hîc, & non ſolùm ſingulos Regi ſubiiciendos cernimus. Atque rurſus idem populus poſt victoriam à Gedeone mirabiliter partam, regio eum cum imperio ſibi præficere cupiens, hoc ſermone vſus eſt. *Dominare noſtri tu & filius tuus, & filius filii tui; quia liberaſti nos de manu Madian.* His alia præcedente libro conſimilia recenſui, quæ huc referre ſingula, non operæ eſt, per diutinos muneris mei labores, perque inualitudinem fatiſcenti mihi & ad alia inſuper feſtinanti. Nemo enim ante infelicíſſimam hanc noſtram tẽpeſtatem, non faſſus eſt, Principẽ populo dominari, Principi verò Deum. Vetus eſt hæc cantilena [3].

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis,
Clari Gigantæo triumpho,
Cuncta ſupercilio mouentis.

Quam ſententiam, ne quis eam leuitati, aſſentationíque poeticæ aſcribat, Agapetus Diaconus his verbis confirmat [4] Κύριος μὲν πάντων ἐστὶν ὁ βασιλεὺς δοῦλος δὲ μετὰ πάντων ὑπάρχει Θεοῦ. *rex quidem eſt omnium dominus, ſeruus autẽ Dei cum omnibus.* Quid, quod veritas ipſa verbum Dei Chriſtus Ieſus, contentionem de primatu inter diſcipulos ortam, hac ſententia compeſcuit? *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur, vos autem non ſic* [5], vbi interpres ſenſus quàm ſermonis obſeruantior Græcum *αὐτῶν eorum* reddidit, prò *earum aut ipſarum*, vt reſpiciat, referatque *gentium:* docet enim Saluator Reges ſuæ quemque, gentibus dominari. Hinc eſt quòd liberæ ciuitates, liberíque populi, à locupletiſſimis quibuſque authoribus nominantur, qui ſine Rege viuunt: & contrà ſeruientes, qui Regum ſub imperio degũt: quod licet ſit per ſe notius, quàm cui probando diligentius incumbatur; tamen vt le-

1 d.l. nemo 54. de reg. iur.
2 Deut. 17. cap.
3 Hor. li. 3. Ode 1
4 Stob. ſerm. 37.
5 Luc. 22. cap.

vt lectori minus in hiſtoriis verſato etiam ſatisfiat, vnum aut alterum Liuii locum apponam [1], in quo vtrunque cõplexus eſt. *C. Mutius adoleſcens nobilis cui indignum videbatur populum Romanum ſeruientem, cùm ſub Regibus eſſet, nullo bello, nec ab hoſtibus vllis obſeſſum eſſe, liberum eundem populum ab iiſdem Hetruſcis obſideri, quorum ſæpè exercitus fuderit*: & iterum in eodem libro, Porſenæ de reducendo in regnum Tarquinio agenti reſponſum fuiſſe ſcribit. *Non in regno populum Romanum, ſed in libertate eſſe, ita induxiſſe in animum, hoſtibus potius, quam Regibus, portas patefacere. eam eſſe voluntatem omnium, vt qui libertati erit in illa vrbe finis, id[illegible] vrbi ſit. Proinde ſi ſaluam eſſe vellet Romam, vt patiatur liberam eſſe orare.* Quò pertinet, quod Cicero [2], *aut exigendi Reges non fuerũt*, inquit, *aut plebi re, non verbo danda libertas*. Hinc Bartolus omnium iuris interpretum facilè primus, vbi quædam Principi reſeruata eſſe oſtendit, quæ ab inferioribus magiſtratibus expediri non poſſunt addit [3]: *Ciuitates tamen quæ Principem non recognoſcunt in dominum, & ſic earũ populus liber eſt, poſſent hoc forte ſtatuere, quia ipſa ciuitas ſibimet Princeps eſt.* Iſtam verò libertatem, ſeruitutemque, ſi quis ſingulorum, ac non totius populi eſſe credit, longè opinione fallitur: nam ſinguli quidem ſub Regibus maiore multò libertate quàm ſub populari dominatione frui ſolent.

1 Lib. 2.

2 li. 3. de leg.

3 ad l. 3. D. de minorib.

Etenim profectò ſi priuatos quoſque in Democratia ſpectemus, grauem eos ſeruire ſeruitutem, ac, niſi ſpei honores aliquando, vt in eo Reip. ſtatu amplos, ocipiẽdi dulcedine lactarentur, neutiquam animis benè à natura informatis tolerãdam, fatebimur: vtpote qui pro vno innumeros, piſtores, lanios, cerdones, atque adeò inconditam multitudinem, dominos habent. Sed hoc alias; mihi enim id ipſe negotii hic ſolum dedi, vt populo aduerſus Regem nullam animaduerſionem aut coercitionem eſſe doceam: cui probando argumenta, licet pauca, non parua tamẽ adhibui, quæ ſi quis Dialecticè ad inſtitutum aptare velit, ei hicce paratus eſt ſyllogiſmus: Nemo par aut inferior habet imperium in parem aut ſuperiore, (hæc eſt certiſſima iuris regula [4], cui nemo cum ratione reſtare poteſt) Atqui populus eſt Rege inferior. (& hoc quoque argumentis oſtenſum eſt.) Populus igitur aduerſus Regem non habet imperium. Si non imperium, neque profectò animaduerſionem, ab illo enim hæc procedit, & ſine illo conſiſtere ne momento quidem poteſt [5]. Porrò ineptum planè, & ridicu-

4 l. 4. D. de recept. qui arbitr. recept. l. ille. à quo. §. tempeſtiuum D. ad Sc. Treb. c. innotuit. de elect. Syllogiſmus in quarto modo primæ figuræ.

5 l. 3. D. de Iuriſd.

diculum illud eſt, quod mihi quidam in illuſtri conſeſſu inſipidè olim reſpondit: populum nempe Regi, & hunc illi pariter eſſe ſubiectum. quaſi verò poſſibile ſit, ei te, in quem dominaris, eodem ſubiectionis genere eſſe obnoxium: quod nec ratio, nec iura, nec rerum natura atque ordo patiuntur: quamuis alio atque alio poteſtatis genere, & præeſſe, & ſubeſſe vni eidemque poſſis. Nam & pater filio magiſtratui ſubeſt, & eius iuſſa inſtar aliorum capeſſit, paretque omninò quæ ad magiſtratus imperium attinent præcipienti [1]: & filius, qua parentum in liberos extra Rempublicam naturalis & domeſtica poteſtas eſt, patri obſequitur atque ſubiicitur. At nobis impræſentiarum de vnâ ciuili ſummâ poteſtate ſermo eſt, qua vel populus in Regem, vel Rex in populum, vel horum neuter in alterum, præditus ſit oportet. quod enim quartum eſt, vt vterque in alterum ſcilicet dominetur, & poteſtatem exerceat, id fieri certè nullo pacto, ac ne concipi quidem animo vel cogitari commodè poteſt. Quod fieri ergo poteſt, factum eſſe fingamus, vt populo ſumma ſit poteſtas in eum qui Rex nominatur (in eum enim qui Rex eſt, vlla eſſe nequit) nonne popularis hic erit Reip. ſtatus, nominis tantùm ſono à Democratia diſtans? verè igitur liber hoc caſu populus, neminique ſubiectus, nulli nec legi, nec Regi parere neceſſe habet, extrà quam ſi quas in ſe ipſe tulerit. Sin verò ſummum Regi tribuamus imperium, non erit quòd à populi animaduerſione ſibi timeat, cùm ſummum id ſit, quo nihil ſuperius [2]. Quod ſi neutri in alterum id poteſtatis ſit, aut alia ab antedictis Reipublicæ ſpecies, aut anarchia iam, atque totius humani conuictus diſſolutio & diſcordia exoriatur neceſſe eſt. Argumentum certè hoc, ex differentiis Rerumpubl. eſt ineluctabile: quod ipſum ſi quis contractius præter oculos poſitum velit, ita aliter efficito. *Neceſſe eſt vnum eſſe penes quem ſummum ſit imperium, aut paucos, aut multos.* Axioma nulli non notum. Vnius autem imperium, Monarchia dicitur; iſque vnus Monarcha, quem nos vel Regem, vel alio ad id apto nomine vocamus (vt eodem Ariſtoteles loco docet) Penes Regem ergo ſummum eſt imperium: Quod ſi ſummum, Tertulliani de hinc ratione iuuabimur, qua, vt ille Marcionem, nos Monarchomachos proſternamus: nimirum, eam eſſe ſummi conditionem, vt nihil illud adæquet, nedum ſuperet: cui conſequens eſt neceſſariò, populi imperium in regno, aut nullum eſſe, aut, ſi quod eſt,

[1] l. filiusfam. D. de his qui ſui. l. ille à quo. 13. §. vlt. D. ad Sc. Trebel. Liuius li. 24. Val. Max. li. 2. c. 2. Gell. li. 2. c. 2.

[2] Cic. li. 2. Tuſc. quæſt. §. & primo in procem. Digeſt. Ariſt. lib. 3. Polit. c. 5.

eſt, regio planè ſubmiſſius inferiúſque eſſe.

Subit & alia nunc animum ratio, quæ ex recepta familiæ & regni, Regis item & patrisfamilias comparatione naſcitur. Si enim verum illud eſt, quod dictitant [1]: Regnũ eſſe amplam familiam, & familiam paruum regnum, & patremfamilias liberis ſuis regio principatu imperare [2]: ac ſuæ quemque domi Regem eſſe [3]. erit quoque & hoc Regẽ populo vniuerſo præſidere, vt ſuis paterfamiliaribus. Atqui Paterfamilias tali ſuis cum imperio præſidet, vt ne toti quidem familiæ ius, ac poteſtas in eum ſit. *Patri vel matri* (inquit Origenes [4]) *nullo modo contradicere debemus, dicant, faciant, quæ volunt,* id eſt, neque maledictis eos inceſſere, neque vi & manu comprimere, & caſtigare, quamlibet grauiter delinquant, liberis vtique ſuis vllo modo licet. At moderatum debet eſſe patrisfamilias imperium, dices. Sane quidem. Et Regis quoque moderatum, & temperatum eſſe debet. At illi in familiam ſæuienti acerbius pœna luenda eſt. Scio. Et hunc etiam ſubditos tyrannicè diuexantem, graue ſupplicium manet: bellè quidem hæc omnia aptéque inter ſe cohærent; cœptam igitur perſequi ſimilitudinem quid vetat? Patribusfamilias, licet olim vitæ & necis poteſtatem in ſuos non modo ſeruos, ſed proprios etiam liberos haberent [5], pœna nunc irrogatur, ſi quem de familia immerentem occiderint [6]. Sed à quo? ab ipſáne familia? Non certè, non. *Dominorum poteſtatem in ſeruos ſuos illibatam eſſe oportet, nec cuiquam hominum ius ſuum detrahi.* Quas enim nobiliſſimarum familiarum euerſiones, quas perturbationes, & confuſiones omnium ordinum, quas denique, & quantas ciuitatum peſtes, vna illa licentia pareret? Patrisfamilias itaque ſcelus vlciſcuntur, nõ ipſius ſeruitia, ſed ſuperiores; non mercenarii, ſed magiſtratus; non proles, ſed Princeps, & qui ab eo gladii poteſtatem in facinoroſos acceperunt. Conſtans hic eſt, & perpetuus ius ſuum cuique tribuendi ordo, ſine quo nulla nec componi Reſpubl. nec conſiſtere vllo modo poſſit.

Quod cùm ita ſit; nunquid Regem, ſi quod atrox, & tetrum facinus admiſerit, pœnas meritas debitáſque ſuperiori ſuo ſoluere, par ratio iubet? An vero credibile eſt, Deum, à quo omnis ordo poteſtáſque promanat, cùm res quaſq; minimas mirabili quadã ſerie & ſolicitudine curet, conſeruetq́ue, regna, *rem inter Deos hominesq; pulcherrimã* [7], ita negligere, vt in Principe ſummo, atque adeo ipſius re-

1 Ariſt. lib. 3. Polit. cap. 11.

2 Idem li. 1. Polit. cap. 8.

3 Homer. Odyſſ. α. Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο. cæterùm ego domi noſtræ Rex ero. Hæc non ita intelligẽda ſunt, quaſi idem ſit regnum & familia, aut eodem planè munere fungantur paterfam. & Rex, (vt docet Ariſt. li. 1. c. 1. Polit.) ſed quòd inter hos magna ſit ſimilitudo, & ſi qua patrif. poteſtas competat, ea multò magis Regi.

4 Homil. 11. in Leuit.

5 l. 1. D. de his qui ſui ſunt. l. in ſuis. 11. D. de li. & poſt. l. vlt. C. de pat. pet.

6 d. l. 1. D. de his qui. Senec. li. 3. de benef. cap. 22.

7 Liu. lib. 2. Omnis anima poteſtatibus ſupſubdita ſit, ad Rom. 13. cap.

gni capite plectendo, conſuetum hunc, ratumque naturæ ordinem inuerti, ac peruerti velit? & quod priuato cuique diuina omnia humanaque iura impertiunt, ne rei capitalis ſcilicet iudicem ciuili poteſtate inferiorem ſe habeat, eo Regem beneficio ſpoliet, & libidini minorum ſubiectorūque dedat? Quapropter D Hieronymus ſacra iuxtà ac ciuili ſapientia clariſſimus cum de Dauide pœnitentiam poſt cumulatum adulterio homicidium, agente loquitur [1], eum dixiſſe ait. *Tibi ſoli peccaui [2] quia Rex erat, & altum non timebat.* quod idem planius & prolixius S. Ambroſius in Apologia pro Dauide aſſerit [3]. Atqui tam improbus nemo eſt, modò non ad extremum perditus, qui dominatoris poteſtatem, vindicem ſc.'erum, non extimeſcat. Aut igitur Dauid qua Rex erat, nullum niſi Deum ſuperiorem agnoſcebat, cui ſupplicium dare deberet: aut falsò & arroganter Deo ſoli ſe peccaſſe iactitabat: hoc autem, viro cætera pio prudentique, & diuinitus etiam afflato, abſit impingamus. Quid ſi Regi prophetæ hîc Regem philoſophum adiungam? non abſimilis fortè, neque abſurda videbitur cōbinatio, is eſt Marcus Antoninus leni ac placido ingenio Princeps: qui, confecto a ſe maximo bello, cùm inſignem de Germanis, qui in Italiam irruperant, victoriam reportaſſet, rogatus à militibus pecuniam, negauit ſe daturum præter condictum ſtipendium. *Quia* (inquit [4]) *ſi plus quàm conſtitutum eſt vobis dedero: id ex ſanguine parentum veſtrorum propinquorumq; exigetur: nam nemo niſi ſolus Deus iudex principis eſſe poteſt.* Hæc Antoninus Philoſophus, cuius imperium tamen ita mite ac temperatum fuit vt nullius non mali iudicis arbitrio ſubiici vereretur; ac proinde non tam ſuâ, quàm Principum vniuersè causâ, id militibus enunciaſſe credendus eſt, (quemadmodum de Paphnutio traditur [5], eum, cùm ipſe coniugii expers eſſet, communem cōiugatorum cauſam egiſſe.) Atque hanc quidem ſententiam conſpirans totius antiquitatis conſenſus approbauit. Rex ergo, cùm Deum ſolum ſuperiorem habeat, quomodo ſe populi iudicio ſiſtere, niſi per iniuriam cogi poſſit? grauem habet ſcelerum vltorem, cuius nec declinare forum, nec eludere ſententiam poteſt: eſt enim ſingularis Deo de Principibus cura, quos & protegit diligenter, & plectit acerbè. Inde eſt, quod genethliaci & aſtrologi nonnulli, quibus mos eſt ingenium prædictionibus magnificè venditare, negant aſtra in Principes vim habere, quæ in

cæteros

1 tom.1 ep.46.
2 Pſal.50.
3 cap.4. & c.10.
4 Xiphil. ex Dione in vita M. Antonini Philoſ.
5 Socrat. Schol. li.1. ca.11. hiſt. Eccleſ. Sozom. li.1. cap.23.

cæteros homines dominantur [1], cùm in Dei ſolius gubernatione poſiti ſint: ſecundum illud, *Cor Regis in manu Dei.* Vtut eſt, Principe populus ſuperior eſſe nequit, niſi & familiam Domino, & exercitum Imperatore, & omnino corporis reliquum capite ſuperius eſſe concedamus. Quod ſi neque mancipio in Dominum necis conſerui vindicandæ cauſâ, neque filio in patrem ad cædis fraternæ vltionem, neque militi in ducem & imperatorem, ob rem in exercitu malè geſtam, ferrum ſtringere liceat.

1 Iul. Firmicus Maternus lib. 2. cap. vlt.

Quis furor ô populus, quæ tanta licentia ferri?

imò quæ perfidia, perditio & pernicies Reipublicæ, ſingulos omnium ordinum, nobiles, plebeios, ſacerdotes, ſeculares, monachos, milites, in Regem, etſi omnino improbus & nocens fuiſſet, armare, & (quod fieri ſine ignominia, dici ſine indignatione nequit) facinus turpiſſimum virtutis elogio commendare? hominem inquam perditiſſimũ, quòd Regem ſiue bonum ſiue malum trucidarit, pro nefanda proditionis mercede vt tyrannoctonum, & martyrem ſanctum celebrare? ô tempora ô mores! Væ [2] hominibus qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Sed ecquo tandem claret ille miraculo? nimirum Regem nihil ſibi ab illo ſacro hominum ordine metuentem, habitu venerabilis, vultu amicus, ſermone pius, geſtu denique corporis omni ad obſequium compoſito ſupplex adiit, & incautum à fraude ſub ſpecie ſecretioris colloquii vna confecit plaga. Hoccine miraculum? perfidia ergo & audacia miracula gignent? tunc, credo, quando malitia mala & cõſutis dolis Dæmones fugabuntur. Sed ſeuera hæc nimis & parum ſyncera ſanctimonia eſt, quæ ſanos ſauciat, nec ſanat ægrotos: eiuſmodi ſanctos complures bellum hoc nobis ciuile largitum eſt, quibus qui fidem habent, ipſa ſunt ſtultitia ſtultiores. Etenim profectò

2 Eſaiæ 5. cap.

Antè leues ſummo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces,

quàm tales Dei Eccleſia indigetes agnoſcat, & Sanctorum inſcribat Pyctaciis. Et qui vſque adeo inſaniunt, vt tam immitium hominum manes venerentur, mirum ni *Latrocinalia* (nouæ rei nouum verbum) vt ethnici olim *Fugalia* tandem inſtituãt. Sed hoc extra cauſam arreptum obiter miſſum facio, properóque alia ſententiæ noſtræ firmamenta in medium adducere.

Vide quæ de huius execrando monachi facto ſcripſimus ad Boucherii li. 4.

Aſſerenti regiam libertatem plurima ſuppetere argumenta. eorum in animis hominum varii effectus. quædam præter iam dicta huc adferuntur: partim ex communi natura & gentiũ iure in regnis firmiter cuſtodito: partim ex collatione magiſtratuũ Regib. inferiorum, qui ſimili libertate impunitateq; fructi ſunt. exempla etiam nonnulla memorantur, & hæc à ſcriptoribus omnia luculentis. D. Ambroſii locus inſignis tractatur.

CAPVT. V.

CVpienti mihi oſtendere, nihil iuris & imperii populo in Regem eſſe tot ſe offerunt, imò ingerunt argumẽta vt omnia efferre operoſum, optima eligere difficile ſit. Habent enim ſingula propriam quandam ſuadelã quæ non omnibus æquè blanditur, non æquè omnibus apta eſt. Nam vt medicamenta quæ ad vſum hominum parantur, in corporibus aliter affectis, alios producunt effectus: ita quæ indiſſerendo aut deliberando rationes afferuntur, aliæ apud alios, pro ingeniorum varietate, ponderis & momenti plus habent; quo fit, vt quæ ſenſim ac leniter quorũdam aſſenſum petunt, eæ, quadam velut impreſſione facta, ipſam mentis aliorũ arcem ſtatim inuadant atq; occupẽt. Quapropter expoſitis ſuperiore capite argumentis, ſubiũgam adhuc alia, quod variis ingeniis, ſeruire in hoc opere & omnibus prodeſſe ſtudeam: ac lectori quidem eſſe malo cur immiſſa ſuperflua percurrat celeriter, quàm cur neceſſaria omiſſa & queratur & quærat.

Regem igitur à populi coertione tuetur non ſolùm gradus ille dignitatis, in quo poſitus eſt, qui cùm ſummus ſit, vt ante diximus, ſupra ſe alium habere, à quo iudicetur, nequit: Verùm etiam ius naturę, quod ab ipſis regnorum primordiis, ſumma gentium omnium conſenſione, obtinuit, ac iugi poſt obſeruatione cuſtoditum eſt, & retentum apud omnes nationes quæ Regibus paruerunt. Ius autem illud eſt, ne Reges vllam dictorum, factorumue, rationem reddere teneantur. Itaque Romani, poſtquam pernicioſa libertatis dulcedine capti, regnum in Democratiam conuerterunt, licet ſumma voluntatis conſpiratione legem de non admittendis iterum Regibus ſanxiſſent: tamen quoties vel repens hoſtium aduentus, vel maior ſolito externi belli apparatus, vel tumultus vrbani, & inteſtinæ coniurationes ingentem aliquam trepidationem afferebant, ad Monarchiam ſemper, tanquam ſpem ſalutis vnicam, &

ſum-

ſummum atque vltimum auxilium confugere [1]:& qui Regum odio regium aſpernabantur nomen ii dictatorem cum regia poteſtate atque imperio creabant:vt res eadem, appellatio diuerſa eſſet. Dictatoris enim imperium nomine tantum, & circumſcripto imperandi ſpacio, a regia gubernatione diſtabat, quippe qui omnibus primùm legum vinculis exſolutus eſſet, nec quicquam neceſſe haberet ad Senatum referre de iis,quæ domi foriſue agere cuperet,aut vlliis Patrum ſententiis aſtringeretur. Nullus prætereа ab eo ad populum prouocationi locus erat: ſed ſummum liberumque imperium arbitratu ſuo in omnes exercebat, adeò vt quemlibet, quantumuis nobilem & potentem,in carcerem coniicere & morte multare,indicta cauſa poſſet. Et quod noſtram maximè cauſam iuuat, nulla ab eo geſti magiſtratus ratio, ne finito quidem imperio, expoſcebatur: ob eamque cauſam Eutropius [2], haud perperam componit & æquat dictaturam cum poteſtate Imperatorum, qui poſt Cæſarem regnarunt. Ita enim ad Valentem Imperatorem. *Neque quicquam ſimilius poteſt dici quam dictatura antiqua huic imperii poteſtati, quam nunc tranquillitas veſtra habet.* Harum autem rerum Polybium, Liuium, Plutarchum, Dionyſium Halicarnaſſæum,alioſque authores habeo,*Creato* (inquit Liuius [3]) *Dictatore primum Romæ poſtquam præferri ſecures viderunt, magnus plebem metus inceſſit, vt intentiores eſſent ad dicto parendum. Neque enim vt in Conſulibus, qui pari poteſtate eſſent, alterius auxilium, neque prouocatio erat, neque vllum vſquam niſi in cura parendi auxilium* Et poſt paulò. *Ap. Claudius & natura immitis,& efferatus, hinc plebis odio, illinc patrum laudibus:non miſeriis, ait,ſed licentia tantum concitum turbarum,& laſciuire magis plebem quàm ſæuire:id adeò malũ ex prouocatione natum: quippe minas eſſe cõſulum, non imperium, vbi ad eos, qui vna peccauerint,prouocare liceat. Agedum, inquit, Dictatorem à quo prouocatio non eſt, creemus: iam hic quo nunc omnia ardent, conticeſcet furor;pulſet tum mihi lictorem, qui ſciet ius de tergo, vitaque ſua,penes vnum illum eſſe,cuius maieſtatem violauit.* Atq; idem rurſus libr.4. *Tum T. Quintius Conſules immeritò increpari ait: qui constricti legibus de prouocatione ad diſſoluendum imperium latis, nequaquam tantum virium in magiſtratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. Opus eſſe non forti ſolum viro,ſed etiam libero exolutoque legum vinculis. Itaque ſe dictatorem L. Quintium dicturum &c.* Polybius. [4] *Dictator eo diſ-*

1 Liu.lib.4. & 5.

2 lib.1.

3 lib.2.

4 lib.3.

eo differt à Conſule, quòd conſulem duodecim ſecures præcedunt: dictatorem verò quatuor & viginti. Præterea illos neceſſe eſt multa referre ad ſenatum: at huius eſt ſummum liberumque imperium, ſub quo mox cæteri magiſtratus ceſſant, exceptis tribunis. Plutarchus [1]. *Dictatorem nominatum aiunt, quod neque ex ſenatuſconſulto, neque ex plebiſcito, verùm ex ſua ſententia quæ ſibi placeant, imperet,* & in Fabio Max. Cum Romani poſt rem infœliciter geſtam ad Traſimenum ſummopere trepidarent, *Conueniunt* (inquit) *in vnam ſententiam, libero & ſoluto Reip. opus eſſe imperio, quod vocant Dictaturam.* Et in eiuſdē Fabii vita, Καὶ γὰρ εἶρξαι τῷ δικτάτωρι καὶ θανατῶσαι ἄνευ δίκης ἔξεστι, id eſt, dictatori quidem in carcerem condere, & morte multare indicta cauſa licet. Dionyſius Halicarnaſſeus [2]. *In hoc rerum ſtatu ſenatus diſpiciens quo pacto effici poſſet, ne quas amplius res nouas moliretur populus, decreuit, conſulari poteſtate in præſens ſublata, alium magiſtratum creare penes quē belli, paciſque, & omnium aliarum rerum plena poteſtas eſſet, & à quo conſiliorum factorumque rationes repoſcere non liceret.* Et, paucis interiectis ait, Dictaturam opinione omnium eſſe, μίαν βοήθειαν πάντων ἀνιάτων κακῶν καὶ τελευταίαν σωτηρίας ἐλπίδα ὅταν ἀποῤῥαγῶσιν ἅπασαι διὰ καιρούς τινας. Id eſt vnicum omnis inſanabilis mali remedium, & extremam ſalutis ſpem, vbi reliquæ omnes inclinationibus temporum auulſæ fuerint. Cæterùm quæ idem author de exēplo creandi Dictatoris à Græcis deſumpto longa digreſſione extra hiſtoricam narrationem ſcribit, certi nihil habent, nec ea ipſe pro certis affert: coniecturis tantùm ſuis ac opinione nititur. Nec mirum ſi hanc ſpeciem gubernationis Græcis acceptam referat, cùm & primam illam inſtitutæ à Romulo Reipublicæ formam à Græcis mutuatam tradat [3], quo tempore aut nullum aut valde exiguum cum Græcis ciuitatibus commercium fuiſſe Romanis veriſimile eſt, quaſi verò aut non gemina mentis ſenſa hominibus, cœlo ſolo, ſeculoque diſiūctis eſſe poſſint: aut quæ id regiminis Græcis perſuaſit, ea Romanis ſimile quid ſuggerere ratio non valeret: vtut eſt talia Græco homini facilè condonanda, qui ea ad patriæ ſuæ gloriam ex ſeipſo, hiſtoriam verò ex aliis fide dignis, nobis profert. Sed ad inſtitutum.

Reges in iudicium à populo trahi non poſſe oſtendit illa Dictatoris cum regia poteſtate creati libertas non ſingulos tantùm, ſed vniuerſos, populum inquam totum, ordine & authoritate legitima ſuperantis, idque in ea ciuita-

te,

1 in Marcell.

2 lib. 5.

3 lib. 2.

te, qua nulla aut animoſior, aut iniquæ dominationis im-
patientior, ſcelerumque vindex promptior vnquam exti-
tit. Cuius rei Liuius inter cætera, duo nobis illuſtria & me-
morabilia exempla ſuppeditat. Alterum A. Cornelii Coſſi
Dictatoris, quo M. Manlium delicias & corculum plebis
in vincula duci iubente, ſpectantem & indignantem mul-
titudinem ſola authoritas Dictatoria continuit. *Nullius,*
inquit [1], *Nec oculi nec aures indignitatem ferebant: ſed inuicta* Lib. 6.
ſibi quædam patientiſſima iuſti imperii ciuitas fecerat: nec aduer-
ſus dictatoriam vim, aut Tribuni plebis, aut ipſa plebs attollere o-
culos, aut hiſcere audebat. Alterũ verò L. Papyrii in Q. Fabiũ
magiſtrum equitum, quòd iniuſſu ſuo pugnaſſet, animad-
uertere volentis, in quo Dictatoris imperium totius exer-
citus, Senatus populique authoritate potius atque ſuperi-
us fuiſſe perſpicuè cernitur. *Stabat,* inquit, *cum Fabio ſenatus*
maieſtas, fauor populi, tribunitium auxilium, memoria abſentis
exercitus. Ex parte altera, hoc eſt cum Dictatore, *imperium in-*
uictum populi Romani, & diſciplina rei militaris, & dictatoris e-
dictum pro numine ſemper obſeruatum, &c. Aſt vbi Dictator
plenus iræ, & propoſiti tenax, perſtiturũ ſe in incœpto, nec
quicquam ex iuſta pœna remiſſurum, aut de maieſtate im-
perii Dictatoris diminuturũ ſignificaſſet: tribunos præter-
ea officii, ſenatum populumque ſalutis ſuæ cõmonuiſſet:
omnes velut impetu legitimæ poteſtatis fracti debilitatiq;
ſupplices ſtatim, & morigeri facti ſunt: ſequitur enim. *Stu-*
pentes tribunos, & ſuam iam vicem, magis anxios, quàm eius cui
auxilium ab ſe petebatur, liberauit onere conſenſus populi Rom. ad
preces & obteſtationem verſus, vt ſibi pœnam magiſtri equitum
dictator remitteret. Tribuni quoque inclinatam rem in preces ſub-
ſequuti, orare Dictatorem inſiſtunt, vt veniam errori humano,
veniam adoleſcentiæ Q. Fabii daret: ſatis enim pœnarum dediſſe.
Iam ipſe adoleſcens, iam pater M. Fabius contentionis obliti, pro-
cumbere ad genua, & iram deprecari Dictatoris. Tum Dictator ſi-
lentio facto, Benè habet inquit, Quirites, vicit diſciplina militaris:
vicit imperii maieſtas: quæ in diſcrimine fuerunt, an vlla poſt hanc
diem eſſent, non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra dictum Im-
peratoris pugnauit: ſed noxæ damnatus donatur populo Romano:
donatur tribunitiæ poteſtati, precarium non iuſtum auxilium fe-
renti. Quo facto dictator animos militum non parum à ſe
alienauit, tum quod implacabilem ſe Q. Fabio præbuiſſet,
tum etiam quia *quod ſuis precibus negaſſet, eius populo Romano*
veniam dediſſet. En vt aduerſus dictatoris imperiũ nihil ſe-

 natũ,

natui, nihil tribunis, nihil populo, nihil militibus, præter preces & obteſtationem iure ſuppetit. Alia ſunt apud eundem cõplura, quæ ſummæ huius & ſolutæ poteſtatis dictatoriæ in populum mentionẽ & fidẽ faciunt, vt mirum non ſit eam Regibus tribui, quorum imperium ſummum atq; ſanctiſſimum ſemper habitum eſt.

Sed & eam fuiſſe apud omnes gentes regalis faſtigii libertatem, ſecuritatemque, planè demonſtrat Cicero, Deiotarũ regem apud Cæſarem defenſurus: ita enim ab inſolentia & nouitate rei orditur. *Cùm in omnibus cauſis grauioribus (Cæſar) initio dicendi commoueri ſoleam vehementius, quam videtur vel vſus, vel ætas mea poſtulare: tum in hac cauſa ita me multa perturbant, vt, quantum mea fides ſtudii mihi afferat ad ſalutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primùm dico pro capite, fortuniſq; regis: quod ipſum etſi non iniquum eſt, in tuo duntaxat periculo: tamen eſt ita inuſitatum, Regem capitis reũ eſſe, vt ante hoc tempus non ſit auditũ.* Sed apud quem iſta Cicero? apud hominem fortaſſe in populorum ac nationum legibus moribuſq; peregrinũ? Imò verò apud Cæſarem in militaribus iuxta diſciplinis & exterarum gentium factis inſtitutiſque verſatum: quẽ propterea neque fallere in ea re & ludificari initio videtur voluiſſe, neq; ſi id maximè cupiiſſet, hominem variè periclitatum, inque negociis eiuſmodi exercitatiſſimum, in claram adeò fraudem apertamque inducere potuiſſet. Et verò ne quis Ciceronem hic, vt ſæpe alias cauſæ potius inſeruiſſe, quam veritatem aſſeruiſſe putet: en C. Memmii, viri popularis, & potentiæ nobilitatis infeſti, eandem de ea re ſententiam [1]: is enim in impunitam quorundam ſuperbiam, auaritiam, inſolentiam, eleganti oratione inuectus, tandem concludit: Niſi ſcelera illa quæſita fuerint, & vindicata in noxios, nihil fore reliquum, niſi vt illis, qui ea fecere, populus obediens viuat. & rationem addit. *Nam impune, quæ libet facere, id facere, id eſt Regem eſſe.* Quæ res Æmylium Probũ, ſeu Cornelium Nepotem, coætaneum ferè ſuperiorũ, impulit, vt reges Lacedæmonios nomine tantùm, non autẽ re ipſa, hoc eſt, imperio & poteſtate Reges fuiſſe dicat [2]: poſtquã nempe iis coercendis, multandiſque Ephori quæſiti fuerunt, adeo nemo non ſenſit ea tempeſtate, Regis id eſſe proprium, vt vnus omnibus imperet, nulla rerum à ſe geſtarum rationis reddendæ neceſſitate obſtrictus. Quæ ſententia tantum abeſt vt poſterioribus ſeculis immutaretur, vt eam non ſolùm ethnici, ſed pii etiam Eccleſiæ

1 Saluſt. de bel. Iugurt.

2 In vita Ageſi. & in breui annot. de Regib.

patres, catholicique per orbem diſperſi omnes, tanquam Chriſtianæ diſciplinæ & moribus maximè conſentaneam, firmiter retinuerint. Cuius rei teſtimonium illud eſt, quod Valentinianus, vir bonus & principatu dignus, vbi ab exercitu toto fauſtis acclamationibus Imperator eſſet renunciatus, inſigniaq; imperii accepiſſet: iiſdem militibus paulò pôſt magna vociferatione conclamantibus, vt alium quempiam imperii conſortem ſibi aſciſceret, in hunc modum reſpondit [1]. *Vt me ad imperandum vobis eligeretis, in veſtra ſitum erat poteſtate, ô milites: at verò poſtquam me iam elegiſtis, quod petitis in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tanquam ſubditis competit parere, mihi verò quæ facienda ſunt cogitare*, qua reſponſione audita, milites conticuêre, eam ſubditorum conditionem eſſe agnoſcentes, vt Principem ſuppliciter compellare, non etiam compellere atroganter poſſint.

Eſt & iſtius præterea rei non dubium argumentũ, quod D. Ambroſius de Valentino ſuperioris filio ſcribit [2], qui probi patris improbus ſucceſſor, pulſis Catholicis, Arrianos, (quorum hæreſi, matris Iuſtinæ ſuaſu [3], animum imbuerat) Eccleſiis præficere ſatagens, eundem Ambroſium exigere Mediolano anniſus eſt. *Conuenior* (inquit Ambroſius) *à comitibus & tribunis, vt baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure ſuo vti, eò quod in poteſtate eius eſſent omnia. Reſpondi, ſi à me peteret quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, ius huiuſmodi meum, me non refragaturum, quanquã quæ mea ſunt, eſſent pauperum. Verùm ea quæ diuina, imperatoria poteſtati non eſſe ſubiecta.* Et iterum in eadem epiſtola inferiùs paulò. *Mandatur denique, trade baſilicam. Reſpondeo, nec mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domũ priuati nullo potes iure temerare, domum Dei exiſtimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo, noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. ſcriptũ eſt, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari: ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ: publicorũ tibi munium ius cõmiſſum eſt, non ſacrorũ.* Et in oratione hanc præcedente, de eadẽ re ſic ait. *Si tributũ petit, non negamus: agri Eccleſiæ ſoluunt tributũ, ſi agros deſiderat Imperator, poteſtatẽ habet vindicandorũ, nemo noſtrũ interuenit, poteſt pauperibus collatio populi redñdare. Non faciant de agris inuidiã, tollãt eos ſi libitũ eſt: Imperatori nõ dono, ſed nõ nego.* O diuinũ antiſtitẽ verè Ambroſiũ, cuius ex dictis iſtis factiſque, tanquam

1 Hermius Sozomen. l. hiſt. Eccleſ. c. 6.

2 Lib. 5. epiſt. 31.

3 Rufin. Eccl. hiſtor. lib. 2. cap. 15. Theod. li. 5. ca. 13.

quam ſacro quodam penario, tam ſuauē capimus Ambroſiam, euangelicæ, inquam, doctrinę veritatem, qui cibus animæ eſt ad immortalitatem valens. Attende Lector, & intende animum. Docet te vir ſanctus, quæ Chriſtiani cuiuſque erga Deum, ergaque Principem partes ſint. Imperator tradi ſibi templum impiè poſtulat: Ambroſius negat ſe id facturum, quòd ea domus Dei eſſet, ſacerdoti commiſſa, non Regi: & ita quidem negat, vt ſe nec impietati Principis ceſſurum, nec maieſtatem læſurum, non obſcurè denunciet: ſpe certa victoriæ ſcilicet non telis, ſed tolerantia potiundæ. Itaque minitanti Calligono præfecto cubiculi ſe caput antiſtiti ſublaturum, ni properè Imperatori audiret, reſpondit: *Deus permittat tibi vt impleas quod minaris: ego enim patiar quod Epiſcopi, tu facies quod Spadones.* Ecce vt neque Dei cauſam prodit, cùm eam capitis ſui periculo fortiter tueatur: neque Principis maieſtatem lædit, cùm pœnas quantumuis acerbas ſufferre paratus ſit. Hoc vno igitur facto Deum colit & Principem: illum quidem, pro quo mortem oppetere paratus eſt, dum ei potius quàm hominibus ſeruire ſtudet: hunc verò quem etiam tyrannica iubentem obſeruat comiter, ac debitâ reuerentiâ proſequitur. Is malis Principibus mos eſt, vt cùm illicita imperant, pœnā annectant, quò ſubditi vel imperata faciant, vel parata ferant ſupplicia: ex quibus qui poſterius eligit, cùm non teſtet, rebellis dici non poteſt, tantùm non facit ea quæ iubet homo, ne faciat ea quæ vetat Deus: vt cùm crucietur ab homine, coronetur à Deo. Iſthæc igitur quiſquis agit, præclarum quid operatur, reſiſtit enim ſimul & paret, & victus de victore triumphum reportat. reſiſtit non faciendo, quæ Rex impius facta voluit, paret ſufferendo æquanimiter, quæ ſanctionibus edicti continentur. Præclarè beatus Auguſtinus [1]. *Quoties Imperatores in errore ſunt, leges ad tuendum errorem contra veritatem condunt, per quas iuſti examinantur, & coronantur. dum non faciunt ea, quæ legibus præcipiuntur, quia Deus ea fieri vetat.* Potuit Sanctus Ambroſius armis Eccleſiam tueri, & vim vi repellere: nec ideò armis abſtinuit, quòd armis eſſet inferior: ab eo namque populus ſtabat, ab eo pars maxima militum, ab eo (quod caput eſt) Chriſtus Ieſus, cæliteſq; omnes. *Ante lucem* (inquit) *vbi pedem limine extuli, circumfuſo milite occupatur baſilica: idque à militibus Imperatori mandatum dicitur, vt ſi prodire vellet, haberet copiam: ſe tamen præſtò futuros, ſi viderent eum cum Catho-*

Gallicè, ny frapper, ny fuir.

1 Epiſt. 166.

Catholicis conuenire, alioquin ſe ad eũ cœtum, quẽ Ambroſius cogeret trãſituros. Prodire de Arrianis nullus audebat, quia nec quiſquam de ciuibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gotthi, quibus vt olim plauſtrum ſedes erat, ita nunc plauſtrũ Eccleſia eſt. Quid multis? tantus vndique ad Ambroſium defendendum ciuium militumque concurſus fuit, vt aduerſarii pium hunc animorũ conſenſum, in tyrãnidis ſuſpicionem Ambroſio verterent. *Ego tyrannus appellor*, inquit, *& plus etiam quàm tyrannus. Nam cùm Imperatorẽ comites obſecrarent, vti prodiret ad Eccleſiam, idq́; petitu militum facere ſe dicerent, reſpondit: Si vobis iuſſerit Ambroſius, vinctum me tradetis.* Omitto quæ aliundè ſubſidia ſperare poterat, vel ex Aſia à Theodoſio conſorte imperii orthodoxo, vel ex Gallia à Maximo res nouas moliente, inque ſpem imperii erecto, ac iniuriæ Ambroſio illatæ vltrò ſe vindicem offerente [1]. Sed neminem omnium vir ſanctus ob Eccleſiæ tutelam in legitimum Principem concitare, atq; armare voluit; non quia non potuit, ſed quia non debuit. *Tradere baſilicam non poſſum* (inquit) *ſed pugnare non debeo*, & alibi [2]. *Paratum me eſſe; vt ſi ille faceret quod ſolet eſſe regiæ poteſtatis, ego ſubirem quod ſacerdotis eſſe conſueuit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam ius deſeram, coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere, aduerſus arma, milites Gotthos quoq;, lachrymæ mea arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt ſacerdotis: aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.* Quinimò faſſus eſt ingenuè, non eſſe officium ſacerdotis, vt ea de cauſa populum in Principem concitet. *Exigebatur à me*, inquit, *vt compeſcerem populum. Referebam in meo iure eſſe, vt non excitarem, in Dei manu vt mitigaret.* An nõ putes, ſanctum Dei confeſſorem intrepidè dicturum fuiſſe, ſi id ei licuiſſet, meritò tumultuatur populus: & arma Imperatori tyrannidem exercenti iure optimo infert. Amplius Imperator non eſt. Iam excidit principatu. Populo in eum ius atque poteſtas eſt. Aliaque id genus, quæ noſtra heu nimium infœlix ætas, magno religionis regnorumque diſpendio, intemperanter iactat.

1 Theod. hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 14.

2 In orat. [illegible] contra [illegible] lib. 5. epiſt.

Hæc autem eò à nobis hoc loco dicta ſunt, vt ora nonnullis occludamus, qui veterem eccleſiam malos principes ideo tolleraſſe ferunt, quòd nondum ſatis ad reſiſtendum potens eſſet: ob eamque cauſam è re eius fuiſſe, defectionibus & rebelliis tantiſper abſtinere, dum vires ad eam rem idoneas contraxiſſet: ne fortè cùm non valeret perficere

quod

quod pararat, grauiores inde perſecutiones orirentur. At verò, ſi liberè loqui liceat, affirmare equidem auſim, vnam Italiam, Galliámve, plures tunc bonos Catholicos aluiſſe, quàm vniuerſa nunc ferè Europa contineat. Sed hac de re inferius plura, inter noſtras aduerſariorum argumentorum ſolutiones [1]. Adhæc quoque Regem non niſi Dei iudicio ſubiectum eſſe, argumento eſt, quod licet idem Ambroſius Imperatori audenter reſponderit, nullius eum priuati domum temerare ſine iniuria poſſe, atque ita ſuum ei peccatum ſacerdotali libertate denunciarit, metu etiam numinis ob oculos propoſito, (*Si vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus* inquit) tamen de humano iudicio nihil: tantùm iniuſtè eum facere, (quod verum eſt) oſtendit: qui ſi ſubditos populo Principes, abſque eo in ordinem eſſe cogendos exiſtimaſſet, neque id quoque omiſſurum fuiſſe credibile eſt: Sed tantò vehementiùs intoniturum, quantò faciliùs cruciatuum corporis quam animæ formidine ſceleſti à maleficiis abſterrentur. At quoniam agnouit vir Dei quæ regiæ ſunt dignitatis, & ſupremæ poteſtatis in populum, Scripturis ſacris & gentium communi iure, ita fulta eſſe & firmata, vt inuerti ſine flagitio nequeant: ideò eius minuendę nullam penitus mentionē fecit. Quemadmodū nec vlli eius ſeculi Sanctorum Patrum, Catholicorúmve omnium, quorum ad nos monimenta peruenerūt, quantūvis tyrannide Principum vexati, oppreſſiq́;. Sed nec eam libertatē impunitatemq́; Regibus adhuc inuidebunt, aut noſtram de iis ſententiam reprehendent, qui ſedatè & conſideratè ſummi imperii conditionē animis intuebuntur. ſimulq́, parem licentiā magiſtratibus nonnullis, regio nec titulo nec dignitate inſignitis, conceſſam fuiſſe meminerint. Nam, vt omittam Dictatores, q ipſi proximè Regibus potētiæ magnitudine æquabantur, ac proinde à nullis coerceri poterant, nullis, ne populo quidem, rationem reddere tenebātur, vt eſt iam à nobis demonſtratum: Tribunos plebis etiam in ea cauſa fuiſſe, vt à nullo in ordinem cogi poſſent, memoriæ proditum eſt. Itaque Plinius [2]. *Conſulis an exiſtimem te in Tribunatu cauſas agere debere. Plurimum refert, quid eſſe tribunatum putes: inanem vmbram, & ſine honore nomen, an poteſtatē ſacroſanctam. & quam in ordinem cogi, vt à nullo, ita ne à ſe quidem deceat.* Sed & Coſmos præterea in Creta, Ephoros Lacedæmone, Phylactas apud Cumæos, apud Cnidios Amnemones,

[1] Lib. 4. c. 6.

[2] Lib. 1. epiſt. 22.

nes, aliosq; apud alias gentes omni metus ſolicitudine ob geſtum à ſe magiſtratum liberatos fuiſſe legimus [1]. Quod ergo Dictatoribus, Tribunis plebis, Coſmis, Ephoris, Phylactis, Amnemonibus, & aliis id genus magiſtratibus tributum fuiſſe conſtat, ne corripi ſcilicet à populo plective poſſent, id Regibus & Monarchis denegare, qui ſplendore imperii, & amplitudine maieſtatis, ac potentiæ magnitudine, tanto cæteris magiſtratibus quãto aſtris ſol reliquis, antecellunt: næ hominis eſſe videtur à recta rationis & naturæ norma planè aberrantis, & perturbationibus atq; affectibus animi vitioſis occæcati. Ac de rationum quidem exemplorũq; momentis, ſatis nunc nobis videtur huc vſq; ſermonem protraxiſſe, quibus alii alia, ſi volent, addunto. volentibus certè multa ſuppetunt, quæ nos aut immemoriâ, aut conſultò præteriuimus.

1 Ariſt. l. 2. Polit. cap. 7. & 8. Plut. in Hellenicis quæſtionibus.

Reges quantumuis malos populo ſuperiores, & Dei iudicio relinquendos eſſe probatur ex ſacris monumentis, ſcriptis Theologorum, & Iuriſprudentium: quorum omnium auxilio defecti ſunt aduerſarii. Legis regiæ per Samuelem promulgatæ declaratio. Iniuriam Deo facere populum, qui iudicium in Reges ſibi arrogat. Samuel vt regem peſſimum & doctrina & exemplo honorandum monſtrarit. Vt eum imitati ſint boni ſerui Regis. Laudabile ſubditorum officium, & execrabile aulicorum vitium depingitur.

CAP. VI.

TErtius nunc ſupereſt locus, qui in Scripturæ authoritate, & ſanctorum hominum, ſapientumque teſtimoniis conſiſtit. Sed is prius quàm à nobis tractetur, lectori prædictum volo, quod vir in primis eruditus & religioſus, ac Sacræ Theologię Doctor inſignis nõ ita pridem aduerſus Monarchomachos ſcripſit. [2] videlicet. *Præclarè nobiſcum agi, quod prouida ſua Deus benignitate cauerit ne quid ſacro ſuorum bibliorũ volumine, vnde ſtabilire poſſent Regũ hoſtes ſuum, ſiue populi regnũ, aduerſus tã ſublimes ſuos miniſtros, verbo vel exemplo conſignaretur*; & rurſus [3]. *Iſtius inauditi populorum in Reges iudicii, quod meditãtur aduerſarij, exemplum nullum in ſacris literis extare, ſed potius longè diuerſum nobis ibidem commendari.* Quo equidẽ viri pii teſtimonio, ſimul & æquitate cauſæ erectior animo ſum atque alacrior, qui cum aduerſariis congrediar. Sed quid dixi congrediar? exiguũ cum iis certa-

2 Niuianus Vinzetus Abbas, in velitatione aduerſus Buchan. p. 182.
3 Ibid. pag. 171.

certamen eſſe poteſt, qui nullis contecti armis, nullo muniti præſidio ſunt. Ita vt impetum incurſumq; armatorum ferre nequeant. Tales profectò hac ex parte ii ſunt, contra quos diſputamus: quãdoquidem ex tam multis Sacrarum literarum libris, à Deo ad ſalutem & ſocietatem hominũ nobis traditis, ne locum quidem vllum proferre poſſunt, vbi vel præcepto vel exemplo diſertè comprehenſum ſit, populo in Principem ius eſſe quo vel errantem delinquentemve in ordinem cogat, vel proterve & crudeliter imperantem, armis è regno exturbet, aut rei capitalis reum faciat atque damnet. Quod quamuis plerique ipſorum non ignorent, aliqui etiam fateantur [1], tamen ſuus illis error ita placet, vt cùm ei probando nullum certum ac ſolidum argumentum ſcriptura ſancta ſuppeditet, ſimul & ipſi vereantur, ne ſine eius authoritate reiiciatur ab hominibus & collabaſcat: quod ne veritas quidem (vt ille ait [2]) ſine veriſimilitudine fidem facere poſſit: fictas inde & fucatas rationes corraſerint, ex allegoriis neſcio quibus, & myſtica ſeu potius miſera interpretatione, reique propoſitæ aſſuerunt: ſed ita vt omnes eorum argumentationes materiæ aut formæ vitio laborent. Sancti autem Eccleſiæ patres, Iuriſque Ciuilis & Pontificii authores atque interpretes omnes, ſuum illis patrocinium denegarũt, qui iidem quàm enixè noſtram cauſam ſuſcipiant ac tueantur, ex iis quę ſequuntur mox pateſcet.

[1] Buchan. pa. 79.

[2] Author ad Herennium.

Atque, vt à Sacris literis ordiamur, illud primum occurrit, quod Deus Regem Hebræis daturus, ius regni ſiue Regis per prophetam iis prædixerit [3], quo nihil aliud continetur, niſi ſuprema hæc dominatio, & impunitas tributa Regibus; demiſſaque populi conditio, arbitria Regum acerbiora, cuiuſmodi ſunt quæ ibi Samuel denunciat, ſine coniuratione & rebellio tollerare debentis. Quæ enim illic in iure Regis numerantur, ea neque ad boni Regis officium pertinere, neque à malo Rege ſine iniuria fieri poſſe certum eſt. Nam vt ex S. Ambroſio antè retulimus, Rex nullius priuati domum ſine iniuria temerare poteſt, & tamen ad ius Regis eo loco reuocantur à Propheta, bonorũ direptiones, abductorum liberorum ſeruitus, cæteraque libertatis oppreſſio, quæcũque ſub malis Principibus poſſit contingere. Aut ergo delirat ſanctus Dei propheta deſipitque, aut hæc aliquã ſaltem ratione ius Regis dici poſsũt (nam non fuiſſe hæc ad terrorẽ ſolùm propoſita, ſuperiore

[3] 1. Reg. 8.

libro manifeſtè oſtendimus [1].) At non ea certè qua ius nobis habendi, retinendi, poſſidendi, altius tollendi, vtendi fruendi, aliudue quid agendi vulgo dicere conſueuimus: eò enim ſenſu ſi Samuelem intelligamus, non ius Regis, ſed iniuria potius nominanda eſt. Nec ideò etiã ius Regis dici poteſt, quòd ſatellitum multitudine ad complendam nequitiam ſtipato, reſiſtere priuati nequeãt: nam eo modo ſpoliare atque occidere homines, ius non ſolùm latronis, ſed cuiuſque etiam potentioris diceretur, quod quàm ineptum ſit & abſurdum, nemo non videt. Vna igitur ſupereſt ratio, qua iure Regis talia aſcribantur: nempe quod iſtiuſmodi facinora admittẽs, licet ſceleratè faciat, peccetq; in Deum vehementius, tamen in eo, ne ab hominibus iudicari, plectique poſſit, perinde cenſetur, ac ſi iure ſuo vſus eſſet: quippe Deus ſuo eum iudicio reſeruat, quod vtique naturali & ciuili rationi conſentaneum eſt, quæ vnumquemque à ſublimiori poteſtate iudicandum eſſe docet. Regali autem poteſtate cum celſior nulla inter homines reperiatur cuius iudicium ſubeat, vt eſt à nobis paulò antè demonſtratum [2], conſequens profectò eſt, eum animaduerſioni & cenſuræ diuinæ relinquendum eſſe, & velut ad ſuum iudicem remittendum, ne fori præſcriptione vtatur. idque his diuini edicti verbis cautum ſatis, atque expreſſum videtur [3]. *Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationũ: quoniã data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt fiet, &c.* deinde additur. *Ad vos ergò Reges ſunt hi ſermones mei.* Nempe vt intelligamus, Regibus tantùm & monarchis, ſiue Principib. qui alienam dominationem non agnoſcũt, id eſſe tributum, vt Dei ſolius iudicio reſeruentur: cæteri omnes humanum ſubeant, quia homines ſupra ſe habent. Itaque magiſtratuum, magnatum, & principum populi inferiorum, Rex ſeu Princeps ſummus, Regis verò Dominus ipſe opera interrogabit. Hic ſoli Deo, illi Deo & homini pœnas meritas debitaſque perſoluere tenentur. Et verò populus magnam Deo iniuriam facit, qui de Rege vicario ipſius, & ſummo ſecundum eum iudice inter homines conſtituto, iudicandi ſibi poteſtatem arrogat: non ſecus

1 Vide etiã Abbat. VVinzetum aduerſus Buchananum pag. 190.

2 cap. 4. 5.

3 Sapient. 6.

(vt exemplo res illuſtretur) ac ſi prouinciales, Præſidis ſui, quem rogatu ipſorum miſſum cum imperio à Rege acceperunt, furta, rapinas, homicidia, luxum, cæteráque flagitia, vi & manu vlciſcantur. Licet enim ob magiſtratum auarè, crudeliter, & libidinosè geſtum, grauiſſimas eum pœnas dare æquum ſit: tamen neque iſtos pœnas ſumere, neque eo modo æquum eſt. Quinimò quòd ita in pœnas iniuſſu Regis conſurrexerint, eius maieſtatem in perſona magiſtratus violaſſe iudicandi ſunt, iuſtàmque Regi cauſam præbuiſſe in eam prouinciam vel ciuitatem animaduertendi ſeuerius, tanquam & Regis & legis contemptricem: ſi talis præſertim Rex ſit, qui ſubditorum querelas libenter audire, & ſcelera in noxios exquiſitis ſuppliciis vindicare ſoleat. Verres cùm Siciliam prætor adminiſtraret, publica omnia, priuata, profana, ſacra violando, non ſingulos modò ciuium, ſed totas etiam familias, fana, ciuitates, diripuit, prædatus eſt, ſpoliauit: præturamque ſuam ita latrociniis, libidine, rapinis, atque omnium rerum cupiditate infeſtam cunctis & infamem reddidit, vt nihil ad acerbiſſimam tyrannidem deeſſe videretur: non in Siciliâ tamen ſed in Italia, non Syracuſis aut Meſſanę ſed Romæ, nō Siculis, ſed ſenatu iudicante, repetundarum poſtulatus eſt, & damnatus. Quod ſi ipſi prouinciales tantis calamitatibus afflicti, tot iniuriis affecti, tam variis vinculorum, verberum, atque omnis generis tormentorum doloribus cruciati, oppreſſique, in hunc ipſum prætorem coniuraſſent, ſuáque ſe vlti manu fuiſſent: non dubium profectò quin S. P. Q. R. violatam in ſuo magiſtratu populi Romani maieſtatem, contemptumque imperium, exiſtimaſſet, & in authores ſceleris vel iudicium decreuiſſet, vel bellum. Tanta namque ordinis iudicandi apud omnes nationes ratio ſemper habita eſt, vt alterius inuadere iuriſdictionem ſine iniuria nemo poſſe creditus ſit. Hoc enim naturæ lege ab ipſo humanæ ſocietatis ortu, hoc iure gentium, hoc ciuilibus ſingulorum populorum, atque vrbium inſtitutis moribúſque præceptum, & conſtanti ac perpetua obſeruatione, retentum eſſe conſtat. Imperium igitur & poteſtatem ſibi datam; cùm homines tam enixè tueantur & conſeruent, ne ab aliis occupetur; ſuam Deus iuriſdictionem negliget? & ſibi ſoli competentem ab hominibus vſurpari nō indignabitur?

Huic ſententiæ nō obſtat, quod de propulſanda iniuria, & vindicando ſe ſine iudice legib. continetur, vt infra patebit.

Sed ad Samuelem reuertamur: is legem regni, ſiue ius

Regis

Regis ex Dei mandato præſcribit: quod quia inhumana multa, ſæuaque complectitur, & quæ à Regibus citra tyrãnidem perpetrari non poſſe videntur, nonnullis ſuſpicandi occaſionem præbet, id totum ad tyrannos non Reges pertinere. Sed non ita eſt; Regis illic ius proponitur, non quo talia admittat (id enim tyrannicum eſſe non regium nemo dubitat) ſed quo in nullam commiſſi pœnam vocari rapique ab hominibus poſſit: vt planiùs atque vberius ſecundo libro eſt demonſtratum, quò nunc lectorem remitto. Talia igitur facere, iniuria tyranni eſt, factorum verò impunitate gaudere, vbi talia commiſerit, ius Regis eſt à Deo per prophetam populo Iudaico promulgatum. Nec diu quidem id regnum ſine huius iuris exemplo ſtetit: vix enim iam benè regnari cæptum erat, cùm populus iſtam regni legem, quam auribus antè hauſerat, experimento ſeruare didicit. Nam Saul poſteaquam Dominum dereliquit, multa facinoroſè, multa tyrannicè perpetrauit [1], imò, ſi aduerſariis credimus, in manifeſtum tyrannum degenerauit [2], at hunc tamen donec vixit, non ſolùm populus, quem falſæ opinionis aut deprauatæ affectionis error ſeducere nonnunquam ſolet, ſed ipſi celebres Dei prophetæ Samuel & Dauid, Regem agnouerunt, appellarunt, coluerunt, atque omnibus, quæ ſubditos decent, officiis, amore, beneuolentia, obſequio & obedientia complexi & proſequuti ſunt: populoque vt proſequeretur perſuaſere. Nam de Samuele quidem teſtimonium extat adeò clarum & illuſtre [3], vt eius fidem nulla contortæ interpretationis nebula inuoluere aut obſcurare poſſit. Miſſus enim à Domino ad Saulem, vt ſuum ei peccatum pœnamque denunciet cum legatione iam functus deceſſum pararet, rogat eum Saul, vt ſecum maneat, & reuertatur ad adorandum Deum. Negat id ſe facturum propheta, *quia proieciſti* (inquit) *ſermonem Domini, & proiecit te Dominus ne ſis Rex ſuper Iſrael.* Inſtat Saul, & pallio arrepto abeuntem conatur retrahere: tenuit tamen vir Dei, & ſciſſo pallio ab-

1 D. Cyprian. li. 3. epiſt. 11.

2 Boucher. lib. 1. c. 3. & li. 3. c. 18.

3 1. Reg. 15.

Scito lector, Saulem poſt hãc Domini ſententiam manſiſſe nihilominus verum, vnicum & legitimum Regem quandiu vixit, ſecundum conſentientem Catholicorum Patrum doctrinam, ita vt ſententia in ipſius ſtirpe, & liberis regno priuatis tantum completa ſit. Euſeb. de præpar. euang. lib. 10. cap vlt. D. Auguſt. in Pſal. 103. verſ. qui tegis. Ioſeph. lib. 6. Antiq. cap. penult. & vltim. Ioan. Bundet. titul. 9. articu. 11. VVinzetus aduerſus Buchanan. pag. 176. Neque enim inſolens eſt in ſacris literis, vt quid præſenti die fieri dicatur, quod multis poſt annis exiſtit, quia omnes Deo tempus præſens eſt.

abſcedit; hoc ſuperindicto. *Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Cui iterũ Saul. *Peccaui, ſed nũnc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.* Ad hanc vocem ſubſiſtit propheta, & iuſtâ petitione flectitur, regrediturque: ait namque ſcriptura. *Reuerſus ergo Samuel ſecutus eſt Saulem, & adorauit Saul Dominum.* Altiſſime Deus, quam benigna mundum regis prouidentia! quam ſuauiter Eccleſiam iam inde ab initio præceptis Sanctorũ inſtruis & exemplis! at hoc exemplum præter cætera inſigne nobis relictum eſt, quo vno ſacerdotis & ſubditi, priuati & prophetæ, ciuis & ſancti, deniq; populi Deo parentis & Principi, coniuncta officia depinguntur. Samuel enim Saulem à ſe increpitum acriter & reprehenſum, quodque deterius eſt, inuiſum Deo, Regem nihilominus agnoſcit, ſequitur & honorat. Quamobrem? num quia Rex peccati confeſſione veniam erat promeritus? minime quidem, nam & antea peccatum confeſſus eſt, ſed eam reprobi hominis confeſſionẽ flocci pependit Samuel; addiditq; Triumphatorem in Iſrael non parſurum Sauli, nec ſimulata illa pœnitudine flexum iri. Num ergo quia Regem timuit? qui Regem ſceleris arguit, qui impium eum atque reiectum à Domino declarat, qui abſciſsum ab eius familia regnum pronuntiat, is Regem timuit ſcilicet. Num quia Saul velle ſe Dominum adorare dixit? nihil minus: iam illã ante Samuel cauſam repulerat. At aliqua reuertendi fuit cauſa? Permagna quidem: ſi enim Samuel, quem Dei ſpiritu agitatum, ac miraculis etiam clarũ omnes cognouerant, Regem in conſpectu populi & ſeniorum Iſrael neglexiſſet, res exemplo perniciosa & ad omnes ſtatim peruentura, contemptionem regiæ maieſtatis in animis aliorum ingeneraſſet: indeque rebellium, coniurationem, inſidias, & noxia quæque maieſtatis violandæ, & abdicandi Regis irritamenta concitaſſet. reuerſus igitur Samuel ſecutus eſt Regem, vt eius exẽplo populus in officio contineretur, ne debitũ Regi obſequium & honorem quamuis malo ſubtraheret, néve dum zelo nõ ſatis circumſpecto Deum ſibi placare ſtudet, eundẽ in ſpreta Regis ſui perſona grauiter offenderet. Meminit quippe Samuel legis regni ſe præcone recens à Domino promulgatæ, quæ Regum ſiue vitia, ſiue iniurias, ſiue damna eſſe toleranda præcipit: Sint enim iſta licet mala à Regum negligentia & vitiis promanantia, tamẽ bona quæ

ſunt in

ſunt in regno, quæſita ſine iſtis malis non haberemus. vt olim de Tribunatu dixit Cicero. Hæc enim tantò leuius toleranda ſunt, quantò ſatius eſt vnius quàm plurium ferre tyrannidem. Propterea Regẽ Samuel quà vates reprehendit, quà eius & ſubditus reueretur & cum eodem tempore Regem eccleſiaſtica libertate corripit, ac ciuili ſuſpicit comitate, imperat ſimul & paret. Enitendum itaq; eſt nõ modò ſingulis, ſed etiam populo vniuerſo, ne vitia Regis cõmunicent, aut aliquid pietatẽ, verecundiã, honeſtatem, lædens eius vel ſuaſu vel iuſſu patrent, ſed ita tamẽ vt Regem interea obſeruent, ne dum peruerſis eius obſequi ſtudijs iuſtè detrectant, obſeruantiã tãtæ debitã maieſtati iniuſtè eũ fraudent: & vt paucis multa complectar, ſubditi egregio hoc Samuelis exemplo edocti, in ijs quorum periculoſa cogitatio, aſſenſus prauus, operatio turpis eſt, Regi obſequium ſine inſurrectione denegabunt: in alijs iuſſa capeſſent, & imperata ſedulo exequentur.

Atque hanc parendi rationem exemplo Samuelis ſecuti ſunt paulò pòſt ſatellites, & domeſtici ipſius Saulis: cùm enim Rex liuore & iracundia furens, Dei Sacerdotes neci deſtinaſſet, famulis circumſtantibus dixit [1] *Conuertimini & interficite ſacerdotes Domini, nam manus eorum cum Dauide eſt ſcientes quod fugiſſet, & non indicarunt mihi.* At illi tam funeſtum & lugubre mandatum ſuſcipere, aut exequi recuſarunt: ſequitur enim. *noluerunt autem ſerui Regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini.* Vnus tamen inuentus eſt Doeg Idumæus ſæuitiæ Regis, ſceleratus miniſter, qui cæde & ſanguine, ſacerdotum impias illicò manus polluit. Illi laudabile bonorum ſubditorum officium, hic nefariũ & execrabile perditorum aulicorũ vitium liquidò repræſentat: atque ille quidem aptè Doeg Idumæus appellatur, quia de rebus terrenis ſolicitus omnem de Deo, & rebus diuinis curam & cogitationẽ abiecit. quod & omnes ſolent, quibus id animi eſt, vt Principi potius terreno quàm cæleſti, Regi gentium temporali, quam Regi regum ſempiterno, homini mortali & caduco, quàm immortali hominum rerumque omnium opifici Deo Opt. Max. placeant pareantque. Sed de miſera talium virorum conditione, ſi Deus volet, dicetur à nobis alio loco vberius, cœptum hîc opus texendum eſt.

1 1. Reg. cap. 22.

Idê probatur ex doctrina & rebus geſtis Dauidis, ſimul & con-

ſuet à populi Hebræi in Reges ſceleratiſſimos obſeruantia, apud quem nullus omnino Regum ſine expreſſo Dei mandato impunè coercitus eſt aut interemptus. Refellitur error eorum qui putant Dauidem parcendo & parendo Sauli, non neceſſarii officii, ſed tantùm voluntariæ perfectionis exemplum præbuiſſe.

CAP. VII.

PRincipem legitimum, quantumuis ſæuiter & impiè regnantem, ferendum tantiſper, & Dei iudicio permittendum, vt Samuel doctrinâ & exemplis monſtrauit, ita & Dauid: tantoque manifeſtius, quanto ei diuturnius cum Rege peruerſo & deſperato negocium fuit. Cuius rei teſtimonium inprimis illud eſt, quod quàmuis ſciret interitum ſibi arte & marte parari à Saule: & ſacerdotes Dei ac prophetas octoginta quinque vel ſi Ioſepho [1]. credimus trecentos, vno die ſua cauſa trucidatos [2]. inque alios immerentes tam inhumaniter & barbarè ſæuitum eſſe, vt nec ætate confectis, nec morbo attritis, nec infantibus, nec mulieribus, imò nec brutis animantibus parcitum ſit, quo minus tota ciuitas Nobe ferro vaſtaretur, atque Regem tantæ cædis authorem, & acerbiora indies molientem, nullo negotio tollere de medio & populum eius tyrannide liberare poſſet: tamen vt alios in perfecto & neceſſario vitæ officio contineret ingenuè & ſerio prædicauit, haud ſibi fas eſſe Regem ſuum, quamuis ſceleſtum & crudelem, pro tantis calamitatibus & iniuriis acceptis vlciſci, quinimò ipſius perſonam tam ſanctam & inuiolabilem eſſe, vt lædi à nullo aut peti ſine grandi piaculo poſſit. Sed vt fidem faciat oratio, ſcripturam ipſam loquentem audiamus [3]. *Cùm reuerſus eſſet Saul poſtquam perſequutus eſt Philiſtæos, nuntiauerunt ei, dicentes. Ecce Dauid in deſerto eſt Engaddi. Aſſumens ergo Saul tria milia electorum virorum ex omni Iſrael perrexit ad inueſtigandum Dauid & viros eius, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruia ſunt: & venit ad caulas ouium, quæ ſe offerebant vianti, erátque ibi ſpelunca quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem: porrò Dauid & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant. Et dixerunt ſerui Dauid ad eum. Ecce dies de qua loquutus eſt Dominus ad te. Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul ſilen-*

1 li. 6. antiq. c. 14.
2 1. Reg. 22.
3 1. Reg. 24.

ſilenter. Poſthac percuſſit cor ſuum Dauid, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul. Dixitque ad viros ſuos, Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut deſcendens in prælium perierit: propitius mihi ſit Dominus, vt non mittam manum meam in Chriſtum Domini. Expendant velim iſta qui Principes ſuos priuatorum ordine quantum ad pœnas exigendas habent: qui regicidas laudibus & honore cumulant, qui pelli de ſolio, ſceptro ſpoliari, extrudi è regno, ſuppliciis denique & neci malos Reges dedi poſſe, & debere, imprudenter nimis & impudenter aſſerunt. Saulem nequiſſimum Regem eum poſſet Dauid occidere & etiam iure poſſet, propter ſingularem Dei permiſſum promiſſumque, tamen vt aliis perfectam diuinæ legis doctrinam traderet, profitetur ſe propter conſcientiam non audere, *Propitius ſit mihi Dominus* (inquit) *ne faciam hanc rem domino meo Chriſto Domini.* Ecce dominum eum vocat & Regem, tunc quum ſubiicere eum ſibi, vitáque ſimul & regno ſpoliare poſſet. Egredientem namque Saulem de ſpelunca ſecutus eſt clamitans à tergo, *Domine mi: Rex & reſpexit Saul poſt ſe: & inclinans ſe Dauid pronus in terram, adorauit, dixitque ad Saul. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te: Dominus in manu mea in ſpelunca: & cogitaui vt occiderem te ſed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim non extendam manum meam in dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt.* En vt humiliter Regem conſceleratum honorat, vt Dominum appellat, vt ſuppliciter & cũ honore alloquitur, & eum quidem Regem cui tam horrẽda ſacerdotum & innocentium cæde, aliiſque tyrannicis factis commaculato, non ſolùm non aſſurgere, ſi nouis iſtis theoſophis auſcultemus, ſed planè inſurgere, ſed conuitia ingerere, ſed omnibus viribus obſiſtere, ſed lucis vſuram eripere, ſiue palam & vi aperta; ſiue machinatione & inſidiis, tenebatur [1]. Cui conſequens profectò eſt, Dauidem, vt hominem pietatis negligentem & Reipublicæ hoſtem, certè neceſſarii officii deſertorem, Sauli tunc temporis peperciſſe, quo eum ſolum ſecretò tutóque extinguere potuiſſet: Atque ita contribules ſuos eo Rege tyranno liberare, à quo grauibus iniuriis afflicti, & per omnes contumelias & pœnas calcati preſſique tenebantur [2]. At nondum tales extiterant dogmatiſtæ, qui

[1] Brut. q. 3. pag. 210. & 212.

[2] D. Cyprian. lib. 3. epiſt. 12.

qui perfecti huius officii rationem diligentius perſcutarẽtur, & eius Dauidem admonerent, ſcilicet. At illum certè Deus cæleſti ſapientia ad iuſtitiam erudiuit; hos verò quis aliter inſtituerit ipſi viderint: quod ad me attinet, illius equidem æmulari exopto in Regem malum obſeruãtiam, quàm horum ſupetbam inſolẽtiam, illius circumſpectum in Rempublicã affectum, quàm horum incõſideratã à Regibus defectionẽ. Me ſiquidem vt iſtuc velim monet & mouet B. Ambroſius [1]. dum ait. *Quam honeſtum quod Dauid cùm potuiſſet Regi inimico nocere, maluit parcere. Quàm etiam vtile, quia ſucceſſori hoc profuit, vt diſcerent omnes fidem Regi proprio ſeruare, nec vſurpare imperium ſed vereri.* vnum igitur ab omnibus huius ſectæ hominibus ſciſcitari velim: num ſibi maius in ſuum Regem ius arrogent, quàm ꝙ tunc Dauid ſubditos in Saulẽ habere teſtatus eſt, cum ait *quis extendet manum ſuam in Chriſtũ Domini, & innocens erit?* vt ꝙ ille ſine peccato committi non poſſe dicebat, hi ſine vlla ſceleris conſcientia, & publicè omnes, & priuatim ſinguli, perpetrare ſe poſſe arbitrentur: hoc ſi habent, oſtendant velim, & me quò velint ducant: ſum enim ita animo affectus atq; egregius ille Theologus, cuius laudati aduerſus hæreticos libri circumferuntur, ex quorũ vno ad verbum hæc ſunt. [2] *Si veritatem gladio Princeps perſequatur, eodem gladio populum veritatem defendere oportet.* (propoſitio hæc eſt hæretici, cum quo conflictatur & certat, cui grauiter & eruditè prçter alia reſpondet) *Libenter cuperem iſtud expreſſo Dei mandato, ſine quo alias crebro docetis nihil in religione tentandum, à te oſtendi. Videor enim mihi animali ſaltem ſpiritu concitato aliquid tale probari poſſe, ſummopere velle. Sed occurrit mihi ſtatim illa Domini ſententia: ſufficit diſcipulo vt ſit ſicut Magiſter eius.*[3] *ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Multa ſunt eiuſmodi, quæ vt cum Chriſto propter iuſtitiam patiamur, vt illius crucem ferendo tollamus, vtque poſtremò Euangelicam gratiam, Chriſtique virtutes liberius confeſſione ad mortem vſque cõſtanter annunciemus: ſed vt pro Chriſto gladium aduerſus Magiſtratum cum Petro tollamus, non lego. Creuit hactenus, atque conſeruata ſemper eſt Eccleſia innocuo ſanguine patientium, nunquam vero gladiis hominum, maxime ἀκεφάλων legitimo Principe & authoritate deſtitutorum, aut perſequentiũ aut defendentium.* Eandem & alii ſancti Patres ſententiam mordicus tenuerunt, nec qui iis reluctaretur ante hanc noſtrorum tẽporum perturbationem, & calamitoſas in Religione & Repu-

[1] lib. 3. offic. cap. 9.

[2] Nin. VVinzetus in flagel. Sectariorum. pag. 79.

[3] Matth. 10.

Republica diſſenſiones, inuentus eſt ferè quiſquam, exceptis duobus peſtilentiſſimis hæreticis Ioanne VVicleff, & Ioanne Hus quos frequens illa ad Conſtantiam ſynodus vnanimi Patrum cõſenſu damnauit. [1]. Quocirca pręſidii nobis ad reſtandum ſat eſſe in his beatorum hominũ ſententiis remur: imò cunctis aduerſariorum telis vel vnã hanc parmam obtendere ſufficit. Regalem nempe prophetam commonere, vim Regi quamuis ſcelerato ſine ſcelere afferri non poſſe. Si enim verum eſt quæcunque in Bibliis ſcripta ſunt, ad noſtram ſalutem ſcripta eſſe fieri non poteſt, vt præſcriptam à Prophetis viuendi normam ſectando, à veritatis tramite aberremus. vel itaque Dauidem accuſent, vel nos excuſent neceſſe eſt. Nam vt non omnia Sanctorum facta, nobis ad imitationem propoſita eſſe in ſacris literis, nemo ſanus negauerit, ita vel omnem eorum de moribus doctrinam ſalutarem eſſe, vel Scripturam ſanctam fallacem planè & luſoriam fateamur oportet. Hoc igitur argumentum qua reſponſione diſſoluant, equidem non video, nec ipſaſmet ſcire arbitror. Nam quod ferunt qui ingenioſiores ad comminiſcendũ inter eos habētur [2]. *perfectionis hic exemplum non neceſſarii officii eſſe intelligendum*. id licet in Dauide quidem locum habeat, cui Deus facultatem vlciſcendi inimicum tribuit, in alio quouis tamē falſum eſſe, cùm hic locus tùm alius eiuſdem libri perſpicue demonſtrat. Percuſſit enim illicò Dauidem cor ſuum, eo quod vindictam in Regem attentaſſet. Id eſt cor Dauidis tactum conſcientia voluntatis eum pupugit, vt interpretatur Lyranus, cuius ipſa adſcribam verba. *Percuſſit cor ſuum Dauid &c. id eſt conſcientia ſua eum reprehendit, & ſic Dauid eſt accuſatiui caſus: quia hoc fecerat irreuerentiam ipſi Saul: quia honorandus erat, quandiu in regno tolerabatur à Deo. Propter quod dicunt Hebræi, quòd Dauid circa mortem fuit punitus in ſimili, ſcilicet in veſtibus, quibus opertus non caleſiebat, vt plenius videbitur in tertio libro.* Deinde in explicatione cap. 31. libr. 3. Reg. hæc rurſus apponit. *Cumque operiretur veſtibus, &c. Alia etiam cauſa additur, quia ex viſione Angeli tenentis gladium euaginatum ſupra modum territus fuit. Aliam etiam cauſam aſſignat Rab. Salomon dicens quòd hoc fuit in pœnam peccati, quo abſcidit oram veſtis Saul. vt habetur ſupra. 1. lib. cap. 24. Quod enim in hoc peccauerit videtur, quia ibidem ſubditur, Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid, eò quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul. Quandiu enim Saul in regno*

1 Seſſ. 8. & 15. Concil. Conſtantien.

2 Boucher. l. 3. cap. 18.

gno tolerabatur à Deo, Dauid debebat eum reuereri. Et quia in hoc irreuerenter ſe habuit ad ipſum, fuit punitus pœna correſpondente, ſcilicet vt veſtibus non caleſieret in ſenectute, ſecundum illud Sapient. 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Hæc itaque Hebræi & Chriſtiani & Moſaici, quibus Dauidem officii neceſſitate, & grauioris peccati metu, à Rege cędendo abſterritum fuiſſe volunt: Idipſum etiam ex eo deprehendi poteſt, quod hinc animi conſcientiâ, illinc ardore vindicationis commotus, auxilium ſupplex, ac gratiam à Domino petiit, per quam tali molimine abſtineret. ***Propitius ſit mihi Dominus*** (inquit) ***ne faciam hanc rem domino meo Chriſto Domini.*** & addit rationem & cauſam, cur nolit in eum mittere manum ſuam, ***quia Chriſtus Domini eſt.*** quo ſermone ſatis oſtendit ſe vlturum fuiſſe Saulem, ni honos dignitáſque regalis obſtitiſſet, quam violare ſine ſcelere nemo poteſt, cui conſequens eſt, non perfectionis tantùm, ſed neceſſarii officii exemplum hoc eſſe. Neceſſarii officii exemplum dico, non actum: quia cùm Dauid poteſtatem faciendi quicquid vellet Sauli à Deo ſibi datam habuiſſet, quod acceptum in poteſtatem inimicum ſaluum dimiſerit, quem potuit ſine metu numinis interficere, id non debiti obſequii ſed pietatis & perfectionis opus fuiſſe certum eſt: vt præclarè docet ſanctus Auguſtinus [1]. At idem tamen factum, aliis qui parem poteſtatem nominatim non acceperunt, neceſſarii officii, & debitæ ſubiectionis ac reuerentiæ exemplum præbet. quod ergo Regi inimico pepercit Dauid ſoli pietati & dilectioni tribuendum eſt: potuit enim iure non parcere cùm ei quod vellet faciendi facultatem accepiſſet: quod verò alius quiſpiam idipſum fecit, neceſſitati officii, quia non parcere ſine iniuriâ non potuit. Quod autem Brutus [2]. rationis loco adfert Dauidem ſcilicet pepercиſſe Sauli quod non eſſet ex optimatibus populi, annon id tale eſt, quod deridendum potius quàm diluendum exiſtimem; quid enim? vir pace belloque potens Regis gener, regno deſtinatus, quem omnis Iſrael & Iuda vnicè diligebat, qui ante eos ingrediebatur, & egrediebatur [3]. is non erat ex optimatibus. Sic eiuſdem Regis armiger moribundum dominum ſuum & plagam vltimam precibus depoſcentem ne viuus hoſtium potiretur ob tantæ maieſtatis reuerentiam ferro tangere non eſt auſus [4]. Ac de Dauide quidem Optatus Afer in hunc modum [5]. ***Innumerabiles anti-***

Conſcientiæ ſcrupulus facit hominem ſæpe permiſſis abſtinere.

1 In lib. contra Adimantum. cap. 17.

2 pag. 112.

3 1. Reg. 18.

4 Ioſeph. lib. 6. antiq. ca. vlt.

5 lib. 2. aduerſ. Parmenianum.

uentiquum Regem ſequebantur exercitus: ſed ipſe Rex in poteſtatem venerat alienam. Occaſionem victoriæ Dauid habebat in manibus: incautum & ſecurum aduerſarium ſine labore poterat iugulare, & ſine ſanguine & conflictu multorum poterat bellum mutare in cædem. Et pueri eius, & occaſio ſuadebant. Ad victoriam opportunitas hortabatur. Stringere iam cœperat ferrum: iam cœperat armata manus hoſtiles in iugulos. Sed obſtabat plena diuinorum memoria mandatorum: hortantibus ſe pueris & occaſionibus contradicit, tanquam & hoc diceret: ſine cauſa me victoria prouocas: fruſtra me victoria in triumphos inuitas. Volebã hoſtem vincere: ſed prius eſt diuina præcepta ſeruare. Nõ, inquit, mittam manum in vnctum Domini. Repreſſit cum gladio manum: & dum timuit oleum, ſeruauit inimicum. Et cùm compleret obſeruantiam vindicauit occiſum. & Beda [1]. *Duas maximè ob cauſas Dauid manum ab occidendo Saul, quamuis ſe inimiciſſimè perſequentem, continuiſſe declaratur: quia videlicet eum & dominum ſuum, & regali meminit Chriſmate perunctum. Vbi primo regnum vel vnguentum, quod & ipſum dominici, ſemper videlicet inuiolabilis, regni ac ſpiritalis vnguenti nouerat prætendere figuram, digno veneratur honore. Deinde etiam nos moralibus inſtituit diſciplinis, ne præpoſitos nobis, eos maximè qui ſacris ordinibus inſigniti ſunt, quamuis nos iniuſte perſequentes, verbi auſterioris enſe fœdare, & vel vltima ſuperfiuæ actionis eorum quaſi fimbriam vituperando decerpere præſumamus.* Quod ſi cui forte necdum iſta faciunt ſatis, is Dauidem ipſum audiat planiùs alibi & plenius quod ſentiat eloquentem [2]. Cũ enim in caſtra Saulis vno Abiſai comite clàm ingreſſus Regem dormientem offendiſſet, & excubitores, militeſq; cæteros omnes altiſſimo ſomno conſopitos ad caput Saulis acceſſit conſtititque quo haſta terræ infixa erat, ibi tum Abiſai peruerſi Regis odio flagrans & tempus opportunum ratus, quò eius vnius cæde Dauid magnis difficultatibus & periculis defungeretur, his Dauidem verbis alloquitur. *Concluſit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra ſemel, & ſecundo opus non erit. Et dixit Dauid ad Abiſai. Ne interficias eum: quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit? Nunc igitur tolle haſtam quæ eſt ad caput eius, & ſcyphum aquæ, & abeamus.* Quid? opuſne perfectionis hìc tantùm ac non etiam neceſſarium viri boni officium prædicatur? Dauid cæleſti ſpiritu afflatus, vetat cædere Regem peruerſum, & tyrannica multa cõmittentẽ, hac ratione quod tale quid nemo facere

1 lib. 4. expoſit. in Samuel.

2 1. Reg. 26.

facere ſine noxa & peccato poſſit: (is enim Dauidicæ interrogationis ſenſus eſt manifeſtus) Non igitur ob id ſolùm prohibuit, quòd à perfecti viri officio abeſſet: nam inter non eſſe perfectum & peccare permultum intereſt. Neque enim ſi puella, quæ ſuam Deo virginitatem conſecrarit, perfecta eſt: ea quæ in Chriſto nupta liberis dat operam, idcirco peccabit. Nec ſi patrimonium totum pauperibus elargiri, perfectionis opus eſt, id ipſum retinere, ad ſuum, coniugis, & liberorum vſum culpa cenſebitur. breuiter, vnuſquiſque legis præcepto tenetur non peccare, perfectus verò eſſe non tenetur [1]. illud præcepti & neceſſitatis, hoc conſilii & voluntatis finibus concluditur. Dicere itaque perfectionis tantùm non autem neceſſarii officii exemplum, imò præceptum hinc ſumi, eſt Dauidem mendacii arguere, ac perinde Scripturam interpretari, ac ſi diceres, album, id eſt, nigrum. Sed audiamus quid præterea Dauid: ſequitur, *Tulit igitur Dauid haſtam & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quiſquam qui videret & intelligeret, & euigilaret, ſed omnes dormiebant, quia ſopor Domini irruerat ſuper eos. Cumque tranſiſſet Dauid ex aduerſo & ſtetiſſet in vertice montis de longè, & eſſet grande interuallum inter eos, clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens. Nonne reſpondebis Abner? Et reſpondens Abner ait. Quis es tu qui clamas & inquietas Regem? Et ait Dauid ad Abner. Nunquid non vir tu es? & quis alius ſimilis tui in Iſrael? quare ergo non cuſtodiſti dominum tuum Regem? ingreſſus eſt enim vnus de turba, vt interficeret Regem dominum tuum. Non eſt bonum hoc quod feciſti: viuit Dominus quoniam filii mortis eſtis vos, qui non cuſtodiſtis dominum veſtrum Chriſtum Domini: nunc ergo vide vbi ſit haſta Regis, & vbi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput eius. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit. Nunquid vox hæc tua, fili mi Dauid? Et ait Dauid, vox mea domine mi Rex, &c.* Benedictus Deus qui iſtæc nobis teſtimonia omni exceptione maiora reliquit. Audiant μισοβασιλεῖς, audiant Dauidem increpantem Abner principem militiæ Saulis, & milites reliquos qui circa Regem armati excubabant, ac iurantem [2] ſupplicio omnes extremo dignos eſſe, quòd Regem tam indiligenter cuſtodiſſent. Hæc eſt antiqua illa Dauidis Theologia, quæ recentium iſtam inſanientem theoſophiã corrigit, & condemnat: quippe cùm alius doceat [3]. Saulẽ fuiſſe tyrannum manifeſtiſſimum, alius tyrannos omnes occidi à ſingulis quibus facultas ſuppetit non ſolùm poſſe,

ſed

1 S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 2.

2 Viuit Dominus, in veteri teſtamento iuramentum eſt. D. Hieron. in ca. 4. Hierẽ. Can. & iurabunt. 22. q. 1.

3 Boucher. lib. 3. cap. 18.

ſed debere [1]. Alius non cuilibet de populo id permitti, ſed ſingulis Optimatum, & vnicuique præfecto vrbi vel prouinciæ [2]. (neque enim inter ſe conueniunt) Ex iis neceſſariò efficitur Saulem fuiſſe cædendum, ac proinde nullius patrocinio defendendum. At melior his magiſter Dauid, docuit vel negligentes cuſtodes peccaſſe, quo turpius & ſceleratius impetentium crimen appareat. Si enim negligenter cuſtodire malum Regem aut non defendere peccatum eſt, quàm nefarium quæſo, & indignum facinus cenſetur inuadere? Aut ſi inuaſiſſe, vitio & culpæ non detur, qui poterit, non defendiſſe, in crimen vocari? Quæ cùm ita ſint, deſinant porrò velim aduerſarii humilitatis & perfectionis tantùm non etiam neceſſarii officii exemplum in hac modeſtiâ & pietate Dauidicâ collocare. Nam nec conſiſtere ea ſententia cum Dauidis doctrina, nec cum factis congruere poteſt, itaque aliam maturè cauſam prætexant, aliud quærant perfugium. Nam iſtud illis Dauid ipſe alio adhuc inſigni & memorabili documento penitus intercluſit. Accepto enim de obitu Saulis nuntio, mortuum inprimis flebiliter lamentatus eſt, & belliſſimo epicedio decorauit: atque quod caput eſt, Amalecitam tantæ cladis nuncium, qui ſe mortem Regi ſuo ipſius rogatu, acceleraſſe dixerat, increpuit primùm his verbis. *Quare non timuiſti mittere manum tuam, vt occideres Chriſtum Domini?* Deinde ſupplicio eum vltimo dignum iudicans, quòd vel volenti manus Regi violentas intulerat, necari eum protinus iuſſit; eiuſque ſententiæ tam acerbæ in eum ferendæ cauſam ſe iuſtam habere declarauit. *Sanguis tuus (inquit) ſuper caput tuum: os enim tuum lotutum eſt aduerſum te, dicens: ego interfeci Chriſtum Domini.* Hoccine voluntarium perfectionis opus, an iuſtitiæ neceſſarium? Si verum eſt Saulem iure cædi potuiſſe, & Dauidem ſolius modeſtiæ & humanitatis ſeu perfectionis exemplum dediſſe, quid commeruit, quæſo, aut peccauit Amalecita? qui quamuis ab illa perfectione deflexit, fecit tamen quod ei per leges licitum fuit (ſi rationis iſtorum firma ſunt fundamenta.) Nunquid ſi perfectus aliquis & plenè ſapiens, legis beneficio ob rationem aliquã probabilem vti nolit: ego, qui permiſſum id quicquid eſt amplector, ſcelus morte piandum feciſſe propterea dicat? aut nunquid Dauid humanitatem & clementiam, qua vnicè commendatur, in immanitatem & inclementiã tam ſubitò conuertit? Profectò ſi iuſta Dauidis ſententia, iniu-

ſtum

[1] Buchan. pag. 56. & pag. 97.

[2] Brut. quæſt. 3. pag. 207. & quinque ſeq.

Non eſt audiẽdus perire volẽs. l. non tantum. 6. D. de appellat. & qui occidit hominem volentẽ, iniuriã facit tam occiſo, quàm Deo & Reip. D. Tho. 3.q.47.ar.6.ad.3.

ſtum Amalecitæ factum: aut ſi Amalecita permiſſum legibus opus exegit, illicitum Dauid commiſit homicidium, vtriuſque factum tueri nemo poteſt. Sed ſuum illud Dauidi factum nemo hactenus vitio vertit: cùm tamen nunquam vir ille ſanctus grauioris peccati ſordibus, quale fuiſſet iſtud, ſeſe inquinarit, quin ſtatim criminis commonefactus, peccatum pænitudine abluerit. At non licuit Amalecitæ dices. Idipſum & ego aſſero (nec enim ſi id ei licuiſſet, facinus vtique illud morte luiſſet Dauide iudice) Atque inde neceſſaria conſecutione effici demonſtro, neque ipſum Dauidem, neque alium quempiam moliri periculum aut necem Sauli ſine maieſtatis crimine potuiſſe niſi Dei iuſſu vel permiſſu id illi nominatim conceſſum tributumque fuiſſet, eoque omnia pertinere, quæ vel doctrina, vel factis in hac re monuit Dauid, vt intelligamus Regē quamuis improbum, neque principatu & faſtigio regali excidere, neque debita ſibi ſubiectione obedientiaque priuari: talia quippe vt non bonitas, ſed inſtitutio ritè facta, hominibus tribuit, ita nec malitia eripere vel adimere poteſt, (vt ſcribit Ioan. Bunderus aduerſus hæreticos [1]) ac proinde Regi honores, bono iuxtà ac malo, quà Rex eſt habendos eſſe: nec priuato cuiquam, ac ne populo quidem vniuerſo, iuris quicquam in eum eſſe, quo vel errantem cogat in ordinem, vel tyrannicè imperantem exigat regno dignitate ſpoliet, pœniſque ſubiiciat priuatorum. Vnde Abbas VVinzetus [2] hanc ipſam ſcripturæ partem tractans, *Audis* (inquit) *veram Dei veri Prophetæ, Theologiam. Regem videlicet quantumuis impium ipſius Dei iudicio & caſtigationi relinquendum eſſe.* & paulò poſt. [3]. *Minus etenim maliū prauiderat ipſe pacis author regno futurum, ſi Rex immoderatius aliquando impunè ſe erga populum gereret, quàm ſi populus iudex & vltor regiæ iniquitatis, pro ſua libidine exiſteret.* Iam verò cùm Hebræorum regnum optimè fuiſſe inſtitutum vel ipſi fateantur aduerſarii: illud præterea hîc adiiciam, nullam in eo reperiri huius quod prætendunt iuris populi in Regem mentionem, nullumue exemplum quinimò licet multi in ea gente Reges impiiſſimi extiterint, populus tamen toleranter omnes paſſus eſt, nec vlli ſuperbius reſtitiſſe, vel manus iniecisse, vllumue ſolio pepuliſſe, ſine manifeſto Dei iuſſu, legitur. Nam in coniuratione facta aduerſus Amaſiam (de cuius ſolius cæde dubitari poteſt, Deo præcipiente facta fuerit necne) veriſimile eſt Dei mādatum

1 in ſuo cōpend. concertationis tit. 9. art. 11. & tit. 11. art. 7.

2 in velitatione aduerſ. Buchan. pa. 180.

3 Ibi. pag. 190.

datum interueniſſe, idque ex eo rectiſſimè colligitur, quod Propheta ad eum miſſus, *Scio*, inquit, *quod cogitauerit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper non acquieuiſti conſilio meo* [1]. Aliorum vero Regum mortem iniuſſu Dei per inſurrectionem iis oblatam, graui coniuratorum ſupplicio ſemper fuiſſe expiatam conſtat.

1 2. Paral. 25. VVinzet. pag. 180. & pag. 276.

Progreſſio ad euangelica legis teſtimonia. Vnum Chriſti maximum explicatur: quo docemur vim imperii; nec virtute, nec vitio regnantis metiendam. Deo ſimul & Regi obediendū. Diſcreta in vtrumq; officia nec concurſu impediri. Magnatibus in Regem quàm minimis non liberiorem iure poteſtatem. Omnes ad rebellionem aditus iure diuino populis obſtructi & quare.

CAPVT VIII.

SED ne ſola veteris teſtamenti authoritate niti videamur, en nouæ legis, & ſub ea Patrum teſtimonia: quæ præceptis & exemplis iſtæc nobis omnia planiùs confirmant. Ac in primis ſaluator ipſe, cùm Tiberii hominis obſcœna fœdaque libidine, cædibus etiam & periurio turpificati [2], authoritatem approbarit (*Reddite* inquiens, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*) manifeſtò nos docuit, Principum omnium dominatum, non vita regnātium, ſed dignitatis & officii ſublimitate metiendum eſſe, & non ideò populum debere malorum Regum detrectare imperia, aut obedientiæ iugum excutere, quòd impia [3] eorum flagitia deteſtetur. Nec vllam ei ϑεοσέβειαν obſtare, quo minus peruerſis Principibus obſequatur, & pareat in iis, quæ pro tantæ maieſtatis imperio ſubditis iure regni imperari poſſunt. Hæc enim quia Cæſaris ſunt, id eſt, Principis legitimè conſtituti, Cæſari reddi debent. Cætera verò quæ ad Dei cultum & pietatem ſpectant, ita ſunt Deo ſanctè & inuiolatè ſeruanda, vt præ iis cuncta Regum iuſſa, leuia prorſum, ac temnenda iudicentur. Vtrumque igitur ſubditi præſtare debent (poſſunt enim proculdubiò) id eſt quæ Dei ſunt Deo reddere, & Principi quæ ſunt Principis: neque enim vllus horum officiorum tam aduerſus contrariuſque concurſus eſt, vt ſimul perfici abſoluique à viro bono & Dei amante nequeant. Nam vt argentum, agros, ædificia, & pretioſæ quicquid eſt ſupellectilis omittam: in quibus, vel iure imperatis, vel in-

2 Suet. in Tiber. cap. 44. Corn. Tacit. Annal. 6. Dio. li. 58. Eutrop. lib. 7. de Tiberio.

3 Matth. 22.

iuria ſublatis, vnuſquiſque Deo ſimul & Regi parere & pla-
cere poteſt, dum vel cōfert vel ſuffert. Ad illud venio, quod
fluctuati quàmplurimos, errare haud paucos facit. Si Re-
gis iuſſum expreſſo Dei mandato in fide vel moribus ad-
uerſatur; quid hîc ſubditis faciendum? nonne Regi forti-
ter reſiſtere tenentur; ſummi Regis præcepta violare cona-
1 Act.5. ti? cùm obedire oporteat Deo magis quam hominibus [1]
& ſatis vtrique facere, in tam aperta voluntatum contra-
dictione, non difficile modò, ſed impoſſibile multis eſſe
videatur. Iis ego: poſſe quidem, ac debere etiam, in hoc
negotii genere virum bonum ita ſe gerere vt plenam at-
que perfectam Deo & Regi obedientiam exhibeat. Re-
gem namque ſolùm in fortunas & corpora ſubiectorum
dominari, quibus ſi vtitur, virtutis præmio, ſi abutitur, pœ-
na delicti afficiendus eſt ab eo Rege, qui Regum omnium
2 Sap.6. opera interrogabit [2]. Cor autem & credentis animum
Dominus ſibi ſoli reſeruauit, ſoloque eo contentus eſt, ſi
aliud offerenti nihil ſuppetit: ſicut ſcriptum eſt. *Si volun-
tas prompta eſt; ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecun-*
3 2.ad Cor.8. *dum id quod non habet* [3]. & alibi. *prabe fili mi cor tuum mi-*
4 Prouer.23. *hi* [4]. Quapropter ſi me Rex facere iubeat, quod citra di-
uinæ legis tranſgreſſionem fieri nequit: haud equidem fa-
ciam, neque enim opus hoc eſt eiuſmodi, quod officio ſub-
diti erga Regem contineatur, cùm in omni ſacramento fi-
delitatis, hæc ipſo iure inſit exceptio, *extra quam ſi Dei præ-
ceptis obuiatur.* At ſi pœnam in non parentes tam iniquæ
iuſſioni apponat, exigatque crudeliùs; perferre iniuriam,
& bonorum iacturam, atque adeò omnem corporis cruci-
atum ſine rebellio aut coniuratione tolerare debeo, vt hac
rerum caducarum & mortalium veluti permutatione, inæ-
ſtimabilis immortaliſq; gloriæ fœlicitatē commercer, qua
ratione Deo, Regíque ſatisfacio: illi quidē, quòd eius man-
data fortunis, fama, corpore, cariora habeo: huic verò,
5 Pet. & Cyn. in l. petens. C. de pact. vid. Iaſon. ad l. cum propoſitas. num. 7. cod.
quòd ei pœnam & quaſi redemptionis pretium perſoluo:
argumento eius quod dici ſolet, *Satisfactionem pœna æqui-
parari obſeruantia contractus* [5]. Atque hoc nimirum illud eſt,
quod Origenes [6], *non hîc de illis poteſtatibus dicit quæ perſecu-
tionem inferunt fidei*, inquit, *ibi enim dicendum eſt, Deo oportet*
6 li.9. in epiſt. ad Rom. in ca. 13. ad illa verba, qui reſiſtit poteſtati &c.
*obtemperare magis, quàm hominibus: ſed de iſtis communibus di-
cit, quæ non ſunt timori boni operis ſed mali.* Vbi ergo malus
Princeps fidei perſecutionem infert, non eſt ei in fidei ab-
negatione parendum, imò audacter in confeſſione reſiſtē-
dum,

dum, nec huic bono operi quantumuis ſæuus ſit, timori eſſe poteſt: vt infra cap.10.explicabitur. At vbi communia & humana imperat, cùm propter conſcientiam, tum etiam propter iram, ne minas mors ſequatur, obtemperandum eſt. Sed in hypotheſi res erit illuſtrior: Idolis thus & odores incendere Ethnicus me Rex iubet, aut mortem exequi. Pari comminatione Princeps hæreticus inſanos ſuos errores amplecti: aut Catholicus periurium, adulterium, vel aliud nefandum aliquod ſcelus admittere. Si pœnam ſubire atque ita alteram diſiunctionis partem implere paratus ſum, quis Regi me reſiſtere dicet? imò quis non parere fatebitur? ne malum faciam, mortẽ ſubeo: hoc licet Rex minus vult quàm illud, vult tamen, & huic ego voluntati obſequor, cùm eum ſanguinis ſitientem iniqui ſupplicii luitione exſatio. Iuris authores, quando illud aut illud debetur, electionem reo tribuunt, vtrum præſtare velit [1]: eaque diſiunctionis natura eſt, vt ei per alterutrius partis expletionem cumulatè ſatisfiat [2]. Sed verius tamen eſt In ſpecie propoſita, non deberi illud aut illud, ſed vnum tantùm, dolorũ nempe, & iniqui ſupplicii patientiam, altero extra omnem obligationem conſtituto, cùm præſtari non poſſe videatur quod pietatem lædit [3]: & impoſſibilium, naturâ, iure, vel facto, nulla ſit obligatio [4]. Et huic quidem ſententiæ locum eſſe in priuatis, ſinguliſque de populo, quilibet, vt arbitror, concedet, niſi tam impensè malitioſus ſit, vt Reges ſingulorum telis exponat, Buchananum ſequutus hoc vno vel feras immanitate ſuperantem, qua in re tamẽ ipſimet eius ſequaces, Brutus [5], Bucheriúſque [6], ab eo diſſentiunt.

1 l.3.ſ. Scæuola. D. de eo quod cert. l. ſi ita. 63. l. ſi quis ita. 129. D. de ver. obl.

2 c.4. de reſcript. c. in alternatiuis de reg. iur. in 6.

3 Filius. D. de cond. inſt.

4 l. impoſſibiliũ D. de reg. iur. c. nemo poteſt, de reg. iur. in 6.

5 Quæſt. 3. pag. 210.

6 lib. 3. ca. 16.

Sed quid de populo vniuerſo, aut inſigni eius aliqua parte velut magnatibus, aut magiſtratibus, qui prouincias oppidáve moderantur; hinc pari iure cenſeri debent, in honore & obedientiâ malis Regibus exhibenda? Negant certè Brutus & Boucherius, atque iſtos omnes non tantùm ab hac obſeruantiæ & officii neceſſitate abſoluunt, excluduntque: ſed etiam Rege malo repugnare, & eius conatus vi comprimere, ac quanta poſſunt animorum armorúmque contentione & impetu hoſtilem in modum vitam & imperium ei auferre, ipſorum cuilibet liberum, & laudabile eſſe prædicant. Sed errant largiter, & vel ex hac Saluatoris reſponſione, errorem faxo deprehendant ſuum, agnoſcántque: ni veritatem velare quàm videre malint. Res

eſt certè expedita, ſi à quibus Chriſtus conſultus eſt ſolerter perpendamus; nempe à Principibus ſacerdotum, Scribis, & Phariſæis [1], qui populum vniuerſum repræſentabant. Miſerunt enim ad eum *quoſdam ex Phariſæis & Herodianis dicentes. Magiſter licet cenſum dare Cæſari an non?* Scribæ igitur ſunt & Phariſæi, ad quos Ieſus ſermonem dirigit. At hi quinam? Ioſephus nobis dicet [2]. *Erat enim* (inquit) *quædam Iudæorum ſecta exactiorem patriæ legis cognitionem ſibi vindicans, quibus tanquam Deo, vt videri volebant, caris, addictum erat hoc mulierum ſodalitium. Hi Phariſæi vocantur, genus hominum aſtutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infeſtum, vt eos etiam apertè impugnare non vereatur: nam cum tota gens Iudæorum fidem ſuam iureiurando obligaſſet Regi & Cæſari, hi ſolùm non iurauerunt, excedentes ſex milium numerum: quibus hoc nomine à Rege multatis Pherora vxor pro iis multam perſoluit.* Hi ergo ſummates erant Iudæorum, & quidem præcipui: qui quamuis Chriſto vafrè hac interrogatione inſidiabantur, tamen re vera Cæſaris etiam dominatum peroſi erant, à quo nouis & iniquis vectigalibus premebantur. Itaque Tacitus [3] *per id tempus* (inquit) *Antiocho Comagenorum, Philopatre Cilicum Regibus defunctis, turbabantur nationes, pleriſque Romanum, aliis regium imperium cupientibus. Et prouinciæ Syria atque Iudæa, feſſæ oneribus, diminutionem tributi orabant.* qua de cauſa ſi Bruto credimus [4] à Rege malo deficere, & pœnas expetere, & renitentem vi coercere, ſi aliàs non poterant, ex officio tenebantur: ſed profectò non credimus. Magis enim verbo Dei & veritati ipſi loquenti credimus Chriſto Ieſu: qui huius vnius præcepti obligatione vniuerſos conſtrinxit, vt reddat Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & iniqui tributi exactionem patiantur: ac proinde ſibi nihil in eum licere putent, quod aliis de populo non permittitur. Hoc enim illi conſequens eſt, ſi rem attentius perpendamus: quo reſponſo, ſi flexibiles ad bonitatem fuiſſent Phariſæi; inſolentem ſuam elationem compeſcuiſſent, eorum tamen impræſentiarum calliditatem eluſit Dominus, & ſapiens, vt rebantur, inſidiandi cōſilium penitus infatuauit. ſequitur enim: Et audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt. Putabant Phariſæi cùm diſcipulos mitterent, neceſſum fore Saluatori, vel negare tributum Cæſari ſoluendum eſſe, vel Moſaicæ legis libertatem minuere: quorum altero Herodiani eum vt manifeſtū ſeditionis authorem tenerent; altero populus vt aſſentatorem

[1] Matt. 21. & 22. Marc. 11. & 12. Luc. 20.

[2] li. 17. antiq. c. 3.

[3] li. 2. annal.

[4] Quæſt. 3. pag. 815.

rem Principum, & legis diuinæ patriæque violatorem aſpernaretur. At ille vno verbo, nihil temporalem ſubiectionem ſpirituali, vel hanc illi impedimento eſſe docuit, quo minus in eadem perſona conſiſtant & conſeruentur; ſuos vtrique terminos eſſe ſine vlla confuſione diſtinctos, nihil earum iuri, vel mores dominatoris, vel ordines & gradus ſubditorum adiicere, vel adimere poſſe. Nam & ipſe hic inter Tiberium & Phariſæos iudicabat. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo.* quam ſummi Iudicis ſententiam ſi Boucherius & eius ſynagoniſtæ tunc vſurpaſſent, cùm ei contrariam inſipidè protulerunt, arma ſcilicet capienda, & tela pro tributis Regi ſuo naturali & legitimo inferenda cui multis iam annis paruerant [1], Stetiſſet nimirum Gallia ſuis nixa columnis, quæ nunc concuſſa vndique & oppreſſa calamitatibus Eccleſiaſticorũ, nobilitatis, plebis, acerbum nobis & lamentabile ſpectaculum præbet: cuius miſeriam cum recolo mihi præ dolore lacrymæ praſiliunt. Stetiſſet & nobilis illa Franciæ Hieroſolyma incolumis, quæ multis nunc ruinis eſt deformata. Sed hæc luctuoſa nimis, & funeſta tragicis relinquo. Redeo ad ſententiæ propoſitæ apodexim. Vir malus fuit Tiberius: optimates verò Iudæorum Phariſæi ſanctitatis præterea & prudentiæ opinione vſque adeò ſpectati, vt ſuis monitis populum in quoſcunque animi habitus transformarent [2]. At hos tamen, Cæſaris dominatum agnoſcere atque adeo ei obtemperare, ac quæ Principi deberentur præſtare nulla morum regnantis, aut æquitatis mandatorum adhibita diſtinctione iuſſit Chriſtus. Quòd ſi Principi vectigalia vel tributa iniqua imperāti, primates vel magiſtratus reſiſtere poſſunt, imò ex officio debent & tenentur, vt Brutina fert opinio: an non Dominus id poteſtati Phariſæorum indulſiſſet? An non aliquo, vel leui indicio huius reluctandi libertatis, ſi non Phariſæis, ſaltem futuris populis Chriſtianis conſuluiſſet? An ignorabat Caligulas ſubinde & Nerones mox ſucceſſuros? An multos in Chriſtianis gentibus Principes ſæuiter & protérve regnaturos? Quid ergo eſt, quod hoc vno dógmate in æternum duraturo, cunctos ſine diſtinctione comprehendit, ſi non par omnibus debeátur obedientia, in iis quæ ad ius imperii ſiue regni ſpectant? Laudantur hoc nomine veteres Chriſtiani, quòd in vtroque officii genere ita temperatè ſe geſſerint, vt propter Deum Opt. dominis peſſimis id eſt Re-

1 Statim poſt Guiſiorum fratrum necem.

Scripſit hæc author in medio belli ciuilis tumultu.

2 Ioſeph. lib. 3. Antiq. c. 23. & 24.

gibus tyrannis, inſeruierint, & cùm poſſent eos armis aggredi, noluerint. Hinc Tertullianus ad Scapulam. *Sic & circa maieſtatem Imperatoris infamamur* (inquit) *tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani.* & D. Auguſtinus [1]. *Iulianus extitit infidelis Imperator* (inquit) *Nonne extitit apoſtata, iniquus, idololatra? Milites Chriſtiani ſeruierunt Imperatori infideli. vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deũ. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant dominum æternum à domino temporali, & tamen ſubditi erant propter dominum æternũ etiam domino temporali.* En Chriſtianos milites, acies integras, Regi iniquo, apoſtatæ, idololatræ, & quid non impietatis ſpiranti, in iis quæ humani imperii erant parentes, nõ propter vltionis humanæ metum, quam facilè ſpernere & propulſare poterant, ſed propter Dominum, vel, vt ait Apoſtolus, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Quid de Thebana legione dicam à Mauricio decimata? ſi glorioſum militibus ad memoriæ immortalitatem, pro fide, proque ſalute dimicare, cur ſe paſſi ſunt decimari? nimirum quia Principi ſuo arma inferre noluerũt: ideò martyrii paſſione maluerunt ſe videri hominibus inglorios, quam ingratos Deo.

1 in Pſal. 124. ad verb. quoniam non derelinquis. & refertur. 11. q. 3. can. Imperator 98.

Addo non plenam & perfectam fuiſſe hanc Domini reſponſionem, ſi aliter intelligatur. Nam Iudæi ſuâ interrogatione, non de Tiberii ſolùm perſona, ſed generatim de quolibet Imperatore, manifeſtò quærebant. *Liceat cenſum dare Cæſari an non?* Quibus Brutus & Boucherius ſi fuiſſent conſulti, haud cunctanter reſpondiſſent. Veſtrum eſt ex facti circumſtantiis id proſpicere. Si vir bonus eſt Cæſar, & iuſta exigit, pendite quæ petuntur. Sin malus, & noua atque iniuſta tributa & vectigalia imperat: reclamate, recuſate, reſiſtite, armis occurrite: alioquin peccabitis grauiter in Deum & Rempublicam, officium iſtoc veſtrum deſerentes [2], & ita profectò fuiſſet reſpondendum, ſi in obediendi ratione talis Principum differentia cum Bruto conſtituatur. At melior magiſter Chriſtus, ne vllam conſtituamus admonuit, cùm idem de omnibus indefinitè, vt aiunt, & indiſcriminatim reſpondit. *Reddenda Cæſari quæ ſunt Cæſaris.* Nam nec de Tiberio ſolùm quæſiere Phariſæi, vt dictũ eſt, ſed vniuersè de Cæſare. Nec Domini reſponſo ad perfectã

2 Hæc Bruti doctrina eſt quæſt. 3. pag. 215. & Boucher. paſſim lib. 1. & 3.

quæ-

quæſtionis ſolutionem aliquid defuiſſe, niſi impius & impuratus exiſtimare poteſt. Sed ecce, cæpit Ieſus facere & docere [1], quod enim hîc docuit, antè iam fecerat: vt credẽtes non ſolum formaret verbo, ſed etiam firmaret exemplo. Nam cùm de cenſu ſoluendo ageretur, & publicani Petrũ adeuntes clam interrogaſſent. *Magiſter veſter non ſoluit didrachma* [2]? Primum oſtendit ſe vectigalium vel cenſus immunem eſſe, quia filius Regis erat, tam ſecundum carnem quàm ſecundum ſpiritum [3]: Deinde Petro edixit, vt tributum pro vtroque tamen ſoluat, eiúſque rei cauſa, cùm æs ſignatum nullum præ inopiâ ad manum haberet, ſtaterem inſigni miraculo præſentauit. Si igitur Chriſtus cùm & animâ & corpore liber eſſet, communi hominum legi ſubiſci voluit, & tributum pendere, ne ſcandalizaret alios quanto magis nos, (qui, licet per animæ regenerationem filii Dei facti ſumus [4], & eatenus libertate donati, corporis tamen adhuc ſeruitutem patimur, & eius redemptionem expectamus [5].) Principibus vectigalia etiam grauiora & iniqua imponentibus obtempetare debemus? & ſi ille ſummi Regis filius tributum iniquum [6] exoluit, ne ſcandalizaret paucu-los exactores: qua fronte nos denegando tributum, nõ publicanos modò, ſed Regem ipſum & quotquot ab eo ſtant ſcandalizare, atque in vltionem ſpretæ maieſtatis odia armáque ciuilia concire, regnum & Rempublicã ferro, flammáque vaſtare, omnia denique diuina & humana turbare, miſcere, confundere audemus? Næ præpoſterũ hoc nimis eſt, & perniciosũm Bruti conſilium, quod funeſtas defectionis & rebellii faces, ſimulata officii ſpecie contectas ſubminiſtrat. Ecquis enim optimatum à Rege deſciſcens, non iſto ſtatim fucato neceſſarii officii integumento ſuam nequitiã facilè inuoluet? ecqua ciuitas vel pernicioſę libertatis cupida, vel in nobilis alicuius factioſi & potentis fidem & amicitiam inclinata, non ſimilem ad rebellandũ anſam ſeu verè, ſeu fictè arripiet? talis ille fuit procerum quorundam aduerſus Ludouicum XI. coniurationis color, cui nomen, bellum boni publici, indiderât [7]: quòd Regis & regni reformandi, ac populi inprimis nouorum vectigaliũ onere leuandi cauſa, cùm ei malo aliter mederi non poſſent, ſuſcepiſſe ſe dictitabant: cùm tamen in ipſorum animis, aut nulla prorſus, aut certè poſtrema eſſet de Reip. commodis ſolicitudo. Nam omnes ferè vel ad priuatas iniurias vlciſcendas, vel ambitioſam dominandi libidinem explendam

1 Act. 1.
2 Matth. 17.
3 Hiero. ibi.
4 Ioan. 1.
5 ad Rom. cap. 7. & 8.
6 Iniquum reſpectu Saluatoris, qui ad id non tenebatur.
7 Philip. Comineus de geſtis Ludou. XI. cap. 2.

1 Gaguinus lib. 10. cap. 7.

in id bellum incubuiſſe conſtat. De quibus ſcriptum eſt [1]. *Condixerant autem ii qui arma aduerſus Ludouicum parabant, ſe ideo conuenturos, vt populum vectigalibus preſſum, & penè ſeruum in libertatem vindicarent. Adeò ſolers eſt malè errantium cautio, vt iuſtitiæ velamen ſuæ iniquitati prætendant.* Huic geminus eâdem ferè tempeſtate ciuilium armorum prætextus fuit. Nobilibus quibuſdam Scotiæ, in Iacobum III. quamuis re verâ odium ex aliis cauſis conceptũ id illis diſſidiũ pepererat, quas cauſas illuſtris Baro a Gartly Patrici' Barclaius, auus meus (qui tũ in fide Regis conſtanter manſit) parenti meo, mihiq; parens optimus, cùm annum ferè octogeſimũ attingeret, ſæpè & copioſè narrare ſolitus eſt. Quid multis? Regũ hoſtes, ſubditi, inquã, hoſtili in Regem animo, vbi certum deficiendi conſilium occeperint, nunquam non bellulam iuuandæ Reip. ſpeciem proponũt, populóq; imponunt. Quapropter vt filio puerulo, ne ipſe ſibi noceat, pater circumſpectus cultro quouis interdicit: ita Deus cui omnia omnium hominum perſpecta ſunt ingenia, cùm procliuem ad res nouas multitudinem, à debita legitimo Principi obedientia in iniuſtum factioſorum hominum obſequium, ſpe & ſpecie largioris boni frequenter abductum iri cerneret, ſi aliquà illi ad rebellionem aditus legis diuinæ præcepto permiſſúve daretur vias ei omnes interclufit, multis parendi monitis, præceptis, exemplis, iam inde ab ortu mundi ad communem populorum vtilitatem propoſitis: nulla prorſus obnitendi rebellandíq; vel leui addita notatione. Sed hac præter cæteras omnipotentis verbi definitione populi omnes arctiſſimè conſtringũtur. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo.* Id enim quî fiet, ſi officia Regi cæleſti, Regíque terreno debita non ita diſtinguantur vt vtraque ſimul perſolui poſſint, vtque debiti alterutrius præſtatione, nulla ab alterius obligationis nexu contingat liberatio? At concurſu moleſtiam aliquando & difficultatem afferunt, dices. Quid tum? Cauſæ difficultatis recedunt ab impedimento naturali, & ad incommodum promiſſoris, non ad impedimentum ſtipulatoris pertinent [2]. Quæ cùm ita ſint, cùm, inquam, horum mandatorum, de Deo & Rege adorando obſeruandóque, neutrum alteri obſtet, (vt oſtendimus) perſpicuum planè eſt explendum vtrumque [3], ne Deum, quem puritate interioris cultus placare nitimur, in exteriore Regis deſpicientia & contemptione offendamus. Seuera eſt, ſed

2 l. continuus 137 §. illud D. de verb. oblig.

3 l. 3. §. ſi cum omnes. D. de Sc. Silan.

vera ſententia [1]. Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno: factus eſt omnium reus. Quod ſi quis fortè dicat. Ergóne populus tyrannicæ crudelitati & furori iugulum ſemper præbebit? ergóne multitudo ciuitates ſuas fame, ferro, & flamma vaſtari, ſéque, coniuges, ac liberos, fortunæ ludibrio & tyrãni libidini exponi, inq; omnia vitæ pericula, omnéſque miſerias & moleſtias a Rege deduci patientur? num illis, quod omni animantium generi eſt à natura tributum, denegari debet? vt ſcilicet vim vi repellant, ſeſéque ab iniuria tueantur? Huic breuiter reſponſum ſit: populo vniuerſo neque defenſionem, quæ iuris naturalis eſt, adimi, neque vltionem, quæ præter naturam eſt, aduerſus Regem concedi debere. Quapropter ſi Rex non in ſingulares tantùm perſonas aliquot priuatum odium exerceat, ſed corpus etiam Reip. cuius ipſe caput eſt, id eſt, totum populum vel inſignem aliquam eius partem, immani & intoleranda ſæuitiã ſeu tyrãnide diuexet: populo quidem hoc caſu reſiſtendi ac tuendi ſe ab iniuria poteſtas cõpetit: ſed tuendi ſe tantùm, non etiam in Principem inuadendi: & reſiſtendi iniuriæ illatæ, non recedendi à debita reuerentia propter acceptam iniuriam: præſentem deniq; impetum propulſandi, non vim præteritam vlciſcendi ius habet. Horum enim alterum à naturâ eſt, vt vitam ſcilicet corpúſque tueamur: alterum verò contra naturam, vt inferior de ſuperiore ſupplicium ſumat, quòd itaque populus malum, antequam factum ſit, impedire poteſt ne fiat: id, poſtquam factum eſt, in Regem authorem ſceleris vindicare non poteſt: populus igitur hoc amplius quàm priuatus quiſquam habet: quòd huic, vel ipſis aduerſariis iudicibus excepto Buchanano, nullum niſi in patientia remedium ſupereſt: cùm ille ſi intolerabilis tyrannis eſt (modicam enim ferre omnino debet) reſiſtere cum reuerentia poſſit. Atque hoc nimirum illud eſt quod Dionyſius Carthuſianus [2], *Cum tota communitas*, inquit, *ſub vno Principe viuens ſit quaſi vnum corpus, ideo ciuitates eiuſdem principatus debent mutuò eſſe confœderata in bono, atq; ſuccurrere mutuò, ſicut in corpore naturali humano vnum membrum ſubuenit alteri. Idcirco ſi Princeps aut eius officiarii ſeu nobiles exercent tyrannidem nimiam, vrbes abuſui poteſtatis deberẽt reſiſtere, iura ſua defendere, atq; oppreſſis aut opprimendis ſuccurrere. Nec tamen ob hoc deberent ſe à Principe ſuo omnino auertere, nec contra eum inordinatè procedere.* Adhibẽda eſt igitur aduerſus omnes Principes,

[1] Iacob. 2.

Vide ca. 4. lib. 4. infra.

[2] lib. de regim. Politiæ. art. 19.

Digitized by Google

ſtris, vnde illis iſta interpretatio? locúſne in libris ſacris reperiatur, qui eos in illam cogat? num ita exponant, ne aliis in ſpeciem contradicentibus aduerſetur? num quòd hæc alibi addita ſit exceptio? Si vnum ex tot millibus locum proferre poſſint, quicum hic collatus eam neceſſario reſtrictionem admittat: non viciſſe ſolum eos, ſed triumphaſſe dicam neque ipſum impensè improbum & audacem, qui ad iſtud eos certamen prouocarim. Quod ſi non poterunt, cur talem Apoſtolo intellectum affingunt? cur eius ſententiam coarctant? cur generali legis definitione ſpeciem tantùm includi volunt? hoc certè non eſt exponere ſententias Scripturæ, ſed expungere. Scitum enim eſt & tritum. *Vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*. ni quid exceptum alibi reperiatur [1]. Sed pro Deus immortalis, hæc ſi detur interpretandi libertas, quo ſcripturæ loco deprauando abſtinebitur? quem non quiſque ad ſuum ſenſum velut Lesbiam regulā detorquebit? Deus dixit. *Honora patrem tuum, & matrem tuam* [2], & *qui maledixerit patri aut matri morte moriatur* [3]. An non licebit & hic, eodem ſpiritu ſuggerente, malos parentes ab hoc præcepto per interpretationem excludere? Patrem igitur ſi ebrioſus, ſi luxurioſus, ſi patrimonium ſuâ nequitia abliguriat & diſperdat, ſi durus in me ſit & crudelis, laceſſam opprobriis, inceſſam maledictis nec accedenti aſſurgam, nec quę patris ſunt imperanti obſecundabo? Abſit qua parēs eſt diligam & venerabor, ne legis maledictionem incurram [4] *Parentes ſuos non amare impietas eſt non agnoſcere inſania* [5], vitia parentis odiſſe par eſt, perſonam cùm obſerues. Attamen ſi eiuſmodi Scripturarum expoſitioni locus eſt, quis non videt peruerſis liberis magis quàm ſubditis, in hac interpretatione & exceptione perfugium latere: quod Reges nuſquā legamus deſpiciendos: licet de parentibus odio habendis alibi moneamur [6]. Sed odium illud amor eſt, & tale quo ſeipſum quiſque bonus odiſſe debet, [7] quid multis? nullus eſt Scripturæ locus tam perſpicuus & exploratus, quin eiuſmodi calumnioſâ interpretatione peruerti poſſit. Ad negotium igitur redeo, vt oſtendam Diui Petri ſententiam, non ſolū de bonis Regibus eſſe intelligendam, ſed de quibuslibet vniuersè tam bonis quàm malis, quos iſti tyrannos vocant, idque firmiſſimis argumentis. Primùm, quòd cùm Apoſtolus generaliter iubeat nos *Reges honorificare*, nec vſquam de honore malis Regibus denegando vel ipſe, vel alius in ſacris

1 l. de pretio. & ibi gloſſ. Bart & alii D. de Publ. in rem act.

2 Exod. 20. Matth. 15.

3 Leuit. 20.

4 Deut. 27.

5 Senec. lib. 3. de Benef. cap. 1.

6 Luc. 14.

7 D. Greg. hom. 37. in Euangelia.

I. Argumētum.

ſacris literis mentionem fecerit: non liceat nobis id præceptum per interpretationem reſtringere, quandoquidem regulæ locus eſt, *Vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* vt modo diximus.

II. Deinde quia ipſa illa tempora, & conditio populorum, ad quos ſcripſit, ſatis arguunt eum hac ſententia bonos & malos Reges iuxtà complecti: tempora quidem, quòd ipſa tyrannorum feraciſſima erant, vtpote nondum veræ religionis gratia furibundum animorum æſtum cohibente. Status verò populorum, quoniam ad Ponticos, Cappadoces, Bithynos, Galatas, cæteroſque Aſiaticos ſcripſit, (ſaltem ad Hebræos in iis regionibus commorantes) quibus plurimùm ſæuiſſimos Reges imperitaſſe fatebitur quiſquis Mithridatis, Tygranis, Pharnacis, Antiochi & aliorum ſubinde Regum Aſiæ mores ex hiſtoriis didicerit, quin ipſe Buchananus omnes Aſiæ Reges tyrannos fuiſſe ſcribit, quod tamen non vſquequaque verum eſſe libro ſuperiore annotauimus. Quapropter cùm ad Chriſtianos in his gentibus ſcripſerit, non potuit non ſenſiſſe de Regibus, quorum tunc in ditione ac poteſtate viuebant, & ſimilibus alioqui tam præcisè locutum fuiſſe, indignum profectò videtur illo ſpiritu, quo tantus Apoſtolus agebatur quid enim? Regibus illis ſuis oppedere eos voluit, aut, ſi in orbe hoc diutiùs agere vellent, mutare ſedes, atque in aliis terrarum plagis bonos Principes quæritare, inuentu difficiles, & vel coruo albo tunc rariores: quòd ſi de eiuſmodi Regibus ſenſerit, quibus tunc recens facti Chriſtiani ſubiiciebantur, ſequitur neceſſariò honorem malis Regibus ſine peccato denegari non poſſe: hoc enim non eſt conſilium, ſed præceptum vniuerſæ Eccleſiæ in perſona quorundam traditum: ac propterea ab omnibus vbicunque terrarum populis, firmiter, & inuiolatè cuſtodiendum.

De Pharnace filio Mithridatis qui patre interemit. Vide Dionem lib. 37. de his & aliis. Vide etiam Ioſeph. Tacit. & alios.

III. His accedit, quòd, ſi Chriſtianis eo loco præcepit bonos tantùm Reges vt obſeruent, & ſolis ſe probis morigeros præbeant, ſuperuacaneum id præceptum fuerit, & inſtituto Apoſtoli formandis tunc animis tam occupati intentique parum conueniens: quippe geminata monitione aliud nihil inculcaret, quàm de quo inter omnes conuenerat. Ecquis enim mortalium tam vecors eſt & perditus, qui Regi bono nullum velit impertiri honorem? nullo ad id præcepto Euangelico opus fuit, omnes eò ducit, imò verò impellit congenita naturæ vis, & rationis imperium, quò

vitæ

vitæ communis ſocietas eſt introducta: ad malum digna-ri honore non itidem omnes ſolent, ſed ij demum, qui Chriſtiana hac ſapientia imbuti, inimicos diligere, & vi-tia, non homines odiſſe norunt [1]: quique in malo Rege Deum cujus miniſter eſt venerantur. *Si prælati mali ſunt* (in-quit D. Thomas) [2] *non honorantur propter excellentiam pro-priæ virtutis, ſed propter excellentiam dignitatis, ſecundum quam ſunt Dei Miniſtri* aut igitur iuſſit malos Reges honorari, aut nihil nouũ & eximiũ, nihil diuinum & difficile, nihil Euan-gelicum & ſingulare, imò nihil non vulgare & humanum, atque vel ipſis ethnicis ratum & gratum hoc ſcripto com-plexus eſt. *Si dilexeritis diligentes vos,* inquit Dominus, *& ſa-lutaueritis tantùm amicos veſtros, quam mercedem habebitis? nõ-ne Ethnici & Publicani hæc faciunt?* [3] Qui amicos diligen-dos non cenſet, ſenſu communi caret. At inimicos amare ſublimius eſt, quàm quò ſua homines natura pertingant. Omitto quòd cùm expreſſim iubeat ſeruos ſubditos eſſe in omni timore δεσπόταις σκολιοῖς, i. peruerſis dominis ſatis oſtendat velle ſe populum obedire Regi peruerſo: propte-rea quod hi arctiore atque auguſtiore vinculo, quàm illi colligantur.

Illud tãtummodò ad extremum hîc adiiciam, quo nul-lum aut certius aut clarius, ad rem aliquam afferri poteſt, nempe D. Paulum monſtraſſe præceptum hoc, *Principi po-puli tui non maledices* [4] de quouis Principe vel peſſimo intel-ligendum eſſe. Increpitus enim à circumſtantibus Iudæis quòd principi Sacerdotum Ananiæ (à quo impiè iniuſte-que cædebatur) dixiſſet. *Percutiet te Deus paries dealbate: & tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem me iubes percuti,* reſpondit. [5] *Neſciebam fratres quia Princeps eſt Sacer-dotum. Scriptum eſt enim: Principi populi tui nõ maledices.* Quod reſponſum ſiue ita intelligamus, quaſi Paulus rè vera igno-raſſet hunc Ananiam eo ordine eſſe apud ſuos, ſiue quaſi ſciuiſſet quidem eum gerere Pontificatum inter eos, ſed non agnoſceret tamen vt Pontificem, ſublato iam tum pontificatu Aaronico, atque adeo omni ſacerdotali au-thoritate ex lege per æternum Sacerdotem ſummumque Pontificem Ieſum Chriſtum [6]: & propterea diceret ne-ſcire ſe eum eſſe Pontificem, quod eum non eſſe Pontifi-cem ſciret (ei enim quod eſt ſcire nõn eſſe, conſequens eſt neſcire eſſe, licet contra illud ab hoc non pendeat) vtrò-uis, inquam, modò hoc reſponſum intelligamus, perſpicuè

nobis

1 D. Augu. in Pſal. 138. verſ. perfecto odio oderam illos.

2 2. 2. q. 103. art. 2.

3 Matth. 5.

IV. Perfectorum tantùm eſt non odiſſe in peccatoribus niſi pec-cata D. Auguſt. contra Adiman-tum. c. 16.

V.

4 Exod. 22.

5 Act. 23.

6 ad Heb. 3. 4. 5. 9.

Google

nobis oſtendit Apoſtolus, non licere obloqui malo & iniuſto Principi, idque propter eam legis prohibitionem, *Principi populi tui non maledices*, quippe hoc ipſo quod pro iuſta culpæ excuſatione afferebat, ſe neſciiſſe iuſtum eſſe Principem Sacerdotum, fatetur planè malitiam & iniuſtitiam, cuius eum arguerat, non eximere Principem è numero eorum, de quibus hoc præceptum datum eſt. Si igitur ex D. Pauli ſentētia, mandatum, quo vetamur Principi maledicere, non bonos ſolùm, ſed etiam malos Principes includit: hoc quoque de Principe honorando non poteſt non ſimiliter de bonis & malis Principibus intelligi. Quod & D. Auguſtinus non obſcurè indicat, vbi hoc Apoſtoli præceptum eodem ſenſu Donatiſtis obiectat. Hi namq; villas ſibi iniuſtè ademptas, & Eccleſiæ Catholicæ tributas querebantur: quibus ille, Regum & Imperatorum iure id factum: in quorum manu ſitum eſt, vt legibus à ſe latis poſſidendi cauſas, modum, formamque præſcribāt. Et vt æquiore id animo ferrent Donatiſtæ, nec regalibus edictis reluctarentur, hac D. Petri authoritate vſus eſt. *Nolite dicere*, inquit, *quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & poſſeſſioni? per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones. De iure humano agitur: & tamen Apoſtolus voluit ſeruiri Regib. voluit honorari Reges, & dixit, Reges vereremini.* Quorsū hoc Apoſtoli teſtimoniū Auguſtin⁹? Etenim ꝑfectò niſi is eius loci intellectus ſit, vt ad quoslibet vniuersè Reges pertineat, incaſſum Donatiſtis eū obiecit: vtpote hominibus refractariis qui ei illicò repoſuiſſent: eo ſe præcepto ſtringi obligarique bonos tantùm Reges vt obſequio & honore proſequantur, non improbos, non iniuſtos alienarum poſſeſſionum abreptores, ac proinde illud argumentum nulla in ipſos ratione concludi, remque eo reuoluiſſent vt in Regis vitam & mores inquirere prius neceſſe fuiſſet, atque adeo probare eum rectè & è Republica facere, quàm iſtos ad parendum obligatos pronunciare, quod cùm tam acer & ſacer Chriſtianæ fidei aſſertor non ignoraret, nunquam argumento tam ſubleſto contēdiſſet, & quod leui reſponſo eludi ab aduerſariis & elidi potuit. Sed ſciuit nimirum B. Auguſtinus illud Apoſtoli præceptum nullam ſine calumnia diſtinctionem admittere, nullamque Donatiſtas ſententiæ adeò apertæ & ſimplici diſtinctionem adhibituros firmitèr nec falsò credidit.

Similiter & alii omnes Eccleſię patres eo ſeculo Apoſtolicum hoc præceptum ita ſunt interpretati, vt ad Reges bo-

nos iuxta ac malos pertineat, cui rei teſtimonio ſunt, quæ ipſi ſæpe ad malos Reges, & de malis Regibus ſcripſerunt. Itaque B. Fulgentius ad Traſimundum Arrianum Regem Vandalorum in Africa,[1] *Quocirca, inquit, cum pro noſtra fide, in quantum facultatem diuinitus accepimus, liberè reſpondemus, nulla contumacia ſeu contumelia debemus ſuſpicatione notari, cũ nec regia ſimus dignitatis immemores, ſciamusque Deo timorem, honorem Regibus exhibendum; Apoſtolica ita nos præmonente doctrina. Reddite omnibus debita, cui timorẽ, timorem, cui honorẽ, honorẽ. Huius timoris honoriſq; manifeſta nobis beatus Petrus aperuit diſcretione notitiã dicens, Sicut ſerui Dei omnes honorate. fraternitatẽ diligite, Deum timete, Regem autẽ honorificate, &c.* En vt hic ſanctus Eccleſiæ Doctor affirmat D. Petrum manifeſta diſcretione aperuiſſe nobis notitiã eius quod dixerat D. Paulus. *Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*: id ſi ita ſe habet, conſequens profectò eſt, de omnibus Regibus locum eſſe intelligendum, manifeſta quippe diſcretio non eſt, quæ diſtinctionibus non declaratis inuoluitur. Vtrum autem hoc ſcripſerit D. Petrus, vt errorem depelleret, quem nonnulli ex Chriſtiana libertate malè intellecta iam imbiberant, exiſtimantes (vt noſtro ſeculo Anabaptiſtæ & Trinitarii) indignum eſſe, redemptos à Chriſto, atque adoptatos in ſucceſſionem regni cæleſtis[2], humanæ poteſtati ſubiici: an verò alia de cauſa nihil moror. Sat ſuperq; homini Chriſtiano eſt, ſcire Apoſtolicum præceptum eſſe, vt Regem honoremus, eique præcepto nullam nec diſtinctionem nec reſtrictionem in ſacris literis aut Sanctorum ſcriptis eſſe adiectam.

[1] li. 1. de myſter. mediatoris Chriſti in princ.

[2] ad Rom. 8.

Eandem D. Paulo mentem eſſe. Eius præceptum de non reſiſtẽdo poteſtatibus ab aduerſariorum calumniis vindicatum. Ex Orthodoxorum Patrum ſententia vt intelligendum, atque inibi quadam non vulgaria.

CAPVT X.

SED & huius etiam Principis Apoſtolorum Synagoniſta D. Paulus eandem ſententiam inter præcipua Chriſtianæ inſtitutionis dogmata vberius multò & ſeuerius retulit. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, inquit,[3] Quid ita? *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo*. Et ne breuitatem comitetur obſcuritas, his verbis eam explicat. *Quæ autem ſunt*, (id eſt quæcunque ſunt vſpiam poteſtates in orbe vniuerſo) *à Deo ordinatæ ſunt*: cui conſequens eſt quod ſubiicit.

[3] ad Rom. 13.

ſubiicit. *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* ex quibus & illud. *Qui reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt.*

En præceptum, en cauſa, en commonitio, & comminatio horribilis in eos, qui ſecus faxint. Nec hiſce contentus tamen Apoſtolus, procedit vlterius, vt ſoletur ſimulque ad obedientiam & patientiam hortetur ſubditos. *Principes*, inquit, *non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum, Si autem male feceris, time non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei qui male agit. Ideò neceſſitate ſubditi eſtote: non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideò enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributū: cui vectigal vectigal: cui timorem timorē: cui honorem honorē &c.* Reſumamus iſta, & ad inſtitutū accōmodemus: nihil enim æquè facit, ac rāti viri tam perſpicua authoritas. Iubet ergo D. Paulus animam omnium, id eſt omnes homines ſubditos eſſe ſublimioribus poteſtatibus. *Sed poteſtatis* verbum quoniam multiplex eſt, & ambiguum, inde primam calumniandi anſam aduerſarii captarit, dicuntque (quod & ante eos alii vt Theophylactus) non agi hìc *de iis qui magiſtratum gerunt, ſed de ipſo magiſtratu: hoc eſt de functione & officio eorum, qui aliis præſunt* [1]. Ac proinde nihil effici hac autoritate putant, quo magis populum Principi ſubiectū eſſe demonſtretur: quòue minus in ordinem cogi, coerceri & caſtigari poſſe malos Principes aſſeramus. Verùm hic error vel eo ſolo facilè refellitur, quòd ipſemet Paulus, nunc poteſtates nominet eos de quibus ei ſermo eſt, nunc Principes & miniſtros Dei: vt plane oſtendat ſe non ſolùm de ipſo munere publico & functione loqui, ſed etiam de perſonis magiſtratuum, qui cum imperio & poteſtate præſunt: queis ideo parendum, quia poteſtatem à Deo acceperunt. Non eſt poteſtas, inquit, niſi à Deo, & quæcunque ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Quod autem à Deo ordinatum & datum eſt, id vtique homo homini auferre nequit [2]. Ex quo ſequitur fieri non poſſe ſubditorum opera, vt ius poteſtatis legitimi magiſtratus minuatur: quòd eam non ex ſolo multitudinis conſenſu ſed ex ipſius Dei omnipotentis authoritate, munificentia & conſtitutione ſit aſſequutus. quo fit, vt qui rebellant, Dei ordinationi reſiſtere dicantur. Qua de cauſa Cunerus Epiſcopus hunc

[1] Buchan. pag. 72.

[2] Matth. 19.

hunc Pauli locum tractans [1]. *De regum*, inquit, *& Principum autoritate quidam diſſerentes, putant eam ſolùm ex placito, & conſenſu pendere ſubditorum, qui Principes eligant, vel recipiunt, vel ſaltem in eos acquieſcunt: quoniam plenum iuſtitiæ & æquitatis eſt, quem in caput aſſumunt, ei velut inferiora & ſubdita membra obtemperent. Cæterùm beatus Apoſtolus, qui ſpiritu ſcrutabatur profunda Dei, longe altius huius poteſtatis originem & fundamentum eruit. non eſt, inquit, poteſtas niſi à Deo, quibus ex verbis bene conſideratis dilucide patet, quod non ex ſolo populi conſenſu, quaſi tantùm ex pacto inter populum & Principem inito, Rex poteſtatem & authoritatem in ſubditos habet: ſed etiam ex ipſo diuino iure, & Dei videlicet conſtitutione: quoniam, inquit, poteſtas à Deo eſt, & quæ ſunt poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: quod grauius & amplius eſt, quàm ſolùm pactum & fœdus initum violare. Nam ſi ex ſola in Principem conſenſione populus ei ſubeſſe teneretur, iam non obediendo, fœderi quidem & pacto, ſed non proprie ac directè Dei ordinationi reſiſtere diceretur, quam Paulus in reſiſtēdo proximè & immediatè violari ſignificat: quoniam poteſtas cui reſiſtitur, à Deo ordinata eſt, ſic vt rebellio iam nō contra hominē, ſed contra Deum cēſeri debeat.* Quod igitur D. Paulus ἐξουσίας, id eſt, *poteſtates* de quibus loquitur mox ἄρχοντες (id eſt, *Principes*) vocat: ſatis per ſe efficax eſt, ad huius erroris caliginē propellendam. Et verò ſuberat ratio, quæ id loquendi genus Apoſtolo ſuggereret. Scribebat enim ad Chriſtianos Romæ commorantes, qui latinè poteſtates vocabāt ipſos homines poteſtate præditos, in poteſtate conſtitutos: cuius rei teſtimonia latinè peritis notiora ſunt quàm quibus charta noſtra debeatur [2]: & ita præcipui Eccleſiæ patres eo verbo vſi ſunt; quo modo B. Auguſtinus dicit *poteſtatem eſſe aliquando inimicam veritati* [3]. quod certum eſt ad officium magiſtratus referri non poſſe.

Eundem præterea huius loci intellectum tuetur, quod Apoſtoli interpres, cuius verſione tota vbique ſancta Dei Eccleſia eodem quo Paulus ſpiritus afflata vtitur, poteſtatem dicat eſſe miniſtrum; vt planè doceat eum de ipſis populi rectoribus, ſeu perſonis magiſtratuum ſenſiſſe. Vis inquit, non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum, quod perperam & inſcitè dictum eſſet, ſi non de ipſis Principibus locus iſte intelligatur. Nam quamuis græcum διάκονος vtrumque genus admittat, vt ἐξουσίαν εἶναι διάκονον,

poteſta-

1 cap. 5. de off. Princip.

2 Vide Plin. lib. 29. cap. 4. Iuuenal. Sueton in Claudio ca. 23. Modeſt l. 7. de pignoribus. Vlp. l. 17 § pen. de Ædil. ed. ct. Tertul. aduerſ. gent.

3 Epiſt. 48.

poteſtatem eſſe miniſtram dicas: tamen vt latinè poteſtatē, quatenus imperium & non impetrantem ſignificat, miniſtrum appellemus, neque ſenſus neque ſermo latinus patitur.

Omitto quod poteſtatem, de qua loquitur, gladiũ ferre dicat non ſine cauſa gladium portat, inquit: cum tamen nõ officium, ſed homo in officio conſtitutus gladium pro poteſtate imperii geſtet.

Denique Paulus teſtatur de iis ſe poteſtatib. agere, quibus tributa & vectigalia pendi ſolent: *Ideo*, inquit, *tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes*. vbi non διάκονοι, quod vt dixi in vtramque partem trahi poteſt, ſed λειτουργοὶ verbo vſus eſt, quod omnem ambiguitatem tollit, & manifeſtò declarat eum vocaſſe poteſtates, ipſos Principes & magiſtratus, qui cum imperio præſunt, quibus iure tributa præſtantur: vt patet ex illo Saluatoris reſponſo Iudæis interrogantibus, *licet cenſum dare Cæſari an non* [1]? Sed quid opus eſt teſtibus? ſua ſatis confeſſione vrgentur, imò conuincuntur. quippe Paulum ibi Regem definiiſſe aiunt: *miniſtrum ſcilicet, cui gladius à Deo ſit traditus, vt malos puniat, ac bonos foueat*. Quod ſi ita eſt, negare non poſſunt poteſtatis verbo intelligi illic perſonam magiſtratus, ſeu Regem ipſum & non officium, quandoquidem id quod definitur, ἐξουσία ſiue poteſtas eſt. Fruſtra ergo ad vim verbi nos reuocant, cùm ipſa eorum opinioni nihil opituletur.

1 Matth. 22.

Sequitur altera ipſorum interpretatio non minus calũnioſa, cuius ope eundem locum peruertunt, fundamẽtum autem eius interpretationis in eo poſitum eſt quod ſcribit Apoſtolus, *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali, &c. Vis non timere poteſtatem? bonum fac & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum*. Quaſi his verbis bonos tãtùm magiſtratus complectatur. Mali enim & quos tyrãnos vocant, bonis viris non rarò ſe formidoloſos præbent, eoſq; lædunt ſæpius quàm laudant. Ideoque ex horum ſententia ne magiſtratus quidem cenſendi ſunt vlli, niſi qui bonos ab iniuria tueantur. Hunc igitur Apoſtolo ſenſum affingunt, vt de bonis tantùm magiſtratibus diſſerat, quos etiã aiunt eum prope ad dialecticam ſubtilitatem diffiniiſſe [2]. Atque his poſitis principiis in hunc modum ratiocinantur. Mali magiſtratus ad Pauli regulam examinati, omnino magiſtratus nõ ſunt: eoque ſub eius præceptum de magiſtratu honorando non cadunt. Atque ita cùm præceptũ

2 Buch. pa. 71.

nihil ad eos pertineat, conſequens eſt, nos eius authoritate neque malis Principibus parere iuberi, neque reſiſtere prohiberi. *Non ſi bono Principi parendum eſt*, inquiunt, *ideò malo non erit reſiſtendum.* Id pro conſenſo ſcilicet & conceſſo tenentes, bono tantùm Principi vt pareamus Apoſtolico præcepto eſſe ſancitum. Verùm hanc interpretationem authoritas, exempla, ratio, erroris ſimiliter & hæreſeos conuincunt. Nam in primis Chriſtus & ipſemet Tiberio paruit, & alios ad parendum inſtituit: Scribis etiam & Phariſæis auſcultare iuſſit [1]. Et D. Petrus generaliter docuit magiſtratibus peruerſis obediendum eſſe, ac Reges honorandos, nullâ boni & mali differentiâ eius præcepti modum diſterminans [2]: vt iam ſuperius eſt demonſtratum. Quapropter Haymo Epiſcopus Halberſtattenſis vir pius & eruditus, hunc ipſum Pauli locum enarrans abhinc ſeptingentis quinquaginta circiter annis ſic ſcribit: *Siue bona ſit illa poteſtas ſiue mala, quicunque ei reſiſtit ſubtrahendo ſeruitium ab ea, denegando tributum, & honorem non præbendo, quem ei debet præbere, Dei ordinationi reſiſtit, & diſpoſitioni, cuius ordinatione illi principantur.* Sed & gloſſ. ordin. omnium conſenſu approbata, docet tàm ad bonos, quàm malos Principes hoc præceptum pertinere, ad verb. *non ſunt timori*, &c. Deinde quamuis veriſſimum quidem ſit magiſtratus eſſe à Deo conſtitutos, vt ſint miniſtri regni ipſius [3], qui pœnâ ſontes, bonos præmio afficiant, & ſanctam generis humani ſocietatem iuſtitiâ & æquitate contineant. tamen certiſſimum pariter eſt, neque omnes magiſtratus id facere, cuius cauſa ſunt conſtituti; neque cùm non faciunt, ſed planè contrarium faciunt, deſinere ſtatim eſſe magiſtratus. Alterum enim aſſerere hominis eſt nullam vitæ ciuilis ſocietatem & communitatem experti, nulliſque ſuperiorum temporum annalibus eruditi. Alterum verò (quod aduerſariis tantùm placet) VVicleffianam & Huſſiticam hæreſim, vel ei affinem profitentis; cuius vnum caput hoc erat, *Nullum eſſe dominum ciuilem, nullum prælatum, nullum epiſcopum, dum eſt in peccato mortali*, & aliud, *Populares poſſe ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.* Ex his enim duobus articulis, velut principio quodam neceſſario & inſeparabili, omnis aduerſariorum pendet & procedit oratio: ita vt neque ipſorum concluſiones ſine pronunciatis iſtis VVicleffianis prius admiſſis oriri, neque pronunciata eiuſmodi ſine talibus ſequelis conſiſtere vllo modo poſ-

1 Matt. 17. & 23.

2 1. Pet. 2.

Haymo epiſc. Halberſtattenſis ordine tertius Alcuini auditor floruit ſub Ludou. Pio.

3 Sap. 6.

ſint. Ex priore enim neceſſaria conſecutione efficitur malum Regem & vitioſum non eſſe Regem, quia eſt in mortali peccato: ex poſteriore verò, populum Principe ſuperiorem eſſe, alioqui enim non poſſet eum delinquentem cogere in ordinem, & corrigere: quandoquidem par aut ſuperior, à pari aut inferiore cogi iure nequit [1]. Hæc igitur vbi aſſerunt aduerſarii, ſuperiora putidæ & peſtilentis hæreſis VVicleffianæ capita exuſcitant, quibus refutandis eo libentius ſuperſedeo, quòd in celeberrimo & frequentiſſimo Patrum conſeſſu iam pridem cunctis ſuffragiis damnata ſit & exploſa [2]. Impius Saul & cædibus Sacerdotum contaminatus: homicida & adulter Dauid: Salomon, Ioas Amaſias ad idola prolapſi: Roboam ſimiliter & alii Dauidicæ ſobolis iniuſti, & diuini atque humani iuris tranſgreſſores, Reges nihilominus manſerunt, ac regnum interea & regimen populi, quia legitimi Reges, tenuerunt. Nec vllis vnquam adhuc legibus cautum eſt, aut moribus receptum, imò nec caueri aut recipi, ſine publica pernicie, potuit, malitiam ipſo iure magiſtratum alicui abrogare, aut eundem ei præbere, vel prorogare bonitatem: non ſunt hi finiendæ poteſtatis modi legitimi, quin planè contra infinitis rerum geſtarum monimentis tota nos docet antiquitas, peruerſis magiſtratibus parendum tantiſper, dum vel magiſtratu abierint, ſi ad tempus creati: vel fato conceſſerint, ſi perpetuum inierint: aut ſuperioris ſaltem iudicis ſententia moti ordine, in priuatis eſſe cœperint. Inde eſt quod Paulus Iuriſconſultus [3]. *Prætor*, inquit, *ius reddere dicitur etiam cùm iniquè decernit: relatione ſcilicet facta, non ad id quod ita prætor fecit, ſed ad illud, quod prætorem facere conuenit.* Et Marcianus [4], *Cum prætor cognita cauſa per errorem, vel etiam ambitioſè iuberet hæreditatem vt ex fideicommiſſo reſtitui: etiam ſub ſic intereſt reſtitui propter rerum iudicatarum authoritatem.* Huc accedit, non ignoraſſe Apoſtolum Chriſtianos tunc vbique terrarum ſub impiis & ethnicis magiſtratibus degere, à quibus iniquiſſima quotidiè patiebantur: ac proinde eiuſmodi præceptum, non tam vtile, quàm exitioſum illis ea tempeſtate fore, & procul dubio certiſſimam rebellii & defectionis cauſam omnibus præbiturum, ſi de bonis benè magiſtratum gerentibus tantùm intelligeretur. vtpote cuius authoritate erecti homines, iuſtitia & pietate ardentes, & qui zelo religionis, ſtudioque ſalutis ac tranquillitatis publicæ, & odio

dio

1 l. 4. D. de recept. qui arbit. l. ille à quo. 13. §. pen. ad Sc. Trebell. c. innotuit. de elect.

2 Synod. Conſtantien. ſeſſ. 8. & 15.

3 l. pen. de iuſt. & iure.

4 l. ſeruo. 65. §. cum prætor. ad Sc. Trebel.

dio malorum iam antè nimium in modum tenebantur, omnes tollendi malos magiſtratus vias clam & palam quæſiſſent. Quotus enim quiſque illorum, qui animi magnitudine Horatios, Mutios, Curtios; temperatâ verò rerum humanarum contemptione ac deſpicientiâ Xenocratem, & cunctos Philoſophos longè ſuperabant non acerbiſſimis conditionibus caput fortunaſque ſuas pro communibus patriæ commodis deuouiſſet? quæ non ſubiiſſent diſcrimina? quos perhorruiſſent cruciatus, vt impios & malos magiſtratus, ſeu Principes tyrannidem exercentes, vbique extinguerent? an non eiuſmodi operam egregie nauatam Reipub. vel inter eximios Chriſtianæ religionis fructus retuliſſent, ſi id modo per euangelium licere ſibi certò comperiſſent? cùm tamen è diuerſo id eius religionis perfectioni & ſanctitati inprimis tributũ ſit, quòd nemo omnium Chriſtianorum eius ſæculi, vllius in Principem coniurationis particeps, vel conſcius fuerit inuentus. *Circa maieſtatẽ imperatoris infamamur*, inquit Tertullianus, [1] *tamen nunquam Albiani, nec Nigriani, vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani.* 1 ad Scapulam.

Hæc igitur ipſorum interpretatio, per quam volunt D. Paulum Chriſtianos neceſſitate parendi bonis tantùm magiſtratibus obligaſſe, cùm non ſolùm omni & ratione, & authoritate deſtituatur, ſed etiam apertis euangelii monitis moribus Chriſtianis, doctrinæ Patrum, totiuſque eccleſiæ decretis aduerſetur, vitioſa prorſus & hæretica cenſenda eſt: aliuſque Apoſtoli ſenſus cum his omnibus congruens amplectendus. Is autem ille eſt, quem magnum eccleſiæ lumen S. Auguſtinus ſuccinctè, ſed clarè nobis indicat. *ſiue*, inquit, [2] *poteſtas veritati fauens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus: ſiue inimica veritati in aliquem ſæuiat, laudem habet ex illa qui fuerit coronatus.* Et Auguſtinũ ſequutus Haymo copioſius paulò & enodatius exponit [3]. *Vis non timere poteſtatẽ? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Non dicit laudabit te poteſtas*, inquit, *quia multa poteſtates ſunt, quæ in ſubditis magis malum, quàm bonum diligunt: ſed habebis laudem ex illa poteſtate, id eſt, ipſa erit occaſio vt laude dignus ſis. Quia ſi tuo exemplo ad fidem vel iuſtitiæ opera fuerit perducta, laudaberis tàm ab illa, quàm etiam ab aliis, & apud Deum quoque laude dignus eris. Aliter ſi poteſtas illa vſque ad mortem pœnis te affixerit, tu quoque legitimè decertando mortẽ aut aliquam iniuriã patienter pertuleris, habebis*

2 epiſt. 48.

3 in cap. 13. ad Rom.

ex illa poteſtate laudem: id eſt ipſa præbebit occaſionem, vt tu lauderis, quia percipies pro perſecutionibus tibi irrogatis perpetuã beatitudinem, & laudaberis apud Deum & homines.

Quod itaque iubet Apoſtolus omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe, quodque monet, eos qui poteſtati reſiſtunt, Dei ordinationi reſiſtere, id eò pertinet, ne magiſtratibus vllis ſiue bonis ſiue malis obluctemur. Et ideo licet incidant ſæpè cauſæ, propter quas magiſtratus iuſſa capeſcere non tenemur, vbi ſcilicet Dei mandatis prorſus contraria imperat, vt cap. 8. eſt explicatum, tamen nulla poteſt exiſtere cur iniuſtam damnationis ſententiam exequenti, & pœnas obtentu poteſtatis malitioſiùs exigenti, vi obſiſtamus: quia ipſe poteſtatem à Deo ordinatam habet, qua ſi abutitur, legitimis modis non impreſſione ſubditorum coercendus eſt. Si enim ſuperiorem habet, improbitas eius & petulantia prouocatione comprimitur, cuius remedio cõdemnationis extinguitur pronunciatio [1]. Sin autem in altiſſimo dignitatis gradu collocatus eſt, vt ſunt qui regnorum legitimè potiuntur, cùm nemo inueniatur ad quem poſſit appellari [2], nihil reo ſupereſt, niſi vt Dei omnipotentis cognitioni cauſam committat, & eius iudicium expectet, qui Rex regum & iudicum omnium iudex, humanæ ſententiæ iniquitatem æternæ iuſtitiæ ſeueritate, quamuis non ſit prouocatum, indubitatè caſtigabit & corriget. Qui verò non ſatis ſibi proſpectum hac cautione rentur, & ob id ſuis ſe viribus tueri malunt, ac iniquæ poteſtati æquam, vt illis videtur, pro corpore, pro ſalute, pro fortunis, defenſionem armis munitam opponere, ii ſunt qui Dei ordinationi reſiſtunt, & reſiſtendo damnationem ſibi acquirunt: quia cum eius iudicium interdicta celeritate præuertunt, fixum & conſtantem iuſtitiæ ordinem ſceleratè peruertunt. At iugum hoc ſubiectionis peracerbum eſt & graue toleratu viris bonis, quos malorum Principum ſæuitia & diritas ad iniquiſſima ſupplicia frequenter rapit. Verum eſt neque id S. Paulum latuit, qui eam tamen Dei voluntatem eſſe, per Dei ſpiritum nobis retulit. Et quamuis ſatis ei fuiſſet præcepto recitato, dicere, vt de humana lege Iuriſconſultus. *quod quidem perquam durum eſt: ſed ita lex ſcripta eſt* [3], &, *Dominus mandauit mandata ſua cuſtodiri* [4]. *nimis*. tamen vt eius aſperitatem aliqua ſuauitate leniret, ſolatur omnes, & ingentis mercedis ſponſu ad illius obſeruationem inuitat: laudis

1 l. 1. in fi. D. ad Sc. Turpil.
2 l. 1. D. à qui. appel. non lic.
3 Vlp. l. proſpexit. D. qui & à quib. manum.
4 Pſal. 118.

laudis ſcilicet & gloriæ, cuius ſpe & ſpecie cùm plerique, tum generoſi in primis animi facilè adducuntur, vt omnes vitæ moleſtias, omnem corporis dolorem, ferant libenter & perferant. Primùm igitur breui ſed certiſſima ratione, ex ipſa hominis naturâ & penetrali Philoſophia, oſtendit, non tantam difficultatem huic mandato cuſtodiendo ineſſe quantam primo aſpectu præ ſe ferat: propterea quod *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.* quaſi diceret, mali hominis eſt, & puſilli animi timere Principes: viro bono nullus magiſtratus, quantumuis impius & iniquus, formidabilis eſſe poteſt. *ex conſcientia peccàtorum timor naſcitur.* [1] Nihil metuit, qui nihil commeruit. Sed aduerſus omnes impetus aheneo conſcientiæ muro ſeptus, ſtabilis & intrepidus conſiſtit. Hoc illud eſt innocentiæ propugnaculum, hoc illud vallum, quod eam Prophetæ ſecuritatem præſtitit, quâ fretus dixit. *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum* [2]. Contrà verò nequitia omnis timida eſt, vt ait ſapiens, & condemnationi præbet teſtimonium. *Semper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia* [3]. Nec ea res magis ethnicos, quàm Chriſtianos fefellit. Bias enim interrogatus τί ἂν εἴη τῶν κατὰ τὸν βίον ἄφοβον. id eſt quidnam omnium in vita eſſet metus expers, reſpondit ὀρθὴ συνείδησις. recta conſcientia. & Menander ὁ συνιστορῶν αὐτῷ τι κἂν ᾖ θρασύτατος, ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ. id eſt qui aliquid ſibi conſcius eſt, etiamſi fuerit audaciſſimus, conſciẽtia facit eum timidiſſimum [4]. Et Cicero [5]. *Magna vis eſt conſcientiæ, & magna in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiſerint: & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint.* Vnam igitur nobis viam proponit Paulus, quam ſi carpſerimus, nullo magiſtratus metu tenebimur, *Vis non timere magiſtratum? bonum fac*, inquit. At non ferendis doloribus cruciabor tamen, dices at ſpoliabor facultatibus, at neci dedar. eccui non ab his metus? Si ſimpliciter nudéque iſta ſpectes, magna ſunt inquam: & quæ vel conſtantiſſimum quemque terrirent. Sin comparatè, & cum præmii magnitudine ac fine, cuius cauſa res tam arduæ ſubeuntur, contuleris, adeo ſunt exigua, vt præ his nihili videantur. Iã iis prædixerat in eadem epiſtola, [6] paſſiones huius temporis indignas eſſe, & res parui momenti, ſi cum futuri ſeculi gloria componantur, qua clarebunt ii, qui Deo fideliter ſeruiunt ac illius præcepta ſeruant, ideóque hic addidit, *& habebit*

1 Cic. Parador.
2 Pſal. 26.
3 Sapient. 17.
4 Stobæus de Conſcientia. ſerm. 106.
5 pro Milone.
6 ca. 8. ad Rom.

bebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. quod idē eſt, ac ſi dixiſſet, quicquid tibi fecerit magiſtratus, laudi tibi erit, tuo bono & commodo cedet, vt in ſuperiore Patrum explicatione proditum eſt. An non hoc veriſſimum eſſe cernitur, dum quos impii ſuperbè calcarunt, nos ſummiſſe colimus, & quos illi vt ſacrilegos, perduelles, nefarios, publicatis bonis omnibus, perdiderunt, iis nos, & in eorum honorem, vt ſeruis fidelibus & amicis Dei, opulenta paramus templa, donaria ſuſpendimus, preces & vota, vt ipſi ſalutem nobis à Deo precentur, quotidie fundimus. Bono peruerſus cùm vitam adimit, vitam dat. Moleſtię huius ſeculi, & mors ipſa, ſpinæ ſunt, per quas ad fælicitatem neceſſarius nobis eſt tranſitus. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* [1]. Cohæredes Chriſti ſunt qui iniqua æquanimiter eius exemplo tolerant. *Si tamen compatimur*, inquit, *vt & conglorificemur* [2]. Si vis ergo perpeti gloria coronari, talibus primum coronere & ſpinis. Præclarè, vt alia D. Auguſtinus [3]: *tu* inquit, *qui veram requiem, quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur, quæris, eam inter amariſſimas huius vitæ moleſtias deguſtabis: iucundiúſq; ex bona conſcientia inter ærumnas lætaberis, quàm ex mala inter delicias.* Pręmium igitur, quod D Paulus propter obedientiam magiſtratibus præſtitam pollicetur nobis laus eſt, non humana quidem ſolum, nam ea fluxa eſt ac plerumque falſa: ſed diuina, ſolida, æterna, admirabilis, incomparabilis, quæ nec ſenſu percipi, nec concipi animo in hac vita poteſt [4]: cuius potiendi ſpe, vt quis per fidem viuam ſemel accenſus fuerit, mirum quàm humana ei omnia ſordeſcent, & toleratu facilia videbuntur: At qui præſentia tantùm, & quæ præter oculos ſunt, huius mundi commoda intuentur, dicent ſtatim cum diſcipulis quibuſdam Saluatoris nondum perfectè ad cæleſtem vitam eruditis. *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire* [5]? & cum Petro adhuc dimiſſum neſcio & terreſtre quid ſpirante. *abſit à te Domine, non erit tibi hoc* [6]. Atque ita (quod factu facilius eſt) inferre quàm ferre iniuriam paratiores, magiſtratibus & Principib. ſuis inſultare & in ordinem redigere, fictæ vtilitatis; & publici iuris tuendi ſpecie, non verebuntur. Sed qui talia audent, pœnam audiant. *Qui reſiſtunt poteſtati ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Cauendum ergo ſummoperè, ne noſtris nimium ingeniis confiſi, imo confuſi, hunc Apoſtoli locum malitioſa interpretatione ita intelligamus, ac ſi ipſe de bonis tantùm

1 Act. 14.
2 ad Rom. 8.
3 de Catechumenis.
4 1 ad Cor. 2.
5 Ioan. 6.
6 Matth. 16.

tantùm magiſtratibus ſenſiſſet:cùm ſatis iam ſuperq; mõſtratum ſit,eam explicationem, neq; cum ſpiritu illo Pauli,neque cum aliis Scripturæ locis, neque cum ſanctorum Patrum expoſitione, & eccleſiaſtica catholica doctrina, congruere.

Quæ cùm ita ſint, euidens inde argumentum ad cauſæ noſtræ æquitatem demonſtrandam ſuppetit,quod hac certiſſima ratiocinandi formula ei breuiter accommodemus. Omnis inferior ſublimiori poteſtati ſubditus eſſe debet, & ei non reſiſtere(Apoſtolicum hoc eſt pronunciatum,quod negari non poteſt) At in omni regno & Monarchiâ Princeps eſt poteſtas ſuperior vniuerſo populo (aſſumptionis veritatem, veritas ipſa teſtatur. *Reges gentium dominantur earum*,inquit, alioqui nulla eſſet Monarchia, vt oſtenſum eſt huius libri Cap. 4.) Ergo in omni Monarchia totus populus Principi ſubditus eſſe,& non reſiſtere debet.Concluſio ex præmiſſis neceſſaria : cui & illud deinde conſequens eſt. Populum pœnas à Rege ob delictum expetere non poſſe : cùm nemo ſit mortalis, ad cuius tribunal Rex publici iudicii reus peragatur (quoniam ſuperior nemo eſt) & indemnato multam vel mortem irrogare, omni & æquitati, & rationi repugnet [1]. Si vllam aduerſarii ex tam certis & manifeſtis principiis efficacem concluſionem protuliſſent, qua populum Rege ſuperiorem, eique in Regem ius eſſe demonſtrarent, vix profectò qui aduerſaretur vllum habuiſſent, eccui enim, niſi vel impio vel impudenti os illa non protinus occluſiſſet? eius ego me aſſertorem in primis ac defenſorem, ſi opus fuiſſet, præbuiſſem. Sed quoniam nihil tale adferre poſſunt, & tantùm vitioſas ac fallaces ex ſimilitudine, comparatione, notatione verbi, exemplis, & allegoriis, neſcio quibus perperam intellectis, rationes ſine ratione petitas, ad infirmum vulgi iudicium obſcurandum & obruendum cumulant, ſatius eſt ex illis ſalutaribus Scripturæ fontibus per Eccleſiam Catholicam recluſis haurire, quàm riuulos ex ciſternarum neſciò qua fæce deriuatos, ducibus iſtis, ſectari. Nobis igitur ne ſuccenſeant, ſi veritatis propugnandæ causâ acriùs illis aduerſemur.

[1] Intellige niſi lege cautum ſit, vt indemnatum occidere liceat.

Iam verò, vt finem tandem huic capiti faciam, operæ eſt,aliam adhuc,& poſtremam, ni fallor, eorum rationem afferre, qua hunc D. Pauli locum non obſtare dicunt,

quo minus Rex in legem committens, legum pœnis more priuatorum ſubijciatur. Ea inde eſt quòd de poteſtatibus vniuersè illic præceptum detur. Ac proinde inquiunt ſi Regi ex illo Pauli edicto ſcelerum impunitas cõpetit, competit ſimiliter & omnibus aliis magiſtratibus, quos tamen pœnis obnoxios eſſe, ſi quid peccauerint, nemo neſcit, nemoque negat. Atque ita hoc nos vrgeri putant incommodo: vt vel neceſſe ſit Reges eodem cum aliis iure cenſeri fateamur, vel ſolos Reges poteſtatis nomine illic intelligi, & iſta præ cæteris impunitate donatos eſſe, oſtendamus. Ita enim ille ἀρχιμισοβασιλεὺς [1] *Quid præfecti vrbium?* inquit, *quid caſtrorum? Quid prætores? quid ipſi conſules? Iiſne etiam Paulus nos ſubditos eſſe iubet? an pro priuatis habet? At ab omnibus non modò minoribus magiſtratibus, ſed ab eis etiam qui ſunt Regibus æquales, ratio malè obiti imperii ſolet exigi. Velim ergo qui ex Pauli verbis tantam Regibus poteſtatem datam ſomniant, aut oſtendant ex eodem Paulo ſolos Reges poteſtatis nomine hic accipiendos, ideòque ſolos legum pœnis eximendos: aut ſi cùm poteſtates dicimus, intelligantur etiam alii magiſtratus, ab eodem auctore Deo in eundem vſum inſtituti: illud quoque velim vſtendant, vbi omnes magiſtratus legibus ſoluti, & à pœnarum metu liberi pronuncientur: aut ſolis Regibus iſta immunitas ſit conceſſa, cæteris qui in poteſtate conſtituti ſunt negata.* O argutam complexionem ſcilicet, & priſco Arcade dignum dilemma, vbi verò id ſomniauit Buchananus? neque enim veriſimile eſt hominem ſanum & ſobrium & qualis ille erat, arte, ingenio, ætate, experientia egregiè præditum tam inepta niſi ſomno oppreſſum effutiſſe. Petit vti oſtendamus, vel poteſtatis nomine ſolos Reges contineri, vel, ſi generatim omnes magiſtratus accipiendos fateamur, Regibus ſolis iſtam impunitatem eſſe conceſſam: quorſum hoc quidem? neutrum certè neceſſarium eſt ad id quod aſtruimus, neque vt ſolos, inquam, Reges poteſtatis verbo ſignificari (quamuis D. Ambroſius locum illum Apoſtoli de Regibus tantum interpretetur [2]) neque vt à communi aliorum iure nominatim exceptos doceamus. Nam Regum facta ideò impunita manere dicimus, quia iudex idoneus in terris nullus eſt, à quo reprimantur: at non ita res ſe habet in aliis magiſtratibus: ſuum quiſque ſuperiorem agnoſcit: itaque cùm gradus quidam & ordines ſint poteſtatum in omni politia tam eccleſiaſtica quàm ciuili, infimæ mediis, primis mediæ ſubiiciuntur, ſimulque vni velut ſupremo capiti

1 Buchan. ca. 74.

2 in commẽtar.

capiti omnes. Caput autem illud in Democratia eſt populus vniuerſus, in Monarchia eccleſiaſtica Pontifex maximus, in ſeculari & ciuili Rex & Princeps ſummus, in quē populus omne ſuum ius & poteſtatem tranſtulit. Huic igitur alii rationem geſti magiſtratus reddunt: muneris malè obiti & ſcelerum omnium pœnas perſoluunt quia ipſe eſt ſublimior poteſtas, cui ex Apoſtoli ſententia parendum eſt. At contrà hic aliis rationem reddere non tenetur, cùm nullum inferioribus in ſuperiorem ius ſit, vt ſæpe iam dictum eſt. Quod igitur ſcribit eo loco D. Paulus, non ita accipi debet, ne magiſtratus delinquentes legitimis pœnis, ſed ne ab iis quibus præſunt coerceantur veluti ne à manipulariis decuriones, à decurionibus centuriones, à centurionibus tribuni, à tribunis magiſter equitum vel legatus, à magiſtro aut legato dictator vel imperator, ſed contrà illi ab his vt cuique in inferiorem poteſtas data eſt, puniantur: & in eccleſiaſtica Hierarchia ſimiliter Religioſi ſuis Prioribus vt, vocant, Priores Prouincialibus, Prouinciales Generali, Generalis ſummo Pontifici, non contrà, parent & pœnas dant, vbi aliquid commeruerunt. Videmus itaque ius idem ab Apoſtolo de Rege & cæteris magiſtratibus conſtitutum, & vnâ omnes homines regula comprehenſos, vt omnis ſcilicet anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & Regem ideò humanæ pœnæ metu ſolutum, quia ipſe ſupremus eſt, ſoli Deo ſubiectus, à quo ſolo & iudicandus. Nihil naturæ & rationi conuenientius, nihil intellectu facilius dici potuit: quod nō animaduertiſſe dormitantis vel obtuſi ingenii, non probaſſe, malitioſi & peruicacis fuiſſe negari non poteſt. Illud autem quid? quod ait rationem malè obiti imperii ſolere exigi à magiſtratibus, qui Regibus, ſunt æquales Vigilanſne Buchananus an dormiens, inſanus an ſomnians hoc excogitauit? Nam nullus vſpiam magiſtratus extra monarchiam Regi æqualis reperitur, nullus etiam monarcha qui Regi par ſit reddendæ rationi adminiſtrationis obnoxius. Dictatura apud Romanos nihil aliud fuit quàm ſemeſtris Monarchia, proindeque Dictatoris ſummum & liberum erat imperium, nec vllam conſiliorum factorumque rationem reddere tenebatur, [1] eiuſque adeo dicta pro numine obſeruabantur. [2] Quinimo magiſtratus multi Regibus inferiores ea libertate fructi ſunt, ne rerum geſtarum ratio ab iis repoſceretur, vt ſuprà hoc ipſo libro commo-

1 Vide quæ ſcripſi cap. 5.
2 Liuius lib. 8.

monui [1]. mittam igitur hoc ſomniantis delirium, ridendum ſanè potius quam refellendum, vt ſeria quæ me hinc vocant ſequar.

1 cap. 9.

Eandem ſententiam confirmari doctrina antiquorum Patrum, tàm naſcentis Eccleſia, quàm ſequentium ſeculorum: & œcumenici conci'ii authoritate. Idem VVicleſſum & recentes Monarchomachos docuiſſe: hos eius eſſe diſcipulos, & interpretes, qui damnatum iam pridem in eo dogma ab inferis reuocarunt.

CAP. XI.

QVæ hactenus, de ſumma liberaque regnandi poteſtate Principibus in populos data, ex biblijs ſacris vbertim protulimus, ea toti Eccleſiæ Catholicæ rata & grata ſemper fuiſſe, teſtatur iugis illa Patrum, & diuini atque humani iuris interpretum omnium aſſenſio. Qua in re admirabilis quædam Dei prouidentia elucet: Nā quanquam neque prima naſcentis Eccleſiæ tempora, neque iis continuo plurium ſeculorum ordine ſuccedentia, vſque ad has deploratas, & penè deſperatas ætatis noſtræ calamitates, vllum vix habuerint Chriſtianum, qui Regum authoritatem, atque adeo illum D. Pauli locum, & ſimiles Scripturæ ſententias in apertam controuerſiam vocaret, aut Reges legum pœnis obnoxios eſſe contenderet. Tamen vt certum nobis fidei teſtimoniū reſeruaretur aduerſus eos, qui hiſce mundi ſeneſcentis temporibus Scripturæ ſenſum mutare, atque omnem excidere veritatem connituntur, nonnulli primæ, mediæ, poſtremæ ætatis Eccleſię grauiſſimi ſcriptores (Deo id ad noſtram vtilitatem ſuggerente) hunc articulum perpetuis monumentis clarum atque teſtatum reliquerunt.

Dixit. vixi propter Huſſitas.

Ac in primis quidem Tertullianus apertè & ſæpe docet, quæ fuerit eccleſiæ ab Apoſtolis inſtitutæ, & nouo adhuc martyrum ſanguine in dies rutilantis, de Principum dignitate ſententia. Nam Chriſtianorum innocentiæ defenſionem ſuſcipiens, quos variis delatorum calumniis oppreſſos, & non ſolùm homicidii, ſacrilegii, atque adeò omnis generis infamiæ falſa ſuſpicione laborantes, ſed etiam maieſtatis accuſatos viderat; eò maximè quòd per genium Principis non deierarent, inter cęteras diluendorum

crimi-

criminum rationes ſic ſcribit[1]. *Ideò ergo committimus in maieſtatem Imperatorum, quia illos non ſubiicimus rebus ſuis? quia non ludimus de officio ſalutis eorum qui eam non putamus in manibus eſſe plumbatis? Sed vos religioſi qui eam quæritis vbi nõ eſt, petitis à quibus dari nõ poteſt præterito eo in cuius poteſtate eſt. Inſuper eos debellatis qui eam ſciunt petere, qui etiam poſſunt impetrare dum ſciunt petere. Nos enim pro ſalute Imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, & Deum viuum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit imperium, ſciunt quis homines, quis & animas; ſentiunt Deum eſſe ſolum, in cuius ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi ante omnes deos & ſuper omnes homines. Qui vtique viuunt & mortuis antiſtant, recogitant quouſq; vires imperii valeant, & ita Deum intelligunt, aduerſus quem valere non poſſunt, per eum ſe valere cognoſcant. Cælum denique debellet Imperator, cælum captiuum triumpho ſuo inuehat. Non poteſt: ideo magnus eſt, quia cælo minor eſt. Illius enim eſt ipſe, cuius eſt cælum omnis creatura. Indè eſt Imperator, vnde & homo, antequam Imperator: inde poteſtas illi, vnde & ſpiritus.* Et paulò inferiùs [2]. *Nos iudicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit.* Et mox. *Sed quid ego amplius de religione atque pietate Chriſtiana in Imperatorem, quem neceſſe eſt ſuſpiciamus, vt eum quem Dominus noſter elegerit, vt merito dixerim, noſter eſt magis Cæſar, vt à noſtro Deo conſtitutus. itaque vt meo plus ego illi operor in ſalutem. ſiquidem non ſolum ab eo poſtulo qui merear impetrare, ſed etiam quod temperans maieſtatem Cæſaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui ſoli ſubiicio: ſubiicio autem cui non adæquo.* Et rurſus alibi [3]. *Colimus ergo & Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus maior eſt dum ſolo vero Deo minor eſt.* En quo ordine Chriſtiani omnes in veteri & vera Eccleſia Reges & Imperatores ſuos habuerunt. Hanc enim Tertullianus non ſuo nomine, & pro ſeipſo tantum, ſed pro vniuerſo Chriſtianorum cœtu, & omnibus Eccleſiæ membris apologiam contexuit, quam à multis quidem firma conſenſione laudatam, à nemine verò reprehenſam animaduertimus. Quod ſi priſci illi Chriſtiani, tàm manifeſto Dei ſpiritu acti, eam fidei profeſſionem dederint, qua ſe credere Reges ſolo Deo minores, Deo ſoli ſubiectos eſſe, proteſtabantur: quo iſtos ſpiritu ductos cenſebimus qui contrarium

nunc

1 in Apolget. aduerſus gentes.

2 ibidem.

3 ad Scapulam Præſid. Carthag.

nunc ſentiunt? Nam ſi cùm veteribus conuenire ſe dicant: ſciſcitabor ab iis, quemnam ei iudicem ferant qui ſolo vero Deo minor eſt? cuius dignitatem ſuſpicere, cuiuſque authoritati parere velint hominem à Deo ſecundum, in ſolius Dei poteſtate conſtitutum? Nunquid aut diuinæ poteſtatis conſortem aliquem, aut Deo vero ſuperiorem nominabunt, qui Regi legitimo legis multam vel pœnam irroget? Næ magna hæc eſt animi vel peruerſitas vel cæcitas quâ nolunt aut nequeunt cauſas rerum atque momenta ad fidei & rationis normam à maioribus præſcriptam dirigere. Neque verò dici poteſt talia Chriſtianos tunc temporis elocutos, vt iis velut blandimentis Imperatores ſuos aucupandæ gratiæ & beneuolentiæ ſtudio demererentur. eam enim obiectionem aduertens Tertullianus & anteuertens, eos de adulationis ſuſpicione grauiſſimis rationibus purgat. *Adulati nunc ſumus Imperatori* (inquit) *& mentiti vota quæ diximus ad euadendum ſcilicet, &c.* Tertulliano aſtipulatur Origenes. [1] qui licet in commentariis ad cap. XIII. epiſtolæ Pauli ad Rom. varias eius loci myſticas & allegatoricas expoſitiones proponat, tamen vulgarem & cõmunem hanc ipſe fatetur, vt Regibus ac poteſtatibus publicis ſimpliciter & vniuersè ſubditi ſimus. *Cæterũ* (inquit) *quatenus ſalua pietate licet, non ita inſanimus, vt in nos irritemus Reges, aut poteſtates publicas ſæuituras, per tormenta & ſupplicia. legimus enim in noſtris literis, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt. Quæ verba in commentariis ſuper epiſtolam ad Romanos, vt potuimus, non vno modo enarrauimus: nunc verò ſimpliciter iuxta vulgarem ſenſum, ad præſens negotium citauimus, quandoquidem Celſus negat eis dignitatem contigiſſe abſque fauore dæmonum.* Deinde (vt erat feracis & facũdi ingenii, multumque indiſſerendo ſubtilis) addit *Et quonidm multa dicenda eſſent de Regum & Principum ſtatu, quòd res diſquiſitione non careat, propter aliquot Principum ſæuam tyrannidem, & alios licentia poteſtatis prolapſos in delitias & nequitiam, ideo hunc locum impræſentiarum ſuperſedimus excutere.* Nempe præuidit quàm longè lateque cauillationes hæreticorũ ſe ſoleant diffundere, nihil vt tàm certum, tam ſacrum, tãque ſyncerum ſit, quod ſuis illi argumentis non impetant, profanent ſacrilegiis, ſpurcitiâ lutent, & quamuis non poſſint, conentur tamen audacter euertere. Prouidit inquam blan-

[1] lib. 8. cont. Celſum.

blandas illas, ſed fucatas, & venenatas rationes obiici poſſe aduerſus vulgarem & verum præcepti Apoſtolici intellectum, quibus noſtro nũc primùm ſeculo homines apoſtatæ. & quidam alii nimis populares & cæcâ inuidiâ ducti, velut flabris ſeditionum vtuntur ad ventilandam multitudinem aduerſus Reges & Principes ſuos legitimos, & ideo monuit rem illam non carere diſquiſitione, ſed eius interea examine ſuperſedendum; vel quod de ea tunc inter omnes Chriſtianos ſatis conuenerat, vel quia Celſus, contra quem diſputat, nullam de ea fecerat mentionem: & ipſe ſi omnibus aduerſariis argumentis recenſendis, refellendiſq; fuiſſet immoratus, in nimis longam, nec ad inſtitutum neceſſariam digreſſionem excurriſſet.

Huc accedit quòd B. Auguſtinus ſumma pacis belliq́ue
munia Regibus tribuat; legum ſcilicet ferendarum [1], & 1 Vid. s. d. pag.
belli indicendi gerendiq́ue arbitrium [2], & vt ait Iuſtinia- 61. lib. 2.
nus [3], τὴν τοῦ πολεμεῖν τε καὶ εἰρήνην ἄγειν ἐξουσίαν, id eſt bellã- 2 lib. 22. cap. 75. aduerſ. Fauſt.
di & pacificandi authoritatem: quæ cùm ſupremæ tantùm Manich.
poteſtatis ſint, & non ad ſingulorum vtilitatem, ſed ad cõ- 3 Nouel. de Con-
munem totius Reipublicę ſalutem ſpectent, planum nobis ſul. 105. coll. 8.
facit cenſere ſe nullam in regno authoritatem regiâ ſubli-
miorem eſſe. Nam vbi populus ſui potens eſt, nullum neq; bellum neque fœdus, niſi ſe authore fieri aut feriri patitur: nec vlli id vniuersè permittit, niſi cui imperiũ ſupra ſe dedit, & in cuius ditione ac poteſtate ſeipſum eſſe agnoſcit, ob eamque cauſam Reges Spartani, quia non ſui prorſus arbitrii, ac proinde non verè Reges erant ſed in Ephororũ, & populi poteſtate, (vt antè oſtendimus [4]) nihil de bello vel 4
pace, niſi iubẽte ſpeciatim atq; mandãte populo decernere
audebant [5] *Si igitur ſuſcipiendi belli authoritas, atque conſilium* 5 Plutarch. in
penes principem ſit, vt ait D Auguſtinus, idque ſummæ pote- Ageſilao.
ſtati coniunctum, atque annexum officium ſit, nec ſummo celſius reperiatur, quomodo poterit aliquem Republica iudicem habere is, qui caput ipſe Reipublicæ eſt, & penes quem ſumma totius reſidet Num quid membris caput, ſuperius inferiori, contra naturam ſupponemus? Idem alibi. *Ita à plebibus Principes, & à ſeruis domini ferendi ſunt, vt ſub exercitatione tolerantia ſuſtineantur temporalia, & ſperentur æterna.*

Prætereo hîc luculentum D. Hieronymi teſtimonium,
eſt enim à nobis ſuperius relatum [6], quo Regem nemini 6 cap. 4.
nemini niſi Deo ſubiectũ eſſe monet. Idque ipſum B. Ambroſius

broſius apertius & prolixius docet [1]. *Peccauit Dauid quod ſolent Reges, inquit, ſed pœnitentiam geſſit, fleuit, ingemuit, quod nō ſolent Reges. Quod erubeſcunt facere priuati, Rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent ſuum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis tenebatur legibus humanis Rex vtiq; erat, nullis ipſe legibus tenebatur: quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnā vocantur legibus, tuti imperij poteſtate. homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.* Nec minus diſertè id exprimit B. Gregor. Turon. [2]: ita enim ad Regem Chilpericum. *Si quis de nobis ô Rex iuſtitia tramites tranſcendere voluerit, a te corripi poteſt: ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, ſed, ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te damnabit, niſi is qui ſe pronuntiauit eſſe iuſtitiam?* quibus verbis monet Regē officii, ne ſumma hac poteſtate libertateque ad iniuriam ſubditorum abutatur, Deum iudicem verum & ſeuerum, ſi quid perperam fecerit habiturus.

Sic Otto Epiſcopus Friſingenſis [3]: *Præterea*, inquit, *cùm nulla inuoniatur perſona mundialis, quæ mundi legibus non ſubiaceat, ſubiacendo coerceatur; ſoli Reges, vtpote cōſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſeculi legibus non cohibentur. Vnde eſt illud tàm Regis quàm Prophetæ teſtimoniū, Tibi ſoli peccaui. Decet ergo Regem non ſolum animi magnanimitate nobilitatum, ſed & ad cognoſcendum creatorem ſuum diuina gratia illuminatum, Regem regum, Dominum dominantium Deum præ mente habere, & ne in manus eius incidat quantum poteſt, modis omnib. præcauere. Cùm enim iuxta Apoſtolum omni mortali horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis: Regibus tamen, qui nullum præter ipſum ſupra ſe habent quem metuāt, eò erit horribilius quò ipſi cæteris poſſunt peccare liberius.* Hinc Ciuilis & Pontificii iuris periti, vno omnes ore affirmant, *Principem ſoli Deo habere de peccato reddere rationem* [4], *& ſoli cælo debere innocentiæ rationem* [5], *nec poſſe cogi ſtare in iudicio alicuius, ſed poſſe ſemper excipere dicendo: Dominus eſt qui me iudicat.* vt docet Barbat. [6].

Hæc autem & his ſimilia antiqui Patres non præſenti aliqua errorum confutandotum neceſſitate coacti (nam idem tunc omnibus de Regibus ſenſus fuit) ſed prouido rerum futurarum ſpiritu afflati, Chriſtianis animis præmonendis & præoccupandis tradiderunt. Poſtquam verò Sathan VVicleffum & Huſſum magiſtratibus Eccleſiaſticis & ſecularibus inuſitata rabie inuadendis exuſcitarat; non iam ſinguli ſed vniuerſi ad commune illud Reipub.

Chri-

1 in apolog. Dauid. cap. 4. & ca. 10.

2 lib. 5. ca. 17. Aimoin. l. 3. cap. 26.

3 in epiſt. ad [illegible] Oenobarbum, præfixa Chronico.

4 can. totam. de pœn. diſt. 3.

5 can. aliorum. 9. q. 3.

6 in ca. cum veniſſent. col. 4. de iudic. Vid. Chaſſan. part. 5. catal. num. 72.

Chriſtianæ incendium extinguendum concurrerunt. Itaque inter alios VVicleffianæ hæreſis articulos, damnatus hic eſt & exploſus in ſynodo Conſtantienſi [1]: *Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos relinquentes corrigere.* Cuius concilii celeberrimi authoritatem ſequutus paulò poſt Gaguinus, & ipſe vir Eccleſiaſticus religioſus in deſcriptione rerum geſtarum Clotarii II [2]. (qui, vt ille ait, *Rex fuit non mediocriter literatus, patiens admodum, erga Deum timoratus, ad inopes liberalis, clero populoque acceptus*) poſtquam retulit eius iuſſu, vt fama eſt, miſſos ſatellites, qui Godinum nobilem Burgundum indemnatum necarent, addidit. *Regibus enim, quandoquidem licentia vt volunt viuendi permiſſa eſt, vita quoque & necis poteſtate ad ſe traducta, nunc hos nunc illos pro ſuo arbitrio occidere, fas eſſe videtur.* Licentiam autem viuendi vt volunt Regibus permiſſam, & videri fas eſſe quod faciunt, proculdubio adſcripſit, propter eam qua inter homines delictorum impunitatem gaudent. Non quòd nullum iuſtitia alienum, vel aduerſum legibus facinus patrent, ſed quòd pœnas commiſſi humana coertione non luant. Alioqui profectò haud quaquam veriſimile eſt, tantum virum vel per doctrinam ignoraſſe, vel per religionem, fidem, & Eccleſiaſticam libertatem diſſimulare potuiſſe, talia ſine ſcelere non committi, eamque viuendi licentiam efficere, vt omnia Regum arbitria ſana & ſancta eſſe putentur.

Hoc igitur ad nos dogma, velut per manus traditum, à maioribus peruenit, quod cùm à multis lõgo ſeculorũ ordine promulgatum ſit & propagatum, atque interim à nemine probo & prudente reprehenſum, non poteſt non videri ab omnibus tàm expreſſa docentium volũtate, quàm tacito audientium conſenſu approbatum. Proinde neceſſe eſt, vel antiquitatem totam in eo erraſſe fateamur, vel rẽ diuinis legibus conſentaneam, regnoque in primis & Reipub. ſalutarem ea ſententia contineri. Itaque quod aſſerit Philippus Cominæus [3], Regibus in ſubditos imperium eſſe, à quibus arbitratu ſuo pœnas exigant: Deo autem in Reges, qui prout viſum eſt, in eos animaduertit: propterea ꝙ alios ſupra ſe nullos habent; non dubium quidem, quin id à ſui ſeculi Theologis acceperit, quos ſe in rebus arduis conſulere ſolitum, alibi ſatis indicat [4]. Nam ipſum quidem ab aulica aſſentatione alieniſſimum eſſe, & Principũ vitia liberius perſtringere ſolitum nemo neſcit, niſi qui eũ non legerit.

Sed

1 Seſſ. 8.

2 Lib. 3. ca. 2.

3 de geſt. Carol. VIII ca. 50. in fin.

4 vbi tractat de imper. Carol. VIII. & de Hieronymo Florentino.

Sed bone Deus quàm mutati hominum mores quàm in deterius actę ſunt res mortalium, ſi quiſpiam tale quid hac tempeſtate in Gallia ſcriberet aut diceret, quantis illum obſtrepitationibus turba furens, & plebicolæ omnes exciperent? Politicus eſt, impius eſt, atheus eſt Regis mancipium eſt, & quid non iniuriarum ſtatim audiret? ſed nondum tunc Lutherana vel Caluiniana peſtis mentes hominum inuaſerat, quæ diuina ſimul & humana omnia peruertit: nondum ſerpſerant hæ morum contagiones, quibus Catholici quidam exemplo inſanientium hæreticorum nunc inſoleſcunt, & ad tuendam rationibus rebellionem excitantur. Vim & impreſſionem populorum aliquando in Principes legimus, audiuimus, vidimus: ſed licere id populis, pro ſuo in Principes imperio, neminem ex tot retrò ſeculorum memoria ſcripſiſſe aut dixiſſe commemini, exceptis iis, quos olim concors illa Patrum orthodoxorũ ſententia damnauit: cùm iſti tamen aduerſarii noſtri non ſolùm toti populo, ſed vni alicui ciuitati, imò vni homini præfecto prouinciæ vel vrbi id iuris largiantur, idque poteſtatis tribuant vt aduerſus Regem crudeliùs imperantem arma moueat, eumque vt hoſtem perſequatur [1]. Qua in ſententia VVicleffum ipſum dogmatis impuritate non æquant modo, ſed ſuperant. Ille enim præcisè dixit, Principem ſeu Dominum delinquentem à popularibus corrigi poſſe: quo nomine ipſum populum vniuerſum intellexiſſe putandus eſt, ne ſi aliter id verbum interpretemur, vel Synodus VVicleffo, vel nos ſanctæ Synodo, calumniam ſtruere videamur. Nam cùm in ambigua voce ea ſignificatio accipienda ſit, quæ vitio caret, & rei cauſam ſuſtinet potius quàm ſubuertit [2], fit vt ſi concilium per vocabulum, *populares*, intellexerit aliquos, vel ſingulos de populo tantùm, atque ideo pronunciatum illud execrata ſit, reum iniqua & inuidioſa vocis interpretatione grauarit (cùm æquè totum ac pars eo nomine cõtineatur.) quod nec putare quiſquam, nec affirmare ſine piaculo poteſt. Sin verò & ipſe VVicleffus de toto populo ſenſit & ita ſentientem damnauit ſynodus: æquè nos ſanctis illis Patribus iniuriam facimus, ſi quod illi de toto decreuerint, nos de parte, quod illi de toto decreuerint, nos de parte, quod illi de vniuerſis, nos de ſingulis tantùm accipiamus. Omitto celeberrimũ illum Patrum conſeſſum, ſi eam VVicleffi doctrinam improbaſſet, non quia idi vniuerſo populo nõ liceat, ſed quia non

Loquitur de ea tempeſtate qua hoc ſcribebat, Boucherius.

1 Brut. quæſt. 3. pag. 210. & 212.

2 l. in ambigua. 19. D. de legib. l. quoties. D. de reb. dub. c. in pænis de reg. iur. in 6. cum ſimilib.

non ſingulis de populo, ne per eiuſdmodi licentiam inſidiandi Principibus via aperiatur id cùm pro ſua prudentiâ, tum aſſiſtentis Dei Spiritus gratia & ſapientia indicaturũ procul dubio fuiſſe, vt ſcirent ſaltem Chriſtiani; vtrum illud pronunciatum ſimpliciter: atque omninò, an verò quadam ex parte, & vno tantum ſenſu intellectum reiiceretur. ꝙ cùm factu facilimũ eſſet rebus ad amuſſim & penſiculatè examinatis, nec factum tamen ab iis ſit qui vt orbi conſulerent conuenerunt: Purum id fuiſſe iudicium, atq; illam VVicleffi enunciationẽ generaliter vtrocunque modo intelligatur fuiſſe damnatam, fateri ſanè par eſt.

Quod cùm ita ſit, cùm inquam hunc VVicleffianæ hæreſis articulum, & alios eiuſdem farinæ multos, Patres illi vno omnes ore condemnarint, quorum ſententiam Pontifex maximus ſuâ pòſt authoritate ratam eſſe voluit (alia enim eius ſynodi decreta, quæ ſummum Pontificem neque authorem, neque comprobatorem habent, exiguo ad perſuadendum, ad cogendum planè nullo in Eccleſia momẽto ſunt) Quis non vel miræ temeritatis, meræque malitiæ, vel inſcientiæ & amentiæ miſerabilis eſſe dixerit, aſſertionem illius iam pridem exploſæ: non ſimilem modò, & maximè geminam, ſed ſenſu prorſus eandem, nunc iterum terendam vulgo atque tenendam proponere? Quid enim intereſt, dicas cùm VVicleffo, *Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere:* an cum noſtris Monarchomachis, populo vitæ ac necis poteſtas eſt in Principes ſuos, ita vt delinquentes in ordinem cogere, plectere, pellere ſolio & abdicare, planeque in ipſos vt in cæteros criminum reos, capitis iudicium conſtituere poſſit? nam nõ dubium quidem quin quamlibet Regi pœnam vel multam ſuo arbitratu irrogaturus ſit, ſi cætera concedamus: ecceuius enim alterius arbitrio ea res committatur ſi populus Rege, populo nemo ſit ſuperior? Quid igitur iſti aliud quàm VVicleffus? Nempe quod ſectatores & diſcipuli diligentes ſolent, magiſtri ſententiam dilatant, & vatis ſui mentem breuitate ſermonis obſcuram, & inuolutam, euoluunt atque explanant. Ac ne ipſi parùm profeciſſe explicando, & interpretes tantùm egiſſe videantur, addũt præterea de ſuo; non id populo ſolùm vniuerſo iuris eſſe in Principem, ſed cuilibet etiam prouinciæ: vel vrbi quæ regni partem conſtituit: aut ciuitatum rectoribus, cæteriſque magnatibus & miniſtris ſingulis, quos regni officia-

Monarchomachi ſunt diſcipuli & interpretes VVicleffi.

rios vocant, quibus non ſecus ac Regi concreditam eſſe Rempublicam falsò gloriantur [1]. Qua ratione Brutus (cuius delirium antè deriſimus [2]) non erubuit affirmare Dauidem peperciſſe Sauli, & fuga ſibi ſalutem quæſiiſſe, cum nullo eum negocio interimere poſſet *Quia non erat ex optimatibus populi* [3]. Hoc igitur impedimento ſublato, conſequens eſt ſecundum eum à quolibet vno ſummatum Saulem impunè iuréque cædi potuiſſe. Atque ita Regem tot ſupra ſe iudices, vindicéſque legitimos habere, quot infra ſe & à ſe conſtitutos magiſtratus & adminiſtros habeat. Hæc illa ſunt præclara Caluiniſtarum interpretamenta, hæ ipſorum additiones in veſanũ & deteſtabile illud VVicleffi dogma, quod ab inferis reuocatum furialibus commentariis illuſtrarunt. Sed qui hæreſeos vim norunt, talia in eius alumnis nõ magnopere admirantur: cui enim ſpernax imperii Eccleſiaſtici animus non clarum de ſe iudiciũ deſpiciẽtiæ & illuſionis ciuilis Monarchiæ hoc ipſo ſtatim præbeat [4]: Illud valdè miror & vehementer etiã doleo, repertos eſſe ex noſtris, qui ſiue odio in Regem legitimum acerbiore concitati, ſiue paucorũ deſideriis obſequendi ſtudio pellecti, tam inconſideratè & intemperanter ſe recens ad hanc ſectam applicuerunt, vt in ea re Bruti diſcipulos potius, quam Doctores Catholicos eſſe credas. Verum his alias reſponſa parabimus: cæpta nũc ordinè proſequemur.

1 Brut. quæſt. 3. pag. 198. & 210.
2 cap. 7. ſuprà.
3 quæſt. 3. p. 212.
4 2. quæſt. 7. can. non poteſt.

Superiorem ſententiam de Regum libertate, impunitate, ac ſupremâ in populum poteſtate, Catholicam & Apoſtolicam eſſe, atque perpetuò in Eccleſia retentam. Probatur etiam ex ſcriptis Patrum & Theologorum huius ætatis, quæ firma orthodoxorum conſenſione laudantur.

CAP. XII.

ANtiquis iſtis Patribus (quorum ductu atque doctrina Eccleſiam ſuam Deus regere, & illuſtrare ad hæc tempora dignatus eſt) recentiores nunc & coætaneos noſtros, pietate iuxtà & eruditione inſignes, ac graues inprimis hæreticorum aduerſarios, hîc adiungam: vt quã nos de Regibus ſententiam tuemur continuatam & retentam perpetuò à Catholicis hominibus fuiſſe cõuincamus. Nam hæretici vbi primùm animaduerterant infælix illud & peſtilens lolium quod Chriſtianis animis inſeminabat, opinione lentiùs creſcere, & ſerpere tantum, nec ſe attollere &

ſe & propagare radices ſuas per Reges & Principes Catholicos poſſe, bellum ipſis clanculùm & diſſimulanter inferre, atque hanc ipſam de ſumma imperii litem intendere protinùs occœperũt: vt abdicatis ſcilicet Regibus, ſummũ ius atque imperium populis addiceretur, ſimul etiam pronunciaretur illos in horum eſſe mancipio, & ab his poſſe vi & armis, ſi ſecùs nolint, ad faciendum vel patiendum compelli. Quorũ calumniam religioni & Reip. exitioſam, cùm a'ii, tùm duo ſacræ Theologiæ Doctores eximii detexere, Cunerus Epiſcopus Leouardienſis, & VVinzetus Abbas S. Iacobi Ratiſponæ: atque arcere procul Chriſtianis finibus conati ſunt libris laudatiſſimis; & omnium orthodoxorũ calculo approbatis, in eam rem editis. Sed Cunerus quidem preſſiùs & leuiùs id egit, quia nondum prodierant in lucem recentiores iſtorum libri, in quibus intolerabilia in Principes opprobria & maledicta poſtea euomuerũt: vt ſolent ſemper eſſe hæreticorum δεύτεραι φροντίδες παραφρονέστεραι [1]: VVinzetus verò vberiùs, & vt res tum exigebat acriùs paulò cauſam illam Regum iuſtiſſimam perorauit. Ex horum igitur libris quædam nec verbis mutata, nec interpretatione detorta, huc tranſcribam, vt Lector Chriſtianus Catholicus ſi non mihi (qui etſi nihili ſum, humilis tamen Eccleſiæ filius ſum) magnis ſaltem Theologis & patribus Eccleſiæ, quorum memoria eſt in benedictione, fidem habeat. Cunerus itaque [2]. *De Regum & Principum authoritate*, inquit, *quidam differentes putant eam ſolùm ex placito, ac conſenſu pendere ſubditorum, qui Principes eligunt, vel recipiunt, vel ſaltem in eos acquieſcunt: quoniam plenum iuſtitiæ & æquitatis eſt: quem in caput aſſumunt, ei velut inferiora & ſubdita membra obtemperent. Cæterùm beatus Apoſtolus qui ſpiritu ſcrutabatur profunda Dei, longè altius huius poteſtatis originẽ & fundamentum eruit. Non eſt, inquit, poteſtas niſi à Deo: &c. quibus ex verbis benè conſideratis dilucidè patet, quod non ex ſolo populi conſenſu, quaſi tantùm ex pacto inter Principem & populum inito, Rex poteſtatem & authoritatem in ſubditos habet, ſed etiam ex ipſo diuino iure, & Dei videlicet conſtitutione: quoniam, inquit, poteſtas à Deo eſt, & quæ ſunt poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, quod grauius & amplius eſt, quàm ſolum pactum & fœdus initum violare. Nam ſi ex ſola in Principem conſenſione populus ei ſubeſſe teneretur, iam non obediendo fœderi quidem & pacto, ſed non propriè ac directè Dei ordinationi, reſiſtere diceretur, quod Paulus in reſiſtẽdo proximè & immediatè*

1. id eſt poſteriores cogitationes inſaniores.

2. lib. de offic. Princip. Chriſtiani. cap. 5.

diatè violari ſignificat, quoniam poteſtas cui reſiſtitur à Deo ordinata eſt: ſic vt rebellio non iam contra hominem, ſed contra Deum cenſeri debeat. Et poſt [1]. *Nam vt iſtis etiam & illud addamus, cùm Ioas verus Rex Iuda, ad idola impiè relicto Deo declinaret, & Zachariam Prophetam filium Ioiadæ crudeliter interfeciſſet, ſerui quidam Zelo commoti inſidiati ſunt Regi, & occiderunt eum in lectulo ſuo: ſed iuſtè ab Amaſia ſequēte Rege iugulati ſunt Scriptura nobis ſemper & vbique teſtante, Regibus, licet peccent, per nullam vim vel arma repugnandum eſſe peccant enim grauiſſimè ſi poteſtatis hac amplitudine abutantur, & vel iuramenta Prouinciis præſtita non ſeruent, vel nimium cupiditatibus indulgeant. Sed pro his criminibus iudicabit eos, quæ Regibus omnibus maior eſt veritas, & ſapientia* [2], *quæ ad impios Reges clamans ait* [3] *Audite Reges & intelligite, &c.* Et iterum eodem capite de regia poteſtate loquens. *Cuius quidem poteſtatis, inquit, licet ex lege Dei ſimul, & ex iuramentis & pactis ſint in exercitio limites & cancelli: nulla tamen pacta vel contractus diuinæ ordinationi, qua Rex poteſtatem ſuam habet, præiudicare poſſunt, vt populus aliquando contra Regem ſuum ad arma conuolare queat.* In Principe igitur authoritas à populo ſolo non eſt, eique propterea ſolus populus ipſam illam autoritatem auferre nequit, indéq; eſt quod quamuis ſolutus & liberatus promiſſione ſua videatur populus, tunc cùm Princeps fidem ei datam fefellit fregítque: tamen maneat adhuc vinculo diuinæ poteſtatis aſtrictus, cuius numen in Principe ſuo venerari tenetur, quem cùm violat, Dei ipſius maieſtatem à quo Princeps poteſtatem accepit violare & contemnere proculdubio cenſendus eſt.

Nunc ex VVinzeto quæ ſequuntur. *Ais quod ego minimè reiicio*, inquit [4] *quoniam ſuauiter ſpirat: Regem tuendæ humanæ ſocietatis cauſâ creari: attamen ſi ea non præſtat propter quæ Rex creatus eſt, ſed potius ea nonnunquam perpetrat quæ Regem minimè decent, imò & quæ humanam ſocietatem diſſoluunt, vt malus Rex iure appellari poſſit: tamen vt continuò propterea, quod vrges, tyrannus morte dignus habeatur, nulla ratione tibi concedam.* Deinde in eundem Buchananum [5] Reges populi iudicio ſubiicere conantem ita concludit. *Quoniam igitur illius inauditi tui in Reges iudicii, quod meditaris, exemplum nullum in ſacris literis extat, ſed potius longè diuerſum nobis ibidem commendatur, deinde & benè informatæ naturæ planè eſt aduerſum, pro nefario & ſceleſto illud meritò habemus.* Et pag. 180 recitato ſcripturæ loco, in quo Dauid prohibuiſſe Abiſai lanceâ

Saulem

[1] cap. 7.

[2] Eſd 3. c. 4.

[3] Sap. 6.

[4] in lib. qui inſcribitur velitatio in Georg. Buchananum.

[5] pag. 175.

Saulem perfodere conantem traditur, ſtatim ſubiicit: *Audis veram Dei veri Prophetæ Theologiam, Regem videlicet quantumuis impium, ipſius Dei iudicio & caſtigationi relinquendum eſſe. Niſi Deus inquit percuſſerit eum, &c. Adeóne temerarium putemus fuiſſe inſigni pietate Regem, vt ſi ſciuiſſet ſui fuiſſe muneris, Saulem non minori impietate commaculatum, & ſibi quoque diuina quaſi prouidentia in manus traditum, ſupplicio protinus afficere, ab omni eum ſupplicio liberum dimiſſurus fuiſſet? Minime profectò. Non enim ignorabat ille quàm fuerat iuſtum & æquum, licet multò poſtea ſcriptum, quod de temeraria Regis Achabi indulgentia erga Syrorum Regem Benedadum facta ſcriptũ eſt. Quia dimiſiſti virum morte dignum, erit anima tua pro anima ipſius. Qui enim ignorare potuit, cùm non ignorauerit Saulē ipſum pari de præuaricationis flagitio regno deiectum, ſcq; eo, vnde ille deiectus erat, vocante Deo aſſumptum? Quibus locis quid aliud rectè colligi poteſt, quam in Regem fidelem quantumuis non dico iniquum, ſed & impium manus iniicere nemini licere, niſi à Deo peculiari fortaſſis accepto mandato (quod interfectoribus Regis Amaſiæ vero ſimile eſt contigiſſe) id ſe poſſe confidat: tam reuerenda atque timenda in Dei populo eſt regia maieſtas.* Et mox pag. ſeq. per anthypophoram annectit. *At dices forſan, quod fecerat Dauid modeſtiæ nobis eſſe exemplo, non autem præcepti vim præ ſe ferre. Ineptis, qua, te quæſo, ratione in Dauide cenſebitur modeſtia, quod in ipſo Achabo Rege ſumma habita eſt impietas? Eſt enim quaſi ſcelus idololatriæ Deo monenti nolle acquieſcere. Porro quis credat iuſtiſſimum & verè clementiſſimum Regem, quod ipſe forſan modeſtiæ & leuitatis ergo inultum in hoſte dimiſerat, in pauperc illo Amalechita alienigena, tam crudeliter vindicaturum fuiſſe, niſi putaſſet non licere in Chriſtum Domini violentiã vllam, etiamſi præcepiſſet inferre?*

Rurſus pagina 190. *Etenim duriore iugo pro Regum libidine populum premere, oneribus & exactionibus, cùm neque regia dignitas, nec tuendi regni neceſſitas id poſtulat, eundem onerare, vt quandam tyrannidem eſſe ingenue fateor eam tamen tyrannidem qua iuſtam cauſam populus ſibi credat rebellionem in Regem excitandi, eumq; è ſuo throno deturbandi, cæteraq; tentandi (quæ toties repetere me valdè tuo nomine & pudet & piget,) vti ego nũquam fatebor, ita tu nunquam rationem vel authoritatem, qua quis tantam temeritatem ſibi iure aggrediendam fateri debeat, oſtendes. Qui enim id fieri poſſet, cum Spiritus Dei dicat hoc eſſe ius Regis*[1]*? de quo nimirum Rex, non populus iudicium feret, ſi æqua moderatione populo imponantur ea tantum, quæ ad regiam digni-*

Qua ratione dicatur hoc eſſe ius Regis li. 2. oſtendimus, & cap. 6. hoc lib.

tatem populi, regniq́ libertatem tuendam ſint ſatis. Minus enim malum prauiderat ipſe pacis auth or regno futurum ſi R x im moderatiùs aliquando impunè ſe erga populum gereret, quàm ſi populus iudex & vltor regia iniquitatis, pro ſua libidine ex [illegible]. Quare prouida benignitate Caluinico ſpiritui occurrere voluit, oteſtando hoc eſſe ius Regis in populum non populi in Regē: atq; [illegible] propter eiuſmodi onera nemini in Regem rebellionē excitare licere.

1 ibid. pag. 92. *Quaeret* [1] *hic quiſpiam à me, quid intereſſe putem inter ius illud Regis de quo tam egimus, & inter ea quae de creando Rege, Regiuq́ munere prius ſcripta erant in Deuteronomii libro. Quaeſtio ex verbis vtrobique ſcriptis mihi quidem videtur eſſe facillima & hac eſſe vtriuſque rei ſumma: in hiſtoria quippe Regum [illegible]uerè populo interdici, ne propter onera illa, quae ibidem commemorantur, aut ſimilia immitiùs aliquando licet ſibi impoſita, in Regem aliquando, quem ſibi petiuerunt fiant rebelles: in Deuteronomio autem ne Rex ſuperbiat, & ſic in populum durior euadat, tum ſi [illegible]cet rebellione in Regem populus, Regem eſſe iudicem: ſi verò R x in populum, Deum futurum vltorem.*

Et mox eadem pag. *Regem autem ſi ſuo muneri non ſati faciat, non furori populi, ſed ipſius Dei iudicio committendum eſſe, ſicut colligo ex ſententiis ſupradictis, ita & ex lege in Deuteronomio de ipſo Rege lata* &c. Et paucis interiectis [2]. *Certum eſt, omnem*

2 pag. 202. *praeuaricationem & inobedientiam accepturam eſſe iuſtam mercedis retributionem: non tamen ordinante Deo, niſi à legitimo iudice. Hunc Regibus eſſe ſolum Deum, modò ex diuinis literis [illegible] definiri ſtudes, donec tu aliud oſtendes, eſſe aſſerimus.*

Deinde pag. 266. *Quid pluribus inſiſto? cùm tu neſcire non [illegible]tes in regno eſſe ſolum Regem, à quo tanquam à fonte omnis [illegible]liticis rebus poteſtas dimanat, omneſq; dignitates & magiſtratus profluunt. Neque quiſquam, niſi tuo ſpiritu, certum eſt, inflatus, Regem in ſeculari adminiſtratione negabit, quamdiu Rex manet, iudicem eſſe iudicum, nec eum in illa alicuius praeterquam ſolius Dei iudicio ſubiectum eſſe.*

Et pag. 272. *Caeterum cum bonae leges omnes, vel diuinitus vel humanitus datae, ad hoc ſpectant maximè, vt in Repub tranquillè, pacificè, & piè inter ciues viuatur, eaq́ vitentur maximè, [illegible] maximum periculum iſſi Reip important. vide mihi ſi par [illegible]er ferre vnius hominis improbitatem, moechiam, auaritiam, ebrietatem & rapacitatem, addo & idololatriam (qualem iuſtin[illegible] contendimus Hebraeos in Salomone) ac etiam apoſtaſiam, quale [illegible]tidem iam docuimus Chriſtianum exercitum pertuliſſe in Iuliano, ſit meliùs, tutiùs, & ſecuriùs, quàm omnia Reip. membra in [illegible]*

commit-

committere, & rerum ſumma ſummis obiicere periculis. Nõ enim tam perditæ vitæ poterit eſſe Rex, quin plurimos ex omnibus regni ordinibus ſibi habeat ſatis coniunctos, quorũ ope aditus, ſine cruentis cædibus in ordinem redigi non poterit. Atque hæc quidem & ſimilia eo in libro cui cenſorium hoc Decani Theologicæ facultatis elogium in fine adſcriptum eſt.

Scriptum hoc tanquam Catholicum, pium & eruditum typis dignum eſſe cenſeo.

Ex altero verò, cui Flagello Sectariorum nomen, quique aliorum ſimiliter Theologorum commendatione diuulgatus eſt, ſequentia ad verbum deſcripta ſunt[1]. 1 pag. 31.

Seruiunt Deo Reges, atque alii Principes homines, duplici quidem ratione: vel quatenus ipſi ſunt Chriſtiani, vel quatenus Principes Chriſtiani populi: priore certè modo in ſeruanda nimirum ſana illa orthodoxa & Catholica fide, quam ad ſacrum baptiſmi lauacrum fuerant profeſſi, cum totius vitæ innocentiâ, non minus ipſi Deo ſeruire tenentur, quam quiuis alii. Nam ſicut qui ſeruus ad Euangelii gratiam in Domino vocatus eſt, ſeruus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Verùm ſi Princeps hac parte non plenè ſeruit Deo, ſed committit forſan priuatim vel palam, quicquam diuina lege prohibitum, atque ita quidem Deo aduerſatur, & eum facto negat: an continuò ſibi ſubditi propterea obedientiæ iugum excutere poſſunt? Non opinor, niſi miſeram & ſeruilem magis Regũ conditionem ineptè credamus, quã illorum de quibus ſcribit Dominus: Quodcunque dixerint vobis facite: ſecundum opera verò illorum nolite facere. Quod ſi aliter Satan meus ſentit, oſtendit ſe Huſſitam eſſe, & anſeris ſui ſtrepitu magis, quàm hac clara voce Domini oblectari. Alludit ad ſonũ anſerinum Huſſ.

Et infra ibidem cum hæretico conflictans[2]. *Deinde quod addis*, inquit, *ſi verò dolis agat Princeps aduerſus veritatem ſerpentinâ prudentiâ, rurſus eſt ipſi reſiſtendum, vtrìſque vlnis amplector. Nam verè Chriſtiani non minus prudentes in bono, quàm ſimplices in malo eſſe conuenit. Sed quod tandem de gladio aſſeris. Si veritatem inquirens, gladio Princeps perſequatur, eodem gladio populum veritatem defendere oportet. Libenter cuperem iſtud expreſſo Dei mandato (ſine quo aliàs crebrò docetis nihil in religione tentandum) à te oſtendi. Videor enim mihi animali ſaltem ſpiritu concitato, aliquid tale probari poſſe, ſummoperè velle: ſed occurrit mihi ſtatim illa Domini ſententia[3], ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius: ſi me perſecuti ſunt & vos perſequentur. Multa ſunt eiuſmodi, q̃ vt cũ Chriſto ꝓpter iuſtitiã* 2 pag. 92. 3 Matt. 10.

patiamur, vt illius crucem ferendo tollamus, atq; poſtremò Euangelicam gratiam, Chriſtiq; virtutes liberiùs confeſſione ad mortem vſque conſtanter annunciemus: Sed vt pro Chriſto gladium aduerſus magiſtratum cum Petro tollamus non lego. Et pag. 89. *Dum regni tuendi vrget neceſſitas, poteſt abſolutâ ſuâ libertate Rex quæcunque in regno habentur, ad regni (cuius ipſe, vt à Deo ſibi dati verè Dominus eſt) defenſionem conuertere: neq; tunc, neque aliàs vnquam populus Regi, ſed ſemper Rex populo eſt à Deo iudex conſtitutus.*

Et pag. 93. *Porro fingamus ita eſſe, quod deliri iſti iam ſomniant Chriſtianum aliquem Regem in nonnullam idololatriam, addo etiam in apoſtaſiam delabi, & ſubditos quoq; pro virili, in ea ſcelera ſecum pertrahere ſtudere: licétne continuò ſubditis bello talem Regem aggredi, regno eiicere aut morti tradere? licet profectò, ſi Dei verbo præcipitur: licet, ſi idem ius populo in Regem hoc caſu concedi probetur à Deo, quod Regi in populum. licet poſtremò, mea quidem ſententia, ſi aliquo probato exemplo, vel in vetere, vel in noua lege, oſtendatur hoc fœliciter & cum laude factum aliquando fuiſſe. Sed cùm nihil horum, ni fallor, oſtendi poſſit, quid obſtat quo minus tutiorem, & propinquiorem viam ſaluti & noſtræ & patriæ potiùs inquiramus, quàm cædibus & ſanguine omnia funeſtemus? quàm direptionibus & ſpoliis terram in ſolitudinem redigamus? Nunquam enim contingit, vt à legitimo Rege quantumuis improbo, & tyrannicè imperante regnum ita diſſipetur, vt inteſtino bello, maximè autem ſubditorum in Regem rebellione diſſipari ſolet.*

Deinde paucis lineis interiectis addit. *At quid dixi ego eam rem eſſe in religione dubiam, de qua aduerſarius nihil ad ſuum inſtitutum proferre valet è Scripturis? Si populo poteſtas eſt caſtigandi Regis à Deo conceſſa, è qua Scriptura? Taceo ego, quod repugnet naturæ & ordini rerum, vt corpus dominetur in caput, vt pedes oculo monſtrent viam. Sed adduxit ſcripturam de fœdere illo quod Dei ſacerdos in coronatione Regis Ioas inierat, inter Deum, Regem, & populum. Quid multa? ſi nihil aliud habet, nihil omninò pro ſe habet: imò contra ſe, quod habere putat, impuटenter in medium adfert. Nam ſi accepiſſe ſe populus in Regem poteſtatem exiſtimaſſet, an non aliquando, & tunc maximè cùm idololatram Ioas ipſemet manifeſtum ſe prodidit, illud ipſum argumento aliquo ſignificaſſet? aut ſi populus Hebræus quouis tempore à Moyſe ipſo, ad Chriſtum Dominum hominem factum, penes ſe hoc ius eſſe crediſiſſet, cùm tot eſſent idololatræ Reges, & in Iuda, & in Iſrael, an veriſimile eſt eos perpetuò*

Quis ſit eius fœderis ſenſus, & quomodo impleri debuit, & potuit, eruditè explicat, eodem lib. pag. 77.

tuò ſua iura diſſimulaſſe? At dices ipſum Ioas Regem à ſeruis ſuis percuſſum fuiſſe. Ita eſt ſed à quibus ſeruis, an à ſtatibus regni, an à ducibus prouinciarum, an à populo ſuo? Nequaquam, ſed à duob. proditoribus, non quidem genere Iſraelitis, ſed alienigenis, Iozachar Moabita, & Iozabath Ammonita.

Et mox pag. 96. poſtquã oſtendit ex Apoſtoli præcepto, populum Regi ſubditum eſſe oportere, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Si dicas, inquit, *ita reſiſtendo te non malè agere, ſed rectè, piè, & ſanctè ſinceram Dei Religionem vindicare, vel tuo ſpreto ſanguine ſtudere. Sed id negat Rex qui tibi iudex eſt non tu illi: negant & Dei Sacerdotes, qui non minus Regi in religionis negocio iudices ſunt, quàm tibi: negat & tota fidelium antiquit as proinde & Dei Eccleſia, quibus palã conuinceris eſſe rebellis Deo, Eccleſiæ, & Regi, atque ideò æternam dãnationem tibi, niſi maturè reſipiſcas acquirere. Verum finge ita eſſe vt iam dictum eſt, Regem eſſe iniquiſſimum, impium, imò & idololatram, addo & Apoſtatam, oſtẽde tibi gladium aduerſus illũ à Deo conceſſum eſſe: Nam ſi gladio percutias, iterum dico, niſi gladii poteſtate ſis donatus, gladio te iuſtè periturum declaras.*

Quid plura? talium plenus eſt liber ille, qui totos iam ſedecim annos & amplius per vrbes & ora hominum volitãs Euangelicam veritatem continere, & ad religionis Chriſtianæ, & fidei Catholicæ propugnationem propagationẽque pertinere, atque ipſorum in primis hæreticorum furibundis conatibus & coniurationibus obuiam ire, & incõmodare creditus eſt: ita vt priuſquàm exiret in publicũ, hac aliorum Theologorum teſtificatione ſit commendatus.

Cum liber iſte non modò nihil contineat, quod Catholica doctrina repugnet: ſed pleraque ſubditorum erga ſuos Principes officio: item de Miniſtrorum doctrina & vocatione doctiſſimè explicet, digniſſimum iudico, qui prælo committatur. Ita teſtor ego.

GEORGIVS LAVTHERIVS.

Nihil habet tractatus iſte ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contrariũ Reip. Chriſtianæ offenſiuum: ſed multis de cauſis dignus eſt, qui typis mandetur, & ad multorum manus perueniat. Ita teſtor.

Ego GASPAR FRANCVS D. Collegii Theologici pro tempore Decanus Ingolſtadij.

Adducuntur alia quædã memorabilia ex eode Doctoris VVinzeti libro, quibus Eccleſia iudicium & praxim hac de re luculenter & ſcitè nobis oſtendit.

CAPVT XIII.

QVanquam ſuperiore cap. modum mihi & finem deſcribendi R. Patris VVinzeti teſtimonia feciſſe viſus ſum, quatenus ad eam rem quam tractamus neceſſaria videbantur, nec in iis recenſendis vlterius progredi hoc libro cupiebam. Tamen cùm hinc eius viri autoritas, qui donec ſpiritum communem duxit multos vitæ integ[illegible]itate & pietate anteibat, a paucis etiam doctrinæ ſtudio, & ſacrarum literarum cognitione, atque rerum experient[illegible]a ſuperabatur: illinc verò hominum cum quibus conflictamur partim malitia, partim inſcitia animo & oculis obſeruarentur, è re eſſe exiſtimaui quædam alia adhuc ex eod[illegible] libro in hunc locum transferre, vt Chriſtianis omnibus [illegible] luſtri ſint documento, vel non Catholicum & Apoſtolicũ eſſe, quod de Principibus in ordinem cogendis, deq[illegible] populi in eos iure & poteſtate homines temerarii ne dica temeratores, recens commenti ſunt: vel ad vnius aut alte[illegible] Principis mutati ingenium, mutatam Eccleſiæ Dei & ver[illegible] cæleſtis æternam doctrinam, nefas dictu fateamur. Qu[illegible]pe huius S. Patris ſcripta antequam emitterentur, pub[illegible]cis, vt oſtenſum eſt, ad ſynceritatis fidem faciendam te[illegible]moniis ornata nulli Catholico non grata in primis & rara fuiſſe conſtat: quæ ita tamen iſtis publicolarum ſcriptis e[illegible] diametro opponuntur, vt veritas in vtriſque, ni ſecu[illegible] ipſa pugnet reſidere non poſſit. Equidem arbitror nemi[illegible]em ſani & integri ſenſus Catholicum, tam eſſe auerſum a vero & ſalutis negligentem, vt cùm iſta ſeriò & ſedatè perpenderit, non malit pium Archimandritam & peritum Theologum (imò multos peritos proboſque quibuſcum ille cōſpirat) huius rei ducem ſequi, quam aut Buchanan[illegible] & Brutum contra quos ille nō alia de cauſa, quam fidei Chriſtianæ & Catholicæ Religionis tuendæ ſtudio, vt manifeſtos hæreticos diſſeruit: aut Boucherium qui vel hoc ipſo cunctis ſuſpectus eſſe debet, quod in medio belli ciuilis a[illegible]dore, tumultuoſis concionibus tumultuoſos, imò fam[illegible]ſos libellos adiecerit, in quibus aliquo honeſtatis & neceſſarii officii, atque etiam publicæ vtilitatis integume[illegible]o ſcelera & coniurationes populares ad quas ipſe ſe ad[illegible]nxit, inuoluere

inuoluere conatus eſt: vt mirum non ſit, ſi quarum ipſe excitandarum velut tuba, & alendarum nutritius extitit, de iis protegendis ſummam curam & ſolicitudinē adhibuerit: & qui ſe in Maieſtatis crimen cum cæteris ſuæ factionis incurriſſe certò cognouit, Maieſtatem ipſam verbis extenuare, atq; infra multitudinis poteſtatē conſtituere laborarit.

Illum igitur Theologum audiamus, qui poſtquam oſtendit nihil vnquam à Chriſtianis in Principes ſuos ethnicos tentatum, quód coniurationis & rebellii ſpeciem haberet, nec inde tamen rectè colligi, bello aduerſus Turcas deſiſtendum, in quod & ſeparatim ſinguli & coniunctim omnes Principes Chriſtiani totis viribus incumbere debent, non vt ad fidem cogant infideles, id enim à Catholica religione alienum eſt [1], ſed vt eos Chriſtianis ſedibus, quas iniuria occuparunt, iure deiiciant, atque ita iugi & iuſto bello, iuſtam fidei amplectendæ occaſionem præbeant. Sequentia de Principibus qui Chriſto nomen dederunt, & in hæreſin poſt, vel apoſtaſiam delapſi ſunt, ad verbum ſubiicit [2].

Sed omiſſis iam infidelibus, paganis ſeu Mahumetanis Principibus, cùm oſtendi ab aduerſario non poſſit, Chriſtiano populo aduerſus Regem, Cæſarem aut vllum Principem Chriſti ſemel myſteriis initiatum à Deo ipſo (cuius ſolius propria eſt hæc ordinatio) vlla in re gladium commiſſum eſſe, afferat tamen ille Dei verbo id clarè doceri: an non addere Dei verbo propterea arguitur? an non iuxta ſcripturas mendax, & dignus his plagis, quas minantur Sacræ literæ iis, qui Dei verbo addunt aut detrahunt conuincitur? Si verò Eccleſiæ iudicium & praxim hac de re examinare libeat, non poterit id opinor nobis clarius conſtare, quàm primum ex duob. illis Cæſaribus Conſtantio & Valēte: qui à Catholica religione, in qua fuerant à teneris educati, ad Arianiſmū, (quo errore neſcio ſi quis alius extiterit aliquando tetrior, aut Eccleſiæ peſtilentior) fœdiſſimè aberrarunt. Quid interea aduerſus iſtos conſilii pii Chriſtiani cœpere ex Eccleſiaſtica hiſtoria patet: ex qua nemo colliget Catholicos incubuiſſe, vt virtute bellica errantes Principes in viam reuocarent, ſed multo magis vt ſingulari quadam modeſtia inuictaq; conſtantia in ſe Deum veritatemque habitare docerent. Sed forſan nullis iniuriis fuerant ab erroneis illis prouocati. Plurimis profectò atque iis grauiſſimis. Legitur enim Conſtantius ille, vt ad cōſenſum Arianæ hæreſeos Catholicos cogeret, ſtrenuam nauaſſe operam: & cum conuocato Mediolani concilio, incautorum plurimos fraudib. ineſcaſſet, fortioreſq; atq; eruditiores cum nō poſſet, in exilium

1 C. Maiores. §. item quæritur ext. de baptiſmo. cap. ad fidem 2. 3. q. 5. can. de Iudæis. 45. diſt.

2 pag. 100.

lium truſiſſe interea eorum præcipuos, ſanctiſſimos nimirum Epiſcopos, Dionyſium, Euſebium Paulinum, & inter alios magnum ipſum Eccleſiæ lumen Hilarium. Et de valente quidem ibidè paulò poſtea ita ſcribitur: Sed Valens fauens Hæreticis, abiit in vi m Patrum ſuorum. Nam & Epiſcopos egit in exilium: & Presby s ac Diaconos & Monachos (Tatiano Alexandriæ præſidente) vſq; ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit: imò Monachos, vt al o loco traditur, militare nolentes, fuſtibus interfici iubet, multaque nefanda & crudelia in Eccleſiam molitus eſt. Huius denique tyrannide protecti Arrianorum Epiſcopi non aliter deſæuiere in Catholicos, arctiore potiſſimum religionis vinculo aſtrictos, ſacratas vtique Deo virgines & monachos, quàm hac noſtra tempeſtate Sacramentariorum miniſtri &c.

Deinde multis ex hiſtoria Eccleſiaſtica de Valentis crudelitate, & Catholicorum patientiâ, enumeratis ita concludit. *Recenſet & alia ibidem in huius ſpiritus teſtimonium, magis forſan admiranda, quibus tamen enarrandis breuitatis tam cauſa ſuperſedeo: ſed hac lege, vt concedat mihi aduerſarius, ſi fuerat in piis illis Patribus ſpiritus Dei, eſſe in ipſo & in Sacramentariis regnorum iam euerſoribus ſpiritum impuriſſimorum Arrianorum, aut potius Mahumetis, qui ſe huius exemplo miſſos eſſ, non obſcurè innuunt: vt gladio nimirum furoris, religionis veritatem, nobis quaſi poſtliminii iure tandem reſtituant.* Moxque iſtis ſine intercapedine ſubnectit.

Omiſſis nunc Arianorum: ſiue in oriente, ſiue in Africa, immanibus & cruentis ſæpe tragediis, dicet fortaſſis quiſpiam, tametſi orthodoxis ſubditis in ſuos Reges & Principes hæreticos, nulla vel Scripturæ authoritate, vel piorum veterum exemplo, inſurgere liceet: in eoſdem tamen vel crudeles perſecutores, vel idololatras vel apoſtatas, id licet maximè. Et certe huius rei veritas, ſi praxim Dei Eccleſiæ (nam è Scripturis perſpicui adferunt iſti nihil) ſpectemus, facilius iudicari non poterit, quàm ex vno illo Iuliano glorioſ ſ mi Conſtantini vltimo dedecore (erat enim is illius familiæ in principatu vltimus) Hic enim humanis ſiue Philoſophicis, aut Diabolicis potius ſtudiis dementatus, incidit in illud barathrum impietatis & Apoſtaſiæ (cuius infami nomine in hunc vſque diem notatur) in quod nullus Imperatorum, ſed nec aliorum Chriſtianorum Principum, ante vel poſt eum incidiſſe traditur. Quid verò tunc Chriſtiani ſubditi? ad quæ arma ſeſe proripuere? non vtique ad alia quàm quæ ſunt Chriſtianorũ propria. In carne enim cùm ambularent, non ſecundum carnem militauere. Et militauerunt tamen fœliciſſimè, tametſi non induti arma militiæ, quibus ſolent iâ

Sacramentarii : non carnalia quidem iſta , ſed quæ Deo & diuina virtute potentia eſſent ad deſtructionem munitionum omnium , quas hoſtis humani generis, in cordibus vel infidelium, vel hæreticorum, ac etiam apoſtatarum , extruere ſolet. His certè tunc armis conſilia & cogitationes impii Iuliani, ſine ſudore & ſanguine, vel ſuo vel alieno , facillimè diſsipauere: ſicut ſolet ſemper Dei Eccleſia gladio ſpiritus ſcuto fidei & precum, & reliqua ſpiritali panoplia, ſubito præter hoſtium opinionem humiliare omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei. Nam ille, cùm in altiſsimo huius mundi throno poſitus, horrendū in modum aduerſus ſcientiam & veritatem Dei Eccleſiæ manifeſtatam, & ipſi aliquando probatam ſe extuliſſet, contra Chriſtianos multa impiè ſubdolè, neque minus aliquando crudeliter, tametſi clementiſsimus dici voluit, deſignaſſet: honoribus eos exuens, ſcholas habere prohibens, Clericos & Paſtores ad militiam, vt grex diſpergeretur, pertrahens Paganis vbique templa rurſus ſua, ſuaq; gymnaſia aperiens, nec non & Iudæos poſtremò, in Chriſti Chriſtianorumque contemptum ad reſtituendum Ieroſolymis ſemel dirutum templum, munificentia magna, licet fruſtra reuocans: dum Alexander ille Macedo, faſtu elatus dici vellet, fidelium precibus, non ſclopetis , miſerrimus inter ſuos haſta confoſſus extinctus eſt. Inſtituit enim aduerſus eius impietatem Eccleſia ſuam firmiſsimā quidem militiam. ſolemnes vtique ſupplicationes: quarum robore ita de hoſte immaniſsimo triumphauit, vt neſciret exercitus, à quo trucidati ſui Ducis repoſceret vltionem: quo factum eſt, vt Calixtus eius familiaris, qui illius hiſtoriam heroico verſu conſcripſit, nō abs re à Dæmone eum vulneratum interiiſſe exiſtimauerit.

Nunc ſupereſſe diſquirendum ſolummodo videtur, ſi Chriſtiani vbique terrarum tunc temporis ſolo timore, & diffidentia ſuarum virium, ſibi & ſanctæ noſtræ religioni tam deteſtanda fieri ab Apoſtata homine, quantumuis alioqui præpotente permiſerint, an diuino potius metu, ne gladium tollerent in eum qui poteſtate publica, ac Dei proinde ordinatione gladium ipſe portaret: cùm nihil ſibi de iure gladii traditum diuinitus intellexerint. Si quantum Chriſtiani numero & viribus, tempore etiam martyrum, nedum ætate Iuliani voluiſſent, modo Caluinico ſpiritu fuiſſent accenſi, teſtimonio coaceruare placeret, ingens inde volumen excreſceret: paucula quædam igitur ex multis in medium afferam. Quid ſenſerit D. Aurelius Auguſtinus, qui paulò poſt Iuliani exitum floruit, ea de re nonnihil ſupra innuimus, qui alio loco aſſerit [1], vix quēquam ſuo ſeculo vſquam inueniri, qui de Chriſto malè loqueretur. Tract. 17. in Ioan.
Sed de tempore Martyrum vnum aut alterum teſtimonium adferemus.

[1] lib. 9. ca. 6.
[2] In Apol. ca. 37.

feremus. Primùm igitur Euſebius [1], *ex oratione Luciani martyris probat, mediam partẽ orbis, ſuperata iam tum immaniſſima Diocletiani perſecutione, Doctrinæ Euangelicæ aſtipulatam fuiſſe. Deinde Tertullianus* [2] *multò antea, tempore nimirum Seueri Principis, circa annum ſalutis 220. in defenſionẽ innocentiæ Chriſtianorum deſcribit, quod ſi ipſi læſi parem vicem hoſtibus, quod illis prohibebatur, referre voluiſſent: quantam internecionem illis & cladem inferre numero & viribus, nonnunquã & clandeſtino igni potuiſſent. Sed abſit, inquit, vt igni humano vindicetur diuina ſecta, aut doleat pati, in quo probatur. Si enim hoſtes extraneos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomani ipſique Parthi, vel quantæ cumque vnius tamen loci & ſuorum finium gentes quàm totius orbis? externi ſumus & veſtra omnia impleuimus vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatiũ, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur: ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere. hæc ille. Ex quibus verbis licet colligere aliud Euangelium iam mundo illatum eſſe, quàm initiò fuerat annunciatum. Nã quod prius omnia propter Chriſtum et[illegible] à quibuſcumq; perferre docuit: poſterius verò nullas nõ clades etiam ſupremis poteſtatib. moliri & inferre dolis & armis, non ſolũ eos qui aliter de religione ſentiunt, ſed & Malcontentos aliquãdo iſtos perdocet: nam & hi rore huius peſtiferæ gratiæ ſunt perfuſi. Sed ad Iulianũ ipſum redeo qui tã numeroſum in Perſide ductarat exercitũ: ſuſpicari non immeritò iam poſſet quiſpiam potuerintne tunc temporis Chriſtiani armorum virtute quicquam in Apoſtatã tentare? Qui ſcrupulus facile depellitur, ſi quis ſibi perſuadeat quod res erat, quodq; hic obſeruatu digniſſimum eſt, exercitum iſtum non fuiſſe perfidia Iulianum, ſed religione Chriſtianum. Nam cũ impius per triennium tantũ imperium tenuiſſet, Conſtantini Conſtantiique exercitu ducendo ſucceſſit potius quàm ſuo ipſius præfuit. Id quod diuina quadam prouidentia factum eſſe [illegible] voluiſſe videtur ſupremus ipſe orbis moderator, ne facile ſeditioſus populus, quauis prætexta cauſa in legitimum Principem in ſummã Reip. perniciem bellum mouere iuſtè ſe putaret. Nam ſi contra tam inſignem omni impietate virum, Chriſtianus exercitus nihil imperioſè ſit molitus, quis nunc ſibi in animum inducat, vt quouis prætẽſo errore, aut vitio, licere vaſallis & ſubditis in ſuum Rege aut Principem rebellionem concitare, eiuſue detrectare imperium. Sed de his quæ à nobis aſſerta ſunt audiatur grauiſſimi authoris D. Theodoreti*

reti teſtimoniū, qui de electione optimi Imperatoris Iouiniani verba faciens, diſertè quidem hæc omnia contexit.

Poſt interfectum, ait, Iulianum, Duces vna cum Præfectis in vnum coacti, iniuere conſilium, quis ad regendum imperium deligendus eſſet, & quis tum ad militum ſaluti in hoſtili ſolo ſapientia & conſilio prouidendum; tum ad recreandum ſtatum Reip. Rom. in acie nouaculæ, vt dicitur, ob Iuliani iam mortui temeritatē poſitum maximè idoneus videretur. A quibus dum de hac re deliberatum erat, exercitus in vnum congregatus Iouinianum poſtulat Imperatorem, qui neque Dux, neque ex eorum numero, qui ſecundas poſt Duces obtinebant, fuerat: ſed tamen vir apprime nobilis, illuſtris. & multarum rerum cauſa inſignis. Nam corpore robuſtiſſimo fuit, animoque excelſo, quin etiam in bello gerendo ſolebat & in acrioribus certaminibus facilè primas ferre. Porro contra impietatem libere loquebatur, tyranni potentiam contemnebat, animi propenſione ſeruatoris Martyribus coniungebatur. Itaque Duces conſenſum exercitus velut ſuffragationem arbitrati, producunt in medium præſtantiſſimum illum virum celeberrimè, primo ſuggeſto conſtructo, in eo collocant. Deinde cum omnes nomina, quæ ſunt Imperatorum propria, ei tribuiſſent, & Auguſtum ac Cæſarē appellaſſent, vir ille admirabilis, ſua conſueta loquendi vſus eſt libertate & neque magiſtratus, neq; milites, vt ad deteriorem partē deflecteret omnino veritus. Non poſſum, inquit, cùm ſim Chriſtianus eiuſmodi hominibus imperare, neque regere Iuliani exercitum, qui tam peſtifera doctrinæ præceptis imbutus ſit. Nam qui ſunt ita inſtituti, hi diuina deſtituti prouidentia, tum ab hoſtibus facilè expugnari, tum iiſdem materiam ad lætitiam præbere ſolent. Quibus verbis auditis milites cōclamare vno ore, ac dicere: ne animus tibi Imperator vlla æſtuet dubitatione, neq; noſtri imperium, tanquam improbum, deuites. Nam & Chriſtianis hominibus, & diſciplina veræ pietatis educatis imperabis. Siquidē qui ſunt inter nos ætate prouectiores, hi à Conſtantino eruditi erant: qui autem adoleſcentiores, illi præceptis Conſtantii inſtruebantur. Tempus certè Iuliani imperii, qui iam morte occubuit, vt perexiguum, ita non ſatis ad erroris perniciem, animis eorum, qui eadem infecti erant, altius infigendum fuit.

Quo loco obſeruandum eſt hic Chriſtianum exercitum nihil feciſſe aliud in noua lege, quàm quod typo quodam adumbratū erat olim in vetere. Nam vt impius Rex ille Saul ſæuiebat olim iniquiſſimè in Dei Sacerdotes: ita Iulianus in Chriſti fideles, gentem ſanctam regaleque Sacerdotium: ſed ille cruentis cædibus, hic autem dolis, & iniquarum legū tyrannide: non quod abhorreret hic magis à ſan-

à ſanguine, quàm cruentus ille, ſed quod ſciret Eccleſiam quàm extinctam ſummopere ſitiebat, martyrum ſanguine creſcere magis, & corroborari, quàm infirmari, aut excindi? & ſicut ille ſuis ſeruis Deum timentibus fruſtrà præcepit, vt ſacerdotes Dei ipſi interficerent: ſic Iulianus fruſtra ſuo fideli exercitui ſuaſit vt Chriſtianos vſpiam opprimerent. Verùm vt ſerui illi regio mandato nulla vi armorum obſtitere, quo minus Doeg Idumæus præcipiente Rege, Dei ſacerdotes interficeret: ita nec exercitus Chriſtianorum vlla rebellione Cæſari, licet idololatræ & apoſtatæ, in fidelium fratrum defenſionem ſeſe oppoſuere. Exiſtimauere enim illi Chriſti agnelli ſatius multò eſſe, vt iuſti iniuſte à Cæſare propter veram iuſtitiam paterentur, quàm vt ipſi Cæſaris authoritati vim vllam, licet impiè agenti, vllius fucatæ iuſtitiæ prætextu inferrent. Quid quæſo ſecum cogitare potuere fideles illi de ſuo Cæſare aliud quàm fidelis Dauid de iniquiſsimo Saule tùm diceret? Abſit hoc à me, vt mittam manum meam in Chriſtum Domini. Et niſi venerit dies eius, vt moriatur, aut deſcendens in prælium, & cætera quæ iam cõmemorauimus? Eat igitur nunc aduerſarius & quærat, quando? quibus? & quouſque Principi contra ipſorum Euangelicam legem agenti, vel ipſorum Eccleſias vaſtanti, vel quo minus extruantur impedienti, reſiſtere conceſſum ſit? Hactenus ille pietate, & ſcientia clarus, atque exul religionis ergo: cuius doctrinam cùm antiqui Patres Eccleſiæ, Martyres & confeſſores, tum primitiæ Martyrum Anglicorum ſub Henrico VIII. verbis factiſque mirificè confirmarunt. Hi enim cùm ab illius infeſtiſſimi Eccleſiæ hoſtis ſatellitibus crudeliter ad ſupplicium raperentur, conuerſi ad circumſtantem nobilitatis & vulgi multitudinem, hortamur, inquiunt, vos, & rogamus ſuppliciter, vt in fide & religione conſtanter, dum vita vobis ſuppetit permaneatis, Regique fideliter ſeruiatis & obtemperetis in omnibus quæ Dei Eccleſiæ Catholicæ præceptis non aduerſantur.

Audis Boucheri, te enim hîc appello, audis non hæreticos, non auſicos, non vt tecum loquar, politicos; ſed Doctores Theologos, & ſanctos Dei ſacerdotes, partim ſeculares, partim vitæ monaſticæ deditos, reique publicæ & tranquillitatis Eccleſiæ apprimè ſtudioſos, huius noui dogmatis tui capita, Eccleſiæ Catholicæ iudicio & praxi, atque antiquorum Patrum exemplis doctrinaque conuellentes, atque eo quidem tempore, quo nullum ad rebellionem opportunius, vel ſi per Dei mandata licuiſſet, magis neceſſarium Eccleſiæ Catholicæ ab eius primordio vnquam extitit.

titit. Quo magis miror te hominem vulgi opinione non vulgariter eruditum, & quod maius eſt, Chriſtianos homines catholicè docendi munus adeptum, ab hoc Eccleſiæ calle, ſine cauſa, & ſine exemplo, in hæreticorum ſemitam diuertiſſe. Nam tu primus omnium in Eccleſia Dei, populis in ſuos Principes ius ac poteſtatem ſummam tribuere conatus es libris in eam rem editis, nullâ nec ratione nec authoritate ſuffultis, idque faxo videant omnes, vbi ad tuorum librorum anacriſin fuerit peruentum. Cæterùm neque ſancti illi patres, quorum iam dicta retulimus, neque nos his libris quicquam aduerſus ſummi Pontificis authoritatem, poteſtatemque ſpiritualem differimus, quem vnicum totius Eccleſiæ Dei in terris caput, & Hierarcham, inque eo principatu verum, vnicũ & legitimum B. Petri ſucceſſorem eſſe, conſtante fidei profeſſione aſſeuero.

Iuris interpretum de hac re ſententia. explicata quæſtio, an Reges non niſi ex legum praſcripto ius dicere poſſint, & quod aliis dicunt, id in ſe cogantur admittere. Nihil tam ſimplex & apertum, quod à vafris hominibus per interpretationem non obſcuretur. Iacob. Cuiacius & Henr. Stephanus reprehenſi.

CAP. XIV.

Reliquum nunc eſt, vt ciuilis ſcientiæ peritos, iuris vtriuſque nimirum interpretes & Doctores, de hâc re percontemur, quidque ipſi de ea ſenſerint audiamus: non quòd ſententiæ tot diuinis, Propheticis, Apoſtolicis, atque eccleſiaſticis præceptis, inſtitutiſque traditæ & corroboratæ aliquid ad perfectam confirmationem deeſſe videatur, neque etiam quòd obſcurum ſit, quantâ animorum & voluntatum conſenſione iuriſconſulti omnes ad eius defenſionem accurrant. Sed vt lector intelligat nullum genus hominum in Repub. honeſtioribus diſciplinis excultum reperiri, quod non hanc doctrinam vel tradiderit, vel traditam libenter ſit amplexum: ac ne feſtinantem demoremur, dum ſingulos ei ordine recenſeamus, quæ ſit Iuris Doctorũ hac in parte ſententia, ex Speculatore,[1] Bartolo,[2] Baldo,[3] Paulo Caſtrenſi,[4] Ludou. Rom.[5] Alex.[6] Chaſſan.

1 li. 1. ti. de legib. §. nunc oſtendẽdum. & li. 2. ti. de fer § 1. in fin.
2 in repet. l. oẽs populi D. de iuſt. & iur. l. digna vox C. de legib. l. omnes C. ſi cont. ius vel vtil.
3 in procem. feud. & in c. Eccleſ. s. Mariæ vt lit. pend. & c. cum ſuper de cauſ. poſſeſſ. & propr.
4 cõſ. 282.
5 in l. imperium. D. de iuriſdict.
6 li. 1. conſil. 2.

ſan. [1] Felin. [2] Alber. [3] aliiſque magni nominis interpretibus facilè diſcet. *Papam* ſcilicet *& Principem ex certa ſcientia ſupra ius, contra ius & extra ius omnia poſſe. Atque in Principe quidem eſſe plenitudinem poteſtatis, & poſtquam aliquid vult ex certa ſcientia, neminem poſſe ei dicere, cur ita facis? Et ſolum Principem conſtituere legem vniuerſalem, populum verò legem particularem. Et quod cùm Princeps ſit cauſa cauſarum, non eſt de eius poteſtate inquirendum, cùm prima cauſa nulla ſit cauſa: quoniam id quod primum eſt, aliud ante ſe habere non poteſt. Et eſſe crimen ſacrilegii inſtar, diſputare de poteſtate Principis* [4]. *Et principem eſſe legem animatam in terris. Et Principem ſolum poſſe condere ſtatuta, licet humanum ſit, quod conſilio Procerum vtatur. Denique Principem poſſe tollere leges poſitiuas, quia illis non ſubiicitur, ſed illa ſibi. & Deum Principi leges ſubiecisse, & nullam legem eius Celſitudini imponi poſſe. Et licet de iure aliquid non valeat, ſi tamen Princeps de facto mandat ſeruari, perinde eſt, ac ſi de iure valeret quo ad ſubditos. Et ſolum Principem ſoli Deo habere de peccato reddere rationem, & ſoli cœlo debere innocentiæ rationem. Et temerarium eſſe velle maieſtatem regiam vllis terminis limitare. Et Principem re vera eſſe ſolutum legibus.* aliaque id genus plurima, quorum pleni ſunt Iuriſconſultorum libri, vt inde liquidiùs quiſque iudicet quàm enixè Prudentes illi Regum cauſam ſuſceperint & quantoperè vana hæc, imo yeſana turbulentiſſimorũ hominum de Regibus in ordinem cogendis pſephiſmata atque ſophiſmata ſint execrati.

Sed quoniam dictum eſt, Principem re vera legibus ſolutum eſſe, locus poſtulat vt id plenius examinemus quod ex tribus propoſitis initio huius libri eſt extremum. Sintne Reges videlicet legibus ita deuincti, vt non nisi ex eorum præſcripto ius dicant, idque ipſum quod aliis reddũt, in ſe admittere compellantur? Quæ quæſtio etſi ex iis quæ lib. II. & ſparſim alibi ſuprà retuli, magna ex parte ſit definita, tamen ne obliuione prætermiſſa videatur, breuem hic tractatum, ſeorſus & ſpeciatim recipiet. Ac primùm quidem animaduertendum eſt, duas huius quæſtionis partes, vel ſi manis, binas hîc quæſtiones iunctas eſſe. Ad quarum priorem breuiter reſpondemus, Regem perpetuò legibus ſolutum eſſe, in hoc vt mutet, vel mitiget legis ſententiam pro arbitrio dum ipſe iudicat: vtque iudicatum ab aliis omnibus etiam ſecundũ leges ratum vel irritũ cognitione ſua faciat nec habeat neceſſe præſcriptas iure

ciuili

[1] de glo. mundi part. 5. nu. 135. & 170.

[2] in cap. 1. col. 7. verſ. 4. lim. ext. de conſtitut.

[3] in l. cunctos populos. C. de ſumm. Trin.

[4] l. diſputat. C. de crim. Sacril.

ciuili formulas aut duram & inflexibilem legis vocem in ſuis reſcriptis, interlocutionibus, decretis: vel edictis ſequi & obſeruare: quæ omnia ita ſunt Regum propria, vt nulli infra eam Maieſtatem iure competant [1]. Atque hæc quidem in Principe ſi quis locum habere negauerit eum ipſa legum teſtimonia, & ſacra ac profana exempla facilè redarguent. res notior eſt, quam in qua demonſtranda multum elaboremus. Vetabat olim lex, ne poſt quinquennium à die manumiſſionis liceret manumiſſo in ingenuitatem proclamare, idque ſine vlla aut cauſæ, aut perſonæ exceptione. at ea tamen nihilo magis coanguſtatum eſt & arctatum Principis arbitrium quin ipſe poſtea quærentem audire, & ſentẽtiam pro ingenuitate ferre poſſit [2]. *Præſes prouinciæ eum quem damnauit, reſtituere non poteſt* (inquit Vlpianus [3].) *cùm nec pecuniariam ſententiam ſuam reuocare poſſit, quid igitur? Principi eum ſcribere oportet, ſi quando eius qui nocens videbatur, poſtea ratio innocentiæ conſtitit.* Stabilis eſt & certa legum ſententia ſontes pœnis eſſe afficiendos: & maleficia non debere manere impunita [4]. At Princeps tamen pro poteſtate imperii, noxam remittere, & reum, legis iudiciſque ſententiâ neci deſtinatum, ſupplicio eximere, & famæ, ac fortunis omnibus reſtituere, & ſine exemplo iuuare poteſt [5]. Hinc illud Auguſtini. *Iudicibus ſtatutum eſt,* inquit, [6] *ne liceat in reum datam ſententiam reuocare. Nunquid & ipſe Imperator ſub hac erit lege? nam ipſi ſoli licet reuocare ſententiam, & reum mortis abſoluere, & ipſi ignoſcere.* Quid multis? omnes inferiores Principe leges in iudicando ſequi tenentur, ipſe ſolus ſibi lex eſt, vbi vel leues aſperare vel aſperas lenire vult: ita vt quod magiſtratibus vitio datur, & muneris perperam obiti ſuſpicionem ſecum trahit, id ſummam Principi laudem, vel ex clementiâ, & miſericordia vel iuſta ſeueritate pariat. *Alia eſt conditio magiſtratuum* (inquit Symmachus) [7] *quorum corruptæ videntur eſſe ſententiæ, ſi ſint legibus mitiores: alia Diuorum Principum poteſtas, quos decet acrimoniam ſeueri iuris inflectere.* Obeamque cauſam Rebuffus [8] ait: *Notandum eſt quod licet Imperator ſtatuat aliquem non eſſe reſtituendum, vt in l. prouidendum. §. quis verò. C. de poſtul. & beneficium principale non valere l. mancipia. C. de ſer. fugit. Tamen adhuc poterit Princeps illum ex cauſa reſtituere, non obſtante illa prohibitione, & illius facta mentione. l fin. C. ſi contra ius. quia nõ poteſt ſibi imponere legẽ, à qua nõ liceat recedere. l. Princeps ff. de legib. Et ſtolidi quidẽ vidẽ-*

1 l. proſpexit D. qui & à quibus manum. l. nemo C de ſent. & interl.

2 l 2. §. vl. & l. 4. D. ſi ingen. eſſe dicet.

3 l. 1. in fin. D. de quæſt.

4 l. ita vulneratus 51. D. ad leg. Aquil.

5 l. ad beſtias 31. D. de pœn. l. 1 6. & paſſim. C. de ſent. paſſ. l. 1. §. plane D. de conſtit. Princ.

6 lib. de fato.

7 lib. 10. epiſt. 61.

8 in tract. de reſtitut. num. 6.

tur legum compilatores, qui ei poteſtatem auferre volunt: quod facit ad intellectum multarum ordinationum, ex publicatis anno 1539 vbi hoc ſtatuitur, vt Princeps hoc non poſſit concedere, & ſi concedat, non valeat, ſed opus eſt derogatione illius ordinationis: quia non poteſt eſſe Princeps qui ex cauſa non poſſit ſuis legibus derogare. cap. dudum. de præbend. in ſexto. l. 1. & l. leges ſacratiſſima. C. de legib.

Idem in tract. de euocationib. num. 58. *Sed ego non impono legem Principi, vnde quando vult, hoc poteſt: tamen de honeſtate non debet euocare ſine cauſa* &c. & mox num. 59. *Vnde Alberic. & Iacob. concludunt. in d l. iudicium. & Iacob. de tractat. de feud. in verbo vicarius. col. 1. Principem cum cauſa, vel ſine, cauſas in Parlamentis quibuſque pendentes euocare poſſe: quia vani capitis eſt exiſtimare ſuperiorem non poſſe præcipere, nec euocare ſine cauſa cognitione: vt inquit Innoc. in c. ad aures. de temporib. ord. per text. in can. quia frater. 7. q. 1. & Barbat docet in c ſi quando. per illum text. col. 2. de reſcript. & quod Rex Franciæ cauſas in Parlam. Pariſ. pendentes euocare poſſit, conſuluit Iaſo conſil. 144. circa primum in 1. quæſt. volum. 2. ſed ſicut Princeps non debet alicui auferre dominiũ ſine cauſa l. 2. C. de precib. Imper. offer. ita nec propriam iuriſdictionem l. qui ſurere ff de ſtati. hom. Bald. in l. 1. col. vltim ff de conſtit. Principi. alioqui inſtar pueri eſſet, qui nunc daret, & ſtatim auferret.* Hoc ille. Scitum eſt illud Pauli Iu-

1 l. pen. ff. de iuſt. & iur. riſconſulti [1]. *Prætorem dici ius reddere etiam cùm iniquè decernit: relatione ſcilicet facta, non ad id, quod ita prætor fecit ſed ad illud quod prætorem facere conuenit.* Id igitur Principi

2 Auth. de incest. nup. 12. § vlt. coll. 2. quanto magis tribuendum? vt cùm ipſe legis pater ſit, [2] & veluti fons quidam, ex quo omnes leges, omneſque honorum & poteſtatum gradus, in cuncta Reipublicæ membra dimanant, legibus in iudicando non ſit ſubiectus. innumera ſunt de hac Principum libertate teſtimonia, ex quibus non pauca de iure ciuili depromptа in librum 2. congeſſi, eoque nunc lectorem remitto. At neque nos ſacra etiam exempla deficiunt. Nam Salomon Adoniam fratrem, ſine vlla ſolemni iudiciorum obſeruatione iuſſit interfici, & Abiathar eiuſdem coniurationis reum & ſocium, capitis pœna ſoluit, & pro ſua indulgentia domum remiſit. *Vade,*

3 3. Reg. c. 2. inquit, [3] *in Anathoth ad agrum tuum, & quidem vir mortis es: ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo. &c.* Alibi etiam ex iiſdem libris co-

4 1. Reg. 17. gnoſcitur [4], licere Principi oneribus vectigalium & tributorum quos velit eximere. Regem igitur qua ius dicit,

qua

qua iudicat, ſolutum planè legibus eſſe, nemo, quod ſciam, ex tot ſapientiſſimis omnium bonarum artium, & ſcientiarum ſcriptoribus, ante Buchananum & Brutum vnquam negauit.

Qua propter, hâc relictâ, partem alteram diſpiciamus: teneatur ne ſcilicet ſuis legibus Princeps, vt conueniri, & cogi inſtar aliorum poſſit, necne? Et quidem videtur primo aſpectu omnis de hac re dubitandi cauſa ſublata, tum quia naturalis & ciuilis ratio ſuadet, vt quis eo iure vtatur, quod in alios ſtatuerit [1]. *quis enim aſpernabitur idem ius ſibi dici, quod ipſe aliis dixit?* inquit Vlpianus tum etiam quia legibus in eam ſententiam perſcriptis, & magnorum virorum exemplis, iudiciiſque cautum, & obſeruatum id eſſe animaduertimus, ex quibus illud profertur celeberrimum. *Eum qui leges facit pari maieſtate legibus obtemperare conuenit.* [2] Item & illud. *Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri. Adeò de authoritate iuris noſtra pendet authoritas, & reuera maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum.* Et *oraculo præſentis edicti, quod nobis licere non patimur aliis indicamus* [3]. Et illud ex Iſidoro patrum decretis inſertum [4]. *Iuſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis, Principes legibus teneri ſuis, nec in ſe conuenit poſſe damnare iura, quæ in ſubiectis conſtituunt.* Et illud ſapientis ab Innocentio [5] III. vſurpatum *Patere legem quam tu ipſe tuleris.* Quò pertinet quod Græci ſcribunt. *Καὶ κατὰ βασιλέως οἱ γενικοὶ κρατείτωσαν νόμοι* [6], id eſt leges generales imperium etiam in Regem obtinento. Hæc illa ſunt rationum fundamenta, quibus homines nimium populares adducuntur, vt legum vincula Regibus innectant: quorum tamen ſi ea mens eſt, vt eatenus Principem legibus aſtrictum velint quatenus honeſtatis & vtilitatis imperium ſe extendit, non autem quatenus legum ſanctionibus in legirupas pœnæ conſtituuntur, rectè quidem, & animo id faciunt bono. Quid enim honeſtius, quid vtilius, quàm vt Princeps legibus viuat, & iis ſponte ſe ſubiiciat, quarum ipſe autor eſt, & quarum vna cum regno tutelam ſuſcepit? Etenim profectò nihil æquè ſubditos in officio continet, nihil æquè morigeros reddit & legi & Regi, atque hac legum obſeruantia Rex ipſe conſpicuus. Idque pulchrè Claudianus [7].

In commune iubes ſi quid, cenſeſq; tenendum,
Primus iuſſa ſubi: tunc obſeruantior æqui

1 l.1.D. q quiſ. que iur.
2 Paul. li. 4. ſent. tit. 5.
3 l. digna vox. C. de legib.
4 can. 2. diſt. 9.
5 c. cũ omnes. 6. de Conſtitut.
6 lib. 2. Βασιλικῶν.
7 in 4. conſulat. Honorii.

Fit populus, nec ferre negat cum viderit ipſum
Autorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.

Sin verò is aduerſariis animus eſt, vt Principem planè legibus ſubiectum & in earum obſeruationem compelli poſſe arbitrentur: errant ſanè vehementer, & non ſolùm ſcriptis legibus, ſed ipſi etiam rationi, bonarum legum matri, & perfectrici, reluctantur. Nam in legibus quid magis diſertè ſcriptum eſt, quam quod hac de re Paulus? *Ex imperfecto teſtamento legata vel fideicommiſſa Imperatorem vindicare, inuerecundum eſt: decet enim tantæ maieſtati eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur*[1]. Et quod Impp. Seuerus & Antoninus ſæpiſſimè reſcripſerunt: *Licet legibus ſoluti ſumus, attamen legibus viuimus*[2]. quodque Alexander. *Licet lex imperii ſolennibus iuris Imperatorem ſoluerit, nihil tamen tam proprium imperii eſt, quam legibus viuere*[3]. quod denique Vlpianus. *Princeps legibus ſolutus eſt*[4].

En leges ita perſpicuas & euidentes, vt perplexi vel ambigui nihil habere videantur, quibus monemur Principem legibus ſolutum eſſe, omnibus quidem, præcipuè verò pœnalibus: nam ita poſtremam hanc legem Conſtantinus Harmenopolus Græcus interpres exponit[5]. ὁ Βασιλεὺς νόμοις οὐχ ὑπόκειται, ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται. id eſt, *Rex legibus non ſubiicitur, videlicet ſi delinquat non punitur.* idque Regum proprium eſſe teſtatur S. Ambroſius[6], vt nullis legibus humanis teneantur ſed liberi ſint *à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus tuti imperii poteſtate.* Sed quid ego dixi perſpicuas? an aliquid ita perſpicuum eſſe poteſt, cui non hominum nunc, ſiue diligens curioſitas, ſiue curioſa nimis diligentia tenebras offundat? aut ita planum & ſimplex, vt nullum in eo anfractum ſolers ingenii acumen differendi ſubtilitate comporiri ſe glorietur? Omnes nunc paſſim ſcripturiunt, ſed quod ſcripturi ſunt, id nec omnes quidem diu prius animo verſant, nec vbi ſcripſerint cognito errore conſilium facilè mutant: adeo nimirùm cæca eos φιλαυτία decipit miserè & detinet: adeoque ſuus quemque inuentus delectat, vt multi non ſolùm abire magiſtratu vel epiſcopatu inſtar Heliodori Theſſali,[7] ſed fortunas, amicos, exiſtimationem, ſalutem denique ipſam periclitari malint quàm mãdatas literis cogitationes, quo iure, quaque iniuria non defen-

1 Lex imperfecto. 23. D. de leg. 3.
2 Inſtit. quibus mod. teſt. infir. §. v. 1.
3 Lex imperfecto. 3. C. de teſtam.
4 l. Princeps. 3. D. de legib.
5 lib. 1. Epitom. tit. 1.
6 in Apolog. Dauid. c. 4. & c. 10.
7 Heliodorus Triccenſis epiſcopus in Theſſalia compoſuit amatorios libros iuuenis, quos inſcripſit Æthiopica, alii poſt Charicleiam vocarunt, quorum lectione cùm multi iuuenes corrumperentur ſtatuit Synodus vt vel author librorum eos ſupprimeret, vel epiſcopatu ſe abdicaret, ille verò ita opus ſuum complectebatur vt hoc quàm illud eligere maluerit. Nicephor. Calliſt. li. 12. c. 34.

defendere. Cui rei teſtimonio ſunt tot luculentæ, ſimplices & tritæ ſacrarum literarum ſententiæ captioſis hæreticorum interpretamentis & cauillationibus deprauatæ: Atque etiam hæc Vlpiani ſententia quæ & verbis ipſis, & conſpirante veterum omnium iudicio Regem legibus ſolutum eſſe tradit, quam nonnulli tamen ita tractant, vt velle authorem quod nolit, & nolle quod velit, leui tantùm coniectura freti, oſtendere conentur. Sed de diuinis alii, & nos alias, ſi vita ſenſuſque durauerint, iuuante Deo diſſeremus: Nunc quod inſtituti eſt, verborum Vlpiani veram vulgaremque ſententiam, aduerſus nouum Henrici Stephani, & à quo ille accepit, Cuiacii [1] commentarium tueamur.

[1] Li. 15. obſeruat. cap. 30.

Stephani & Cuiacii opinio refutata. Verborum Vlpiani vulgaris, vetus, & communis intellectus defenſus. Princeps quomodo ſolui vel teneri legibus dicatur, legum de ea re concordia.

CAP. XV.

STephanus igitur aſmate XXXIII. Muſæ Monitricis dum contendit falſum eſſe quod aiunt, Principem leg b. ſolutum eſſe; ſuperiorem ex Vlpiano obiectionem præoccupat, & nouo ſenſu diſſoluit, his verbis.

At Vlpiani id (inquiunt) *ſententia*
Euincere poteſt ipſe quod nobis negas:
PRINCEPS (ait ille) *LEGIBVS SOLVTVS EST.*
Leges ad omnes iſta verba qui refert,
Is Vlpiani vel ſciens vel inſciens
Detorquet aliò verba, dum cauſæ ſuæ
Seruire vult hæc: de duabus namque ſunt
Scripta hæc ab illo legibus tantummodo.
Quas titulus oculis ipſe ſubiicit tuis,
Proponat illis iſta verba quàm prius.
Nam Papiæ ibi fit mentio atque Iuliæ.
Nec Vlpianus ergo iam fiducia
Illius authon Principi dicendus eſt.
Rideret immò, ſi redux ad nos foret,
Et ſicne verbis vos meis abutier?
Clamaret ille.

 Nec

Nec his ille contentus, quaſi non ſatis apertè Vlpiani mẽtem aut ſuum potius commentum his verſibus explanaſſet, lectorem iterum monet, [1] quo id ſenſu Vlpiani dictum accipiat. *Vbi*, inquit, *de loco illo Vlpiani loquor, in quo ſcribit. Princeps ſolutus eſt legibus, quod verſibus non ſoluta oratione quaſtio illa tractaretur, de eo monere non potui, de quo nunc monendus es: perinde eſſe ac ſi dixiſſet Vlpianus, Princeps his legibus ſolutus eſt, vel iſtis legibus.* intelligit nimirum leges caducarias Iuliam & Papiam, ad quas Vlpianus viginti libros ſcripſiſſe fertur, è quorum decimotertio caput illud controuerſum depromitur. Illi igitur ita colligunt: pertractat eo loco Vlpianus legem Iuliam & Papiam, vt ex inſcriptione patet. ergo de iis tantum legibus ea ſententia accipiẽda eſt. Grauiſſimum profectò argumentum, & quod certa ratione concluderetur, ſi conſtaret Iuriſconſultos ſpecialibus tantum ſententiis, & ad rem de quâ agitur ſolùm accommodandis vbique vſos eſſe: At cùm id eos perpetuò obſeruaſſe non conſtet, imò verò non obſeruaſſe conſtet, ac non rarò communes iuris regulas, & axiomata, ſiue proloquia vniuerſalia, ad aliorum rationem, confirmationemque adhibuiſſe, quid vanius, quàm hoc vnico argumento tam ſubleſto, & ex fallacibus indiciis orto nouum Vlpiano ſenſum affingere? quod nec ipſe vt apparet vnquam animo complexus eſt nec ex iſtis eius verbis poſt eum aliquis in tanta interpretum & ſapientum virorum multitudine hactenus intellexit. Cur igitur à communi, recepto, & vetere horum verborum intellectu recedemus? cùm alia lex dicat, *Minimè ſunt mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt.* [2] At iſti interpretationem certiorem adferunt, ſcilicet. Si ita eſt, de priore illa antiquanda non recuſamus. ſin vitioſam planè, vel obſcuriorem eſſe hanc quam adferunt monſtremus, vt ipſi itidem noſtram ſequantur benignè ab iis contendimus.

[1] in præfat. ad lector.

[2] l. minimè. 23. D. de legib.

Vlpianus ergo ad legem Iuliam & Papiam ſcribit, *Princeps legibus ſolutus eſt.* Si extatent quidem integra eius ſcripta, certam rei fidem nobis facerent, ſed cùm non extent, nulla nos ratio cogit, vt de caducariis tantum legibus ſententiam illam intelligamus: imò verò ſi coniecturæ locus eſt, coniectura vicimus, cùm veriſimilius multo ſit Vlpianum de iure Principis vniuersè illic locutum eſſe: atque inde deducto ex genere argumento, (vt alias ſolet) id quod in ſpecie obtinebat, hac vel ſimili forma comprobaſſe.

Prin-

Princeps legibus ſolutus eſt, & ideò ſi quid Principi relictum fuerit, qui viuo teſtatore, vel, eo mortuo, antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus ſit, id neque caducum, neque in cauſa caduci eſt, ſed ſucceſſori eius debetur. [1] vel breuius hoc modo. *Lex Iulia & Papia de caducis non pertinet ad ea quæ Principi relinquuntur, quia Princeps legibus ſolutus eſt.* Mos hic eſt Iuriſconſultis, vt breui aliqua ſententia rationem reſponſi reddant: vnde Pandectarum congeſtores, multas iuris regulas deſumpſerunt, quas & ſub diuerſis titulis ſparſim, vt res poſtulabat, & ſub vno nominatim nobis propoſuerunt (tit. de reg. iur.) in quibus eſt hæc ſub titulo de legibus. *Princeps legibus ſolutus eſt.* Hanc autem coniecturam noſtram, ſi coniectura, ac non potius teſtata veritas dici debeat, alius eiuſdem Vlpiani locus, ex libro primo, ad eandem legem Iuliam & Papiam confirmat & probat. *Ingenuum*, inquit, [2] *accipere debemus etiam eum, de quo ſententia lata eſt, quamuis fuerit libertinus. quia res iudicata pro veritate accipitur.* videmus hic generalem ab Vlpiano rationem ſubiectam ſpeciali de ingenuitate reſponſo, quã quidem rationem, quia ad omnes res iudicatas pertinet, iidem Pandectarum collectores ſeparatam ab hac quæſtione & reſponſione inter iuris regulas iiſdem verbis collocarunt, nempe, *Res iudicata pro veritate accipitur* [3] Fingamus ergo non extare legem illam de ſtat. hom. & hanc ſententiam poſitam eſſe in ſolo illo capite de reg. iuris, an propterea ad res iudicatas in materia legis Iuliæ & Papiæ tantum pertinebit? nam titulus ei idem eſt, qui ſuperiori ſententiæ de Principe, quam illi nouæ interpretationis reſtrictione peruertunt. Vtraque enim ſententia eſt Vlpiani, & ex iis libris deſumpta, quos ad l. Iuliam & Papiam ſcripſerat. At ex iſtis Vlpiani reliquiis conſtat hanc generalem eſſe, & pro ratione ac regula poſitam, quæ res ex quacunque cauſa iudicatas complectitur: cur non ergo ſimiliter & illam, *Princeps legibus ſolutus eſt*, vt communem iuris regulam accipiemus? an quia ſub rubrica de regulis iuris, repetita non eſt? at conſtat, inter omnes permultas ſparſim regulas extare apud iuris authores, quæ titulo illo non continentur, veluti *ex pacto non naſcitur actio*, vocatur regula iuris l. 7. §. quinimò. D. de pactis. Sic, *in contrahendo quod agitur pro cauto habendum eſt.* regula iuris certiſſima eſt l. 3. D. de rebus cred. cur illam igitur magis certæ rei & cauſæ finibus concludemus? hoc

[1] l. quod Principi. 56. D. de leg. 2.

[2] l. ingenuum. 25. D. de ſtatu hom.

[3] l. 207. D. de reg. iur.

ſolo præſertim argumento quod titulus ſiue inſcriptio indicat, eam deſcriptam eſſe ex libris Vlpiani ad legem Iuliam & Papiam, cùm fallax & futile id argumentum eſſe, locus hic alter à nobis citatus planiſſimè demonſtret. Quemadmodum igitur ex his reſponſi verbis, *quia res iudicata pro veritate accipitur.* regula iuris (abiecta particula cauſali) nobis alibi propoſita eſt, ſcilicet, *res iudicata pro veritate accipitur*, ità etiam ex illa. *quia Princeps legibus ſolutus eſt.* hæc iuris regula ſimpliciter refertur. *Princeps legibus ſolutus eſt.* Et hæc quidem quamuis ita ſe habeant, quamuis inquam noſtra hæc conjectura probabilior ſit illa Stephani, & eius interpretationis rationem prorſus euertat: tamen vt eius error ab ipſomet, vel aliis ſaltem, apertiùs conſpiciatur, en certa & indubitata argumẽta, quibus oſtenditur ſenſum verborum Vlpiani, non eſſe poſitum in coniectura, qua nihil incertius, ſed clarum, perſpicuum, & vniuſmodi eſſe, atque ad leges æqualiter omnes referendum.

I. Argum. Vid. Corn. Tacit. li. 11. in princ.

Ac primum occurrit argumentum illud ineluctabile, ex Dione Vlpiani coætaneo, qui de Imperatorum ſumma liberaque poteſtate ſcribens, poſtquam longa narratione docuit eos, munia ſenatus, magiſtratuum, legum, Senatu populoque volente & concedente, in ſe traxiſſe, ita vt illis ius eſſet, arbitratu ſuo exercitum conſcribere, pecuniam conficere, bellum ſuſcipere, pacem inire, res tam peregrinas quàm vrbanas componere, atque etiam intra pomœrium equites & ſenatores necare, cenſus agere, in equeſtrem ac Senatorium ordinem quos vellent adſcribere, & alios ab eo remouere, aliaque omnia facere, quę conſules, cæterique magiſtratus cum pleno imperio poſſent, translata nimirum in eos omni Senatus populique poteſtate, idque tanta cum maieſtatis veneratione, vt ſi ab aliquo ſe læſos verbo vel opere exiſtiment, eum indemnatum, tanquam ſceleſtum, ſacrum & piacularem occidere poſſint; mox ſubiecit[a], ἤδη δὲ καὶ ἕτερόν τι ὃ μηδενὶ τῶν πάλαι Ῥωμαίων ἐς πάντας ἄντικρυς ἐδόθη προσεκτήσαντο, ὑφ' οὗ ἂν καὶ μόνου καὶ ἐκεῖνα αὖ καὶ τἆλλα αὐτοῖς πράττειν ἐξῆν. λέλυνται γὰρ δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ Λατινικὰ ῥήματα λέγει. Τουτέστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεως εἰσί, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται. id eſt. *Iam verò & aliud quoddam ius obti-*

[a] lib. 53.

Nota Xylandrũ in hoc loco vertendo magis agere paraphraſten quàm interpretem, vt & in loco proximè ſequenti eiuſdem Dionis, & ideo author eum hic non eſt ſequutus.

nuerunt,

ſuerunt, nulli Romanorum antiquitùs in omnibus rebus apertè conceſſum, quo vel ſolo & illa quæ diximus, *& alia iis facere licet. Soluti enim ſunt legibus, vt verba ipſa latina ſonant: hoc eſt ab omni legum neceſſitate, ſiue neceſſaria legum obſeruatione, liberi ſunt, nec vllis ſcriptis legibus obſtringuntur.*

Quid ad hæc Stephanus? num huic etiam authori legis Iuliæ & Papiæ cancellos circundabit? non audebit opinor præ verecundia: apertius enim loquitur Dio, quam cui cõtortæ interpretationis nebula tenebras offundat: ac planè docet inter omnes conueniſſe Vlpiani ſeculo Principem cũctis legibus eſſe ſolutum. Quamobrem miror Cuiaciũ, virum multa ſubtiliter perquirere ſolitum, ita ſupinè & oſcitanter Dionem lectitaſſe, vt hunc eius locum non de omnibus legibus accipiendum putet; cùm ipſemet de omnibus ſe loqui, diſertiſſimè hîc teſtetur, & paulò pòſt eodem libro idipſum confirmet verbis itidem apertiſſimis. ἡ βουλὴ, inquit, πάσης αὐτὸν τῆς τῶν νόμων ἀνάγκης ἀπήλλαξεν, ἵν', ὥσπερ εἴρηταί μοι, καὶ αὐτοτελὴς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτοῦ καὶ τῶν νόμων, πάντα τε ὅσα βούλοιτο ποιοίη, καὶ πάνθ' ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο, μὴ πράττῃ. ταῦτα μὲν ἀποδημοῦντι ἔτ' αὐτῷ ἐψηφίσθη. id eſt, *Senatus eum* (de Auguſto loquitur) *omni legum neceſſitate liberauit, vt, quemadmodum à me dictum eſt, re vera ſui iuris & abſolutæ poteſtatis, tam reſpectu ſui ipſius quam legũ, omnia quæcunque vellet faceret quæcunque nollet non faceret. hæc quidem ipſi adhuc abſenti decreta ſunt.* Vtri potius, Dioni ſeipſum, an Cuiacio Dionem explicanti fides adhibenda? Si vnius aut alterius tantùm legis obſeruatione eum ſoluit ſenatus, neque magnum adeò beneficium ei contulit, neq; verum eſt quod ſcribit Dio, id eum iuris adquiſiiſſe, quod nulli vnquam Romanorum anteà datum fuit, ideoque dixit ei conceſſum eſſe, vt liber ſit ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεως, ſiue πάσης τῶν νόμων ἀνάγκης. Quid ergo magis ridiculum, quam tam leui & inani coniectura adduci, vt non idem voluiſſe Vlpianum iis verbis arbitremur. *Princeps legibus ſolutus eſt.* niſi vel deſciuiſſe eum à communi aliorum omnium opinione, vel quod vulgò notum fuit neſciiſſe, prius demonſtretur. Nam quod præterea dicit Cuiacius Dionem fateri ſe ex latino ſermone transferre hæc verba λέλυται τῶν νόμων, id nihil ad rem: vult enim Dio ſolùm oſtendere ſe verbum verbo reddere, eius quod dicitur latinè *Princeps ſolutus eſt legibus.*

Alterum argumentum inde ſuppetit, quòd viri illi pru- II. arg.

dentes quibus negocium datum fuit, vt leges Digeſtis comprehenſas ex omnibus Iuriſconſultorum libris colligerēt, cùm Vlpiani mentem ex integris eius ſcriptis antecedentibus & conſequentibus optimè calluiſſent, verba illa *Princeps legibus ſolutus eſt* ſine vlla reſtrictione, inter regulas ſiue ſententias generales de legibus retulerint.

III. Accedit conſpiratio conſenſuſque omnium latinorum, qui, nemine excepto, de quibuslibet legibus ſententiam Vlpiani acceperunt; idque fatetur ipſe noui huius commēti autor. *Græci* [1] (inquit) *de legibus pœnariis interpretantur*, ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται. *vt illud Æſchyli de Ioue*, τραχὺς μόναρχος οὐδ᾽ ὑπεύθυνος κρατεῖ [2]. *quia ſcilicet iudices non habet, latini de quibuſcunque legibus.* rectè: atque ita aduerſus eum illud reſumam. *nō eſſe mutanda quæ interpretationem certam ſemper habuerunt* [3].

Quid; quod Græci ſententiam illam Vlpiani in ſuos libros & linguam tranſtulerunt generaliter, & ſine vlla exceptione, ſineque vllo titulo, prçterquam περὶ βασιλέως [4]. id eſt, de Rege ſiue Principe: an non ea res argumento eſt, eos non de caducariis, imò non de pœnalibus tantùm, ſed de cunctis vniuerſe legibus, illam intellexiſſe? quamuis maxime, fateor, atque optimo iure ad leges pœnarias referri poſſit.

IV. V. Omitto quod præcipuum eſt, Iuſtinianum teſtari Imperatores frequenter reſcripſiſſe, ſe legibus eſſe ſolutos, & legibus tamen viuere [5], atque illum præcipue Imperatorē, cui magnum illud iuris aſylum Papinianus, atque hic etiā Papiniani diſcipulus & aſſeſſor Vlpianus, aliique inſignes Iuriſconſulti erant à cōſiliis.

Quæ cum ita ſint, ecquis rectæ rationis & iudicii tam inops eſt, vt tot illuſtribus teſtimoniis & argumentis certiſſimis, vnam obſcuram, fallacem, & penè dixerim ineptam coniecturam plus momenti & ponderis ad fidem faciendam habere credat? vt igitur faceſſat argumentum illud ex inſcriptione, ac ne cui in poſterum imponat, his rationibus effectum eſſe arbitror.

Sed quoniam Cuiacius præter coniecturam illam, quā ex legis inſcriptione ſumit, duo alia argumēta adfert, quorum non meminit Stephanus, quibus probari putat Vlpiani verba in d.l. Princeps. non de omnibus legibus eſſe intelligenda: operæ pretium eſt ea quoque hoc loco referre, ac refutare paucis, ne prætermiſſa nouum lectori ſcrupulum, pro-

1 Cuiac. li. 13. obſer. cap. 30.
2 id eſt durus Monarcha regnat non reddēdæ rationi obnoxius.
3 d.l. minime D. de legibus.
4 lib. 2. βασιλικῶν.
5 §. vlt. Inſt. quibus mod. teſt. infirm.

propter viri authoritatem, vel veri ſpeciem iniiciant. Prius eſt; quia, vt ille vult Princeps lege Falcidia, Glicia, Voconia, & aliis pleriſque tenetur. *Qua de cauſa*, inquit, *veniam legis Voconiæ à Senatu Auguſtus petit apud Dionem.* Ad quod breuiter reſpondemus, Principem quidem omnibus legibus re vera ſolutum eſſe, ſed eum tamen, quæ ſua eſt humanitas, manſuetudo, & modeſtia, libentem volentem ſuis ſe legibus ſubiicere, præſertim iis quę ad iuſtitiam commutatiuam referuntur: idque ipſi Imperatores oſtendunt vbi dicunt: *licet legibus ſoluti ſumus, attamen legibus viuimus.* Id etiam Paulus Iuriſc. docet, cùm ait: *Decet tantæ maieſtati eas ſeruare leges quibus ipſe ſolutus eſſe videtur.* Paucis admodum ſe eximi volunt Principes ex quibus erat olim lex Papia de caducis, quæ vt rectè Cuiacius per ſe ſatis odioſa erat aliis autem ſe ſuaque ſponte ſubmittunt, at hoc non eſt teneri legibus, non eſt obnoxium eſſe, quatenus hic de legum imperio in priuatos diſſerimus, qui legibus etiam inuiti obſtringuntur, inuiti iudicia ex legibus ſubeunt [1], quo pertinet tam laudatum illud, atque tritum ab aduerſariis, reſcriptum Theodoſii iunioris. *Digna vox eſt maieſtate regnantis legibus allegatum ſe Principem profiteri*, vt quamuis poſſet ſcilicet, nolit tamen legum imperia detrectare. Hinc laudi datum eſt Antiocho [2] III. & Tiberio Cæſari [3], Principibus cæteroquin valdè licentioſis, quod vterque ciuitatibus ac populis ſcriberet, *ſi quid contrarium legibus per epiſtolam iuſſero, nolite parere, ſed me ignoratione lapſũ credit oto.* Quod autem de venia legis Voconiæ ab Auguſto petita ſcribit, id eodem etiam referendum eſt, ad humanitatem ſcilicet & voluntariam ſubmiſſionem Auguſti, non autem ſubiectionis neceſſitatem, quandoquidem ipſe plenum imperium plenamque poteſtatem habebat eximendi legibus quemcunque voluerat, ſeque in primis liberum ab illa iuris obſeruatione ſciebat. Vnde vulgò ab interpretib. dici ſolet, Principem ſolutum eſſe legibus in actu quem ipſe Princeps facit. Atque, vt idem Dio autor eſt [4], ſua propria autoritate gratiam legis Voconiæ nonnullis fecit: quod ergo ipſe aliis pro poteſtate imperii beneficium impertitus eſt, id eum ſibi reſeruare potuiſſe, nunquid ambigitur? fecit igitur in ea re Auguſtus, quod poſtea Imperator atque Philoſophus M. Antoninus, de quo idem Dio [5]. Ὁ δὲ Μάρκος καὶ χρήματα ἐκ τοῦ δημοσίου ᾔτησε τὴν βουλήν, οὐχ ὅτι μὴ ἔκειντο ἐπὶ τῇ τοῦ κρατοῦντος ἐξουσίᾳ, ἀλλ' ὅτι ὁ

μάρ-

1 l. inter ſtipulatem. 83. §. 1. D. de verb. oblig.

2 Plutar. in apophth.

3 Nicephor. li. 2. hiſtor. eccl. ca. 17.

4 lib. 56.

5 Xiphil. ex Dione in M. Anton. Philoſ.

μέρεχθ πάντα τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ αὐτὰ καὶ τἆλλα ἔλεγεν εἶναι. Ἡμεῖς γὰρ, ἔφη, (πρὸς τὴν βουλὴν λέγων) οὕτως οὐδὲν ἴδιον ἔχομεν, ὥστε καὶ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ οἰκίᾳ οἰκοῦμεν. id eſt, vt eleganter vertit Gulielmus Blancus, *Tum Marcus pecuniam ex ærario petiuit à ſenatu, non quòd ea non eſſet in Principis poteſtate, ſed quòd diceret eam, cæteráque omnia eſſe Senatus, populique Romani: Nos enim inquit (id dicebat in ſenatu) vſque adeo nihil habemus proprium, vt etiam veſtras ædes habitemus.* Similiter Auguſtus veniam legis Voconiæ petiit à ſenatu, non quòd ea indigeret, qui leges omnes & iudicia in ſua poteſtate continebat, ſed quòd adeò popularis haberi voluit, vt nihil niſi à ſenatu datum aſſumere ſibi videretur. Sic Rex Galliæ curiarum aſſenſum in publicandis edictis ſuis exigere ſolet, nõ quod ſine iis regium edictum nullum ſit, ſed quòd humanius Rex eo modo faciat, & vt edictum æquius atque vtilius populo appareat, cùm illud nõ prius valere ſtatuit, quàm tot ſapientum virorum conſilio iudicioque põderatum fuerit, & promulgatum, vt pluribus libro ſequẽti demonſtrabitur. Hæc & ſimilia, quæ Principes humiliter de ſe efferũt, beneuolentiam quidem & amorem ſubditorum ipſis cõciliant, ius autem populo nullum in ipſos largiuntur. ſiquidem, vt dici ſolet iactationis verba ius non faciunt [1], quod dictum ſcite callent aulici in primis, aliique nimis multi, quibus nunc mos eſt, ſua omnibus vltrò polliceri, atque obuio etiam cuique profiteri, ſe eſſe ſoldurios, vt eiuſmodi effuſis & magnificis promiſſis alios demereantur, ad quorum præſtationem, non niſi ſola voluntatis propenſione adigi ſe poſſe ſciunt. Et hæc quidem de priore illo Cuiacii argumento.

[1] l. vlt. D. qui teſt. fac. poſſ.

Sequitur alterum. *Quinimo vt populus ipſe ſuis legibus tenebatur*, inquit, *ita Princeps, cui & in quem populus omne ſuũ imperium contulerat, adeò vt poteſtas Principis, & in ipſum Principẽ eſſet. l. 4. C. de legib.* Dicam quod ſentio: verè Cuiacius mihi non videtur hic eſſe Cuiacius: tum quia ſecum ipſe diſſidet, ait enim alibi. *Nec vero vllo alio diſtat populus à Principe, quàm quod populus ſuis legibus tenetur. Princeps legibus ſolutus eſt: cæterum vt ſuis ita & Principis legibus populus tenetur* [2] tum etiã quia tam aduerſario argumento ad cauſæ ſuæ firmamentũ vſus eſt, vt inde contrarium prorſus ſententiæ ab eo poſitæ conſequẽs eliciatur. Admitto igitur & amplector libentiſſimè hoc quicquid eſt argumenti ab eo hic poſiti, atque ita colligo. Princeps legibus perinde nunc tenetur vt populus olim

[2] ad Inſtit. tit. de iur. nat. gent.

olim ſuis. At populus nũquam tenebatur inuitus; ergo nec Princeps quoq; tenetur. Aſſumptionis veritas inde liquet, quòd leges nulla aliâ ex cauſa locum haberent, quàm quòd iudicio populi receptæ eſſent, & contrà nõ alia de cauſa vim ſuam amitterent quàm quòd expreſſo vel tacito conſenſu populi abrogarentur [1]. Itaq; licet in populari imperio leges ſingulos de multitudine etiam inuitos tenerent, multitudinem tamen totam ſiue populum vniuerſum non niſi volentem tenere poterant, cum ipſas populus ſuo nutu figere, refigere, arctare, extendere, vel abolere potis eſſet. Id enim veluti baſis & ſtabilimentum legum omnium erat. *quodcunque poſtremum populus iuſſit, id ius ratumque eſto.* Non igitur in populum vniuerſum nolentem & inuitum vlla legis erat poteſtas: ſed ipſemet ſponte tantùm, quando, quãdiu, & quomodo ei libitum erat, legis in ſe imperium admittebat. At hoc eſt non ſubiici, non teneri; non obligari legibus. *Pro non dicto eſt*, inquit Pomponius [2], *quod dare niſi velis, cogi nõ poſſis*: & Iauolenus *nulla promiſſio poteſt conſiſtere, quæ ex voluntate promittentis ſtatum capit* [3]. Quapropter ſi (quod vult Cuiacius quodque verum eſt) populus in Principem omne ſuum imperium & poteſtatẽ contulit: non alias Princeps tenetur legibus, exemplo populi, quam ſi velit: Velle autem vel nolle, cùm ipſe ſui ſit arbitrii, liberum ei eſt; nec cogi poteſt, quia iudices non habet, vt ipſe etiam Cuiacius ingenuè fatetur. Proinde ratio hæc ex populi comparatione petita, tãtum abeſt, vt noſtræ cauſæ aduerſetur; vt ei maximo ſit adiumento. Rectè ergo Vlpianus.

Princeps legibus ſolutus eſt. & quicunque
Leges ad omnes iſta verba non refert
Is Vlpiani vel ſciens, vel inſciens,
Detorquet aliò verba, dum cauſæ ſuæ
Seruire vult hæc.

Multa ad hanc rem ſuppetunt, quæ ego nunc, ne longior ſim, prætermitto, ſimulque vt oſtendam leges à nobis in vtramque partem allatas, inter ſe neutiquam diſſidere, ſed eſſe concordiſſimas. Sciendum itaque eſt vim duplicem in legibus conſiderari: vnam quæ hominum actiones ad iuris normam componit dirigitq; alterã quæ inſolentes animos ſuppliciorum metu frænat, & vel iuri conſtituto parere cogit, vel pœnas in renitentes & refractarios conſtitutas perſoluere: illam propterea directiuam, hanc coactiuam, diuini & humani iuris interpretes vocare ſolẽt.

[1] l. de quibus 32. D. de leg.

[2] l. ſub hac 8. D. de obl. & act. l. centeſimis. 46. §. vlt. D. de verb. obl.

[3] l. à Titio. 108. §. vlt. D. de verb. obl.

Qua-

Quatenus igitur leges vim directiuam habent, (verbis vtar vulgatibus) verum eſt Principem ſuis legibus ſubditum eſſe, & alligatum: debet enim legibus viuere, &, exemplo Zaleuci, quas fert in alios ſeipſum admittere. Atque ita intelligenda ſunt illa iuris axiomata, quæ Principem legibus obnoxium eſſe tradunt. Sed quantum ad vim coactiuam attinet, ea in Principem non extenditur, ac proinde non ſubiicitur hac ratione legibus. Neque enim cogi à ſeipſo poteſt, niſi quà voluntatis impetio ducitur: neque ab alio, cùm nullum in terris iudicem, vel ſuperiorem habeat, vt copioſè & ſæpius iam demonſtratum eſt, quò pertinent ea quæ de Principe legibus ſoluto, partim ſupra à nobis, partim ab aliis alibi referuntur. Atque hæc quidem ita ſe habere Theologi pariter & Iuriſconſulti ſumma conſenſione ſtatuunt [1].

Vnde miror Paponem tam inconſideratè & negligenter locum iſtum Vlpiani tractaſſe [2], vt prætermiſſa ſuperiore diſtinctione, atque adeò ipſius Budæi, quem laudat, & aliorum interpretatione, affirmet ſimpliciter dictum illud nimis crudum eſſe, ita enim Gallicè loquitur, & contrarium reſcripto Imperatorum Theodoſ. & Valent [3]. cùm tamen nihil in iuriſconſultiſſimi hominis animo melius cōcoctum efferri potuerit, nihilque minus aduerſarium illi Imperatorum ſententiæ, ſi non verba tantùm, ſed quo ipſe ea ſenſu protulit, expendamus: quod ni fecerimus, vix vllus antiquus author calumniam effugiet, *Scire leges non hoc eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem* [4]. Non ignorabat Vlpianus Principem debere ſecundum leges viuere, & illis parere, quas aliis ſeruandas præſcribit, ſed ita tamen legibus ſolutum eſſe; vt quamuis in eo peccet grauiter, neminē habeat ſuperiorem, a quo cogi poſſit: vtrumque autē Paulus Vlpiani coætaneus & familiaris ſcitè expreſſit, vt de Vlpiani mente nemini dubium eſſe poſſit. *Decet tantæ Maieſtati*, inquit, *eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur* [5]. Idipſum reſcripſerat Alexan. Imp. qui Vlpianum conſiliarium, & Præfectum Prætorio habuit [6]. Et verò Papon qui ſe Budæū ſequi in illo Vlpiani capite interpretando profitetur, vel ipſius Budæi mentem non eſt aſſequutus, vel eam nobis minus apertè & enucleatè Gallico ſermone expreſſit. Budæus enim [7] Vlpianum de quinto & perfectiſſimo regni genere loqui docet quod inſtar œconomicæ gubernationis eſt inſtitutum, quodque παμβασιλεία dicitur, quaſi

1 Bellarm to. 1. cont. 3. lib. 2 cap. 27. ad 3. obiect.
2 volum. 3 Notar. li. 5. tit. de la clauſe car ainſi nous plaiſt. §. Vlpian.
3 l. 4. C. de legib.
4 l. ſcire D. de legib.
5 Lex imperfecto. 23. D. de leg.
6 l. ex imperfecto. C. de teſtam.
7 ad l. Princeps. D. de legibus.

quaſi dicas, inquit, *regnum numeris omnibus dominationis abſolutum: cuiuſmodi erant Reges, Principes Romani Vlpiani Iuriſc. tempore, nihil iam priſcæ ciuilitatis retinentes, omnia arbitrio ſuo ſtatuentes: vt & nunc Reges noſtri ſunt, qui omnia in poteſtate habent, quique (vt Homericus ille Iupiter) quoquò ſe verterint, omnia circumagunt, nutu etiam ſolo omnia quatiẽtes. Deniq; humani Ioues, vt inquit Plautus in Caſina, ſed qui tamen hominum more emoriuntur. Hoc autem regni genus eſt, inquit Ariſtoteles, cum vnus omnium poteſtatem habet, cum communium, tum publicarum rerum, non aliter atque ciuitas vna, aut populus vnus habent. Hæc autem ſpecies quinta œconomica eſt ratione inſtituta. Vt enim œconomia regnum eſt domeſticum, ſic regnum œconomia eſt ciuitatis, aut populi vnius, aut plurium, id eſt domeſtica diſpenſatio.* Ex quibus deinde concludit in hunc modum. *Ex ſupradictis igitur demonſtrari poteſt, vt arbitror Principem non modo legibus eſſe ſolutum, id quod Vlpianus dixit, ſed etiam legibus non teneri*, & iterum. *Ad hæc cum nullum ius ciuile inter patrem & liberos inter dominum & familiam intercedat, vt Ariſtoteles docet libro quinto Ethicorum, & nos alibi diximus. ſi autem eadem ratio inter Principem & populum: ſatis vt arbitror effectum eſt id quod efficere meditabamur: Auguſtum & Principẽ non modò legibus ſolutum eſſe, ſed etiam non teneri.* Hæc Budæus, aliaque ornatè & ſapienter in Vlpiani ſententiam philoſophatus eſt, quæ Papon partim ſuppreſſit, partim decurtata per interpretationem obſcurauit, atque ad eleuandum huius generis regni laudem, ab authoris intentione deflexit. Ita enim Gallicè ſcribit. *Par tels propos & autres pluſiers dudit Ariſtotel ne ſe peut prendre cas certain, auquel la reſponſe dudit Vlpian puiſſe eſtre verifiée & ſouſtenue, qui de vray repugne à ce qui tãt ſainctement a eſté dict par leſdicts Empereurs Theodoſ. & Valent. en la Loy* Digna vox, *ſus alleguee. A quoy l'on ne peut dire autre choſe, que ce que dit Budée ſur la dicte Loy*, Princeps, *que Vlpian à voulu parler des Empereurs, Roys, & Princes de ſon tẽps, qui continuant de laiſſer l'ancienne ciuilité, comme aucuns de leurs predeceſſeurs auoient commencé de faire, regnoient ſelon leurs plaiſirs, & vouloient viure en Dieux, ores qu'ils deuſſent mourir en hõmes, ainſi que dit Plaut en ſa Caſine. Ceſte ſorte eſt eſtrange à la bien prendre, comme elle eſt conduite. C'eſt comme dit Ariſtotel, quand vn ſeul à la puiſſance de tous, ſur tous, & de toutes choſes à ſon plaiſir* Qui vtriuſque linguæ, Latinæ inquam & Francicæ periti ſunt, vident, vt arbitror, Paponem non ex ſententia Budæi reſpondere, quantumque inter eos interſit facilè

diiudicant. Budæus enim per verbum *ciuilitatis*, popularem gubernationem intelligit quod Gallicè ſic planiùs vertendum fuit, *Ne retenant plus rien de l'ancienne forme du gouuernement populaire*, & non vt Papon loquitur, *continuant de laiſſer l'ancienne ciuilité*, nam vocabulum illud *ciuilité* in Gallicorũ hominum auribus, comitatem & honeſtatem ſonat, non autem certam regiminis publici formam & ſpeciem. Deinde quod ſcribit, *Ceſte ſorte eſt eſtrange à la bien prendre comme elle eſt conduicte*. id eſt, hoc genus regni eſt inſolens & peregrinum ſi illud ita accipiamus prout adminiſtratur, id de ſuo addit, Budæo reclamante, & contrarium aſſerente, nēpe Reges noſtros ita regnare, omnia arbitrio ſuo ſtatuentes, vt id minimè peregrinum atque inſolens videri poſſit. Et verò ipſemet Papon alibi fatetur ingenuè Reges non ſolùm legibus ſolutos, ſed etiam ſupra omnes leges poſitiuas eſſe [1], *combien qu'ils ſe viſſent diſpenſez de la Loy & ſur le droict poſit f* (inquit) Atqui, *eſtre diſpenſez de la Loy*, idem eſt, quod ſolui legibus, vt Budæus ad dictam l. Princeps, doctè adnotauit. Sed hæc Paponi condonanda ſunt, viro cætera bono, & qui, vt arbitror, non maleuolo ea animo ſcripſerit. Multos enim libros ad vſum & praxim forenſem accōmodatos compoſuit, in quibus nonnulla nimis oſcitanter conſcripta reperiuntur: cuiuſmodi illud eſt [2], Vlpianum proponere verba reſcripti Impp. Theodoſii & Valentiniani, qui ducentis circiter annis poſt Vlpiani mortem imperarunt: Item illud. Populum Romanum, cùm eius Romæ authoritas plurimum valeret, nullam legem tuliſſe niſi de qua prius ad Senatum retuliſſet: quod falſum eſſe oſtēdi [3], aliáq; non pauca, quæ diligēs lector ſuo marte adnotabit.

1 in prolog. lib. de inſignib. Areſt.

2 tom. 3. Notar. lib 5. tit. des termes en reſcrits. &c.

3 1. li. 4. cap. 4.

Regem legibus obnoxium eſſe, & populi iudicium ſubire, nec ratio, nec regni & Reipublicæ commoda patiuntur: an & quo caſu ſubditi ditione & imperio legitimi Principis liberentur.

CAP. XVI.

QVod ferunt Monarchomachi, Regem legibus ſubiectum eſſe, & in earum obſeruationem cogi poſſe, id cum ſcriptis legibus diuinis & humanis pugnare, iam planum fecimus. Ac ne rationi quidem conſentaneũ, nec è Republica id eſſe, facilè etiam fuerit demonſtrare: Nam prioris partis multa iam firma paſſim à nobis poſita ſunt hoc libro argumenta, quæ ratiocinādi peritis ad eam pro-

probandam vltrò ſe offerũt: cuiuſmodi illud eſt, ex noſtris ſimul & aduerſariorum fontibus deriuatum, quòd populus in Principem omne ſuum imperium & poteſtatem cõtulit, vt paulò antè demonſtratum eſt: atqui populus legibus potentior ex aduerſariorum ſententia iudicatur [o], vnde Principem profectò legibus potentiorem eſſe neceſſaria conſecutione effici nemo Dialecticæ callens inficiabitur, cui & illud deinde conſequens eſt, non poſſe eum à populo iudicari, vel in legum obſeruationem adigi, cùm ius populi iam omne in ſe pertraxerit, nec ipſis etiam aſtringi legibus cùm iis ipſe potentior ſit, quippe quas in populi iure ſitas, vnà cum imperio & poteſtate populi in ſuam ditionem recipit. Contra enim rationem eſt, contráque naturam, ſuperiorem ab inferiore iudicari. Inferior autẽ ſemper populus eſt, ſi Monarchia eſt: neque enim monarchia dici poteſt, ſi ſocium aut ſuperiorem in imperio habeat, vt vberius ſuprà docuimus [1].

o Buchan. pa. 16.

1 cap. 4.

Huc accedit & illa ratio, quod neque ſuis legibus teneri poſſit, cùm nemo ſit ſeipſo ſuperior, nemo à ſeipſo cogi poſſit [2], & leges à ſuperiore tantum ſciſcantur, dentúrque inferioribus [3]: neque antecedentium Principum, cùm par in parem non habeat imperium: [4] neque populi, cum ipſe populo ſuperior ſit, (quod clariſſimis documentis iam teſtatum eſt) & quicquid eſt ſuperiore ſuperius, ſit & inferiore quoque (vt recepto Philoſophorum axiomate vtar.) Inde eſt quod B. Auguſtinus dicit. *Imperatorem non eſſe ſubiectũ legibus, qui habet in poteſtate alias leges ferre.* Alia ex antedictis complura ſuppetunt legenti, queis ego repetendis chartã, & chartâ cariorem operam non tribuo.

2 l. ille à quo. 13. §. tempeſtiuum. D. ad Sc. Trebel.
3 Vid. Bellarm. tom. 1. controu. 3. c. 2. in fi.
4 l. 4. D. de recept. qui arb.

Iam vero nec expedire quidem nec vtile eſſe Reipublicæ Principem legum vinculis inſtar priuatorum illigari aut iudicium populi ſubire ſi deliquerit, res eſt, vt mihi videtur, non in opinione dubia, ſed cognita & explorata, & velut ante oculos conſtituta iis, qui vulgi leuitatem, inuidentiam, mutabilitatem, inconſiderantiam, ingratitudinemq; perpenſam habent & perſpectam, quæ omnia quàm vigeant in eo, multi ſummi viri ſententiis alii aliis teſtantur, cuiuſmodi ſunt illæ quas pereruditus Lipſius ὑπὸ μίαν σύνοψιν in ſuis Politicis reduxit [5] eoque minus hic neceſſum habeo, rem illam in veterum iuxtà & recentiorũ autorum monimentis celeberrimam replicare. Id tantũ dicam ex iis malis malum hôc ortũ, vt optimè de patria & populo

5 li. 4. c. 5.

meriti, inſigni ſæpe iniuriâ peſſimè à popularibus tractarentur: teſtes ex hiſtoriis Coriolanum, Camillum, Themiſtoclem, Phocionem, & alios cõplures excitare poſſum, vt inuidioſam recentium factorum memoriam ſilentio præteream: ea enim ſemper eſt multitudinis nouarum rerũ cupidæ natura, vt in alia ſubinde atque alia ſe inclinet promptiſſimè, & mutationibus noxiis, modò non expertis, mirificè delectetur: ac omninò propter ſpes quaſdã inanes ſpẽ nouas res moliẽtium prouehere ſoleat, eorumq; tantiſper ſtudiis obſequi dum vel ſe deluſam planè, vel maioris cõmodi acceſſione in aduerſarias partes inuitatam cernat [1]. Ac propterea ſi multitudini aut ex multitudine delectis, hoc in Reges ius tribueretur, profectò æquè bonis ac malis Principibus exitium præſens immineret. Id nos Ephororum in ſuos Reges inſolentia docet, quibus parũ fuit eos grauiorum criminum condemnare, niſi & leuia in iis commiſſa, imò commiſſi leuiſſimam ſpeciem vindicarẽt. Nam vt ex Theophraſto Plutarchus [2], τὸν Ἀρχίδαμον ἐζημίωσαν γήμαντα γυναῖκα μικρὰν, i. Archidamum Regem multarũt, eo quod paruam vxorem duxerat: & Gotthorũ in Hiſpania, qui hoc in conſuetudinem vertiſſe dicũtur, vt quoties proprius illis Rex diſpliceret, à ſuis interimeretur [3]. Quinimo ſi ea Principis conditio eſſet, vt à populo iudicetur, infinitis proculdubio calumniis ſuppoſitus, infinitis inſidiis expoſitus, perpetuò viueret, cui id vnum nempe ad condemnationem ſat eſſet, populo quòd diſpliceret, in cuius odium fortè & offenſionem nullo ſuo merito, ſed nobilis alicuius popularis & ambitioſi operâ, vt fit non rarò, incurriſſet. Et verò res ea bonis quàm malis Principibus tantò eſſet periculi plenior, quantò citiùs mali in bonos, quàm boni in malos, animantur armanturque. difficile ſiquidem eſt, Principem, ea animi moderatione & fœlicitate res gerere, vt in amore cunctis, in odio nulli ſit. Si tenuiores ſubleuet, & plebem ab iniuriâ magnatũ tueatur, infenſam ſibi atque inimicam nobilitatem plerunque habebit, quo nihil regnanti periculoſius. Creſphontem Meſſeniorum Regem cum tota pene ſobole interfecerunt potẽtiores, quod plebem nimis populariter eſſet amplexus [4]; noſtra verò ætate Iacobus V. Scotorum Rex inſigni & pietate & iuſtitia præditus, cùm plebem magnâ legum & iudiciorum ſeueritate aduerſus potentiorum impetus defenderet, plurimos ab ſe nobiles ea ſola adminiſtrationis ſpecie alienauit,

1 Vid. Dion. li. 39

2 In Ageſilao in princ.

3 Aimoin. li. 2. ca. 20.

Teſtis eſt Maria regina Scotiæ & alii quos nominare poſſum.

4 Pauſan. in Meſſenicis l. 2. fine lib. 4.

quòd

quòd dicerent eum vernacula gentis lingua *the Carlis King*, id eſt Regem ignobilium. Qua de cauſa cùm eius obitum plures ſimul viri boni lamentarentur, quidam inter eos illuſtris, Regi carus, & alienatæ voluntatis nobilium ex multis indiciis haud dubius coniector, quid dicam? inquit, optimum amiſimus Principem, ſed commodùm morbo abſumptus eſt, & ad gloriam gentis noſtræ, ne forte ſi longiùs ſpiritum duxiſſet, ipſa eum nobilitas interemiſſet.

Sin Rex huic ordini indulgētior ipſum in regno pro inſita ei ſuperbia paulò liberius verſari permiſerit, vulgus preſſum hoc ipſo & affectum nihil non in Regis perniciem machinabitur: quod & ſi videatur contemni poſſe initiò vt imbelle, pauidum, & ſecors dum conſiliis corporibuſque diſperſum, & ſine certo capite voces tantùm fundit, miſerias ſuas querelis deplorat: tamen vbi rectorem aliquem & ducem ſeditionis nactum fuerit, nihil eo ad quiduis audendum concitatius, nihil regno, & Reipublicæ exitioſius formidoloſiúſque: nam poſito ſtatim omni & modo & metu, ex abiecta ſeruitute in ſuperbam dominationem contendit, præſertim ſi ei optimatum aliquis ſe adiungat, vt ſolent interdum qui occultis in Regem odiis ex priuata cauſa vel ambitioſa regnandi cupiditate incendūtur. Etenim rarò contingit, vt plebs non aliquos de nobilitate in ſuas partes pretio, vel precibus alliciat, aut contra nobilitas, non vulgi partem aliquam vanis promiſſis ad ſe pertrahat.

Deinde verò vna omnibus rebelliis cauſa prætexitur, culpa regnantis. Vnus etiam ſcopus, labantem ſcilicet Reipublicæ ſtatum, ac vel priuatis Regis moribus, vel peruerſa adminiſtratione vitiatum reficere, corrigere & emendare: licet illam aliquando re vera non habeant, & hunc vix vnquam aſſequantur. Equidem memorare poſſum multas atque adeò magnas ſubditorum in Principes bonos coniurationes: ſed paucas vel aduerſus improbos eo rerū ſucceſſu confectas inuenio, vt non principiis, quantumlibet ſpecioſis, ærumnoſos progreſſus, & exitus infœlices annecterent: & multitudinem, cuius ſubleuandæ cauſa inibantur, in miſerias multò maximas non coniicerent: vt quæ ante inſurrectionem grauia pleriſque videbantur: ea præ ſequentibus moleſtiis leuia, & prope nulla, ipſemet populus, ſuo ſapiens malo, iudicaret.

Vt coniuratio nem populi cum Abſalone contra Dauidem cū nostho aduerſus Mariam Scotam.

Eſto igitur Principem in iudicio ad populi tribunal ſiſti

debere, & eius vt legitimi iudicis ſententia damnari, vel abſolui: An non ſtatim id iuris ſibi vindicabunt, qui regni & Reipublicæ reformandæ cauſa defectionem moliuntur, & coitione hominum aperta rem tentant? quod ſi nolit ſe Rex ſiſtere, an non abſentem & contumacem ſceptro & ſolio regali indignum, & hoſtem Reipublicæ iudicabunt? An non percuſſorem, qui latus ei vel iugulum hauriat, tanquam carnificem, & publici iudicii miniſtrum, ſi poterunt, immittent? vel quod tanto facinori peragendo commodius videtur, cuilibet de multitudine id poteſtatis tribuent, præmio etiam exequentibus conſtituto? Etenim profectò ſi primum illud iure iis competat, cætera hoc ipſo conſequentur: ſi inquam legitimi quæſitores & iudices in Regem fuerint, fas illis erit damnatum capitis, ſi quibus velint nequeant, quibuſcunque poterunt modis extinguere, idque ante pauculos annos in Principis Aurengii perſona obſeruatum vidimus: qui cùm maieſtatis iudicatus ita armis reſtitiſſet, vt trahi ſe ad ſupplicium more reorum publici iudicii non pateretur, à pio & animoſo iuuene interemptus iure optimo, pœnas Deo, Regi, & Reipublicæ meritas debitáſque perſoluit. Inde igitur eueniet vt rebelles, qui ſe ad defectionem coactos, morbis Reipublicę medendi neceſſitate aiunt (nam ſuo id omnes ſceleri velamē prætendunt) Regem ſemper vt ſuperiores, & abdicandi imperio, & condemnandi capitis, pro ſua in eum poteſtate ius habeant: ad quorum ſententiam exequendam, nō poſſunt non incitari Iuſtitiæ amore qui eam iuſtam eſſe reutur. Atque ita temerarium aliquem percuſſorem inuenient ſimulato hoc in patriam affectu deceptum, qui quod ipſi vi aperta nequierant, arte & inſidiis perpetrabit.

Quæ ſi admittamus, quis non videt quàm perturbata, incerta & infida futura ſint omnia, quantáque mala non Regibus modò ſed Regnis ipſis populiſque diſſoluta hæc & immoderata licentia aduectura ſit? Sed dicet forte plebicola, & μισοβασιλεὺς aliquis non factioſorum hominū, aut quorundam de populo, ſed totius populi aut maioris partis iudicium Regis authoritati præferendum? Cui ego abi, mi homo: ineptis. Ecquando tu populum ita à Rege ad rebelles deſciuiſſe comperiſti, vt non aliqua eius pars à Rege ſtaret? niſi Rex adeo fuerit ignauus & vecors, vt pro ſua ipſe ſalute & dignitate pugnare nollet. Et tuæ ſectæ homines, non morati partem maiorem, ſi antè neſciebas, nūc diſce ex recenti Gallorum in Henricum III. coniuratione:

Buchan. pag. 87. & 88.

in quem poſt illuſtriſſimos Principes Guiſios fratres ab eo trucidatos, quorum mortem doleo, & defleo, quamuis aliquot tantum ciuitates inſurrexiſſent, paucis de nobilitate adiunctis, & Regem contrà tota ferè nobilitas, ac ciuitates plurimæ ſequerentur, ita vt qui defecerant & multitudine & authoritate longè viderentur inferiores, tamen quia ob publica regni commoda, & communem Reipublicæ ſalutem tyranno ſe opponere aiebant, non dubitarunt huiuſmodi ſententiæ dicendæ ius ſibi arrogare, eámque velut ex periculo recitare cum hac epigraphe. *De iuſta Henrici tertii abdicatione è Francorum regno:* moxque vetare, ne quis inter eos amplius Regem eum appellare auderet, cunctiſq; permittere, vt omnibus eum conuitiis, probris, maledictis inceſſerent. Horum igitur ſi doctrinam exempláque ſectemur, non totius populi, neque maioris partis iudicium in Rege condemnando, ſpectandum eſt vel expectandum. Quod ſi ita eſt, eò ſemper reuoluemur, vt demus fas eſſe rebellibus, qui cauſam publicam prætendunt (prætendunt autem omnes) Regem perduellem & reum mortis iudicare. At reponit Monarchomachus meliorem ſaltem partem ſufficere, & eos qui ab illa parte non ſtant, in ciuium numero non eſſe habendos [1]. Amice, ſitne melior pars illa quæ à Rege deficit, facti quæſtio eſt, & valde obſcuris teſtimoniis nititur: quæ enim iuſtæ cauſæ ſpeciem initiò præ ſe ferebat, ea aliquando progreſſu rerum exitúque detecta, iniuſtam ſe planè atque infructuoſam Reipublicæ demonſtrat. Interea tamen dum contenditur de meritis & æquitate cauſæ, totum vndique regnum concutitur: & populus nefario ciuilique bello in ſua ipſe viſcera deſæuiens, calamitates infinitis partibus plures grauioréſque haurit, quàm vnquam ſub legitimo Principe quamlibet tyranno, imperii patiens & quietus accepiſſet. Rurſus alius: Si neque faſtigio deiicere, neque in ordinem cogere malum Regem liceat: ſatius populo eſt viuere ſine Rege, inque regno non eſſe. Iudiciis forſitan malè ſanis ita videtur, quemadmodum diſcipulis nondum perfectè ad ſalutem eruditis, qui reſponderunt Saluatori [2]. *Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Nam quamuis nō liceat viro vxorem propter alia ab adulterio vitia dimittere, atq; ita pergrauis & dura connubii lex hominib. præſcripta videatur: tamen quia plura ex matrimonio bona proueniūt, ſoboles legitima, charitas coniugalis, deſignatio coniun-

1 Buchan. pag. 89. & 90.

2 Matth. 19.

ctionis Chriſti & Eccleſiæ, Dei & animæ fidelis, aliaque ſacramenti huius gratiam & benedictionem conſequentia, quæ & certiora ſunt, & longè antecellũt fortuitis illis moleſtiis, quæ non omnia coniugia comitantur: non debet ei iniquum videri, qui horum ſpe ductus vxorem ducit, ſi iugum quod ſciens prudens libenter ſubiit, ferre cogatur & perferre, vt quamuis eum pœniteat, quod,

Stultus maritali porrexit ora capiſtro.

tamen quia non de ſingulis & raris euentis leges conſtituuntur [1], & matrimonium per ſe bonum eſt, atque etiam alias, vt diximus, vtilitates parit non permittitur indiuiduũ illud vitæ conſortium diſſoluere. Ita populis quamuis durum certè atque amarum videatur imperia Regum acerbiora ferre, tamen quia commodis regni fruuntur maximis, & Reges etiam frequenter minimè malos nanciſcuntur, expedit iis omni in Regem priuari authoritate, quàm arbitratu ſuo quoslibet, prout cõcitatæ multitudinis furor, aut ambitioſæ nobilitatis feruor cauſas ſuggeſſerit, imperio atque omni ditione ſpoliandi poteſtatem habere. In quam ſententiam repetenda ſunt illa ſancti patris à me ſupra laudati verba [2]. *Mixtum etenim malum, inquit, præuiderat ipſe pacis author regno futurum, ſi Rex immoderatius aliquando impune ſe erga populum gereret, quàm ſi populus iudex & vltor regiæ iniquitatis pro ſua libidine exiſteret. Quare prouida ſua benignitate Caluinico ſpiritui occurrere voluit, conteſtando hoc eſſe ius Regis in populum, non populi in Regem: atque ita propter eiuſmodi onera, nemini in Regem rebellionem excitare licere.*

[1] l. 3. 4. 5. 6. D. de legib.

[2] Abbas VVinzetus aduerſ. Buchanan. pag. 190.

Quid ergo? nullíne caſus incidere poſſunt, quibus populo ſeſe erigere, atque in Regem impotentius dominantem arma capere, & inuadere iure ſuo ſuaque authoritate liceat? Nulli certe, quandiu Rex manet. Semper enim ex diuinis id obſtat: *Regem honorificate. & qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit.* Non alias igitur populo in eum poteſtas eſt; quàm ſi id committat, propter quod ipſo iure Rex eſſe deſinat; tunc enim quia ſe ipſe principatu exuit, atque in priuatis conſtituit, liber hoc modo populus, & ſuperior efficitur, reuerſo ad eum ſcilicet iure illo, quod ante Regem inauguratum in interregno habuit. At ſunt paucorum generum commiſſa eiuſmodi, quæ hunc effectum pariant & ego cum plurima animo perluſtrem, duo tantum inuenio, duos inquam caſus, quibus Rex ipſo facto, ex Rege non Regem ſe facit, & omni honore, ac dignitate regali at-

li atque in ſubditos poteſtate deſtituit, quorum etiam meminit VVinzetus [1]. Horum vnus eſt, ſi regnum & Rempublicam euertere conetur, hoc eſt, ſi id ei propoſitum, eaque intentio fuerit vt regnum diſperdat, quemadmodum de Nerone fertur, quod is nempe Senatum populumque Romanum, atque adeò vrbem ipſam ferro flammaque vaſtare, ac nouas ſibi ſedes quærere decreuiſſet [2], & de Caligula, quod palam denunciarit, *ſe neque ciuem, neque Principem ſenatui amplius fore*, inque animo habuerit, *interempto vtriuſque ordinis electiſſimo quoque Alexandriam commigrare* [3], ac vt totum populum vno ictu interimeret, vnam ei ceruicem optarit [4]. Talia cum Rex aliquis meditatur & molitur ſeriò, omnem regnandi curam & animum illicò abiicit, ac proinde imperium in ſubditos amittit, vt dominus ſerui pro derelicto habiti dominium [5].

Alter caſus eſt, ſi Rex in alicuius clientelam ſe contulerit, ac regnum quod liberum à maioribus & populo traditum accepit, alienæ ditioni mancipauerit: nam tūc quamuis fortè non ea mente id egit, populo planè vt incommodet, tamen quia quod præcipuum eſt regiæ dignitatis, amiſit vt ſummus ſcilicet in regno ſecundum Deum ſit, & ſolo Deo inferior [6], atque populum etiam totum ignorantem vel inuitum, cuius libertatem ſartam & tectam ab exterarum nationum ſeruitute conſeruare debuit, in alterius gentis ditionem & poteſtatem dedidit, hâc velut quadam regni abalienatione effecit, vt nec quod ipſe in regno imperium habuit, retineat, nec in eum, cui collatum voluit iuris quicquam transferat, atque ita Rex eo facto liberum iam & ſuæ poteſtatis populum relinquit; cuius rei exemplum vnum annales Scotici ſuppeditant. Poſt mortem enim Alexandri III. cùm ingens de regno controuerſia orta eſſet inter Robertum Bruſſium, & Ioannem Baliolum, atque eius componendæ arbiter electus Eduardus I. Anglorum Rex, à tibiarum longitudine *Langſchanx* appellatus. Anglus fidei famæque negligens, vt abiudicatum vtrique regnum ad ſeipſum quo iure quaque iniuriâ pertraheret, animos Scotorum leuiter pertentare, multiſque pollicitationibus ac ſpe vana ſolicitare primùm cœpit, vt vtroque contendentium excluſo, in ſuam ditionem concederent: quod cùm cerneret parùm fœliciter procedere, Scotis eū rerum ſtatum conſtanter recuſantibus, alia ſibi fraude pro-

1 aduerſ. Buchanan. pag. 275. & 269.

2 Aurel. Victor de Cæſarib.

3 Suet. cap. 49.

4 idem cap. 30.

5 l. 1. & vltim. D. pro derel.

6 intelligit de temporalibus.

proſpexit, vtrumque ſcilicet competitorum ſeorſus conuenit: ac Bruſſio prius denunciat ſe pro illo iudicaturum ſi ipſe cùm primum regnum inierit, ſe Regis Anglici clientem, & beneficiarium profiteri velle, promittat. Ille verò, vt erat fortis & magni animi, intrepidè reſpondit, male ſe ſceptrum quamuis optimo iure ſibi debitum amittere, quàm ea lege nanciſci, quæ regni hactenus liberrimi dignitatem libertatemque imminueret, ac proinde vel Regem ſe more maiorum in nullius clientelâ, vel non omnino Regem futurum decreuiſſe. Hanc à Bruſſio repulſam ferens mox Baliolum eâdem machina aggreditur atque expugnat: is enim cæcâ regnandi cupiditate impulſus accepit conditionem, ac ſi Rex declararetur, in eius verba ſe iuraturum clam ſpopondit. Atque hinc digredi pauxillum ab inſtituto mihi liceat, vt moneam hoc me vnum inter Scotos exemplum reperire. Nam quod Angli nunquam non in ſuas laudes effuſi, dicunt ante id tempus Cõſtantinum III. Scotiæ Regem fuiſſe beneficiarium Athelſtani, ſiue Adelſtani Angli, id ſi regni Scotici ratione intelligatur, planè falſum eſt, & Angelicis tantùm ſcriptoribus acceptum ferendũ; quos conſtat gentis ſuæ efferendæ ſtudio in hiſtoria impẽſè mendaces eſſe, vt ille qui Arthuro totius ferè orbis imperium tribuit. Non inficior quin vt Anglici Reges Francorum Regum beneficiarii fuerunt pro his quos in Gallia Ducatus Comitatuſue habebant, ita & Scotici Reges aliquando pro iis quas in Anglia prouincias habebant, Anglicis Regibus fidem dederint: quæ res Bodinum aliquando feſellit [1]. Sed ad id nunc quod agitur redeamus. Si præter hos duos caſus, alius alios memorare poſſit, rem certè non minùs, mihi gratam, quàm vtilem Reipublicæ faciet. Ego enim alium ſcio nullum, quo Rex ipſo iure, ipſoue facto regiam dignitatem perdat (eiurationem ſpontalem excipio, de qua nulla inter mortales dubitatio.) Nõ enim ſi adulter, ſi homicida, ſi periurus, ſi, quod damnoſius & deteſtabilius eſt, hæreticus fuerit; nec ſi populum iniquis vectigalibus premat, vel in ciuitates quaſdam ſeuerius & iniuſtius animaduertens aratrum inducat, aut nobiles, quibuſcum obſcuras vel apertas ſimultates gerit, morte, fortunis, exilio intemperanter multet, idcircò Rex eſſe deſinit, vel imperium in ſubditos & annexum maieſtati honorem protinus amittit. Quis enim Saulem ſacerdotũ

[1] l. 1. Reip. ca. 9.

cædi-

cædibus contaminatum, Dauidem adulterii homicidio cumulati reum, Salomonem ad idola prolapſum, Iorã ſexies parricidam, & multorum etiã regni Principum interfectorem, atque adeò omni nequitia turpificatum, Ioas idolorum cultu & cæde ſummi ſacerdotis & Prophetæ infamem; alioſque Hebræorum Reges nefandis vitæ ſordib. inquinatos; Reges manſiſſe neſcit? Quis Theodoſium, ex eo die quo amplius ſex millia innocentum trucidauit, imperatorem fuiſſe inficiatur? Quis Conſtantium? Quis Valentem? imò quis Iulianum? quid multis? vt nulli ſola bonitas vel iuſtitia poteſtatem in alios tribuere, ita nec malitia vel iniquitas ſola iure quæſitam auferre poteſt.

*

FINIS LIBRI TERTII.

GVIL. BARCLAII I.C. DE REGNO ET REGALI POTESTATE aduerſus Monarchomachos.

Liber quartus, in Brutum ſecundus.

CAP. I.

QVONIAM id mihi initiò propoſitum fuit, vt opus hoc de regno (quod, Deum teſtor, hortantibus viris bonis; & excitante ad veritatis defenſionem cõſcientiâ aggreſſus ſum) non ſolùm narrationem confirmationemque eorum quæ regii iuris ſunt, verùm etiã illorũ quæ cõtra ab aduerſariis diſputari ſolent, refutationẽ cõtineret: & priorem partem, ſi nõ perfectè, at certè vt potui, fidiſſi-

ſidiſſimè tribus iam libris ſum proſecutus, ordinis & inſtituti ratio exigit, vt in poſterioris tractationem hoc libro incumbam. Eaque mihi opera tantò magis neceſſaria videtur, quantò tenaciùs errores in præoccupatis opinionũ peruerſitate mentibus inhæreſcunt. fit enim ſæpe vt multi leuibus argumentis, & fictis fucatiſque rationibus, abduci ſe à recto facilè patiantur: ſiue quia in id quod aſſeritur adeò propendent ſua ſponte, vt quod verum fingitur verum eſſe velint: ſiue quia ingenio non ita prompto ſunt, & mẽte ad diiudicandum acuta & perſpicace, vt vitia argumentorum ſtatim videant vitentque. Quibus omnibus ſola veritatis demonſtratio, quamlibet ſimplex & aperta, non ſatis eſt ad eam qua ſemel imbuti ſunt opinionis prauitatem reuellendam, niſi etiam contrariæ argumentationes, quarum laqueis irretiti ſunt, diluantur. Perſtringam igitur magna ex parte quæ ſunt eius generis, vt imperitis & incautis hominibus facilè imponant; ac præcipuè ad Bruti rationes refellendas memet accommodabo, Buchananicis quibuſdam adiunctis: tum quòd de Buchanano vir eruditus iampridem victoriam reportauit, & nos etiam complures eius errores primis libris carpſimus conuicimuſque, vt neceſſum non ſit eos hoc loco repetere: tum etiam quia Bruti oratio corraſis vndique argumentis [illegible]uit liberiùs, & errores veri ſpecie contectos cum quadam ſuauitate lectoribus inſtillat.

Vt itaque à capite quæſtionum Bruti, atque adeò ab ipſius libri titulo & præfatione ordiamur (nam eius quidẽ iſta ſunt cuius & reliquum opus [3]) quod ait. *De legitimo & vero Principis in populum, & populi in Principem iure & poteſtate*: id doctis hominibus vſuſque & diſciplinæ ciuilis peritis, admirabile videtur: non tamen inter Stoicorum paradoxa, ſed inter ſtolidorum deliria ἀδοξόμενα [4] reponendũ. Siquidem neceſſe eſt populum Principe ſuperiorem eſſe, vel inferiorem, aut pari vtrumque imperio præditum: quartũ quod demus nihil eſt in eodẽ poteſtatis genere. Atqui certiſſima iuris definitione, & ſolidiſſimâ etiam ratione conſtat nulli ius & poteſtatem eſſe in parem aut ſuperiorem: quapropter fieri non poteſt vt vterq; alteri ſubiiciatur, domineturue. Brutus ergo cùm libri ſui frontem ea inſcriptione ornet, atque ab eâ præfationis quoque initium ducat, polliceri videtur ſe non modo incredibilia, verum etiam impoſſibilia nobis explicaturum: incertũ an quia inſcitia

[3] Autor præfationis appellat illas quæſtiones ſuas pag. 7. ſect. 3.

[4] ἀδόξον, inopinabile, infame. Gell. li. 17. cap. 12.

ſcitia ciuilis ſcientiæ id ei monſtrum in cerebro peperit, an quia ratus eſt inſcriptionẽ illam vulgo gratiorem fore, & fraudem non facilè deprehenſum iri, populi & Principis imperium ita coniungit, vt neutri quodammodo & vtriq; principatus tribuatur. Vnum ſcio, nullam Regis in populũ poteſtatem eo libro contineri: quin potius omnem ei abrogatam eſſe. Nam quæſtione 3. pag. 89. De regni Officiariis, quos vocat, differens, hæc ad verbum ſcribit. *Hi Regis in iure dicundo velut aſſeſſores regii imperii conſortes, adeò vt omnes quidem illi Rempub. adminiſtrare teneantur, non ſecus ac Rex: is tamen inter eos quaſi præſes primum tantùm locum teneat. Vt verò populus vniuerſus Rege ſuperior eſt, ita etiam hi, etſi ſinguli Rege inferiores ſint, vniuerſi tamen ſuperiores cenſendi ſunt.* Et pagina 86. *In Repub.* inquit, *quæ naui comparari ſolet, Rex gubernatoris, populus domini loco eſt.* Gubernator autem, vt ille ait, *nauis ſeruus eſt,* domino nauis ſubiectus, ex quo Regem Reipublicæ ſeruum populoque ſubiectum eſſe colligit: quem viri ad vnum omnes boni ſponſum Reipub. & populi caput eſſe contendunt. En vt Brutus, verè brutus, regiam dignitatem non ſolùm infra populi poteſtatem conſtituit, ſed pauculis hominibus populo inferioribus etiam ſupponit. Quid igitur eſt quod *de Principis in populum legitima poteſtate, & de vero Principis in populum iure & poteſtate* ſe diſſerturũ iactat? Quid eſt quod in eadem præfatione ſcribit diſputationes ſuas, *diſſerere de verâ Principis & Regum tuenda maieſtate?* An non aperta nimis hæc eſt, & haud ferenda ludificatio? an non mirum merumque mendacium? Si is Regum maieſtatem tuetur qui eam proculcat, & infimo loco habet: qui Reges ipſos Cõſulibus, & aliis magiſtratib. democraticis pares vel inferiores facit: qui eos quaſi cõcilii Præſides tantum cenſet, & Reip. ſeruos ab aliis nullâ re differẽtes: peregregius Regum defenſor Brutus eſt. Sin minus, alius iis tutor maturè quærendus, qui hunc ſuſpectum poſtulet. Sed mitto libri frontem, ingens enim mihi campus peragrandus eſt: ideoque ſat habeo impoſturam in titulo latentem indicaſſe, vt quid ſpei reliquum ſit de Bruti diſputationibus tam inauſpicatò cœptis lector prudens coniiciat.

Sequitur in præfatione, *omnes peramanter ob elegantiam doctrinæ, æquitatemque cauſæ, etiam obuiis vlnis eas diſſertationes excipient.*

Adeò ſcilicet ſuus illi error placet, vt æquè omnibus acce-

ptum fore credat. Et verò nulla in iis æquitas cauſæ ſubeſt, ſed iniquitas maxima, orationis non vſque adeò comptæ, ſed nec elegantis tamen, cultu phalerata.

Addit deinde, *nulla quemquā inſectandi cupiditate, aut vllarum partium gratia ſcriptas eſſe diſſertationes illas: ſed ſolo veritatis ob oculos ponendæ deſiderio, ex Gallicarum calamitatum neceſſitate ac ruinis: quod omnes,* inquit, *qui eas attentè legent, cuiuſcunque partis ii ſint, aut nationis conditioniſue, modo tamen Chriſtianam religionem, vel quam Pontificiam, vel quam Reformatam appellant, profiteantur facilè certoque perſpicient.* At hoc etiam falſum eſſe ex variis earum quæſtionum locis facilè deprehenditur. Nam in primis conſtat autorem eſſe hæreticum ex iis quæ ſcribit pag. 18. & pag. 60. 61. 62. 163. 204. & alibi: atque ex hoc ipſo loco, vbi Pontificiam reformatam religionem nominat: Chriſtianus enim orthodoxus Catholicam religionem dixiſſet non Pontificiam, præſertim vbi eam hæreticæ, quam vocant reformatam, verius deformatam, opponat. Tum verò illud quoque certum eſt ſcriptas fuiſſe quæſtiones iſtas eo tempore, quo hæretici Galliam infeſtantes rebellionis ſuæ colorem, imò cauſam omnē, prætendebant eſſe religionis puræ putæ retinendæ & propagandæ deſiderium: obq; eam licere ſibi deficere à Principe libertatem colendi Deum, vt velint, denegante, eique & animis & armis reſiſtere, atque ſceptrum adimere, tam ſeditioſis concionibus quàm ſceleratis conatibus contendebant, vt nemini talia reputanti obſcurum eſſe poſſit, quæſtiones illas hæreticorum gratiâ ſcriptas eſſe, niſi qui hæreticam aſtutiam prorſus ignorat.

1 f.2. Idem de eo iudicium eſt, quod in eadem præfatione ſcribit [1] *præclare equidem Iunius Stephanus qui nihil antiquius habuit, quàm vt has quæſtiones publici commodi gratia, Chriſtianaque religionis ſarta tecta tuendæ cauſa, magnis laboribus ſtudiiſque perficeret.*

Puduit præmonitorem dicere, hæreticæ, ſeu Lutheranæ vel Caluiniſticæ religionis, & Catholicæ religionis dicere non potuit: quippe hæc quæſtionibus illis palam oppugnatur: ideò dixit generaliter Chriſtianæ vt lectores ſibi aliquos hoc ſaltem elogio conciliaret. Deinde pergens in eius ſcripti laudibus.

2 f.3. *Quæcunque*, inquit, [2] *in iis quæſtionibus aſſeruntur, ea claris equidem non verò detortis Sacrarum literarum teſtimoniis eſſe certa demon-*

a demonſtrantur: ex Morali Politiceſque ſcientia doctrina, & Naturæ ac legum iuſſis Iuriſconſultorum reſponſis, Imperatorumque reſcriptis confirmantur: diuerſarum Gentium moribus & inſtitutis aſtruuntur: in illuſtribus ac variis variorum hiſtoricorum exemplis, tanquam in ſpeculo, ſpectanda proponuntur.

Magna hæc eſt commendatio, quæ ſi vera eſſet, quem non in illius libri lectionem, inque autoris eius ſententiam pertraheret: Sed nihil eorum præſtat Brutus, quæ iſte de illo, vel ipſe potius de ſe, pollicetur. Nam quæ adfert pleraque ſunt falſiſſima, & detortis deprauatiſque Sacræ Scripturæ teſtimoniis fucata potius quàm firmata. Moralem verò & Ciuilem ſcientiam, atque adeo ipſum Naturæ & gentium ius ita peruertit; vt ea quæ ſcribit legere, nemo doctus ſine indignatione queat. Sed nec in Iuriſconſultorum ſcriptis Principumue reſcriptis, meliore fide verſatur. Ludit etiam non rarò in hiſtoriis, non ſecus ac ſi ſpeculo imagines rerum inuerſas repræſentante vteretur: vt poſt ſuis locis pleniſſimè declarabimus.

Quod autem reliqua præfatione exaggerat, propoſitæ laudationis ſequela eſt: nempe Brutum perſcrutandæ veritati magnam operam impendiſſe, & eam tanquam ex profundo putei eruiſſe. Quæſtiones illas nullis, niſi tyrannorum mancipiis, diſplicere. Per eas Machiauellii doctrinam funditus euerti. Non niſi Machiauellianos in Brutum inſurrecturos, & id genus alia, quæ nec miror, nec moror: pendent enim ex eo quod dixit omnia à ſe allata in iis quæſtionibus demonſtrari eſſe certa, *Sacrarum literarum teſtimoniis &c.* Nam ſi hoc verum eſt, cætera neceſſariò conſequentur: at non verum eſſe faxo cuncti perſpiciant. In Machiauellianos verò ꝙ inuehitur, laudādus, niſi ipſe doctrinā Machiauellianâ nō minus peruerſam fabricaſſet: tātoq; magis exitiabilem regnis, quanto in peiore ſtatu res ſunt tumultuante & furente populo, belliſque omnia miſcente ciuilibus, quàm legitimi Principis etiam inſigniter trucis & maligni, dominatum æquanimiter ſuſtinente. nunquam enim Regis alicuius tanta ſæuitia vel rapacitas extitit, quæ cum ciuilis diſcordiæ miſeriis ex rebellio natæ comparata non multis partibus minor ſit. Impia igitur Machiauellii & deteſtabilis doctrina eſt æquè & Bruti: aduerſis vitiis laborant.

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Sed de præfatione ſatis, ipſas nūc quæſtiones expedāmus.

Cal-

Calliditas Bruti in tractatione prima quæſtionis, eius in ea ſcopus, malignitas, & iuris inſcitia. argumentorum ex Regis & vaſalli comparatione diſſolutio.

CAP. II.

EX quatuor quæſtionibus in quas Brutus opus ſuum diſtinxit, (quod inſcripſit, *Vindiciæ contra Tyrannos ſiue de Principis in populum, populique in Principem legitima poteſtate*) prima his verbis enunciatur.

An ſubditi teneantur aut debeant Principibus obedire, ſi quid contra legem Dei imperent?

Difficile dictu eſt quàm fuerit autor iſte in huius quæſtionis tractatione vafer. Nam in primis ipſam non ſatis clarè & enucleatè nobis proponit: eſt enim ambiguitas quædã eius verbis comprehenſa, quæ facit vt duobus modis poſſit intelligi an ſcilicet ſubditi teneantur & debeant obedire Principi in eo quod imperat contra legem Dei: an verò vllam ei obedientiam amplius præſtare in rebus aliis teneãtur, ſi ſemel aliquid contra legem Dei imperet. Et quamuis initiò ipſe quæſtionem priore modo intelligere ſe ſimulet, cum dicat, [1] *eam videri prima fronte planè otioſam & inutilem, qua nempe Chriſtianorum axioma certiſſimum, quaſi etiamnum controuerſum, in dubium vocari videatur.* Atque iterum vbi admonens ſcopum illius quæſtionis eſſe, vt ſciant Principes *quatenus imperare debeant, & ſubditi quatenus parere*, eam repetit his verbis. *Quæritur, an ſubditi teneantur Regibus obedire, ſi quid aduerſus legem Dei imperent? id eſt vtri potius, Deo, an Regi obediendum ſit.* Qua interpretatione non obſcurè indicat ſe quęſtionem eo ſenſu proponere, quaſi dubium ſit, an ſubditi debeant parere Principi in eo ipſo quod contra legem Dei iuſſerit: quamuis id extra omnem controuerſiam Chriſtiano homini eſſe debeat. Tamen paulò pòſt longè aliam ſibi mentem eſſe aperit: & perſpicuè oſtendit de poſteriore illo quæſtionis intellectu ſe potius ſenſiſſe vt perquiratur nimirum, an Rege aliquid contra legem Dei præcipiente, ac proinde in legem Dei committente, populus ſtatim eius poteſtatis & obedientiæ nexu liberatus ſit, vt nulla in re amplius ei obſequi teneatur. In cuius explicatione omnibus ingenii neruis contendit & elaborat, vt nobis perſuadeat Reges qui Dei legem non obſeruant, vel obſeruantes impediunt & perſequuntur, quique, vt vno verbo dicam,

[1] pag. 1.

dicam, non ex legis diuinæ præſcripto imperant, ipſo iure regnum committere, & omni honoris ac dignitatis prærogatiua ſeſe nudare: cui conſequens eſt, populum iis nō amplius eſſe obſtrictum, eò quòd Reges iam eſſe deſieriut. Hic Bruti ſcopus eſt, huc omnes eius conatus tendunt in primæ quæſtionis tractatione: nec mirum, nam ad confirmandos fratrum, id eſt hæreticorum animos, qui religionis cauſa rebellarunt, quaſi id optimo iure fecerint, ſuſceptam ab eo & exaratam fuiſſe, certum eſt. Hæc igitur de prima quæſtione generaliter dicta ſint, vt Brutus quid animi habeat intelligatur. nunc expendendæ ſingillatim rationes eius, errorésque indicandi.

Brutus ait. [1] *Videtur fortaſſe prima fronte hæc quæſtio planè ocioſa & inutilis, qua nempe Chriſtianorum axioma certiſſimum tot Scripturæ ſacræ teſtimoniis, tot ſeculorum exemplis, tot piorum Martyrum rogis comprobatum, quaſi etiamnum controuerſum in dubium vocari videatur. Quorſum verò alioqui Apoſtolorum reſponſum, Deo magis quàm hominibus parendum eſſe?* 1 pag. 1.

Eſt ita vt dicis, Brute: ſed cùm ita ſit, cur tu doctrinam tam ratam & conſtantem hac inani quæſtione concutere, & ancipitem reddere conaris? Cur rem de qua nemo bene à naturâ informatus, nedum à Chriſto & Chriſtianis inſtitutus, hactenus dubitarit, vt dubiam & incertam peruulgas? Cur quæſtionem omni indignam reſponſione proponis? & cui neque rationibus, neque coniecturis, neque argumentis aut teſtimoniis ſatisfaciendum eſt: niſi tali fortè reſponſione, qualem Celſus Domitio Labeoni reſcripſit [2] nempe, *aut ego nō intelligo quid ſit de quo quaris, aut valde ſtulta eſt quæſtio tua: plus enim quàm ridiculum eſt dubitare, an Deo potius quàm Regi ſit obediendum.* Quin ſimiliter quæris an Diaboli iuſſa capeſſenda ſint, vel ei quàm Deo magis parendum? nam & ipſe princeps huius mundi nominatur: & quod Princeps contra legem Dei imperat, id diabolico ſpiritu imperat, vt perinde ſit, ac ſi Diabolus ipſe imperaret. Nemo, inquit Philoſophus, proponit quod nullis videtur, vel quod omnibus eſt manifeſtum. At Brutus tamen non inanem, imò neceſſariam hanc quæſtionem eſſe tetur. 2 l. Domitius 27. D. qui teſt. fac. poſſ.

At certè, inquit, cùm hodie multi Principes exiſtant, etſi Chriſti nomen ii iactitant, qui immenſam potentiam ne ab ipſo quidem Deo pendentem ſibi audacter arrogent, multi adulatores, qui quaſi Deos terrenos eos adorant, multi etiam qui, ſeu metu occupati,

ſeu alia vi coacti, nulla in re denegandum Principibus obſequium aut cenſeant, aut cenſere videri velint: & vitium præterea noſtrorum temporum hoc eſſe videatur, vt nil tam firmum ſit, quod non conuellatur, nil tam certum quod non cōtrouertatur, nil tam ſanctum quod non violetur: vereor ſanè, ne cuiuis rem accuratè perpendenti, non modo non inutilis hæc quæſtio, ſed planè neceſſaria, noſtro præſertim ſeculo videatur.

Non verum eſt quod de principibus narras, nec ſi verum eſſet, ſatis iuſtam tibi cauſam præberet tam firmum Chriſtianæ religionis dogma in diſquiſitionem adducēdi. Nam Principum quidem perpauci, imò vix vlli qui Chriſto nomen dederunt, vſque eo ſe extulerunt inſolenter, vt non à Deo ſe ſuáque pendere fateantur: niſi hæreticis fortè opinionibus infecti, quòd ex hæreticis Athei facilè fiant. Cum illis igitur (quia ſe hominibus, ſibi Deum imperare ſciunt) non dubia interrogatione agendum, *Vtri potius, Deo an Regi obediendum ſit?* ſed affirmatè, *Deo potius quàm Regi.* Niſi fortè exiſtimes tuas rationes plus apud eos momenti habituras, quàm vel ipſam Sacræ Scripturæ authoritatem. Cum his verò qui ad veſtræ diſciplinæ perfectionem peruenerunt, id eſt, nihil credendi ſecuritatem, quoniam ad extremum perditi ſunt, & omnem de Deo cogitationem, imò omnem eius notionem abiecerunt, multo magis inanis & ſuperuacanea tibi diſputatio eſt, eóque magis lubrica, quòd axioma certiſſimum, vt ais in controuerſiam vocas: tuis enim argumentis ex Scripturâ petitis quo pacto credent, qui ne Scripturis quidem ipſis credunt, & te etiam non niſi dubitanter credere animaduerterint. An putas eiuſmodi Atheos, qui Moyſen habent & Prophetas, imò Dei filium Saluatorem, atque Apoſtolos & eorum ſucceſſores, nec eos audiunt, tibi vel tuo Caluino, etiam ſi ab Erebo reuertatur, de Deo aliquid credituros? Æthiopem lauat qui Atheum luget, & bonam de eo ſpem fouet, & quidem multos eiuſmodi veſtra genuit religio, ſed neminem vnquam ab extremo illo interitu reuocauit. Vide ſis ergo ne hæc tua quæſtio viris bonis odioſa, malis prorſus inutilis & ſuperuacanea ſit. Quiſquis enim tibi propter argumenta ex Scripturis ducta aſſentitur, is Scripturis ipſis vt magis aſſentiatur neceſſe eſt: ac proinde ſine omni quæſtione, vel dubitatione, vel diſputatione, *Deo magis quam hominibus obediendum eſſe credet.* idque omnes Chriſtiani Catholici ſyncerè ſimpliciterque profitentur.

Quæ

Quæ res, arbitror, cùm nec te lateret, cauſa fuit cur ſenſum ab hoc ſenſu digreſſus, in alterum illum quē ſuprà notauimus prolaberere: quaſi nō ad eum finem hæc à te propoſita quæſtio, & inſtituta diſputatio ſit, vt intelligamus Principi, in eo quod iubet contra legem Dei, obſequium penitus eſſe denegandum; cùm id certo certius ſit, & tam illuſtri Scripturæ authoritate fixum fundatumq;, vt Chriſtianum de eo ambigere nefas iudicetur. Sed vt doceas ſubditos ab eiuſmodi Principe ſtatim poſſe deficere, & nō ſolùm ei non parere in eo quod aduerſus Dei verbū imperat: ſed nec vllā in re aliâ, vt qui eius ditione ac poteſtate non amplius teneantur. Hæc illa eſt peſtilens & nefaria quam duabus primis quæſtionibus doctrinam tradidiſti: & quā veſtri Proteſtātes omnes multò antè in Gallia, Germania, Scotia, Belgio, & alibi, rebus geſtis miſerè & mirificè cōprobarunt. Veriſſimè igitur à te dictum eſt, vitium noſtrorum temporum eſſe, *vt nihil tam firmum ſit quod non conuellatur, nihil tam certum quod non controuertatur, nihil tam ſanctum quod non violetur:* idque in te optimè conuenit, qui res certas & ſanctas falſis captioſiſque argumentis ita dextrè inuoluiſti, vt aliter ſe habere quàm reuera ſe habeant, lectoribus parum cautis & eruditis videantur.

Ad illa igitur ipſa nūc venio, quæ apud te, imò à te, ſunt eiuſmodi, vt errorem imperitis facile creare poſſint. Neque enim opus eſt ea recenſere, quæ de Dei omnipotentis æterno ſummoque imperio, quod omnem humanū principatum immenſo atque infinito interuallo ſuperat, verbosè congeſſiſti. Mihi tecum conuenit omnes Principes à Deo poteſtatem accipere, omnes à Deo pendere, & vt tecū dicam, quamuis non propriè dicam, omnes Dei clientes & vaſallos eſſe, quin potius dicam, præ Maieſtatis eius ineffabili celſitate, omnes huius mundi Reges vermes eſſe, & puluerem quem proiicit ventus à facie terræ. Neque tamen, quod tu vis, inde effici concedimus, Regem, ſi Deum negligat, aut eius legem perfringat, ſi Naturæ vel Gentium ius aliqua ex parte violet, regno & regali poteſtate ipſo iure priuari: ſed planè contrà, quæ regiæ dignitatis ſunt integra ei omnia atque intacta permanere: vt eſt à nobis libro tertio ſolidiſſimis rationibus demonſtratum. Tuæ autem quàm infirmæ ſint, quàm futiles ac commentitiæ aggredior declarare: ex quibus prima hæc eſt[a] ſæpius à te repetita.

[a] pag. 11.

Vaſallus ſeſe domino ſuperiori iureiurando deuincit, fidémque & obſequium promittit. Rex pariter ex legis diuinæ præſcripto ſeſe imperaturum iurat. Vaſallus denique ni iuſiurandum ſeruet, feudum committit, ipſóque iure ſeſe omni prærogatiua priuat. Rex quoque ſi Deum negligat, ſi ad eius hoſtes transfugiat, ſi feloniam aduerſus Deum committat, & ipſo iure regnum committit, & ex facto plerumque amittit. Et paulò pòſt [1]. *Perſpicuum ergo eſt Reges, tanquam Vaſallos, in legem Dei, tanquam ſuperioris omnium Domini iurare. At verò, quod antea attigimus, ſi fidem non ſeruant, ſi legem violant, vt illos feudum propter feloniam, ſic hos regnum committere legimus.* Et rurſus [2]. *In ſumma, vt vaſalli rebelles, regnúmve affectantes, & ſupplicium extremum merentur, & feudum ipſo iure committunt: ita & hi qui aut legem Dei ex pacto obſeruare nolunt, aut obſeruare volentes inaudita cauſa perſequuntur.*

1 pag.15.

2 pag.22.

Hoc illud eſt tuum præcipuum ex Iure Ciuili argumentum in huius primæ quæſtionis explicatione, quod quidem ſi verum eſt, nemo neſcit eius efficientiam ex diſſerendi ratione talem eſſe, quæ firma conſecutione probet Reges Deum negligentes, aut eius legem non obſeruantes, ſtatim deſinere eſſe Reges, nec vllam in Republica dignitatem & prærogatiuam retinere: eoque populum iure regni non amplius iis eſſe deuinctum. Ita enim in bona dialectica ex tuis principiis eſt colligendum. Vaſalli erga dominum, & Regis erga Deum, par ſimiliſque conditio eſt. At ille ni iuſiurandum in inueſtitura præſtitum ſeruet, ipſo iure feudum committit, & *ſe omni prærogatiua priuat.* Ergo & Rex quoque ſi iuſiurandum, quod dum inaugurabetur præſtitit, non ſeruet; *ipſo iure regnum committit, & ſe omni prærogatiua priuat.* His poſitis, aliud ex eadem iuris diſciplina conſequens annectitur. Vaſallus cùm primùm feudum committit, & ſe omni prærogatiua priuat, ipſo iure deſinit ſtatim eſſe beneficiarius ſiue feudatarius, ſine vlla accuſatione, cognitione cauſæ, aut condemnatione aduerſus eum facta. Nam ipſo iure dicitur aliquis committere feudum, incidere in pœnam, priuari officio vel beneficio, quando ex eo ipſo quod aliquid fecit, ſola legis authoritate cenſetur illico iudicatus, perinde ac ſi cauſa cognita ſententiam iudex competens protuliſſet. Vnde ipſo iure aliquid fieri, & per ſententiam fieri, vt oppoſita, referuntur [3] & in effectu idem eſſe dicere, ipſo iure, & dicere, ipſo facto, Bartolus poſt gloſſam author eſt [4]; vt ſit, ipſo facto, idem

3 gl. in l. Ictus. D. de his qui not. inf.

4 ad l. 1. num. 4. D. de his qui not. inf.

quod

quod propter factum, vel ſtatim atque factum eſt: ipſo iure verò, quaſi iure ſtatuente, ſeu ſententiante, vt ille loquitur; quaſi dicat, ſine vlla mora, & ſine vlla cognitione aut facto iudicis, ipſa iuris conſtituti poteſtas authoritaſque tale quid operatur: ad ſummam, vtroque verbo ſignificatur, nihil iudicio iudiciſve ſententia opus eſſe. Hinc deinde ex eadem Vaſalli & Regis ſimilitudine, & effectu regni commiſſi, neceſſariò colligitur, Regem, vbi ſemel regnum ipſo iure commiſerit, deſinere eſſe Regem, ſiue Vaſallum & beneficiarium Dei: ipſoque facto ius omne quod habuit in illo feudo, id eſt, in regno, amiſiſſe. Atque ita in eum, vt ex Principe priuatum, ex Rege rebellem, ex ſummo & auguſtiſſimo Magiſtratu miſerum & ſordidatum reum tam indigni facinoris crimine factum, populo ius eſſe ſicut in alium quemlibet de multitudine.

Hæc omnia, Brute, principiis à te propoſitis ſunt conſequentia: quapropter ſi illa vera ſunt, viciſti, nec nobis quod reſpondeamus quicquam ſupereſt. Sed vel error te duplex tenet, vel tu ſciens prudens lectorem duplici errore diſtines. Ideoque refer animum ſis, & recognoſce falſum eſſe principiū illud quod pro vero aſſumis, & vndè ſequentes omnes concluſiones tanquam ex fonte manant; Nempe Vaſallum, ni iuſiurandum ſeruet, feudum committere, ipſoque iure ſeſe omni prærogatiua priuare: falſum, inquā, hoc eſt, & perſeueranter denegandum.

Nam vaſallus qui noxam committit, quam Obertus & Feudiſtæ feloniam vocant, tantùm abeſt vt priuet ſe ipſo iure omni prærogatiua, vt non prius feudum amittat, aut prærogatiua ſpolietur, quàm ſententia feratur, & iudicio Parium, id eſt, conuaſallorum, victus damnatuſque ſit: vt variis in locis eſt apertiſſimè definitum [1]. Quod cùm tam ſæpe & tam diſertè ſcriptum ſit, perpendant velim omnes, & quid ſpei de hoc authore reliquum ſit coniectent: an ſcilicet qui tam manifeſto iuris errore ſuarum concluſionum fundamenta iacit, Theologiam fide meliore quàm Iuriſprudentiam ſit tractaturus. Siccine Brutus Superantii adpromiſſoris ſui fidem liberat? ſpondet Superantius omnia quæ adferuntur in his quæſtionum *decurſibus*, claris

1 li. 1. Feud. tit. 21. de feud. ſine culp. non amitt. & titu. 22. quo temp. miles inueſt. pet. deb. §. vlt. & Conſtit. Imp. Cōradi de beneficiis & Cōſtit. Imp. Henr. de cauſ. amitt. feudi. gloſ. in tit. de prohib. feud. al. per Fredericum li. 2. tit. 55. in verb. reuertatur. Alex. li. 1. Conſil. 124 Baro. lib. 3. methodi de beneficiis cap. 4. cap. grauem. 15. vbi gloſſ. in verb. abſcindatis ea de exceſſ. prælat. Iacobus Cuiac. lib. 5. de Feud. ti. 1. & 2.

& non detortis Sacrarum literarum teſtimoniis, ac Iuriſconſultorum reſponſis, Imperatorumque reſcriptis, Gentium denique moribus & inſtitutis demonſtratū iri & cōfirmatum: & ecce Brutus vix dum occæpit decurrere, imò vix limine pedem extulit, cùm magnum ei mendacium excidit, vel certè ſupinus iuris error: qui tamen ſi vnicus apud eū extaret, condonandus ei facilè, ac planè inducendus eſſet, ne poſteris appareat. Sed cùm ſit multorū mendaciorū quæ ſequuntur velut arra quædam, præteriri ſine vitio nequit: ſiquidem arra pars pretii eſt, & in pretiū imputatur [1]. Veriſſimè dictum eſt, minimum errorem in principio tandem in maximum excreſcere: & vno inconueniēte admiſſo vt loquuntur, abſurda multa conſequi. Negamus igitur, Brute, & vt falſum reiicimus quod ais, Vaſallum ipſo iure Feudum committere, ni iuſiurandum domino præſtitum ſeruet: quo vno reſponſo, velut ſepto validiſſimo, ſiſtuntur riui argumentorum ex illa ſcatebra decurrentium.

[1] l. vlt. D. de lege commiſſ.

Alter Bruti error.

Sed vt quod verum non eſt verum eſſe concedamus, Vaſallum nempe iis de cauſis feudum ipſo iure committere, tamen non inde rectè colligitur quod de rege infers. Nam erras vehementer in eo quod Deum domino, Regem vaſallo, quantum ad feudi & regni amiſſionem attinet, omni ex parte confers, quaſi verò infinita illa diuinæ Maieſtatis potentia, atque immenſa bonitas conſuetudines iſtas feudales, multis nationibus incognitas, ab aliis aliter atque aliter immutatas, in auferendo vel conferendo beneficio imitetur aut ſeruet. An neſcis beneficia de quibus loqueris, quamuis initio potuerint reuocari arbitrio domini, tanquam à temporariis & precariis poſſeſſoribus: tamen hoc iure quod tu in medium adducis de feudo committendo, perpetua eſſe, & ita ad clientes pertinere, vt dominus ea auferre illis, quamuis maximè velit, nequeat [2]. An verò idem de Deo ſtatuis, vt nec ipſe quod dedit, adimere, vel prorogare beneficium placito voluntatis ſuæ poſſit? An ignoras inſtitutis feudalibus comprehenſum eſſe, dominum poſſe noxam ſiue feloniam committere aduerſus vaſallum, propter quam priuetur feudi dominio: [3] quod nemo niſi inſigniter βλάσφημος Deo attribuet? Perperam igitur Regem cum vaſallo, Deum cum domino compoſuiſti: rectius autem initio ſcripſeras [4], *Deum ſuapte authoritate regnare Reges quaſi precario. Deum per ſe, Reges per Deum. Deum iuriſdictione ſua vti, Reges delegata tantùm.* ex

[2] lib. 1. Feud. tit. 1. §. 1. tit. 7. tit. 21. tit. 22. §. vlt.

[3] lib. 2. Feud. tit. 26. §. domino & tit. 47.

[4] pag. 5.

que

quo apparet te, cùm poſtea Regem Dei vaſallum eſſe aiebas, & certis de cauſis feudum committere, vel eorum quæ prius dixeras non meminiſſe, vel inter vaſallum, & precarium poſſeſſorem quantum interſit nō intellexiſſe, vel quod extremum eſt, res longè diſcretas, vt facilius nos falleres fraudulenter confudiſſe. Vtut eſt, neque Princeps cum Deo collatus vaſalli inſtar habet, neque populus cum Principe: ac proinde contrà nec hi quidem ad illos comparati, dominorum loco cenſendi ſunt, quatenus non ita vetus iſta feudorum conſuetudo, dominorum & vaſallorum iura deſcribit: idque ex his quæ tute ipſe tradidiſti, ſi minus mihi fidem habes, apertiſſimè colligitur. Nam primùm ſi Deus ſuapte authoritate regnat, & Reges precarò (quod tu vis & verum eſt) ſequitur fruſtrà quæri de regno cōmittendo, & Reges non rectè dici regnum cōmittere reſpectu diuinæ Maieſtatis, cùm illud ſemper pendeat ex ſola Dei voluntate, & quoties ei collibitum eſt auferri iure precarii poſſit, perinde ac ſi eſſet commiſſum [1] atque ita nec Deus vt dominus feudi, nec Rex vt cliens & vaſallus, regnum propriè aufert, retinétve. 1 li.1.2.& poſſiss D.de preca.

Deinde ſi Reges per Deum, & delegata à Deo iuriſdictione regnant (quod itidem tu aſſeris, & rectè quidem aſſeris) conſequens eſt quod cauſæ tuæ iugulum premit & confodit, populum non poſſe Regi illam iuriſdictionē adimere, quin eo facto grauem ipſi Deo iniuriam faciat eius iuriſdictionem inuadendo: non ſecus ac ſi ciuitas aliqua magiſtratum à Rege ſibi ſuo petitu datum, inconſulto Rege, eiuſque iniuſſu, honore, officio, iuriſdictione, omniq; imperio ſpoliauerit.

Ad hæc ſi verum eſt quod ſcribis, *Regem ſi Deum negligat, ſi ad eius hoſtes transfugiat, ſi feloniam aduerſus Deum committat, ipſo iure regnum committere.* neceſſaria conſecutione efficitur, Regem ſi homicidium, ſi adulterium, fornicationē, aliúdvè peccatum mortale admiſerit, regnum ipſo iure cōmittere, atque ita ne Regem quidem amplius eſſe, nec præeſſe populo: quandoquidem ex amico factus eſt per peccatum inimicus Dei & verè transfuga, atque cliens diaboli, [2] eóque in Deum rebellis: eſt enim mortale peccatum felonia grauis, quæ non ſine Maieſtatis diuinæ ſeu neglectu ſeu contemptu admittitur. At hoc quid aliud eſt, quàm fœdū illum & fœtidum VViclefſi errorē iam pridem ſepultum ab inferis reuocare? 2 epiſt.1.Ioan.3.6

Quod ſi forte te non aliud ſuperiore ſermone intelle-xiſſe dicas, niſi quod quemadmodum Vaſalius, niſi iuſiu-randum ſeruet, indignus eſt qui beneficio gaudeat, quique feudum retineat: ita & Rex qui Deum negligit, aut feloniā aduerſus eum committit, & vno verbo, qui iuſiurandum quod præſtitit nō ſeruat, indignus eſt imperio, & ſolio ſce-ptroque regali: ſi ea inquam tibi mens fuit, verbis vſus es impropriis, & quæ cogitationes tuas non ſatis enucleatè nobis proderent: tamen ſenſus ille tuus optimus eſt, & ego tibi valde aſſentior. Sed Deus, vt ſcis, multa indignis largi-tur, multa condonat, multa vt retineant benignè permit-tit: auaros, homicidas, mæchos, fortunis, honoribus, potē-tiâ cumulat: nec poteſt ei quiſquam dicere, cur ita facis? *Domini eſt terra & plenitudo eius.* quicquid poſſidemus, ab ipſo poſſidemus *non vi, non clàm, ſed precariò.* Cum igitur vt cæterarum rerum, ita & regni largitor Dominus ſit: nec fieri poſſit vt verè Rex & Monarcha iudicem in regno ſu-periorem agnoſcat (cùm ipſe, vt ais, delegatam à Deo iu-riſdictionem habeat) æquiſſimum eſt eum regno frui tan-tiſper, quamuis regno indignum, dum ei Deus precarium abſtulerit, in cuius manu ſunt & corda & corpora Regum omnium: quique vbi ſibi viſum eſt malos celeri & mirabili interitu opprimit, quo fit, vt cùm Dei iudicio non expecta-to, ſua ſe manu vlciſci populus aggreditur, eas meritò cala-mitates accipiat, quæ rebellantium & diuina atque huma-na iudicia peruertentium culpæ debentur. Sed vereor vt me tibi optimam iſtam ſententiam de Rege indigno af-finxiſſe clamites, cùm eius ne veſtigium quidem in tuo li-bro reperiatur: & priorem de regno committendo ipſo iu-re conſtanter, verbiſque diſertis, proſequare. Pergam igi-tur ad cætera.

Nihil Bruto opitulari quod de fœdere inter Deum, Regem, & populum, in Scripturis habetur. argumenta eius inde du-cta non concludere. ipſo iure aliquid fieri, vel pœnam com-mitti, vt intelligendum. Dei iudicium inuerti & prauerti ab iis qui eo non expectato aliquid in Regem tentant. & alia obiter de Bruti malitia.

CAPVT III.

SVperiorem tuam ſententiam, quod Rex nimirum legis Dei negligentior, aut fidem iureiurando datam nō ſer-ſans,

uans,ipſo iure regnum committat, demonſtraturũ te polliceris ex fœdere inter Deum & Regem iniri ſolito.

Hæc, inquis, ex fœdere, inter Deum & Regem fieri ſolito perſpicua erunt.

At id minimè tamẽ præſtas: quî enim præſtare poſſis, cùm nihil quicquam in eo fœdere comprehenſum ſit, ex quo id rectè colligatur? & verò tale quid fruſtra ei fœderi eſſet additum, vel te iudice, qui Reges precariò regnare dicis vt ab iis ſubinde Dominus tanquam precariis poſſeſſoribus regnum poſſit repetere. quin potius contrà, & fœderis verba quæ proponis, & interpretatio quam ſupponis, oſtendunt Regem in ea ſcelera delapſum, quæ tu iuſtas regnum ipſo iure committendi cauſas arbitrare, non ipſo iure ſiue ipſo facto, regnum committere: ſed tandiu verè Regẽ permanere poſt admiſſum ſcelus quandiu ei Deus regnum apertè, re vera, & de facto, vt aiunt, non abſtulerit quod vt omnibus liquidò appareat, en tua ex illo fœdere argumenta proferemus.

Ais te duplex fœdus in Regum inauguratione legere. *Primum inter Deum Regem & populum, vt eſſet populus Dei populus. Secundum verò inter Regem & populum, vt bene imperanti bene obtemperetur.* & de primo tantùm te hîc agere, de ſecundo poſtea. Deinde ſcribis capita huius fœderis inter Deum, & Regem, & populum, hæc fuiſſe in ſumma. *Vti tum Rex ipſe, tum etiam populus vniuerſus, Deum ex legis ſuæ præſcripto, & ſinguli colerent, & vniuerſi colendum curarent. Si facerent, Deum ipſis affuturum, reique publicæ illorum profuturum. Sin minus, miſſos facturum & diſperditurũ.* Exempla deinde ſubiicis [1] de iudicibus Moyſe & Ioſue, qui eas fœderis conditiones populo propoſuerunt, quorum hic, vt ais, *legem coram vniuerſo populo legit, moxque mira, ſi iis pactis ſtarent, pollicitus, dira, ſi negligerent, minatus. In ſumma, ſi legem ſeruarent, proſperè rem geſturos: ſin ſecus diſiectum ac peſſundatum iri obteſtatur.* Sed & ſub Regibus ſimiliter & cum Regibus idem fœdus ictum eſſe, atque illud quod cum Dauide initũ fuit, his verbis in libro Paralipomenon extare ais [2] *Nunquam euelletur à facie mea ſucceſſor ex tua ſtirpe in ſolio Iſraelis, modò filii tui obſeruent legem meam tuo exemplo. Sin verò idolis ſeruiant, expellam vos è terra, quàm vobis poſſidendam dedi.*

Non dicam hæc nõ eſſe ipſa fœderis verba, quæ in Scriptura ſacra referũtur, eoq; te nobis imponere, cùm fœdus illud verbis iſtis à te relatis in eo libro extare dicis. Verum

[1] pag. 13.

[2] 2. Paral. cap. 6. verſ. 16. c. 7. verſ. 2.

quia ſententiis non diſcrepant, res in præſentiâ parui eſt ſed praua tamen conſuetudo, ſua pro ſacris verba ſupponere.

Hæc illa ſunt concluſionis tuæ firmamenta, hæc ſunt, inquam, argumenta illa tua ſolida, & ſola, quibus probas Regem ipſo iure regnum committere, ſi quid eorũ neglexerit aut deſpexerit quæ pactis cum Deo initis continẽtur. Sed tu qui iuriſperitum frequenter agis in tuo illo opuſculo, agedum conſidera & recole verba hæc quæ propoſuiſti: ac diſpice num id eis conſequens ſit quod intendis. Verba autem ſunt, Deum peccantes *miſſos facturum & diſperditurum: eos diſiectum ac peſſundatum iri. Deum illos expulſurum è terra quam iis poſſidendam dedit.* At hæc & ſimilia quam vim habent ex iuris diſciplina, ſi iuris vtique conſultus es, non ignoras. Nempe ea non ita eſſe intelligenda, vt priuationẽ & ademptionem officii vel beneficii ipſo iure ſignificent, vtque rem geſtam pœna iure ſequatur. Neque (ſi de actibus & contractibus mentio fiat) vt actus ipſo iure infirmetur & nullus ſit: ſed vt rẽs notionem pronunciationemq́; iudicis requirat, qua delinquenti multa vel pœna legib. conſtituta irrogetur, aut contractus irritus eſſe iubeatur. Exẽpla nuſquam non obuia ſunt iuris Ciuilis & Pontificii libros lectitantibus: ex plurimis pauca ſubiiciam. Decreto Synodi Mileuitanæ (quæ Carthaginiẽſis octaua vocatur,[1] quod in ea primas inter Afros teneret Aurelius Carthaginẽſis epiſcopus) cautũ eſt ne clericus à clerico publici iudicii reus apud Imperatorem fiat his verbis[2]. *Placuit vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur.* At eum tamen qui aduerſus Canonem deliquerit, non confeſtim, ſiue ipſo iure, honorem & dignitatẽ amittere ſatis conſtat[3]. Sic etiã quamuis ſcriptũ ſit, *Clerici arma portantes & vſurarii excõmunicentur.* non intelliguntur tamẽ Clerici arma geſtantes ipſo facto excõmunicati[4]. Niſi ſint Monachi de quibus diſerte conſtitutum eſt[5], vt ipſo facto excommunicationis pœnam ſubeant, ſi *intra ſepta monaſteriorum ſine licentia Abbatum ſuorum arma* tenuerint. Item prætor ait, *Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo*[6]. At id edictũ non facit quo minus ea quæ metu fiunt ipſo iure valeant, & tantiſper durent, dum per in integrum reſtitutionem reſcindantur. Itaque contractus metu initus nõ eſt ipſo iure nullus, quamuis Prætor edixerit ſe eum nõ ſeruaturum. Neque quod ſancitum eſt, vt actor nolẽs ſacramentum

1 à Gratiano cau. ſi quis, 12. q. 1

2 ca. 19. Concil. Mileuitani & refertur 11. quæſt. 1. Can. placuit.

3 Can. inolita eadẽ quæſt. ſi diligenti, de foro comp.

4 ca. 2. de vita & hom. cleric. & ibi Panor. nu. 8.

5 Clemen. 1. de ſtat. monach. lib. 3. titu. 10. § quia verò in fi.

6 l. 1. D. quod met. cauſ. l. 2. §. quod ſi actor. & ibi gl. C. de iureiur. propter cal. dan.

mentum calumniæ ſubire, *cadat ab inſtituta actione vt improbus litigator*, cauſam ipſo iure amiſſam denotat. Et vt vniuersè dicam, quæ verba pœnis imponendis adhibita futurum tempus reſpiciunt, veluti *deponitor, excommunicetur, amittat*, & ſimilia, ea pœnas non ipſo iure, ſed per iudicis cognoſcentis & condemnãtis ſententiam, irrogandas demonſtrant niſi verbum *ipſo iure*, vel, quod idem ſonat *ipſo facto*, non ſit additum ſanctioni [1] Quod cùm ita ſit, quæ nos ratio cogit fateri per verba *Diſperdendum, diſiectum iri, expellendum*, & ſimilia, quæ tu fœderis eſſe ais, pœnam ipſo iure, ipſoue facto infligi? Næ tu mihi parum memor videris regulæ iuris, quæ pœnas legum interpretatione molliendas potius quàm aſperandas eſſe docet [2]. quandoquidem duriore interpretatione aufers reo ꝙ ei leges ſine interpretatione commodum indulgent. Si Dominus eo fœdere, Regẽ poſt ſcelus admiſſum ipſo iure regnum committere, aut nõ amplius eſſe Regem, aut regni iure priuatum eſſe, deue ſolio regali ſtatim excidere, vel quid ſimile declaraſſet: iam tuæ ſententiæ locus, iam veſtris ſeditionibus & rebelliis occaſio idonea, & honeſta ratio fuiſſet quæſita. Sed cùm tantummodo minetur Deus ſe Reges puniturum, ſi mandata deſeruerint, vt ex formula fœderis à te prolata iam ſatis ſuperque conſtat, nec vllum eis nominatim inter mortales iudicem ferat: quæ, malum, veſania hæc eſt, Dei iuriſdictionem inuadere? præuertere iudicium? ſententiam non expectare? At Rex improbus eſt, & regno indignus: quid tum inde? Deus improbum & indignum vita dignatur, dignatur imperio [3]: & quem bonis eiicere poteſt, eiicere non vult: ſed cum vincere poſſit iudicio, vincire ſolet beneficio. Tu autem quis es qui Dei ordinationi reſiſtis? licetne ei quod vult de ſuo facere? Auarus eſt quiſpiam, eoque numis congeſtis indignus: nunquid propterea eripi ei ab alio poſſunt? nunquid familiæ licet eum dominio earũ rerum exuere demoque expellere? Obligandi & liberandi, acquirendi & amittendi, certi ſunt modi & cauſæ, quos qui è Republica ſuſtulerit, ἀταξίαν & confuſionem rerum omnium inducat neceſſe eſt.

1 Panor. in de cleric. non reſidentibus c. Clericos. 17. in fin. de præb.

2 l. pen. D. de pœn.

3 Matth. 23.

Vides vt conantem docere, ex iuris diſpoſitione Reges ipſo iure regnum committere, ipſa te iura deficiunt. At tu nihilominus ita concludis [4]. *Perſpicuum ergo eſt, Reges tanquam vaſallos, in legem Dei, tanquam ſuperioris omnium domini iurare. At verò, quod ante ea attigimus, ſi fidem non ſeruant*

4 pag. 13.

ſeruant, ſi legem violant, vt illos feudum propter feloniam, ſic hos regnum committere legimus. intelligis autem, ipſo iure, id n. eſt quod antea attigiſti. Sed vbi hoc legeris, indica nobis quæſo: alias vix eſt vt nudæ aſſertioni tuæ credamus: quandoquidem nos contrà, neque ob feloniam committi feudum ipſo iure, ſecundum iuris diſciplinam neque dici poſſe regnum committi, cùm precariò tantùm poſſideatur perſpicuis & euidentibus argumentis iam planum fecimus.

1 pag. 17. Quòd autem poſtea ſcribis [1] *Eſt igitur cauſa hac & frequens, & idonea, propter quam Rex feudo à Deo accepto priuetur, ſi legem Dei oppugnat, & à Deo, ad ipſius hoſtes, ad deos, inquam, gentium transfugiat.* id veriſſimum quidem eſt & à nemine vnquam ſanæ mentis negatum. Deus enim vindex ſcelerũ iuſtiſſimus, deponit potẽtes de ſede & exaltat humiles. Sed (cogor iterum quærere) cur ergo eius iudicium nunc expectas: nunquid alios iudices legitimos vindicandis Regum noxis à ſummo illo iudice conſtitutos didiciſti? An vſpiam legiſti Deum dediſſe populo poteſtatem cogendi Reges in ordinem atque in eorum capita animaduertendi? eius rei nullum, non dicam apertum teſtimonium, ſed ne leue quidem indicium in ſacris literis reperitur. Veteres Chriſtiani Regem ſolo Deo minorem definierunt: tu eum cum infimæ ſortis hominibus exæquas. Illi Deum ſolum iudicem Regibus eſſe dixerunt: tu populum, vel populi partem atque adeo ſingularum prouinciarum vel vrbium Præfectos & Magiſtratus, iudicare Regem, & ei vim inferre poſſe cenſes. Sed pro hoc tuo iniquo iudicio in Reges, iudicabit te Deus, cuius iudiciorum ordinem inuertis peruertiſque.

Redeo ad duplex illud fœdus de quo loqueris, quorum alterum inter Regem & populum hoc fuiſſe tradis, *Vt bene imperãti bene obtemperaretur.* Superiùs verba fœderis finxiſti, nunc ſententiam, & vnde quæſo iſtam eius fœderis pactionem conditionemque expiſcatus es? nam in primis certum eſt non eſſe eam verbis hiſtoriæ comprehenſam, ac ne quidem linguâ nuncupatam & expreſſam à populo fuiſſe veriſimile eſt. Quandoquidem, vt à Dauide incipiam, de eo fœdere ſic ſcriptum eſt [2]. *Et venerunt vniuerſæ tribus Iſrael ad*
2 2. Reg. 5. *Dauid in Hebron, dicentes. Ecce nos os tuum & caro tua ſumus. Sed & heri & nudiuſtertius cũ eſſet Saul rex ſuper nos, tu eras ducens & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te, tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael. Venerunt quoque*
&

& ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron,& percuſſit cum eis rex David fœdus in Hebron coram domino: vnxeruntque Dauid in Regem ſuper Iſrael. En verba fœderis, quæ & alibi totidem penè ſyllabis repetuntur [1], in quibus nulla cernitur fœderis conditio, qualem tu nobis exhibes. Et verò nullã in eo fœdere conditionem adhibitam fuiſſe, tum Dauidis animi magnitudo, conſtantia, & moderatio incredibilis, in rebus ſecundis iuxtà & aduerſis nulli non cognita atque perſpecta: tum etiam populi de eo piè & proſperè regnaturo ſpes ingens diuinis oraculis confirmata, faciunt vt credamus. Nam illud tuum, *vt bene imperanti bene obtemperetur*, conditionale eſt, & perinde ac ſi dicas, *ſi bene imperet bene obtemperetur.* quod homini tantâ vitæ integritate & innocentiæ opinione florenti, quis vnquam crediderit Iudæos tunc temporis fuiſſe ominaturos?

1. Paralip. 11.

Cùm itaque fœderis quod Dauid Rex cum populo iciſſe fertur, nulla certa lex & pactio ſacris monimentis prodita ſit, nulla, inquam, conditio Regis libertatem minuens: an non potius exiſtimandum eſt, eodem iure aſſumptum eum in Regem fuiſſe, quo prius Saul, in cuius locum à Domino vnctus erat, atque à populo cõſtitutus: hoc eſt, cum libera regnandi poteſtate nullis pactionum cancellis circumſcriptâ & coanguſtatâ: idque vel tu mihi fateare, vel mutatam populi voluntatem, cauſamue in perſona Dauidis ſpecialem obortam, cur ita factum ſit, ex illa hiſtoria demonſtres. Alioquin quanam ratione tibi contrariũ ſine teſte aſſerenti fidem haberi velis? Audies illud Saluatoris, *Ex te ipſo dicis an alius tibi narrauit?* Vt autem in fœdere inter Dauidem & populum inito nullam eiuſmodi conditionem adhibitam fuiſſe legimus, ita neque in aliorũ quoque Regum, qui ſecuti ſunt apud Iudæos, inauguratione: cùm tamen in tam varia Regum fortunâ, & diſparibus ſuccedentium vitiis non ſit credibile autorem Sacræ hiſtoriæ diuinitus afflatum, rem tanti momenti voluiſſe prætermittere, ſi non dicam vſitata, ſed vel ſemel aut iterum vſurpata, aut in deliberationem deducta, geſtaque fuiſſet.

Inanem Bruti tractationem reliquam eſſe huius quæſtionis, nec quicquam Regum cauſam lædere. eos Dei legi ſeruandæ obligatos, ipſique ſoli in temporalibus ſubiectos: in ſpiritalibus ſummo Pontifici vt Chriſti vicario & Petri ſucceſſori. Catholicis Principibus fas eſſe hæreticos, ni ad Eccleſiam rede-

redeant, honore, fortunis, morte multare: hæreticis Catholicos non item. ridiculos eſſe Miniſtros hæreticorum qui Catholicos excommunicant, cur libertas religionis tribui hæreticis non debeat: quæ eadem Catholicis eſt concedenda.

CAPVT. IV.

QVæ apud te reliqua ſunt in hac tua primæ quæſtionis tractatione, perparum aut nihil Regum illam, quam tuemur, cauſam lædunt: eoque non ſeriò & induſtriè à nobis agitanda, ſed carptim quæ rectè aut perperam dicta ſunt indicanda. Nam in primis fatemur Reges omnes arctiſſimis, & naturæ & iuriſiurandi, vinculis aſtrictos vt Dei mandata ſeruent: vt eum piè colant: vt omni ſtudio incumbant in eam curam, ne ſubditi à verâ religione declinent, & ad idololatriam, Iudaiſmum, aut hæreſin prolabantur. Sed hæc tamen ſi ſegniùs vel ſeciùs egerint, à Deo ſolo poſſe iudicari, quia ſoli Deo ſubiecti ſunt: de temporali iudicio & ſubiectione loquimur [1]. nam quà Eccleſiæ filii, quà Chriſtiani quà oues Dominici gregis, omnes Principes terræ ſummum Pontificem Petri ſucceſſorem, Deique vicarium agnoſcere debent tantò ſe ſuperiorem, quantò ipſi ſingulis de populo ſunt: vt quemadmodum rebelles, aut alioqui capitalis criminis reos iudicare, & lictoribus ad ſupplicium tradere poſſint: ita ſupremus ille Eccleſiæ Princeps & Paſtor vniuerſalis, hos in Deum delinquentes ſpiritali iudicio condemnare, & tortoribus inuiſibilibus, inuiſibili ſpiritus flagello, gladioque ancipiti excommunicationis, plectendos tradere: quem licet vos nunc hæretici non timetis, imò ridetis, eius tamen aciem & mucronem, animarum veſtrarum viſcera lancinantem ringentes aliquando perſentietis.

Fatemur quoque imò proclamamus & proteſtamur, nihil eorum quæ Deus fieri vetat, Regis iuſſu, quantumuis ſeuerè præcipientis, faciendum ſed perferendam potius omnem ignominiam, & dolorē, atque adeò mortem ipſam diris cruciatibus oppetendam, quàm vel tantillum in leges diuinas committendum. *Melius eſt abſque opere incidere in manus* hominum, *quàm peccare in conſpectu Domini* [2]. At non inde tamen effici, eos, quibus impia & iniqua imperantur, arma capere, inque Regem inuadere poſſe nemo nō ſummè imperitus diffitebitur, quippe aliud recuſare,

1 ea. per venerabilem qui fil. ſunt legit.

2 Daniel. 13.

cuſare, aliud rebellare, aliud reſiſtere & obluctari moderatè, aliud impetere; aliud non aſſurgere, aliud inſurgere: aliud non parere, aliud in præcipientem irruere: aliud denique operas illicitas non exhibere, aliud edere, iubentem conuiciis & maledictis inceſſere, vel armis atque omnibus nocendi artibus petere pulſareque. hæc in faciendo illa plurimum in non faciendo conſiſtunt. Præclarè D. Gregorius [1]. *Si Magiſtrorum vita iure reprehenditur, oportet vt eos ſubditi etiam cùm diſplicent venerentur. Sed hoc eſt ſolerter intuendum, ne aut quem venerari neceſſe eſt, imitari appetas: aut quem imitari deſpicis, venerari contemnas. Subtilis enim via tenenda eſt rectitudinis & humilitatis, vt ſic reprehenſibilia Magiſtrorum facta diſpliceant, quatenus ſubditorum mens à ſeruanda Magiſterii reuerentia non recedat.* Sed plura de hac re ſuprà [2]. Quapropter inanis planè & ſuperuacaneus eſt ille tuus labor, quem inſumpſiſti vt copioſâ oratione, & multis argumentis doceas, quod nemo Chriſtianus orthodoxus ſit negaturus, nempe *Deo potius parendum eſſe quàm hominibus: & ſi Deus hoc præcipit, Rex contra:* vt nemo *Regi aduerſus Deum obſequium denegantem, rebellem iudicet* [3]. & quod *non modo non tenemur obedire Regi contra legem Dei quid imperanti, verum etiam ſi obediamus, rebelles ſumus, non ſecus ac ſi aduerſus Regem colonus, pro ſeniore Regis vaſallo, arma ſumeret, aut edicto ſuperioris quam inferioris* mendum eſt, ſed culpa fortè typographi, ſcriptum oportuit, inferioris quam ſuperioris *vicarii quàm Principis, miniſtri quàm Regis obedire mallet.* His nihil, fateor, melius aut moderatius dici poteſt, & ſi iſtis te finibus continuiſſes, laudatores complurimos, reprehenſorem nullum inueniſſes. Nec tamen opus fuit ad eius rei probationem tot paginas compleuiſſe. quis eam enim vnquam in dubium vocauit? nemo ſanè Eccleſiæ Catholicæ alumnus: tuque adeo non rectè facis, qui quod apud omnes Chriſtianos certum & indubitatum fuit in controuerſiam vocas. Nam quod ais aſſentatores aulicos tibi fortè obiecturos [4]. *Deum ſuam omnem in Reges authoritatem contuliſſe, cœlum ſibi retinuiſſe, terram agendam ferendamque pro libito Regibus tradidiſſe: Cæſarem denique diuiſum cum Ioue imperium habere* nemo ſanus hactenus obiecit, nec niſi inſanus obiiciet vnquam: ſed tute leuiculam illam obiectionem tibimet oppoſuiſti, vt aliquid ſaltem apud imperitos egiſſe videare.

Sed nec illud melioris notæ, aut maioris momenti eſt, quod

[1] lib. 25. Moral. expoſ. in Iob. cap. 22.

[2] Lib. 3. cap. 8.

[3] Pag. 24.

[4] Pag. 4.

quod in extremo huius tractatus impios tibi obiicere ais. *in iis etiam quæ ad conſcientiam pertinent Regibus obediendū eſſe, & Petrum Paulumque, quaſi huius impiæ ſententiæ autores, obtrudere. Indeque quamcumque legem ſanciat Rex, parendum quamcumque religionem ſuperſtitionemue ſectetur, obſequendum ſtatuunt. Quàm aut ineptè, aut impiè, nemo eſt qui non videt.*

Cur non huius impiæ obiectionis autorem aliquem laudaſti? an nullum potueris inuenire? certè Catholicum ſat ſcio neminem. At tuæ ſectę homines fortaſſis aliquot: nam id eis inſolens non eſt, ſuam ſubinde religionem mutare, & vbi ſemel à vera deflexerint, nunquam diu in eadem cōquieſcere: quo fit vt. ſi non doctrinæ profeſſione, ſaltem vitæ inſtituto & conſuetudine, ſatis oſtendant id ſe animi habere, vt eam ſectam ſequendam putent, ad quam Princeps animum appulerit. teſtimonio eſt Lutheraniſmi in Caluiniſmum, & huius viciſſim in illum, breui tempore ad arbitrium quorundam Principum in Germania, ſæpius facta commutatio. eiuſmodi homines nihil niſi rectum reſpuunt, à nulla, inquam, niſi à Catholica religione magnopere abhorrent. Faceſſat igitur & hæc obiectio. quam nemo niſi tu ipſe, vel ex tuis aliquis tibi opponet.

Sed aliam tibi querelæ cauſam fuiſſe perſentiſco, quam etiam quilibet percipere poteſt, qui tua non oſcitanter legerit: nempe quòd Reges tunc Catholici vos ad veram religionem & fidem Catholicam, quà pœnis, quà prę mio reuocare niterentur. Hinc illæ tuæ vindiciæ contra Tyrannos: hinc ſordes illæ quæſtionum queis Reges inficere conaris: hinc iniuriarum illa colluuies, quam velut rabioſi canes in pios Principes Chriſtianos euomuiſtis: hinc denique calumniæ, ignominiæ, & falſa crimina, quæ Regibus vos in Eccleſiam reducere volentibus obiectaſtis: nunc idololatras, nunc tyrannos, nunc Babylonicis poculis inebriatos, & ſi quid excogitari iniurioſius poteſt, appellantes. Quaſi verò aliquid commune habeat pius iſte Principum Catholicorum conatus cum veſana & deteſtabili impiorum crudelitate, Chriſtianos ad idololatriam vel hæreſin pertrahere conantium. Vos enim quia exiſtis de nobis, retrahi à nobis vt perditi & profugi libet, ad patriam & patrem, ipſamque adeò matrem Eccleſiam è cuius ſinu aufugiſtis, aut ſi benignè reuerti nolueritis, plecti iure optimo vt perfidi & profugæ poteſtis atque debetis.

betis. Nos contra, quoniam inter vos nullum vnquam numerum tenuimus: nunquam coitionibus veſtris interfuimus: nunquam religionis & rebellionis veſtræ participes facti ſumus, compelli ad nefarios cœtus veſtros non debemus. Nec ſi Catholicis pœnas grauiſſimas ob defectionem debetis, idcirco vobis in Catholicos etiam numero & viribus inferiores, vllum ius competit: quippe quos nec veſtræ militiæ nomen dediſſe, nec à vobis exiiſſe conſtat. Quod cùm ita ſit, quis non rideat fanaticos veſtros Superintendentes (id illis nomen magis placet quàm Epiſcopi, quia ſonat in fine *dentes*, ſcilicet lupinos, Dominico gregi deuorando accommodatos) qui cùm vſurpatam ſuam iuriſdictionem pœnali iudicio defendunt, ad corporum ſupplicia, quorum ſunt prodigi, excommunicationis etiam ſententiam in Catholicos non parentes addunt, ſcil. vt eos de ſua Eccleſia pellant, qui in ea nunquam fuerũt: ſed mori extrà quàm inibi viuere multò malunt. quod quàm ridiculum ſit & ineptum nemo non videt. Non ſolet Eccleſia Catholica Iudæos vel Ethnicos pœnis ad fidẽ directò adigere [1], multò minus excommunicare, quod nullo ſe vnquam Chriſtianæ militiæ ſacramento diſerte obligarunt. At hæreticos, vt proditores & transfugas, rectè perſequitur: quia in numeros relati fidem datam fefellerunt. Illos, quòd foris ſemper fuerunt inuitat tantùm, non etiam cogit Eccleſia: hos verò, quoniam ingreſſi ſemel foras iterum ſunt euagati, reuocat pro ſuo in eos imperio, & compellit intrare [2]. Cui rei ſummo ſemper auxilio fuerunt Principes Chriſtiani, idque vel in præcipuis eorum laudibus eſt poſitum. Videſis ergo, Brute, quàm impudẽter, imò quam impiè Principes Chriſtianos carpas, & ſummo illis vitio vertas, quod ſubditos in fide Catholica contineant, & eius deſertores animaduerſionis ſeueritate coerceant, ac non potius libertatem religionis cuique tribuant, quã vos, vbi ſeruitis iuſtiſſimã eſſe conclamatis ſuppliciterq; expoſcitis: vbi verò imperiũ tenetis, eandem vt iniquiſſimam execramini, nulliq; conceditis: adeò rectũ non rectum & non rectum rectum eſt, veſtro ſi cadat animo. De Principibus autẽ Catholicis te loqui perſpicuũ eſt ex his quæ adſcribis [3].

Aliquot ab hinc luſtris pleriq; Reges Babylonicis poculis inebriati, Chriſti hoſti aduerſus Chriſtum lupo aduerſus agnum militarunt, vt etiamnum plerique militant. Vidimus verò nonnullos in flagranti crimine, in ipſoque adeo quod agitabãt ſcelere, periiſſe:

1 toto tit. C de Iudæ. can. de Iudæis. 45. diſt. 1. Chriſtianis 6. C. de pag. Dixi directò quia obliquè quodãmodo coguntur. vt l. 1. C. eod & l. vl. de Iudæ. atque ita intelligendus eſt can. 41. 23. q. 4. in fi.

2 Luc. 14. 23. q. 4

3 pag. 18.

quoſdam etiam è triumpho in tumulum elatos fuiſſe. Nec cæteros melior manet exitus &c.

Nam ſi ad tempus quo hoc vel ſcripſiſti vel emiſiſti, aliquot retro luſtra addideris, vix duos ea tempeſtate Reges hæreticos in Europa extitiſſe inuenies: quod cùm ſit ita apertũ & manifeſtũ, vt nihil ſuprà, neceſſe eſt iis verbis Reges Catholicos indicari, quos eo nomine ꝙ matrẽ contra meretrices, Eccleſiã aduerſus hæreſes iuuerint, non diſſimulanter vellicas. Sed nec obſcurũ eſt, quos tu Reges iſtis inopinatæ mortis caſibus deſignes [1]: Lutheranis certè & Caluiniſtis, atque adeo omnis generis hæreticis infenſiſſimos, quos Deus non ideo abſtulit vt vobis gratificaretur, ſed vt regnum florentiſſimum ob populi peccata affligeret.

[1] intelligit Henricum II. qui in celebri nuptiarũ pompa ſeu triũpho læſus interiit, & Franciſcũ II. & Carolum IX. fratres, quos conſtat hæreticis fuiſſe infenſiſſimos.

Nolo autem hîc prætermittere quod tu præcipuum argumentum ad hanc conſcientiæ libertatem vindicandam affers, & quo Reges, qui hæreticos in Eccleſiam cogũt, Maieſtatis diuinæ & regni cæleſtis affectati reos eſſe contendis: nam idipſum Miniſtros veſtros Caluiniſtas crebrò intonuiſſe ipſemet adoleſcens audiui. Nempe corpora fortunáſque in Regum manu ſitas, animas ſoli Deo deberi: in eas Regibus ius non eſſe.

Si Deus liberaliter indulſit Regibus, inquis [2], *vt ſubditorum corporibus boniſque, ad eorundem tamen conſeruationem, uti poſſint: meminiſſe ſanè debent, vſum, non abuſum, concedi. Inprimis verò nihil quod animæ, tributi nomine imperent, habere ſe, qui ſuam ipſi Deo tributariam profiteri teneantur. Rex capit tributum cenſúmve à corpore, iiſque, quæ corporis miniſterio acquiruntur colunturve. Deus ab anima præcipuè, quæ ſuas etiam functiones per corpus exercet. Quapropter ſi Reges ipſi qui Dei munere & beneficio regnant, tributum eo nomine Deo perſoluere minus curent: ſaltem quod Deo à ſubditis debetur, intercipere & auertere ne tentent, aut vlla alia in re diuinam ſibi iuriſdictionẽ arrogent: Id verò propriè affectati regni crimen eſt, quod Deus in ipſos Reges Ethnicos grauiſſimè vltus eſt.* Et paulò pòſt [3]. *Quod ſi vtrunque tributum ſibi vendicat Princeps, perinde ac ſi Gygantum more, cælum petere & ſcandere conentur, regni affectati reus eſt, & non ſecus ac vaſallus, qui regalia iura inuadit, feudum committit, ac eo ſæpiſſimè ſpoliatur &c*

[2] pag. 20.

[3] pag. 21.

Bellè tu quidem iſtæc & rectè concionaris: nec verius his quicquam eſt nec certius. Sed quid inde contra Reges Catholicos? perge & argumentationem perfice. En συλλογίζομαι, inquies. Quiſquis intercipere & auertere conatur tribu-

tributum quod Deo ab hominibus debetur, is diuinam ſibi iuriſdictionem arrogat, & regni affectati reus eſt. Atqui Reges & Principes qui libertatem religionis, & poteſtatem colendi Deum, vt velint, Lutheranis, Caluiniſtis, & id genus aliis, non permittunt, tributum Deo debitum intercipere & auertere conantur. Ergo diuinam ſibi iuriſdictionem arrogant, & regni affectati rei ſunt. Apage te παραλογιστής, & veterator quiſquis es, falſum aſſumis vt falſum cõcludas. Principes Catholici, cùm vos ad fidem reuocant, cùm trudunt ad Eccleſiam, cùm ad fidei profeſſionem adigunt, cùm religionis deformatæ libertatem denegant, & legum ſanctionibus inhibent, tantum abeſt vt Deum tributo ſibi ſoli debito interuertant, vt illud ei à vobis penſitandum hac operâ diligentiſſime curent. Vos enim eſtis hoc caſu, qui illud tributum ſubtrahitis, quod & maiores veſtros re verâ pependiſſe, & vos etiam ſolemniter ſpopondiſſe conſtat. Proptereaque cùm id Rex vos inferre cogit, Dei iuriſdictionem tuetur, non ſecus ac bonus miniſter & procurator dum colonos originarios & adſcriptitios domini interpellat, atque vrget ad ſolutionem debiti quam detrectant. Nemo, niſi nauiter impudens, inficiabitur maiores veſtros, & veſtrum etiam complures, ad eius tributi penſitationem, ſeſe, dato conceptis verbis iureiurãdo, Eccleſiæ Catholicæ obligaſſe. Princeps Catholicus, cùm ſit miniſter regni Dei [1], iure poteſtatis vos cogere tenetur; idque ni fecerit, & vos vt cenſiti fugitiui plectemini, & ille vt negligens miniſter indiligentiæ pœnas dabit: nec vlla vos, aut liberos veſtros, longiſſimi temporis prȩſcriptio ab hac ſubiectione liberat [2]. At contrà nihil tale à Catholicis, niſi per ſummam iniuriam & tyrannidem, exigere poteſtis: nũquam enim in vinea veſtra laborarũt, nunquam agros coluerunt, nunquam capitis cenſum præſtiterunt, nullum, inquam, obſequium, nullum dominium, nullam fidem eccleſiæ veſtræ vnquam promiſerunt.

Ex his perſpicuum eſt, & quæſtionem hanc tuam eſſe inanem, *an ſubditi teneantur Regibus obedire, ſi quid aduerſus legem Dei imperent?* cùm de ea re inter Chriſtianos nulla vnquam orta ſit dubitatio: & rationes partim falſas & fallaces, partim futiles, quibus Reges in legem Dei committentes ipſo iure regnum committere, eóque de ſolio & ſede regali deturbandos eſſe contendis, vt neceſſum mihi non ſit vlterius in eas inquirere.

1 Sap. 7.

2 l. cum ſatis C. de agric. & cenſ. lib. 11.

quia ſententiis non diſcrepant, res in præſentiâ parui eſt ſed praua tamen conſuetudo, ſua prò ſacris verba ſupponere.

Hæc illa ſunt concluſionis tuæ firmamenta, hæc ſunt, inquam, argumenta illa tua ſolida, & ſola, quibus probas Regem ipſo iure regnum committere, ſi quid eorũ neglexerit aut deſpexerit quæ pactis cum Deo initis continẽtur. Sed tu qui iuriſperitum frequenter agis in tuo illo opuſculo, agedum conſidera & recole verba hæc quæ propoſuiſti: ac diſpice num id eis conſequens ſit quod intendis. Verba autem ſunt, Deum peccantes *miſſos facturum & diſperditurum: eos dejectum ac peſſundatum iri. Deum illos expulſurum è terra quam iis poſſidendam dedit.* At hæc & ſimilia quam vim habent ex iuris diſciplina, ſi iuris vtique conſultus es, non ignoras. Nempe ea non ita eſſe intelligenda, vt priuationẽ & ademptionem officii vel beneficii ipſo iure ſignificent, vtque rem geſtam pœna iure ſequatur. Neque (ſi de actibus & contractibus mentio fiat) vt actus ipſo iure infirmetur & nullus ſit: ſed vt rẽs notionem pronunciationemq; iudicis requirat, qua delinquenti multa vel pœna legib. conſtituta irrogetur, aut contractus irritus eſſe iubeatur. Exẽpla nuſquam non obuia ſunt iuris Ciuilis & Pontificii libros lectitantibus: ex plurimis pauca ſubiiciam. Decreto Synodi Mileuitanæ (quæ Carthaginẽſis octaua vocatur,[1] quod in ea primas inter Afros teneret Aurelius Carthaginẽſis epiſcopus) cautũ eſt ne clericus à clerico publici iudicii reus apud Imperatorem fiat his verbis [2]. *Placuit vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur.* At eum tamen qui aduerſus Canonem deliquerit, non confeſtim, ſiue ipſo iure, honorem & dignitatẽ amittere ſatis conſtat [3]. Sic etiã quamuis ſcriptũ ſit, *Clerici arma portantes & vſurarii excõmunicentur.* non intelliguntur tamẽ Clerici arma geſtantes ipſo facto excõmunicati[4]. Niſi ſint Monachi de quibus diſerte conſtitutum eſt [5], vt ipſo facto excommunicationis pœnam ſubeant, ſi *intra ſepta monaſteriorum ſine licentia Abbatum ſuorum arma* tenuerint. Item prætor ait, *Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo* [6]. At id edictũ non facit quo minus ea quæ metu fiunt ipſo iure valeant, & tantiſper durent, dum per in integrum reſtitutionem reſcindantur. Itaque contractus metu initus nõ eſt ipſo iure nullus, quamuis Prætor edixerit ſe eum nõ ſeruaturum. Neque quod ſancitum eſt, vt actor nolẽs ſacra-

mentum

1 à Gratiano cau. ſi quis, 12. q. 1

2 ca. 19. Concil. Mileuitani & refertur 11. quæſt. 1. Can. placuit.

3 Can. inolita eadẽ quæſt. ſi diligenti, de foro comp.

4 ca. 2. de vita & hom. cleric. & ibi Panor. nu. 8.

5 Clemen. 1. de ſtat. monach. lib. 3. titu. 16. § quia verò in fi.

6 l. 1. D. quod met. cauſ. 1 l. 2. §. quod ſi actor. & ibi gl. C. de iureiur. propter cal. dan.

mentum calumniæ ſubire, *cadat ab inſtituta actione vt improbus litigator*, cauſam ipſo iure amiſſam denotat. Et vt vniuerſè dicam, quæ verba pœnis imponendis adhibita futurum tempus reſpiciunt, veluti *deponitor, excommunicetur, amittat*, & ſimilia, ea pœnas non ipſo iure, ſed per iudicis cognoſcentis & condemnãtis ſententiam, irrogandas demonſtrant niſi verbum *ipſo iure*, vel, quod idem ſonat *ipſo facto*, non ſit additum ſanctioni [1]. Quod cùm ita ſit, quæ nos ratio cogit fateri per verba *Diſperdendum, diſiectum iri, expellendum*, & ſimilia, quæ tu fœderis eſſe ais, pœnam ipſo iure, ipſoue facto infligi? Næ tu mihi parum memor videris regulæ iuris, quæ pœnas legum interpretatione molliendas potius quàm aſperandas eſſe docet [2]. quandoquidem duriore interpretatione aufers reo ꝙ ei leges ſine interpretatione commodum indulgent. Si Dominus eo fœdere, Regẽ poſt ſcelus admiſſum ipſo iure regnum committere, aut nõ amplius eſſe Regem, aut regni iure priuatum eſſe, deue ſolio regali ſtatim excidere, vel quid ſimile declaraſſet: iam tuæ ſententiæ locus, iam veſtris ſeditionibus & rebelliis occaſio idonea, & honeſta ratio fuiſſet quæſita. Sed cùm tantummodo minetur Deus ſe Reges puniturum, ſi mandata deſeruerint, vt ex formula fœderis à te prolata iam ſatis ſuperque conſtat, nec vllum eis nominatim inter mortales iudicem ferat: quæ, malum, veſania hæc eſt, Dei iuriſdictionem inuadere? præuertere iudicium? ſententiam non expectare? At Rex improbus eſt, & regno indignus: quid tum inde? Deus improbum & indignum vita dignatur, dignatur imperio [3]: & quem bonis eiicere poteſt, eiicere non vult: ſed cum vincere poſſit iudicio, vincire ſolet beneficio. Tu autem quis es qui Dei ordinationi reſiſtis? licetne ei quod vult de ſuo facere? Auarus eſt quiſpiam, eoque numis congeſtis indignus: nunquid propterea eripi ei ab alio poſſunt? nunquid familiæ licet eum dominio earũ rernm exuere demoque expellere? Obligandi & liberandi, acquirendi & amittendi, certi ſunt modi & cauſæ, quos qui è Republica ſuſtulerit, ἀταξίαν & confuſionem rerum omnium inducat neceſſe eſt.

Vides vt conantem docere, ex iuris diſpoſitione Reges ipſo iure regnum committere, ipſa te iura deficiunt. At tu nihilominus ita concludis [4]. *Perſpicuum ergo eſt, Reges tanquam vaſallos, in legem Dei, tanquam ſuperioris omnium domini iurare. At verò, quod antea attigimus, ſi fider, non ſeruant*

1 Panor. in de cleric. non reſidentibus c. Clericos. 17. in fin. de præb.

2 l. pen. D. de pœn.

3 Matth. 23.

4 pag. 13.

Digitized by Google

ſeruant, ſi legem violant, vt illos feudum propter feloniam, ſic hos regnum committere legimus. intelligis autem, ipſo iure, id n. eſt quod antea attigiſti. Sed vbi hoc legeris, indica nobis quæſo: alias vix eſt vt nudæ aſſertioni tuæ credamus: quandoquidem nos contrà, neque ob feloniam committi feudum ipso iure, ſecundum iuris diſciplinam neque dici poſſe regnum committi, cùm precariò tantùm poſſideatur perſpicuis & euidentibus argumentis iam planum fecimus.

1 pag. 17. Quòd autem poſtea ſcribis [1] *Eſt igitur cauſa hæc & frequens, & idonea, propter quam Rex feudo à Deo accepto priuetur, ſi legem Dei oppugnat, & à Deo, ad ipſius hoſtes, ad deos, inquam, gentium transfugiat.* id veriſſimum quidem eſt & à nemine vnquam ſanæ mentis negatum. Deus enim vindex ſcelerũ iuſtiſſimus, deponit potẽtes de ſede & exaltat humiles. Sed (cogor iterum quærere) cur ergo eius iudicium nunc expectas: nunquid alios iudices legitimos vindicandis Regum noxis à ſummo illo iudice conſtitutos didiciſti? An vſpiam legiſti Deum dediſſe populo poteſtatem cogendi Reges in ordinem atque in eorum capita animaduertendi? eius rei nullum, non dicam apertum teſtimonium, ſed ne leue quidem indicium in ſacris literis reperitur. Veteres Chriſtiani Regem ſolo Deo minorem definierunt: tu eum cum infimæ ſortis hominibus exæquas. Illi Deum ſolum iudicem Regibus eſſe dixerunt: tu populum, vel populi partem atque adeo ſingularum prouinciarum vel vrbium Præfectos & Magiſtratus, iudicare Regem, & ei vim inferre poſſe cenſes. Sed pro hoc tuo iniquo iudicio in Reges, iudicabit te Deus, cuius iudiciorum ordinem inuertis peruertiſque.

Redeo ad duplex illud fœdus de quo loqueris, quorum alterum inter Regem & populum hoc fuiſſe tradis, *Vt bene imperãti bene obtemperaretur.* Superiùs verba fœderis finxiſti, nunc ſententiam, & vnde quæſo iſtam eius fœderis pactionem conditionemque expiſcatus es? nam in primis certum eſt non eſſe eam verbis hiſtoriæ comprehenſam, ac ne quidem linguâ nuncupatam & expreſſam à populo fuiſſe veriſimile eſt. Quandoquidem, vt à Dauide incipiam, de eo fœdere ſic ſcriptum eſt [2]. *Et venerunt vniuerſa tribus Iſrael ad*
2 2. Reg. 5. *Dauid in Hebron, dicentes. Ecce nos os tuum & caro tua ſumus. Sed & heri & nudiuſtertius cũ eſſet Saul rex ſuper nos, tu eras ducens & reducens Iſrael: dixit autem Dominus ad te, tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael. Venerunt quoque*
&

& ſeniores Iſrael ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram domino: vnxeruntque Dauid in Regem ſuper Iſrael. En verba fœderis, quæ & alibi totidem penè ſyllabis repetuntur [1], in quibus nulla cernitur fœderis conditio, qualem tu nobis exhibes. Et verò nullã in eo fœdere conditionem adhibitam fuiſſe, tum Dauidis animi magnitudo, conſtantia, & moderatio incredibilis, in tebus ſecundis iuxtà & aduerſis nulli non cognita atque perſpecta: tum etiam populi de eo piè & proſperè regnaturo ſpes ingens diuinis oraculis confirmata, faciunt vt credamus. Nam illud tuum, *vt bene imperanti bene obtemperetur*, conditionale eſt, & perinde ac ſi dicas, *ſi bene imperet bene obtemperetur.* quod homini tantâ vitæ integritate & innocentiæ opinione florenti, quis vnquam crediderit Iudæos tunc temporis fuiſſe ominaturos? 1. Paralip. 11.

Cùm itaque fœderis quod Dauid Rex cum populo iciſſe fertur, nulla certa lex & pactio ſacris monimentis prodita ſit, nulla, inquam, conditio Regis libertatem minuens: an non potius exiſtimandum eſt, eodem iure aſſumptum eum in Regem fuiſſe, quo prius Saul, in cuius locum à Domino vnctus erat, atque à populo cõſtitutus: hoc eſt, cum libera regnandi poteſtate nullis pactionum cancellis circumſcriptâ & coanguſtatâ: idque vel tu mihi fateare, vel mutatam populi voluntatem, cauſamue in perſona Dauidis ſpecialem obortam, cur ita factum ſit, ex illa hiſtoria demonſtres. Alioquin quanam ratione tibi contrariũ ſine teſte aſſerenti fidem haberi velis? Audies illud Saluatoris, *Ex te ipſo dicis an alius tibi narrauit*? Vt autem in fœdere inter Dauidem & populum inito nullam eiuſmodi conditionem adhibitam fuiſſe legimus, ita neque in aliorũ quoque Regum, qui ſecuti ſunt apud Iudæos, inauguratione: cùm tamen in tam varia Regum fortunà, & diſparibus ſuccedentium vitiis non ſit credibile autorem Sacræ hiſtoriæ diuinitus afflatum, rem tanti momenti voluiſſe prętermittere, ſi non dicam vſitata, ſed vel ſemel aut iterum vſurpata, aut in deliberationem deducta, geſtaque fuiſſet.

Inanem Bruti tractationem reliquam eſſe huius quæſtionis, nec quicquam Regum cauſam lædere. eos Dei legi ſeruandæ obligatos, ipſique ſoli intemporalibus ſubiectos: in ſpiritalibus ſummo Pontifici vt Chriſti vicario & Petri ſucceſſori. Catholicis Principibus fas eſſe hæreticos, ni ad Eccleſiam rede-

redeant, honore, fortunis, morte multare: hæreticis Catholicos non item. ridiculos eſſe Miniſtros hæreticorum qui Catholicos excommunicant, cur libertas religionis tribui hæreticis non debeat: quæ eadem Catholicis eſt concedenda.

CAPVT. IV.

QVæ apud te reliqua ſunt in hac tua primæ quæſtionis tractatione, perparum aut nihil Regum illam, quam tuemur, cauſam lædunt: eoque non ſeriò & induſtriè à nobis agitanda, ſed carptim quæ rectè aut perperam dicta ſunt indicanda. Nam in primis fatemur Reges omnes arctiſſimis, & naturæ & iuriſiurandi, vinculis aſtrictos vt Dei mandata ſeruent: vt eum piè colant: vt omni ſtudio incumbant in eam curam, ne ſubditi à verâ religione declinent, & ad idololatriam, Iudaiſmum, aut hæreſin prolabantur. Sed hæc tamen ſi ſegniùs vel ſeciùs egerint, à Deo ſolo poſſe iudicari, quia ſoli Deo ſubiecti ſunt: de temporali iudicio & ſubiectione loquimur [1]. nam quà Eccleſiæ filii, quà Chriſtiani quà oues Dominici gregis, omnes Principes terræ ſummum Pontificem Petri ſucceſſorem, Deique vicarium agnoſcere debent tantò ſe ſuperiorem, quantò ipſi ſingulis de populo ſunt: vt quemadmodum rebelles, aut alioqui capitalis criminis reos iudicare, & lictoribus ad ſupplicium tradere poſſint: ita ſupremus ille Eccleſiæ Princeps & Paſtor vniuerſalis, hos in Deum delinquentes ſpiritali iudicio condemnare, & tortoribus inuiſibilibus, inuiſibili ſpiritus flagello, gladioque ancipiti excommunicationis, plectendos tradere: quem licet vos nunc hæretici non timetis, imò rideris, eius tamen aciem & mucronem, animarum veſtrarum viſcera lancinantem ringentes aliquando perſentietis.

[1] ea. per venerabilem qui fil. ſunt legit.

Fatemur quoque imò proclamamus & proteſtamur, nihil eorum quæ Deus fieri vetat, Regis iuſſu, quantumuis ſeuerè præcipientis, faciendum ſed perferendam potius omnem ignominiam, & dolorẽ, atque adeò mortem ipſam diris cruciatibus oppetendam, quàm vel tantillum in leges diuinas committendum. *Melius eſt abſque opere incidere in manus* hominum, *quàm peccare in conſpectu Domini* [2]. At non inde tamen effici, eos, quibus impia & iniqua imperantur, arma capere, inque Regem inuadere poſſe nemo nõ ſummè imperitus diffitebitur, quippe aliud re-

[2] Daniel. 13.

cuſare,

cuſare, aliud rebellare, aliud reſiſtere & obluctari modera- tè, aliud impetere; aliud non aſſurgere, aliud inſurgere: aliud non parere, aliud in præcipientem irruere: aliud denique operas illicitas non exhibere, aliud edere, iubentem conuiciis & maledictis inceſſere, vel armis atque omnibus nocendi artibus petere pulſareque. hæc in faciendo illa plurimum in non faciendo conſiſtunt. Præclarè D. Gregorius [1]. *Si Magiſtrorum vita iure reprehenditur, oportet vt eos ſubditi etiam cùm diſplicent venerentur. Sed hoc eſt ſolerter intuendum, ne aut quem venerari neceſſe eſt, imitari appetas: aut quem imitari deſpicis, venerari contemnas. Subtilis enim via tenenda eſt rectitudinis & humilitatis, vt ſic reprehenſibilia Magiſtrorum facta diſpliceant, quatenus ſubditorum mens à ſeruanda Magiſterii reuerentia non recedat.* Sed plura de hac re ſuprà [2]. Quapropter inanis planè & ſuperuacaneus eſt ille tuus labor, quem inſumpſiſti vt copioſâ oratione, & multis argumentis doceas, quod nemo Chriſtianus orthodoxus ſit negaturus, nempe *Deo potius parendum eſſe quàm hominibus: & ſi Deus hoc præcipit, Rex contra:* vt neminem *Regi aduerſus Deum obſequium denegantem, rebellem iudices* [3]. & quod *non modo non tenemur obedire Regi contra legem Dei quid imperanti, verum etiam ſi obediamus, rebelles ſumus, non ſecus ac ſi aduerſus Regem colonus, pro ſeniore Regis vaſallo, arma ſumeret, aut edicto ſuperioris quam inferioris* mendum eſt, ſed culpa fortè typographi, ſcriptum oportuit, inferioris quam ſuperioris *vicarii quàm Principis, miniſtri quàm Regis obedire mallet.* His nihil, fateor, melius aut moderatius dici poteſt, & ſi iſtis te finibus continuiſſes, laudatores complurimos, reprehenſorem nullum inueniſſes. Nec tamen opus fuit ad eius rei probationem tot paginas compleuiſſe. quis eam enim vnquam in dubium vocauit? nemo ſanè Eccleſiæ Catholicæ alumnus: tuque adeo non rectè facis, qui quod apud omnes Chriſtianos certum & indubitatum fuit in controuerſiam vocas. Nam quod ais aſſentatores aulicos tibi fortè obiecturos [4]. *Deum ſuam omnem in Reges authoritatem contuliſſe, cœlum ſibi retinuiſſe, terram agendam ferendamque pro libito Regibus tradidiſſe: Cæſarem denique diuiſum cum Ioue imperium habere* nemo ſanus hactenus obiecit, nec niſi inſanus obiiciet vnquam: ſed tute leuiculam illam obiectionem tibimet oppoſuiſti, vt aliquid ſaltem apud imperitos egiſſe videare.

Sed nec illud melioris notæ, aut maioris momenti eſt, quod

[1] lib. 25. Moral. expoſ. in Iob. cap. 22.

[2] Lib. 3. cap. 8.

[3] Pag. 24.

[4] Pag. 8.

quod in extremo huius tractatus impios tibi obiicere ais. *in iis etiam quæ ad conſcientiam pertinent Regibus obediendũ eſſe, & Petrum Paulumque, quaſi huius impiæ ſententiæ autores, obtrudere. Indeque quamcumque legem ſanciat Rex, parendum quamcumque religionem ſuperſtitionemue ſectetur, obſequendum ſtatuunt. Quàm aut ineptè, aut impiè, nemo eſt qui non videt.*

Cur non huius impiæ obiectionis autorem aliquem laudaſti? an nullum potueris inuenire? certè Catholicum ſat ſcio neminem. At tuæ ſectę homines fortaſſis aliquot: nam id eis inſolens non eſt, ſuam ſubinde religionem mutare, & vbi ſemel à vera deflexerint, nunquam diu in eadem cõquieſcere: quo fit vt, ſi non doctrinæ profeſſione, ſaltem vitæ inſtituto & conſuetudine, ſatis oſtendant id ſe animi habere, vt eam ſectam ſequendam putent, ad quam Princeps animum appulerit. teſtimonio eſt Lutheraniſmi in Caluiniſmum, & huius viciſſim in illum, breui tempore ad arbitrium quorundam Principum in Germania, ſæpius facta commutatio. eiuſmodi homines nihil niſi rectum reſpuunt, à nulla, inquam, niſi à Catholica religione magnopere abhorrent. Faceſſat igitur & hæc obiectio. quam nemo niſi tu ipſe, vel ex tuis aliquis tibi opponet.

Sed aliam tibi querelæ cauſam fuiſſe perſentiſco, quam etiam quilibet percipere poteſt, qui tua non oſcitanter legerit: nempe quòd Reges tunc Catholici vos ad veram religionem & fidem Catholicam, quà pœnis, quà pręmio reuocare niterentur. Hinc illæ tuæ vindiciæ contra Tyrannos: hinc ſordes illæ quæſtionum queis Reges inficere conaris: hinc iniuriarum illa colluuies, quam velut rabioſi canes in pios Principes Chriſtianos euomuiſtis: hinc denique calumniæ, ignominiæ, & falſa crimina, quæ Regibus vos in Eccleſiam reducere volentibus obiectaſtis: nunc idololatras, nunc tyrannos, nunc Babylonicis poculis inebriatos, & ſi quid excogitari iniurioſius poteſt, appellantes. Quaſi verò aliquid commune habeat pius iſte Principum Catholicorum conatus cum veſana & deteſtabili impiorum crudelitate, Chriſtianos ad idololatriam vel hæreſin pertrahere conantium. Vos enim quia exiſtis de nobis, retrahi à nobis vt perditi & profugi libet, ad patriam & patrem, ipſamque adeò matrem Eccleſiam è cuius ſinu aufugiſtis, aut ſi benignè reuerti nolueritis, plectiiure optimo vt perfidi & profugæ poteſtis atque debetis.

betis. Nos contra, quoniam inter vos nullum vnquam numerum tenuimus: nunquam coitionibus veſtris interfuimus: nunquam religionis & rebellionis veſtræ participes facti ſumus, compelli ad nefarios cætus veſtros non debemus. Nec ſi Catholicis pœnas grauiſſimas ob defectionem debetis, idcirco vobis in Catholicos etiam numero & viribus inferiores, vllum ius competit: quippe quos nec veſtræ militiæ nomen dediſſe, nec à vobis exiiſſe conſtat. Quod cùm ita ſit, quis non rideat fanaticos veſtros Superintendentes (id illis nomen magis placet quàm Epiſcopi, quia ſonat in fine *dentes*, ſcilicet lupinos, Dominico gregi deuorando accommodatos) qui cùm vſurpatam ſuam iuriſdictionem pœnali iudicio defendunt, ad corporum ſupplicia, quorum ſunt prodigi, excommunicationis etiam ſententiam in Catholicos non parentes addunt, ſcil. vt eos de ſua Eccleſia pellant, qui in ea nunquam fuerũt: ſed mori extra quàm inibi viuere multò malunt. quod quàm ridiculum ſit & ineptum nemo non videt. Non ſolet Eccleſia Catholica Iudæos vel Ethnicos pœnis ad fidẽ directò adigere [1], multò minus excommunicare, quod nullo ſe vnquam Chriſtianæ militiæ ſacramento diſerte obligarunt. At hæreticos, vt proditores & transfugas, rectè perſequitur: quia in numeros relati fidem datam fefellerunt. Illos, quòd foris ſemper fuerunt inuitat tantùm, non etiam cogit Eccleſia: hos verò, quoniam ingreſſi ſemel foras iterum ſunt euagati, reuocat pro ſuo in eos imperio, & compellit intrare [2]. Cui rei ſummo ſemper auxilio fuerunt Principes Chriſtiani, idque vel in præcipuis eorum laudibus eſt poſitum. Videſis ergo, Brute, quàm impudẽter, imò quam impiè Principes Chriſtianos carpas, & ſummo illis vitio vertas, quod ſubditos in fide Catholica contineant, & eius deſertores animaduerſionis ſeueritate coerceant, ac non potius libertatem religionis cuique tribuant, quã vos, vbi ſeruitis iuſtiſſimã eſſe conclamatis ſuppliciterq; expoſcitis: vbi verò imperiũ tenetis, eandem vt iniquiſſimam exectamini, nulliq; conceditis: adeò rectũ non rectum & non rectum rectum eſt, veſtro ſi cadat animo. De Principibus autẽ Catholicis te loqui perſpicuũ eſt ex his quæ adſcribis [3].

Aliquot ab hinc luſtris pleriq; Reges Babylonicis poculis inebriati, Chriſti hoſti aduerſus Chriſtum lupo aduerſus agnum militarunt, vt et iamnum plerique militant. Vidimus verò nonnullos in flagranti crimine, in ipſoque adeo quod agitabãt ſcelere, periiſſe:

Gg quoſ-

1 toto tit. C de Iudæ. can. de Iudæis. 45. diſt. 1. Chriſtianis 6. C. de pag. Dixi directò quia obliquè quodãmodo coguntur. vt l. 1. C. eod. & l. vl. de Iudæ. atque ita intelligendus eſt can. 41. 23. q. 4. in fi.

2 Luc. 14. 23. q. 4

3 pag. 18.

quoſdam etiam triumpho in tumulum elatos fuiſſe. Nec cæteros melior manet exitus &c.

Nam ſi ad tempus quo hoc vel ſcripſiſti vel emiſiſti, aliquot retro luſtra addideris, vix duos ea tempeſtate Reges hæreticos in Europa extitiſſe inuenies: quod cùm ſit ita apertũ & manifeſtũ, vt nihil ſupra, neceſſe eſt iis verbis Reges Catholicos indicari, quos eo nomine ꝙ matrẽ contra meretrices, Eccleſiã aduerſus hæreſes iuuerint, non diſſimulanter vellicas. Sed nec obſcurũ eſt, quos tu Reges iſtis inopinatæ mortis caſibus deſignes [1]: Lutheranis certè & Caluiniſtis, atque adeo omnis generis hæreticis infenſiſſimos, quos Deus non ideo abſtulit vt vobis gratificaretur, ſed vt regnum florentiſſimum ob populi peccata affligeret.

[1] intelligit Henricum II. qui in celebri nuptiarũ pompa ſeu triũpho læſus interiit, & Franciſcũ II. & Carolum IX. fratres, quos conſtat hæreticis fuiſſe infenſiſſimos.

Nolo autem hîc prætermittere quod tu præcipuum argumentum ad hanc conſcientiæ libertatem vindicandam affers, & quo Reges, qui hæreticos in Eccleſiam cogũt, Maieſtatis diuinæ & regni cæleſtis affectati reos eſſe contendis: nam idipſum Miniſtros veſtros Caluiniſtas crebrò intonuiſſe ipſemet adoleſcens audiui. Nempe corpora fortunáſque in Regum manu ſitas, animas ſoli Deo deberi: in eas Regibus ius non eſſe.

Si Deus liberaliter indulſit Regibus, inquis [2], *vt ſubditorum corporibus boniſque, ad eorundem tamen conſeruationem, uti poſſint: meminiſſe ſanè debent, vſum, non abuſum, concedi. Inprimis verò nihil quod animæ, tributi nomine imperent, habere ſe, qui ſuam ipſi Deo tributariam profiteri teneantur. Rex capitis tributum cenſúmve à corpore, iiſque, quæ corporis miniſterio acquiruntur colunt úrve. Deus ab anima præcipuè, quæ ſuas etiam functiones per corpus exercet. Quapropter ſi Reges ipſi qui Dei munere & beneficio regnant, tributum eo nomine Deo perſoluere minus curent: ſaltem quod Deo à ſubditis debetur, intercipere & auertere ne tentent, aut vlla alia in re diuinam ſibi iuriſdictionẽ arrogent: Id verò proprie affectati regni crimen eſt, quod Deus in ipſos Reges Ethnicos grauiſſimè vltus eſt.* Et paulò pòſt [3]. *Quod ſi vtrunque tributum ſibi vendicat Princeps, perinde ac ſi Gygantum more, cælum petere & ſcandere conentur, regni affectati reus eſt, & non ſecus ac vaſallus, qui regalia iura inuadit, feudum committit, ac eo ſæpiſſimè ſpoliatur &c.*

[2] pag. 20.

[3] pag. 21.

Bell'è tu quidem iſtæc & rectè concionaris: nec verius his quicquam eſt nec certius. Sed quid inde contra Reges Catholicos? perge & argumentationem perfice. En συλλογίζομαι, inquies. Quiſquis intercipere & auertere conatur

tribu-

tributum quod Deo ab hominibus debetur, is diuinam ſibi iuriſdictionem arrogat, & regni affectati reus eſt. Atqui Reges & Principes qui libertatem religionis, & poteſtatem colendi Deum, vt velint, Lutheranis, Caluiniſtis, & id genus aliis, non permittunt, tributum Deo debitum intercipere & auertere conantur. Ergo diuinam ſibi iuriſdictionem arrogant, & regni affectati rei ſunt. Apage te παραλογιστής, & veterator quiſquis es, falſum aſſumis vt falſum cōcludas. Principes Catholici, cùm vos ad fidem reuocant, cùm trudunt ad Eccleſiam, cùm ad fidei profeſſionem adigunt, cùm religionis deformatæ libertatem denegant, & legum ſanctionibus inhibent, tantum abeſt vt Deum tributo ſibi ſoli debito interuertant, vt illud ei à vobis penſitandum hac operâ diligentiſſime curent. Vos enim eſtis hoc caſu, qui illud tributum ſubtrahitis, quod & maiores veſtros reverâ pependiſſe, & vos etiam ſolemniter ſpopondiſſe conſtat. Proptereaque cùm id Rex vos inferre cogit, Dei iuriſdictionem tuetur, non ſecus ac bonus miniſter & procurator dum colonos originarios & adſcriptitios domini interpellat, atque vrget ad ſolutionem debiti quam detrectant. Nemo, niſi nauiter impudens, inficiabitur maiores veſtros, & veſtrum etiam complures, ad eius tributi penſitationem, ſeſe, dato conceptis verbis iureiurãdo, Eccleſiæ Catholicæ obligaſſe. Princeps Catholicus, cùm ſit miniſter regni Dei [1], iure poteſtatis vos cogere tenetur; idque ni fecerit, & vos vt cenſiti fugitiui plectemini, & ille vt negligens miniſter indiligentiæ pœnas dabit: nec vlla vos, aut liberos veſtros, longiſſimi temporis præſcriptio ab hac ſubiectione liberat [2]. At contrà nihil tale à Catholicis, niſi per ſummam iniuriam & tyrannidem, exigere poteſtis: nũquam enim in vinea veſtra laborarũt, nunquam agros coluerunt, nunquam capitis cenſum præſtiterunt, nullum, inquam, obſequium, nullum dominium, nullam fidem eccleſiæ veſtræ vnquam promiſerunt.

1 Sap. 7.

2 l. cum ſatis C. de agric. & cenſ. lib. 11.

Ex his perſpicuum eſt, & quæſtionem hanc tuam eſſe inanem, *an ſubditi teneantur Regibus obedire, ſi quid aduerſus legem Dei imperent?* cùm de ea re inter Chriſtianos nulla vnquam orta ſit dubitatio: & rationes partim falſas & fallaces, partim futiles, quibus Reges in legem Dei committentes ipſo iure regnum committere, eóque de ſolio & ſede regali deturbandos eſſe contendis, vt neceſſum mihi non ſit vlterius in eas inquirere.

Secunda quæſtio principalis vindiciarum Bruti, quam ab Ecleſiæ Doctoribus non niſi leuiuſculè tactam falsò aſſerit Quæ de ea antiquorum Patrum ſententia, verbis atq; exemplis teſtata, & praxi totius Eccleſiæ confirmata fuerit, teſtimonia & exempla quædam illuſtria.

Cap. V.

SEquitur nunc altera quæſtio principalis Vindiciarum Bruti, nihilo fœliciùs ab eo tractata,

An liceat reſiſtere Principi legem Dei violanti, & Eccleſiam Dei vaſtanti: quibus, quomodo, & quatenus?

ad cuius explicationem priuſquam accedit, ſubdifficilem eam & arduam eſſe præfatur. At certè contrarium præfari debuit, ſi ſibi ipſe conſtaret; nempe facilem eam eſſe & planam, atque iam antè in ſuperioris quæſtionis tractatione, ſi non diſertè, ſaltem efficienter & per conſequentias, à ſe deciſam & definitã eſſe. Nam ſi, quod ille ſtatuit, Rex cùm primùm Dei legem violauerit, regnum ipſo iure committit, conſequens eſt eum non amplius eſſe Regem, ac proinde reſiſti ei, vt cuilibet alii priuato poſſe. atque ita ſenſiſſe eum arbitror, ſed noluiſſe tam præcisè & paucis rem definire, ne libertatem & locum latiùs euagandi in noua doctrina diſſeminanda deperderet.

Hæc quæſtio, inquit, *prima fronte difficilis & ardua videtur, eò quidem magis, quod cùm ſub piis Principibus ſuperuacua, ſub impiis periculoſa videretur, vix quiſquam eam niſi leuiuſculè attigerit.*

Bene eſt, Brute; Eccleſia Dei poſt mille quingentos annos te tandem nacta eſt, qui tam difficilem & vtilem quæſtionem illuſtrares. O nos fortunatos ergo, & miſeros Maiores noſtros ſcilicet, qui hac veritatis luce caruerunt. Sed cur antiqui Patres non niſi leuiuſculè quæſtionem iſtam attigerunt? quia ſub impiis principibus periculoſa videbatur, ſub piis ſuperuacua, inquis. Intelligo: nempe vis dicere ſanctos Dei Martyres, & martyrii appetentes Confeſſores (quorum omnis cura in eo verſabatur, vt Eccleſiam doctrinis cœleſtibus erudirent illuſtrarentque) adeò fuiſſe ignauos & timidos, vt metu malorum Principum de hac re ſcitu neceſſaria ſiluerint: vel tam parum prouidos rerum futurarum, vt bonis Principibus malos & Eccleſiæ vaſtatores aliquando ſuccedere poſſe non cogitarint; id enim eſt non niſi leuiuſculè attigiſſe, quia periculoſa videbatur ſub

im-

impiis Principibus, & ſub piis ſuperuacua. At hanc rationem nemo niſi à mente deſertus admittet: imò nec audiet quidem, quin protinus aut ringatur aut rideat. At tu tamen prorſus ita eſſe tibi perſuades, credo: eaque, vt arbitror, cauſa fuit, cur, vt iſto communi periculo defungerere, cautionem initiò adhibueris, nimirum alieno nomine aſcito proprium tuum occuluiſti, ne te operis eius authorem eſſe aliquis ſuſpicetur. An non potuerunt ſimiliter & priſci Eccleſiæ paſtores talia excudere, ſi ea Catholicæ fidei propugnandę conducibilia exiſtimaſſent? An non omnem animi metum abſtergere, & ſola ſuppreſſione nominis ſecuritatem ſibi parere potuerunt? Sed per Deum immortalem dic nobis, Brute, quæ res tot & tantos viros ab huius tuæ quæſtionis explanatione abſterruit? nam quod de iſta impendentis periculi formidine hîc refers, adeo vanum eſt & à vero alienum, vt nihil eo futilius aut falſius dici poſſit. An igitur operâ hac abſtinuerunt, quòd illis temporibus quibus ipſi floruerunt nemo Principum inuentus ſit à fide & religione Catholica alienus, vel qui Eccleſiam vaſtare & excidere conaretur? Imò verò permulti: nec enim ſolùm Ethnici & idololatræ Chriſtianos omnes exoſi erant, ſed etiam ex iis qui Chriſtiani nomen præ ſe ferebant, nonnulli Catholicos, hæreticorum gratiâ, ferro flammâque perſequebantur. An quia nondum ſatis tunc potens Eccleſia [illegible]æ impios Principes vi aggrederetur, ac proinde legitima vltione ſuperſedere tantiſper voluit, dum neruos & vires ad eos in ordinem redigendos colligeret? Ne hoc quidem. Nam regnantibus adhuc Ethnicis, Tertullianus quidem author eſt, tam ingentem multitudinem ex omnibus nationibus Chriſto nomen dediſſe [1] vt, ſi armis certare voluiſſent, totum imperium Romanum facilè concuſſiſſent: vel ſi inermes abſceſſiſſent in aliquem orbis locum ſecretum, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, caſtraque ipſa penè deſerta & ſine incolis reliquiſſent, deinde addit, *cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quàm occidere.* & alibi [2] teſtatur tantam tūc Chriſtianorum multitudinem fuiſſe, vt maiorem cuiuſque ciuitatis partem occuparent.

[1] in Apologet.

[2] in lib. ad Scapulam.

Perducto deinde ad fidem Conſtantino Magno, quantus vbique terrarum eius vel exemplo vel hortatu ad Eccleſiam concurſus fuerit, ex eo intelligi poteſt, quod breui res

Chriſtianorum eò creuerit, vt penes ipſos, opes, Imperiū, & quicquid humani iuris reliquum eſt conſiſteret. Itaque non aliàs vnquam florentior Eccleſia fuiſſe videtur, ſiue præſulum eruditionem, vigilantiam, ſedulitatem, ſiue credentium multitudinem & mores laudabiles cum pietate coniūctos intueamur; adeoque per vniuerſum orbem diffuſa, vt cùm de Paſchate celebrando conſultaretur, Conſtantinus ipſe gratulatus ſit Synodo quod patres diem vnū ab inſtituto Iudaico alienum decreuiſſent, quo ſanctū paſcha in vrbe, totáque Italia, Hiſpania, Galliis, Britanniis, Africa, Ægypto, Lybia, Græcia cuncta, Aſiana diœceſi, ac Pontica, Cilicia, aliiſque per orbem locis concorditer peragatur [1]. Nunquam igitur maiores Chriſtianorum vires, quàm tunc erant: ob eámque cauſam ridetur merito Apoſtata ille Iulianus à D. Gregorio Nazianzeno [2], quod res Chriſtianorum mutare & euertere conaretur. *Duæ res*, inquit, *Iulianum præcipuè ſtimulabant, Galilæi nempe, ita enim Chriſtianos contumeliæ cauſa appellabat, ac Perſæ, qui in bello fortiter perſeuerabant. Cæterum res noſtra adeo illi maiores, ac curâ digniores videbantur, vt bellum contra Perſas nugas ac ludum putaret. Verùm id haud manifeſtè oſtendebat, ſed magnā calebat curā: perſecutionem autem noſtram (in tantum enim inſaniebat) ſemper & coram omnibus iactitare non deſinebat. Verùm nequaquam intelligebat, omnium prudentiſſimus & optimus rerum publicarum adminiſtrator, quod in perſecutionibus prioribus minutum erat id quod confunderetur & commoueretur, quum dogma noſtrum nondum ad multos perueniſſet, ſed veritas adhuc conſiſteret in paucis, cuius tamē ſplendorem elucēſcere oportebat* [3], *nunc verò ſalutis ſermone iam effuſo, & inter nos admodum potentiā ſua vigente tentare res Chriſtianorum immutare & commouere nihil aliud erat quàm Romanorum perturbare Imperiū, & Rempublicam omnino ſubiicere periculis.*

Quid ergo? ſi neque error, neque terror antiquos Patres impediuit, quo minus lumen aliquod clarum huic quæſtioni illuſtrandæ præferrent, & eius præterea tractandę cauſas complures, non minus graues & neceſſarias quàm nos, ex Principum peruerſitate obortas acceperunt; cur eam, vt ais, non niſi leuiuſculè attigerunt? eſtne veriſimile? nō, certè non. Quinimo totam rem illam & verbis & exemplis perſpicuè definitam ab iis eſſe, quantum quidem ſatis eſt ad Chriſtianæ vitæ modum, ex ipſorum ſcriptis manifeſtò colligimus. Nempe tolerandas eſſe iniurias legitimorum

1 Euſeb. lib. 3. de vita Conſtātini. Niceph. li. 8. c. 25.

2 Orat. 1. in Iulianum. Ironia; nec enim prudēs nec bonus fuit.

3 Hoc non aduerſatur iis quæ ex Tertulliano ſupra recitantur: nam quod dicit hic Gregorius, veritatem tunc in paucis conſtitiſſe, verum quidem eſt, reſpectu multitudinis infinitæ ſub Chriſtianis Principib. Conſtantino & filiis ad fidem conuerſis.

rum Principum: nec ſubditis licere vlla de cauſa rebellare, Deique ſolius notionem eſſe cùm quid tale inciderit, qui iuſtis afflictorum querelis aures pateſaciens multis miriſque modis impietatem Principum vleiſcitur, nec viuere eos diutius ſinit quàm populi ſceleribus expiandis ſat eſt: fruſtráque multitudinem conari per rebellionem ſibi aduerſus legitimum Principem conſulere: quin imò ſceleri ſcelus addere, diuinam iuriſdictionem inuadendo: Deumque propterea permittere, vt malo Principi per coniurationem ſublato longè tetrior plerumque ſuccedat. Quia, vt ait beatus Gregorius [1], *dignè indigniorem recipiunt, qui indignum indignè eiicere præſumpſerūt.* Nam cùm duo ſimul præcepta legis, *Deum ſcilicet timere, & Regem honorare*, ſeu Deum pura mente colere, & Regi humana imperanti obtemperare, ii facilè obſeruare poſſint, qui quid Regi debetur, quidque Deo cognoſcunt: non arbitrati ſunt priſci illi Patres debitum Regibus obſequium, vlla mitioris regiminis ſubſecuturi ſpe, vel religionis retinēdæ aut reſtaurandæ prætextu, per rebellium & coniurationē ſubtrahi debere.

1 li. 4. expoſit. in 1. Reg. cap. 7.

Cuius rei inprimis teſtimonium eſt, quod idem Nazianzenus [2] increpat eos, qui in rationibus diuinæ prouidentiæ non incedunt, & impiorum pacem iniquo animo ferentes, non expectant Dei conſilium in Principibus puniendis: ſed quaſi præſentium & viſibilium rerum ſerui, ad id quod adeſt impetu quodam animi, deferuntur. Eſt enim veriſimile permultos tunc Chriſtianorum ita grauiter Iuliani Apoſtaſia indignatos vt ſua mox capita pro Eccleſia deuouiſſent, ſuſtuliſſentque hominem illum nefarium, vel vi aperta, vel ex inſidiis, ni tantus animorum ardor à Præſulibus & Præſidibus, Eccleſiæ fuiſſet repreſſus: & hi quidē, vt moræ impatientes, & cæleſtis diſpenſationis obliti, ab Epiſcopo illo ſancto increpiti ſunt.

2 Orat. 1. in Iulianum.

Deinde idem rurſus in eadem oratione aſſerit nullum Chriſtianis ſuppetiſſe remedium aduerſus Iulianum, præter lachrymas. *Hæc*, inquit, *Iulianus deliberabat* (de iis loquens, quæ crudelis Apoſtata animo agitarat) *quemadmodum ſecretorum illius ſodales & teſtes propalarunt: coercitus tamen eſt Dei clementia, ac lachrymis Chriſtianorum, quæ multæ iam, & à multis erant effuſa, quum ſolum hoc contra perſecutorem haberent remedium.*

Quod ſi ſanctum hunc virum fuiſſes percōtatus: ecquid

pater mi, ſola nę Chriſtianis lamenta & precatio ſupereſtant? Nonne totus penè Iuliani exercitus ex Chriſtianis erat conflatus? Nonne innumeri viri fortes in agris & vrbibus agebant, qui nihil niſi Chriſtum ſpirabant, nullamq́; pro Chriſto mortem recuſaſſent? quique ad bellum contra Dei hoſtem (ſi ſubditis eum ſuperiore bellum gerere licet) vel eo ſolo animari amarique facilè potuerunt, quòd ſcirent ſe omni caſu, hoc eſt, etiam prælio ſuperatos, victoriam ab ipſo victore, per Martyrii triumphum reportaturos? Iam Oriens, iam Occidens, Septentrio etiam & Meridies, Chriſto nomen dederat: & tu lachrymarum tantummodo remedium ſuperfuiſſe clamitas? Adeóne leuia & temnenda illa tyrannidis extinguendæ præſidia? Reſpondiſſet haud dubiè vir ille ſanctiſſimus, eccleſiaſticam diſciplinam non ferre, vt ſerui in dominos, ſubditi in Principes inſurgant & tumultuentur, occaſione religionis. Idque ab Eccleſiæ Chriſtianæ exordio, non ſolùm communi conſenſu, velut tacitâ lege, obſeruatum: ſed expreſſo Gaugrenſis Concilii decreto, à multis Patribus orthodoxis ſub Conſtantino fuiſſe ſancitum [1]: Deum tantarum iniuriarum vindicem fore, ſi modò ipſi eas patienter ferant: eſſe Principem ſolo Deo inferiorem, & ſolum Deum iudicem habere, vt ante eum de communi Chriſtianorum ſententia Tertullianus [2] docuerat. Alioqui verò (ſi iure tunc ſubditis licuiſſe affirmemus Imperatorem illum tam immanem & deuotum Chriſtiani nominis hoſtem impetere) facillimum iis fuiſſet, Eccleſiam eius interitu ex magnis anguſtiis & periculis eripere: nam ſiue id aperto Marte, ſiue ex inſidiis perfeciſſent, ad iuſtitiam nihil intererat. [3] Atque ita cùm debuerint & potuerint iniuriam ab Eccleſia propulſare, nec fecerint tamen, tam erant in vitio quàm ſi ipſi eam intuliſſent [4], grauiterque inprimis errabant & peccabant Paſtores Eccleſiæ, qui populum ad id ſedulò non hortabantur, cùm & facultas maxima, & opportunitas, imò & vt quibuſdam videbatur, neceſſitas ſuccurrendi Eccleſiæ, ad hoc remedium allectaſſent inuitaſſentque.

Sed operæpretium eſt huc adferre, quod de militibus quibuſdam illius imperatoris teſtatum nobis reliquit idem Nazianzenus [5]. Iulianus enim cùm nihil non machinatus eſſet, quo Chriſtianos in idololatriã pertraheret, tãdem hoc commento vſus eſt. Adeſſe iuſſit exercitum, vt mi-

1 cap. 3. & habetur. 17. q. 4. can. ſi quis alienum.

2 ad Scapulam, & in Apologet.

3 23. q. 2. can. Dominus.

4 Cic. offic. 1.

5 orat. 1. in Iulia. vide etiam Theodoret. li. 3. c. 17.

milites ſtatuto die donatiuum acciperent: conuenientibus autem illis, vt, pro ſuo quiſque ordine & dignitate, imperialis munificentiæ participes fierent ipſe ſublimi in ſolio regalibus ornamentis fulgens ſedebat, habens apud ſe, hinc quidem ignem accenſum thuſque propoſitum, illinc verò aurum, edicente præcone, vt ſinguli prætereundo, thure prius adorent Imperatorem, mox donatiuum accipiant. hac fraude capti complures, quorum animos occuparat vel auaritia, vel ambitio, vel infenſi Principis metus, ſi recuſaſſent, vel iuris ignorantia quæ in militib. maxima eſt, qua ſe fidemque ſuam, tā leui & perfunctoria adoratione, haud inquinatum iri exiſtimabant.

Peractâ deinde lethifera illa largitione, *quidam*, inquit, *qui ignorantia fuerant capti, poſtquam in hanc incidiſſent calamitatem. ac domum reuerſi cum ſodalibus ad menſæ participationem conſediſſent, inde bibendi conſuetudo ad frigidam proceſſiſſet compotationem, tanquam nihil moleſti fuiſſent perpeſſi, ad frigidi calicis hauſtum Chriſtum inuocabant, ac crucis ſignatione in altum aſpiciebant: hic cùm quidam contubernalis admiratione captus dixiſſet, quid hoc rei eſt? Chriſtum poſt abnegationem inuocatis? ipſique ſemimortui reſpondiſſent & quo pacto negauimus? ac quid noui audimus? ille verò, quoniam per ignem, inquit, ſacrificaſtis: cumque id eſſe Chriſtum abnegare docuiſſet, confeſtim è ſympoſio tanquam inſani & attoniti exilierunt, zeloque & irâ excādeſcentes, ac per forum diſcurrentes, clamabant ac dicebant: Chriſtiani, Chriſtiani animo ſumus: nequaquam tibi mentiti ſumus Chriſte Saluator, haud tuam beatam abnegauimus confeſſionem: nam ſi manus in re aliqua errauit, animus tamen neutiquam cōſenſit. Imperator nobis impoſuit, cuius auro ſumus vulnerati: emēdabimus impietatem ſanguine expurgabimus Inde ad Regem currentes vociferabantur, ac aurum admodum pueriliter abiicientes: Non dona, Imperator, ſuſcepimus, ſed morti ſumus adiudicati: nō honoris cauſa ſumus vocati, ſed planè ignominia damnati: gratiam tuis concede militibus, Chriſto nos ſignato, cuius ſolius ſubſumus imperio pro igne ignem retribue: pro cinere illo in cinerem nos redigito: manus quas malè porreximus detruncato, necnon pedes quibus peruerſè cucurrimus. Alios auro tuo honorato, quos accepiſſe haud pœniteat: nobis ſat eſt Chriſtus, quem præ omnibus habemus. hæc cùm dixiſſent pariter & alios deceptionem agnoſcere, ab ebrietateque reſipiſcere, ac Chriſto per ſanguinem reſpondere iubebant. &c.*

En ardor & candor animi verè Chriſtiani. præ diuinis

 huma-

humana negligunt, ſed ita tamen, vt humanum imperiũ quia Dei ordinatio eſt non prorſus deſpicentur: ſuam Apoſtatæ impoſturam audacter improperant; ſed imperialem interea dignitatem agnoſcunt, quã ipſe mortalium omnium indigniſſimus fungebatur: perſonæ impietatem execrantur, ſed maieſtatem ipſam, & Dei in ea relucẽtem imaginem ſuſpiciunt, & ſupplices venerantur: denique hominem illum leniter & honorificè compellant, in quem ſumma animorum contentione tanquam Scęuolę inuaſiſſent, ſi mens conſcia reuerentiæ vel peſſimis principibus debitę non obſtitiſſet.

Nihil dicam de ſtatu Eccleſiæ, & magna Catholicorum patientia, humilitate, & obedientia ſub Conſtantio in Arianiſmum delapſo, quem tamen defectionis ſuæ ante mortem pœnituit, ſimulque quòd Iulianum Imperio deſtinaſſet: ob eamque cauſam magnis à Nazianzeno laudibus cumulatur [1]. Ad Valentẽ accedo, qui totus Ariana hæreſi infectus Catholicos omnes crudeliter & impiè diuexabat. Nam & Epiſcopos eum Nicæna Synodo conſentientes ab Eccleſiis eiiciebat, ſuffectis Arianis: & ne Catholici vllos ſupplicandi vel concionandi gratia conuentus agerent interdixit. Sed & Monachos militare coegit, cædique fuſtibus ſtipẽdium facere nolentes (in quibus eum plurimi confeſſores, nõ pauci etiam Martyres extitiſſent, nemo tamen qui Iacobi inclementis Monachi ſpiritu ageretur in tot millibus Monachorum inuentus eſt.) Octoginta etiam presbyteros nauim vnam conſcendere, inq; ea ſubiectis ignibus miſerè cremari iuſſit: breuiter, omnes Catholicos, quos homouſianos vocabat Ariano furore perſequebatur, quorum haud paucos exilio, fortunis, vel morte multabat. In his tamen anguſtiis nihil intereaCatholici aduerſus Imperatorem, neque aperto marte, neque clandeſtinis coniurationibus moliebantur: cum tamẽ, ſi id per Dei mãdatum ſubditis licuiſſet, nec Eccleſiæ idoneos & promptos ad rem gerendam milites, nec egregios militibus duces tũc defuturos fuiſſe certum eſt.

[1] in iiſdem orationibus contra Iulianum.

Sed nemo tunc Patrum concionabundus propalam ſe buccinatorem ſeditionis præbuit, nemo rebellionem concitare, imò non impedire nemo ſtuduit: iſque omnibus ſenſus fuit, ferre Chriſtianos, non facere iniurias nec oportere: haud ſubditis in Principes imperium datũ, eoq; inſultandi poteſtatem: Deum eos habere iudicem, eique ſi

deli-

deliquerint pænas penſuros: expeditiſſimam ad debellandos & delendos malos Principes, & quaſi compendiariam viam eſſe ſi ſubditi Deum aſſiduè precentur, ac pœnitentia, aliiſque bonis operibus demereantur & placent: eo pacto rem facilius confici, quàm ſi multis armatorum millibus gereretur. Idque de Iuliano, paulò antè mirabiliter extincto, in hũnc modũ explanat. B. Gregorius Nazianzenus [1]. *Quænam armorum præparationes, & machinationum excogitationes hæc perficere potuiſſent? quantus hominum numerus & phalanges? quæ ſolum precationibus noſtris, & Dei nutu peracta ſunt.* Idem & de Valente dici poteſt, cuius impietatem breui ita vltus eſt Deus, vt quod immerentibus ſacerdotibus ſuppliciũ intulerat, id ipſe meritò toti Eccleſiæ in caſa ſuccenſa toſtus perſoluerit. Orat. 2. in Iulian.

Quid de Valentiniano iuniore? quantam ei, quamuis homini Ariano omnes Eccleſiæ ordines reuerentiam & obedientiã, quà Princeps legitimus erat, exhibuerũt? Quid plures annumerem? replicetur memoria temporum ab exceſſu Saluatoris in annos plus mille: peruestigentur omnium ſanctorum Patrum ſcripta, nullum in iis argumentum, nullum veſtigium reperietur huius nouæ & inauditæ poteſtatis populi in Principem, quam ſeditioſi & inſanientes Plebicolæ, magno cum Reipublicæ intertrimento, noſtra ætate comminiſcuntur: quin potius contrà, vel ex iis quæ diximus, ſatis apparet clariſſima illa Eccleſiæ lumina, Catholicorum ſui ſeculi mentes iis doctrinæ radiis illuſtraſſe, quibus intelligerent Principem legitimum, & more maiorum inauguratum, quamuis Reip. funeſtum, & Eccleſiæ infeſtum, debere à ſubditis æquanimiter tolerari, dum illum Deus, qui ſolus eius iudex eſt, vel reſipere faciat, vel à vita recedere. Nam id omnes certò ſibi perſuadeant, eſt enim veriſſimum, Deum (cui res humanæ curæ ſunt, & ſine cuius ſcientia, prouidentiaque ne paſſer quidẽ in terram cadit) nunquam niſi peccatis populi laceſſitum permittere, vt perditus aliquis rerum potiatur: ac tunc quidem fruſtra multitudinem conniti, vt ſibi per rebellionem conſulat, vtpote nequicquam oppreſſoris ſui cæde liberandam, ſed mox ſub acerbioris domini iugum recaſurã; Deo ita vindictã tẽperante & continuãte, vt non prius populum caſtigare, quam ipſe populus peccare, deſinat: & vnà cùm malorum multitudine probos etiam affligi patiatur, ſed ita vt illis ad dedecus & ignominiã ſempiternã,

his

his ad amplificationem laudis & gloriæ, ac perpetis vitæ præmium afflictio procedat.

Quæ cum ita ſe habeant, Brute, & ipſo ſole clariora & illuſtriora ſint, negari non poteſt quæſtionem iſtam à te propoſitam ſatis luculenter ab antiquis Patribus eſſe definitam: atque ita quidem definitam, vt nulla amplius de ea inter ſanctos & probatos Catholicæ fidei Doctores controuerſia vel dubitatio ſupereſſe poſſit. Cuius rei præclarũ nobis teſtimonium dederunt inſignes illi Martyres quos Henricus VIII. Anglus, libidinoſa hæreſi [1] furens, crudeliter necari fecit. Nam in mediis cruciatibus *rogabant Principes, & reliquos circumſtantes omnes vt conſtanter ad ſupremum vſque ſpiritum bene viuerent, Regi fideliter ſeruirent, & obtemperarent in omnibus, quæ non eſſent à Dei & Catholicæ Eccleſiæ placitis aliena* [2]. En fortes Chriſti milites, en prudentes & fideles magni Patrisfamilias ſeruos, nullis non priſcorum Martyrum comparandos, qui cùm in maximis tormentis animas pro Dei Eccleſia agerent, eandem nobis quæſtionem, veterum more, egregie definierunt: Deo ſcilicet magis quàm Regi, & Regi tamen propter Deum parere oportere, verbo & exemplo docuerunt.

1 libidinoſas hæreſes dico, vt Cic. libidinoſas ſcientias.

2 Surius in Chronica anni [illegible]

Superiorem ſanctorum patrum definitionem Bruto diſplicere. Aliam ex peruerſa Scripturarum interpretatione ab eo inuentam VVicleffianæ hæreſi conſonam. Argumenta, quæ ex ſcripturis ducit, partim ad hanc quæſtionem nihil pertinere, partim iuri Regis in populum, non autem populi in Regem, patrocinari.

CAPVT. VI.

SEd nimirum Chriſtiana hæc patientia Caluiniano ſpiritui planè ſordet, cuius afflatu ductuq; , vt nouam nobis doctrinam obtendas, noua ratione hanc quæſtionẽ explicas: atque ita explicas, vt videare interim totus in ſacra Scriptura acquieſcere, quod ſolemne iis eſt qui callido conſilio aliquid innouant. Quapropter ſi tuam ſpectemus opinionem, tuamque ſententiam ſequamur, fatebimur quidem verum eſſe quod initio dixeris, veteres ſcilicet non niſi leuiuſculè hanc quæſtionem attigiſſe: hoc eſt, nihil aut parum de ea dixiſſe, quod cum tua opinione cõueniat: teq; adeo ab illorum monitis ſimul & morib. longè deſciſcere.

Ais igitur ſacram Scripturã nobis definire, an quomodo,

do, & quatenus reſiſtere liceat Principi legem Dei violanti, & Eccleſiam vaſtanti. fateor quidem, ſed Scripturam piè & Catholicè intellectam, & neque veſtris laniatam deliriis, neque adulterinæ interpretationis fuco vitiatam & corruptam.

Sed age, quomodo tandem id nobis Scriptura, te interprete atque explanatore definit? Nempe populo vniuerſo, vel vni etiam cuilibet Magiſtratui in aliqua prouincia aut vrbe, ius faſque eſſe à Principe legem Dei violante, hoc eſt, vel impia iubente vel pia vetante, deficere, & capitale de eo ſupplicium ſumere vt de priuato quolibet Maieſtatis reo [1]. &(quod VVicleffianã & Huſſiticã inſaniã penitus redolet) ſub ditos teneri non obedire niſi iuſto Principi, quaſi Princeps iniuſtus, ſiue, vt illi dicebant, in peccato mortali conſtitutus, amplius Princeps non ſit. hanc enim tibi mentem eſſe illud ſatis arguit, quod in præcepto de obedientia Principibus exhibenda, iuſtos tantùm complecteris. *vt enim*, inquis, *omnes omnino ſubditi iuſti Principis, cuiuſcunque tandem gradus ſint, tenentur ei obedire* [2]. *&c.* Quid multis? tuos in hac quæſtione pertractanda conatus omnes eò paraſti, vt mõſtres non ſolum non eſſe parendum malo Principi in eo quod contra legem Dei imperat (quod Catholici omnes conſtanter aſſerunt) ſed nec vlla in re amplius ei obtemperandum, nullumque tributum aut vectigal pendendum, ex quo legem Dei ſemel violauerit: quinimo ſubditis licere eum ad neglecti vel deſerti cultus diuini pœnas rapere, & fortunis, exilio, vinculis, vel morte multare. Atque in hunc modum, te iudice, ſacra Scriptura hanc quæſtionem definit: tuque ex Scripturis iſta more tuo deducis, quamuis ipſæ nihil minus doceant: imò contrarium prorſus doceãt. Quapropter argumenta & rationes tuas ad ſummam repetemus vt omnes mortales videant qui volent, te ad ſacram Scripturã fulciẽdæ doctrinæ tuæ cauſa nequicquam cõfugiſſe.

Omnium igitur rationum tuarum fundamentum ponis in eo fœdere, quod in vetere teſtamento, primũ inter Deum & populum, deinde inter Deum populum & Regẽ, factum fuiſſe legitur, ex cuius fœderis pactionibus colligis Deũ nõ modò permiſiſſe populo Iudaico ſed præcepiſſe ſeuerius, vt Regi impio reſiſtant, & eũ ſuperiorib. cæteriſq; omnibus, quibus poſſunt, modis & mediis coerceant [3]: cuiuſque gentis exemplo eandem eſſe populo Chriſtiano in ſuos Principes poteſtatem.

[1] pag. 10. & 64.

[2] pag. 65.

[3] pag. 12. & 64.

Con-

1 Pag. 32.

Conſiderandum eſt [1] *, hic in primis, Deum electo ex omnibus populo Iſraelitico, vt eſſet ſibi peculiaris populus, fœdus cum eodē pepigiſſe, vt eſſet is populus Dei. Extat id paſſim in Deuteronomio. Vis autem huius pactionis erat hac, vt curarent vniuerſi, vt Deus à ſingulis tribubus, & ſingulorum contribulibus in terra Chanaan purè coleretur, Eccleſiamq́ ſuam in medio eorum perpetuo conſtitutam haberet, quod cum è multis aliis locis tum diſertè Deuter. vigeſimoſeptimo apparet. Ibi Moſes & Leuita, quaſi Dei nomine ſtipulantes, vniuerſum populum congregant, hiſque verbis affantur: Hodie ò Iſrael, populus Domini Dei tui ſis: obſequere ergo Deo tuo &c. Hinc animaduertimus, vniuerſum populum obligatū eſſe legi Dei curandæ, Eccleſiæq́ tuendæ, vt è contrario idolis gentium exterminandis è terra Chanaan quæ ſtipulatio ad ſingulos pertinere non poteſt, ſed ad vniuerſos tantum.*

Deinde verò, vt vſum huius pactionis oſtendas, proponis nobis bellum ab vndecim tribubus decretum in Beniamitas, ad vlciſcendum ſcelus illud nefarium, quod in conſtuprata Leuitæ vxore patrauerant. At nos reſpondemus, neque ſuperioris fœderis pactiones, neque exemplum illud belli geſtis in Beniamitas, vllum omnino ius populo tribuiſſe in Reges, imò nihil quicquam ad hanc quæſtionem pertinere: quippe ad id tempus referuntur quod dominatū regiū inter Hebræos anteceſſit, & quo res ferè omnes à populo illo ſui potente, cōmunibus conſiliis atque ſuffragiis, ſine Duce vel Principe gerebantur: vt ipſa illa nos hiſtoria ſæpius admonet [a]. Itaque Leuites ille, cuius vxori Beniamitæ ciuitatis Gabaa ſtuprum necemque intulerant, miſſis ad omnes tribus nunciis, qui ſingulos de indignitate ſceleris docerent, iuſſit eos ſententiam ferre & in commune decernere, quid facto opus eſſet. Ipſi verò tam crudele flagitium deteſtati properatò in Maſpha omnes cōuenerunt, ibique vno ore, vt aſſolet in democratia, bellum prius indixerunt tribui Beniamin, quàm vllum ductorem exercitus & belli Ducem à Domino petiiſſent. & addit ſcriptor hiſtoriæ rationem: *in diebus illis*, inquit, *non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectū videbatur, hoc faciebat.* Non mirum ergo ſi Moyſes quid hanc democratiam aliquando futuram inter Hebræos afflatu diuino præuiderat, fœdus eiuſmodi cum illis ſancierit, de Deo purè colendo, idoliſque exterminandis. quo fœdere & coniunctim omnes, & ſeparatim ſinguli obſtringebantur: rebus ſcilicet

a Iud. ca. 17. & 18. & 21. in fin.

in eum

in eum ſtatum delapſis quo vnuſquiſque arbitratu ſuo ſe ſuaque gubernabat. falſum igitur quod ais, pactiones illas fœderis non potuiſſe ad ſingulos pertinere, ſed ad vniuerſos tantum.

Iam verò quod attinet ad alterum fœdus ictum ſub Regibus, inter Deum Regem, & populum, ſatis ſuperque reſpõſum eſt iam pridẽ ab optimo viro & eruditiſſimo Theologo [1], vt neceſſe mihi non ſit aliam nunc tibi parare reſponſionem. Accipe igitur quæ prius ille Abbas de ſecunda tua quæſtione aduerſus te ſcribit: quibus ego, propter eius viri authoritatem, quàm meis in hac re vti malo.

[1] Niniano VVinzeto. in Flagello Sectar. pag. 77. & 94.

Addit & ſecundam quæſtionem in hunc modum, inquit, vtrũ Principi alicui contra legem Euangelicam agenti, Eccleſias vaſtanti, vel etiam impedienti quo minus extruantur, reſiſti poſſit? item quando quibus, & quouſque conceſſum eſt. Expectabam, vt hic noſtri orbis reformator aliquid eorum, in quibus Princeps quem tacitè corrodit, agat, vel agere præcipiat, contra legem Euangelicam oſtenderet: aut magnificas aliquot Eccleſias à Nouatoribus, noua quadam & inaudita liberalitate, ædificare inceptas, quas vel Cæſar vaſtaret, vel extrui prohiberet: At nihil ferè audio præter veterem coccyſmum: obtemperandum eſſe nimirum Dei verbo & ſacræ Scripturæ potius quam Principi (quod nemo vnquam negauit) deinde tam licet populo Regem in officio, in iis quæ religionis ſunt, quàm Regi populum retinere: Poſteriorem partem confirmare pluribus verbis molitur ex fœdere illo, quod pepigit Ioiada ſacerdos inter Deũ, Regem & populum, cuius iam meminimus, in quo nulla prorſus mentio fit de poteſtate populi in Regem, ſed quod fidelis Regi populus eſſet futurus, vt ſupra eſt explicatum. vrget tamen, quæ ſolent eius farinæ commentatores, magna audacia: idque vna atque altera autoritate. Priore quidem quod Prophetæ coarguentes idololatriæ crimen, non tantum Regem, ſed & populum alloquuntur, vt idololatriam extirpent: & quare, inquit, hoc à populo peterent, ſi apud illos non eſſet poteſtas? Deinde quod propter hoc & eiuſmodi ſcelera, nõ ſolus Rex à Deo punitur ſed & populus, & aliquãdo populus ſolus propter Regẽ: atq; id quæ ratione quærit.

Ad vtrunque facilis eſt reſponſio: quia potuit bene populus primùm ſibi ab illo ſcelere temperare. Deinde non conſentire Regi nefanda vel patranti vel præcipienti. Non autem quod non ſtatim congregato exercitu in Regem bellum mouerent, eum morti traderẽt, aut ſolio deiicerẽt, & aliũ quẽquã in eius thronũ protinus eueherent. Vbi verò quod tale vnquam Dei populo in ſacris literis datè præceptum ſit, aut in vetere aut nouo populo, contra ſuũ Regẽ

quan-

quantumuis impium, cum laude factum ſit, non inuitus ab iſtis diſcerem. Quod cùm monſtrare, opinor, non poſſint, nemo miretur, quod aduerſarius initio huius quæſtionis, ſicut & prioris, ſibi concitandæ rebellionis conſcius excuſari ſe cupit à crimine læſæ Maie-
Prouerb.20. *ſtatis: meminit forſan quod ſapiens ille rex ſcribit*[1]*. Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis, qui prouocat eum peccat in animam ſuam.*

Et paulò poſt. *Porro fingamus ita eſſe, quod deliri iſti iam ſomniant, Christianum aliquem Regem in nonnullam idololatriã, addo etiam, in apoſtaſiam, delabi, & ſubditos quoque pro virili in ea ſcelera ſecum pertrahere ſtudere: licetne continuò ſubditis bello talem Regem aggredi, regno eiicere, aut morti tradere? licet profectò ſi Dei verbo præcipitur licet, ſi idem ius populo in Regem hoc caſu concedi probetur à Deo quod Reges in populum: licet poſtremò, mea quidem ſententia, ſi aliquo probato exemplo, vel in vetere, vel in noua lege oſtendatur hoc fœliciter & cum laude factum aliquando fuiſſe. Sed cum nihil horum, ni fallor, oſtendi poſſit, quid obſtat quo minus tutiorem & propinquiorem viam ſaluti & noſtræ, & patriæ potius inquiramus, quàm cædibus & ſanguine omnia funeſtemus, quàm direptionibus & ſpoliis terram in ſolitudinem redigamus. Nunquam enim contigit, vt à legitimo Rege, quantumuis improbo & tyrannicè imperante regnum ita diſſipetur, vt inteſtino bello, maximè autem ſubditorum in Regem, diſſipari ſolet. In rebus dubiis & incertis maximè ſi ſummis cum periculis ſint coniuncta, per tutiorem viam omni homini, niſi inſipienti & temerario, incedendum eſt. At quid dixi ego eam rem eſſe in religione dubiam, de qua aduerſarius nihil ad ſuum inſtitutum proferre valet ex Scripturis? Si populo poteſtas eſt caſtigandi Regis à Deo conceſſa, è qua Scriptura? Taceo ego quod repugnet naturæ & ordini rerum, vt corpus dominetur in caput, vt pedes oculo monſtrent viam: ſed adduxit Scripturam de fœdere illo, quod Dei ſacerdos in coronatione Regis Ioas inierat inter Deum Regem & populum Quid multa? ſi nihil aliud habet nihil omnino pro ſe habet: imò contra ſe, quod habere putat, imprudenter in medium adfert. Nam ſi accepiſſe ſe populus in Regem poteſtatem exiſtimaſſet, an non aliquando, & tunc maximè cùm idololatram Ioas ipſemet manifeſtum ſe prodidit, illud ipſum argumento aliquo ſignificaſſet? aut ſi populus ille Hebræus quouis tẽpore à Moſe ipſo ad Chriſtum Dominum hominem factum penes ſe hoc ius eſſe crediſſet, cum tot eſſent idololatræ Reges, & in Iuda & in Iſrael, an vero ſimile eſt eos perpetuò ſua iura diſſimulaſſe? At Dices ipſum Ioas Regẽ à ſeruis percuſſum fuiſſe. Ita eſt, ſed à quibus ſeruis, an à Sta-*

tibus

tibus regni, an à Ducibus prouinciarum, an à populo ſuo? Nequaquam, ſed à duobus proditoribus, non quidem genere Iſraelitis, ſed alienigenis, Iozachar Moabita, & Iozabath Ammonita. verùm de facto non quærimus ſed de iure. Occiderunt impii Iudæi ſuum omniumq; Regem, ipſum Dei filium ſed quia innocentem, & de ipſis optime meritum, ideo iniquitatis ſuæ iure dedere pœnas. Occiderunt & illi ſuum dominum, non quidem innocentem, ſed impiū & crudelem, ſed quia ipſi non habebant eam in rem poteſtatē vllam ſibi deſuper datam, licet fortaſſe non impium zelum habuerint, luère & ipſi ſuæ temeritatis ſatis acres pœnas, idq; vero iudicio, teſtante Scriptura, quæ Amaſiam Regem commēdat, qui cum illos occiderit, non tamen occidit eorum filios. Occiderunt idololatram Amon Regem Iuda eius ſerui. ſed quid ſcriptum eſt? percuſſit autem populus terræ, ait, omnes qui coniurauerant contra Regem Amon, & conſtituerunt ſibi Regem Ioſiam filium eius pro eo [1]. 4. Reg. 21.

Hæc ille pius & doctus Theologus: quibus nos addemus & illud, quòd cùm multi inter Iudæos prophetæ eſſent, à quibus ſæpe populus officii admonebatur, & increpabatur audacter quòd malo more malos Regum mores aliquando imbiberet & imitaretur, tamen nuſquam inuenitur populus ab vllo Propheta reprehenſus, quòd in Regē impium non inſurrexerit, nec eum ab idololatria vi & armis reuocarit. Ex quo perſpicuum planè eſt, nihil iſto fœdere comprehenſum fuiſſe, quod populo in Principem, quantumuis impium & ſceleratum, ius aliquod contulerit conceſſeritve.

Catholicos quoſdam, ſeu odio, ſeu amore occæcatos, tum Hæreticis conſenſiſſe: in iis eſſe Roſſæum Peregrinum, cuius argumenta quædam ex Scripturis perperam deducta ad populi poteſtatem confirmandam, diluuntur.

CAPVT VII.

Qvæ cùm ita ſint, mirum profectò eſt & prodigio ſimile, exortos repente nonnullos, qui ſe Catholicos, atque adeo Magiſtros populo profitentur, quibus hæc tam conſtans & conſona Theologorum omnium & totius antiquitatis ſententia vſque eò diſplicet, vt non vereantur ad fœdum iſtum errorem, imò furorem Hæreticorum, ſeipſos appellere: & propter odium quod in vnum Regem animo conceperant, vel cæcum potius amorem quo rebelles quoſdā amplexabantur, conniti & elaborare vt omniū

Regum iura & authoritatem libris editis labefactent: in quorum ſcriptis tamen nihil ſolidæ rationis ineſt: nihil acutè, ſapienter, & argutè, dictum reperitur. Quippe omnia vel ab hæreticis, contra quos diſputamus, mutuati ſunt: vel, quod perinde eſt, nouis captioſarum probabilitatū laqueis ſuo marte compoſitis inuoluerunt: vt Boucherius ille cuius ſcripta ſeorſim libro ſequenti excuſſimus, & Roſſæus quidam Peregrinus, qui librum ſcripſit, cui titulus eſt ingentis cuiuſdam illecebræ ad legendum,

De iuſta ſcilicet *Republica Chriſtiana in Reges impios & Hæreticos authoritate.*

vbi, vt rebellandi in Reges impios libertatem omnibus populis conceſſam eſſe probet, ad res geſtas Hebræorum, peculiaris Dei populi, nos vocat: in quibus cùm videat ſe vera exempla inuenire non poſſe, falſa confingit. Ait enim Hebræos non ſolùm contra Reges externos bellum pro religione gerere ſolitos, ſed etiam contra proprios ſuos

1 cap. 9. ſect. 9. Reges è *Dauidica ſtirpe procreatos* [1], quod falſum vtique eſt, & nullo Scripturæ exemplo comprobatum. Itaque pii Patres & inſignes Theologi negant aliquod in ſacris literis, nedum in vetere illa Regum Hiſtoria, exemplum poſſe inueniri, quo populi in Regem legitimum coniuratio, rebellióve, vllâ de causâ commendetur: ita enim reuerendus Epi-

2 Lib. de offic. Principis Chriſtiani cap. 7. ſcopus Cunerus [2], cuius memoria eſt in benedictione. *Cùm Ioas verus Rex Iuda ad idola impiè, relicto Deo, declinaret, & Zachariam Prophetam filium Ioiada crudeliter interfeciſſet, ſerui quidam zelo commoti inſidiati ſunt Regi, & occiderunt eum in lectulo ſuo: ſed iuſtè ab Amaſia ſequente Rege iugulati ſunt. Scripturâ vbique teſtante, Regibus, licet peccent, per nullam vim vel arma repugnandum eſſe: peccant enim grauiſſimè ſi poteſtatis hac amplitudine abutantur, & vel iuramenta prouinciis præſtita non ſeruent, vel nimium cupiditatibus indulgeant. Sed pro iis criminibus iudicabit eos, qua Regibus omnibus maior eſt Veritas &*

3 Eſdræ 3. cap. 4. 4 Sap. 6. *Sapientia* [3], *qua ad impios Reges clamans ait* [4]. *Audite Reges & intelligite. &c.* Epiſcopo Abbatem addamus, vt in ore duorum teſtium ſtet veritas. VVinzetus ergo, de admirabili illa Dauidis Saulem ſemper venerantis pietate, & facti ratio-

5 Contra Buchan. pag. 180. 6 pag. 182. ne diſputans, ſic ſcribit [5]. *Audis veram Dei veri Propheta theologiam. Regem videlicet, quantumuis impium, ipſius Dei iudicio & caſtigationi relinquendum.* & paulò poſt [6], *preclarè nobiſcum iam agitur, quòd prouida ſua Deus benignitate cauerit, ne quid ſacro ſuo Bibliorum volumine, vnde ſtabilire poſſent Regum ho-*

ſtes

ſtes ſuum ſiue populi regnum, aduerſus tam ſublimes ſuos miniſtros, verbo vel exemplo conſignaretur. Addit & alia in eandem ſententiam (quæ nos alibi [1] retulimus) quibus oſtẽdit nullum neque exempli neque præcepti veſtigium in ſacris literis extare, cuius imitatione vel obſeruatione populus Chriſtianus aliquam rebellandi anſam aut excuſationem aduerſus Reges, quamlibet impios & idololatras, prætendat. Atque hæc quidem in iis libris, qui, antequam euulgarentur, magnorum Theologorum elogiis commendati ſunt, &, vbi in lucem prodierunt, communibus omnium Catholicorum ſuffragiis veritatem cõtinere iudicati. Ego verò, quamquam ſæpius à primis adoleſcentiæ annis multos doctrina & pietate inſignes Theologos, & ſanctos Dei Confeſſores, de Regum populorumque officiis & iure, grauiter & copioſè diſſerentes audiui, nunquam tamen ab vllo eorum accepi populo fas eſſe in Regem aliqua de cauſa rebellare, aut eum ſolio ſceptróque priuare: ſed planè contrà, nullum caſum exiſtere poſſe qui iuſtam populo in Principem legitimum rebellandi cauſam propria authoritate præbeat: qua in ſententia omnes omnium Catholicorum animi acquieſcebant, atque hæreticos eo nomine execrabantur quòd contradicerent, cùm nullum in Scripturis, aut ſcriptis Patrum antiquorũ, eiuſmodi rebellionis præceptum vel exemplum reperiretur.

[1] lib. 1. cap. 12. & cap. prox. 3.

At iſte tamen Peregrinus haud peregrinum, vt ipſe retur, coniurationis & rebellii exemplum in ſacra illa Regũ hiſtoria inuenit: idq́; ad concitãdos in Regẽ ſubditos, velut prototypon quoddam inſtituendarum actionũ noſtrarum omnibus proponit: verba eius hæc ſunt [2], *Neque erga Reges externos tantùm ita ſe geſſerunt Iudæi* (loquitur de rebellione & bellis geſtis pro religione à Iudæis contra Principes externos) *ſed contra ipſos etiam Reges Hebræos, qui è Dauidica ſtirpe procreati, Dei ipſius præſcriptione populo illi præfuerunt. Nam cùm Ioſaphati optimi Regis filius Ioramus, per vxorem ſuam Gotholiam Achabi filiam ſeductus, ambularet in viis Regum Iſrael, & faceret malum in conſpectu Domini, populumq́; cogeret lucos in editis montibus conſcendere, & aliena numina colere (quod tam expreſsè lege Dei interdictum erat) Idumæi qui fideliter Ioſaphato patri paruerunt, filium eius Ioramum Regem abiecerunt, nouumque ſibi elegerunt* [3].

[2] dict. ſectione 9.

[3] 4. Reg. 8. & 2. Paralip. 21.

Si hoc non eſt lectori imponere, haud ſcio equidem

quæ poterit impoſtura alia excogitari: etenim profectò ex multis lectorum millibus vix pauci fortè centeni vitiū huius exempli, quamuis maximum ſit, & ſteilionatus pœnâ coercendum, ni ſi admoniri deprehendent. Nam cùm propoſitæ defectionis & rebellionis populi Iudaici exemplum aliquod requiri, nec vllum in eius gentis hiſtoria inueniri poſſe Peregrinus iſte animaduerteret, pro Iudæis Idumæos nobis callidè ſuppoſuit, qui neque Iudæi erant, neque religionis ergo ab Iorami Iudæorum Regis imperio ſe ſubtraxerunt. Non fuiſſe autem de Iudæorum gente Idumæos, notius eſſe arbitror quàm in quo probando multùm deſudetur: quippe non à Iacobo ſed ab Eſau ortum traxerant, locaque & ſedes inter Arabiam & Iudæam incolebant, eoque Arabum nomine alibi ſignificantur [1]: atque armis à Dauide primùm ſubacti, & in ditionem ac poteſtatem Regum Hebræorum redacti ſunt [2]: vt diuinæ prædictionis veritas videretur, qua, cùm gemini illi fratres adhuc in aluo geſtarentur, Rebeccæ matri nunciatum fuit, *duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori* [3]. Seruiuit autem à tempore Dauidis vſque ad eum diem quo ab Ioramo defecit. De Idumæis itaque Moyſes in hunc modum populo Hebræo præcepit [4]. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt: nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in Eccleſiam Domini.* En vt Moyſes Idumæos cum Ægyptiis exæquat Idumæi ergo non erant Iudæi. Quid multis? idem Peregrinus, ſiue immemor eorum quæ dixerat, ſiue genio impulſus meliore, paulò pòſt eodem capite & paragrapho, recenſet Idumæos inter peregrinos & externos hoſtes Iudæorum, & rectè quidem; ſcriptum eſt enim, *In tempore illo reſtituit Raſin rex Syriæ Ailam Syriæ, & eiecit Iudæos de Aila, & Idumæi venerunt in Ailam, & habitauerunt ibi vſque in diem hanc* [5]. Nihil itaque ab homine vafro excogitari potuit fraudulentius ad decipiendos lectores incautos (quales permulti ſunt latinè quidem periti, ſed in ſacris ac profanis hiſtoriis, aliiſque veritatis indagandæ adminiculis parum exercitati) quàm pro rebus geſtis Iudæorum res geſtas Idumæorum, diuerſas quidem & diſſimilimas, ſubiicere. Adhæc certum eſt Idumæos non rebellaſſe in Ioramum, religionis Moſaicæ ſartæ tectæ tuendæ cauſa: quod enim illis ſtudium, quæ cura aut ſolicitudo de ea religione eſſe potuit,

1 Paral.17.
2 2.Reg.8.
3 Geneſ.25.
4 Deut.23.
5 4.Reg.c.16.

potuit, cuius ipſi cultum planè vel neſciebant, vel negligebant? Multi eorum, inquit D. Hieronymus, qui regiones habitabant Iudææ Paleſtinæque confines, & præcipuè Ægyptii, Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ, circuncidebantur, quamuis legis mandata non obſeruarent, ſed ignorarent. Non igitur religionis conſeruandæ, quam nihili faciebant, ſed libertatis recuperandæ ſtudio, quam per Dauidem amiſerant, in hanc defectionem incubuerunt. Si enim verè Iudæi, ſique ipſis religio, ac non potius libertas curæ fuiſſet, perſonæ tantùm Regis, non regni etiam imperio ſe ſubtraxiſſent, boniſque Principibus in regnum poſtea ſuccedentib. ſubmiſsè paruiſſent: atqui de illis ſcriptum eſt [2]. *Rebellauit Edom ne eſſet ſub Iuda vſque ad diem hanc.* & ſignificanter quidem, *ſub Iuda*, non *in Iuda*: quia non ex Iudæis erant Idumæi, ſed ſub Iudæis. Haud rectè ergo facit Peregrinus, qui actiones noſtras ad populi ex legis factum, tanquam ad certam ſacrámque normam, in re maxima dirigendas eſſe ſuadet. At Lobna etiam eodem tempore defecit à Rege: quid tum poſtea? ciuitas erat contermina Idumæis, eoque ab illis inducta vt ſe ſociam in hac rebellione adiungeret [3].

[1] in comment. ad cap. 9 Ierem. in fi.

[2] 4. Reg. 8. 2. Paral. 21.

[3] Nicol. Lyran. in 4. Reg. cap. 8.

Sed audiamus adhuc Peregrinum, qui ne nihil nudis exemplis egiſſe videatur, (de iure enim non de facto quæritur) ſuperiorem hanc Idumæorum Lobnenſiúmque rebellionem, Dei ſpiritu commendatam, atque ad imitandum nobis propoſitam, falſo Scripturæ ſenſu, & fallacibus argumentis conatur demonſtrare.

Et vtriuſque populi, inquit, *ſic deficientis & rebellantis cauſam approbat Spiritus ſanctus, ſimulque omnium fidelium ſiue Hebræorum, ſiue Chriſtianorum à Regibus infidelibus, hæreticis, & apoſtatis, ſimiles defectiones & contra eos rebelliones commendat, quando hiſtoriam deſcribens, hanc facti eius grauiſſimam iuſtiſſimámque rationem aſſignat, ad æternam poſteritatis memoriam & doctrinam. Dereliquerat enim Ioramus Dominum Deum patrum ſuorum, ac fornicari fecit habitatores Hieruſalem, & præuaricari Iudam.*

Hîc ego omnes ratiocinãdi peritos, & in ſacræ Scripturæ lectione vel mediocriter verſatos, iſtius tam inſcitæ collectionis Peregrini arbitros & teſtes abhibeo. Non enim ſi Iorami impietas & idololatria ſuppliciis eum dignum, regnóque indigniſſimum fecit, conſequitur inde continuò, vt eos, à quibus Deus iuſtè permiſit eum impeti & puniri,

iuſtè ac rectè feciſſe fateamur. Dei quippe indignatio vindicatióque iuſtiſſimam ſemper cauſam habet; in pœnis tamen exigendis improbiſſimorum hominum miniſterio frequenter vtitur, qui nihil minus quàm Dei cauſam agere, & iniurias in Numen illatas vlciſci cogitant; ſed ſuis tantùm commodis & cupiditatibus inſeruire ſtudent, iiſq; omnia metiuntur. Quid enim? nonne idololatria & abominationes peſſimę Manaſſis & aliorum Regum Hebræorũ, quibus ſubditos ſuos præuaricari, & Dominum in ſe prouocare fecerant, cauſa Deo iuſtiſſima fuit cur illos ab Ægyptiis, Aſſyriis, Babyloniiſque Regibus inuadi, & ipſorum vrbes, agros, ædificia, ferro flammaque vaſtari fecerit: vt quocunque oculos Iudæus intenderet, cædes, incendium, captiuitas, direptióque aſpectui obuerſarentur [1]? Et tamen negare non poſſumus Reges illos, Pharaonem Nechao, Salmanaſerem, Nabuchodonoſorem, & alios, iniuſtè & per ſummum ſcelus regnum illud nullo iure ſibi debitum occupaſſe, niſi ipſam pariter Scripturam negauerimus: quod vel ex vno Iſaiæ loco patet [2], per quem Deus Regem Aſſyriorum ſic affatur. *Væ Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam*, & quæ ſequuntur. Deus ſæpe vtitur peruerſa quorundam voluntate, cuius ipſe author non eſt, ad aliorum ſcelera vindicanda: &, vt eſt in prouerbio, *malum nodum malo cuneo findit* [3]. Vindicabo me de inimicis meis per inimicos meos. Quod igitur Scriptura dicit, *Dereliquerat enim Dominum Deum patrum ſuorum, &c.* id nõ rebellantium Idumæorum & Lobnenſium facti æquitatem indicat, commendátve, vt falsò putat Peregrinus; ſed tantùm iuſtam vltionis diuinæ cauſam deſignat, commeruiſſe videlicet Ioramum propter quod Dominus eum iuſtè in tales anguſtias coniecerit, & acerbiſſimis etiã ſuppliciis excruciarit.

An non Ioas itidem Dominum dereliquit, & ſeſe idolorum ſpurcitiis, ac cæde ſummi ſacerdotis fœdiſſimè contaminauit; populúmque à vera religione auertit? An non etiam iuſto Dei iudicio prius hoſtium potitus, mox à ſeruis occiſus, tot tantorúmque flagitiorum meritas debitáſque pœnas exoluit [4]? An non & ratio quoque adſcribitur perſimilis ei quæ de Ioramo allata eſt? quòd nimirum dereliquerat Dominum Deum patrum ſuorum. Ergo, ſecundum pere-

[1] 4. Reg. 17. & 23. & 24.

[2] Iſa. 10.

[3] S. Hieron. ad Oceanũ. epi. 83.

[4] 2. Paral. 24.

peregrinam huius Peregrini theologiam, concludendum eſt, Aſſyriorum exercitum, diripiendo Iudam & Hieruſalem, & Principes populi occidendo: atque adeo ipſos Regis illius interfectores, iuſtè feciſſe: *quando*, vt loquitur Peregrinus, *Spiritus ſanctus hiſtoriam deſcribens, hanc facti eius grauiſſimam iuſtiſſimamq́ rationem aſſignat. eò quod dereliquiſſet Dominum Deum patrum ſuorum.* At hanc interpretationem fallacem eſſe, falſamque ſententiam, perſpicuè demõſtrat ſuperior illa apud Iſaiam comminatio: ſimulque iuſtũ de coniuratoribus ab Amaſia ſequente Rege ſumptum ſupplicium. An non & Amon ſimiliter Deum patrum ſuorum dereliquit, idoliſque omnibus ſeruiuit & immolauit quæ pater eius Manaſſes fabricauerat: & multo quàm pater nequiora perpetrauit: *nec eſt reuerſus faciem Domini, ſicut reuertitus eſt Manaſſes pater eius* [1]. ob quæ flagitia permiſit Deus propriis ipſius ſeruis, vt eum, coniuratione factâ, iugularent. Nemo hîc non videt iuſtiſſimam Deo malè perdendi cauſam fuiſſe: nemo etiam, niſi inſigniter impudens, negabit Regis illius interfectores iniuſtè feciſſe, ac proinde iuſtas & graues ſceleris ſui pœnas Reipub. perſoluiſſe. *percuſſit populus terræ omnes qui coniurauerunt contra Regem Amon.* Et tamen, ſi firma eſt & non fallax ſuperior Peregrini conſequentia, fateri oportet ſeruos iſtos iuſtè in Regis necem conſpiraſſe, eò quod ipſe Apoſtata eſſet & idololatra, haberétque Deus pœnas ab eo repetendi cauſam iuſtiſſimam. Quid multis? ſi vbicunque iuſta vindictæ diuinæ cauſa eſt, ibi etiam homines per quos Deus crimina vlciſcitur, iuſtè facere ſtatuamus, infinita conſequentur abſurda, quibus vnuſquiſque, velit nolit, aſſentiatur neceſſe eſt. Nam & Cainum iuſtè à Lamecho interemptum fatebimur, quoniam iuſtiſſima Deo cauſa fuit reum fraternæ cædis ſimili pœnâ afficiendi? & Amalecitam, qui ſe Saulem Regem occidiſſe, licet falsò, aſſeuerabat, iniuſtè condemnatum à Dauide [2], qui non ignorabat Saulem multo ſcelere Dominum irritaſſe, cauſamque iuſtam præbuiſſe cur mortem ei Deus tam infœlicem atque infamem præſtitueret. Similiter Mauricium Imperatorem à Phoca primipilo iuſtè vita & imperio ſpoliatum, quòd militũ Chriſtianorum, quos hoſtium potitos modico ſumptu potuit redimere, effundi potius ſanguinem, quàm pauculos in redemptionem aureos profundere maluerit. Sed & Reges etiam ac Principes, atque omnes vbique iudices errare

1 4. Reg. 21. 2. Paral. 33.

2 2. Reg. 1.

grauiter & peccare, qui ſicarios & homicidas puniunt, ſi ii, quos occiderunt, alios antè occiderant: cùm ſint iſti quidē diuinæ ſententiæ executores, ac proinde iuſtè ſe facere cōtendant: quia iuſta Deo cauſa eſt cur vitam illis eripi faciat, qui vitæ vſuram aliis eripuerunt. *quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: & omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt* [1]. Denique Turcas regna & imperia Chriſtiana iuſtè occupare, quòd illis Deus ad vindicanda peccata noſtra, tanquam iræ ſuæ miniſtris, iuſtè vtatur. Hæc illa ſunt & ſimilia nouæ Theologiæ Peregrini, præclara ſcilicet conſequentia, quæ nemo, niſi impius aut inſanus, vnquam conceſſerit. hoc ſi animaduertiſſet Peregrinus, numquam nobis, vt arbitror, tam futilem & commentitiam ſententiæ ſuæ rationem propoſuiſſet.

1 Gen. 9. Matth. 26.

Eiuſdem generis ſunt argumenta alia quæ illic ſubiicit, quid enim illo vanius, quod de indignitate Iorami verboſiſſimè exaggerat: quidque ſubleſtius ad probandam Idumæorum & Lobnenſium facti æquitatem? quandoquidē nemo negat ea fuiſſe Regis illius ſcelera, propter quæ Deus Regnum ei totum, ſtirpíque eius, meritò ademiſſet, niſi, quæ ſua erat clementia, ob Dauidis ſerui ſui memoriā pactíque cum eo initi conſeruationem, iræ ſuæ modum adhibuiſſet. At hoc quid ad Idumæos & Lobnenſes? quibus neque ordinariæ iuriſdictionis poteſtas erat in Regē, cùm ipſi eius ſubditi eſſent, neque expreſſæ iuſſionis Dei authoritas, qua in illum, vt Iehu olim in Ioramum [2] Regē Iſrael, inſurgerent animaduerterentque.

2 4. Reg. 9.

Quod autem poſtremo loco tractat, de Regis illius cadauere, quod adeo deſpectum populo fuit, vt illud neq; paterno monumento intulerint, neque regalibus exequiis more Maiorum honorarint [3], ſatis eo contemptu indicantes quàm Deo fuerit inuiſus nefarius ille homo dum viueret, vt ait Ioſephus [4], id certè ne minimum quidē eius ſententiæ patrocinatur: quippe Ioramus poſt morrē nec Rex erat, nec homo, vt dominationis iure honos ei aliquis haberetur. Iuſta autem cur feciſſent, quæ nemo niſi bene de ſe in vitâ merito ſoluere tenetur? Et verò ſi Peregrinus hanc hiſtoriæ particulam acutè & ſubtiliter perpendiſſet, nunquam eam ad ſuæ ſententiæ confirmationem adduxiſſet, cui tantùm abeſt vt opituletur, vt planè contrà, firmiſſimum ſolidiſſimumque nobis argumentum ad eam conuellendam ſuppeditet. Nam cùm iidem fuerint, qui poſt

3 2. Paral. 21.
4 li. 9. ca. 3.

Iorami

Iorami mortem cadaueri eius inſultauerunt, & qui ei viuo obſequebantur, ac regios honores impertiebant, quamuis ſat ſcirent eum fratricidam & idololatram, atque omnino ſceleratum ac nefarium hominem, Deoque inuiſum: nec vllam mutatæ affectionis ipſorum nouam aliquam certā expreſſamque cauſam Scriptura deſignet; an non id ſatis demonſtrat eos Regem illum nequiſſimum vel ideò tolerasse, quod iudicarent fas nō eſſe ſubditis, niſi ſpeciali mādatu Dei commonitis, in Regem conſurgere; vel quod ſcirent ſe viribus inferiores, & Regi cogendo impares eſſe? At hoc poſterius dici non poteſt, cùm vniuerſus populus Rege ſemper potentior ſit, ſi de facto ac non de iure certetur, & tali potiſſimùm Rege qui lue tabida confectus erat, cunctiſque exoſus.

Quapropter ſi Peregrino viſum eſt ad Iudæorum facta nos reuocare, vt eorum exemplo noſtras erga Regem actiones dirigamus; ac non potius ad Idumęorum ſcelera imitanda pertrahere: neceſſe profectò eſt vt vel ex hac vnica hiſtoriæ particula agnoſcat & fateatur contrarium eius quod aſſeruit: nempe Deum à quo omnis poteſtas eſt, coniurationes & rebellia iniuſſu ſuo excitata in Principes legitimos, quantumuis impios & ſceleſtos, improbare, ſibíque ſoli pœnæ exigendæ poteſtatem reſeruare: quando Spiritus ſanctus hiſtoriam deſcribens oſtendit Iudæos, populum duræ ceruicis & ſeruitutis impatientem, Regi peſſimo paruiſſe, & ei Regi cuius impietatem & nequitiam vſq; adeo execrabantur, vt quem viuum vlciſci propter Regię Maieſtatis reuerentiam non audebant, eius cadauer, ad perpetuam defuncti ignominiam, regia ſepultura prohiberent. Si igitur exemplis rerum geſtarum ab Hebræis commonentur Chriſtiani quo erga Reges animo eſſe debeant (vt ipſemet arbitratur Peregrinus) nihil hoc exemplo illuſtrius, nihil memorabilius, aut magis efficax ad ſubditos in officio continendos, & omnem illis aditum ad defectiones & rebellia præcludendum, reperietur. Sed pro Deus bone, id huic ſcriptori cæteriſque ſimilibus accidiſſe video, quod præ iracundia ſæuientibus vſuuenire ſolet: nempe obuia omnia ſine delectu arripiunt, quæcunque feruor aut furor comminiſtrat: & prius tela in hoſtem conijciunt, quàm vtrum firma ſint an fracta præuideant. Idque in ſuperiore exemplo de Ioramo elucet, quod nemo eruditus, niſi inuidentiæ aut alterius prauæ affectionis ſtimulo concitatus

citatus atque occæcatus, vnquam pro populo contra Reges protuliſſet: quippe Regum cauſam euidenter iuuat ſuſtinétque.

Eiuſdem temeritatis & imprudentiæ eſt, exemplum de Amaſia ad populi imperium ſtabiliendum proferre: quandoquidem coniuratio aduerſus eum facta nullo Scripturæ teſtimonio laudata eſt. Nam licet Deus illi mortem minatus fuerit per prophetam, propter nimiam impietatem & idololatriam: tamen Hieroſolymitæ qui necem ei intulerunt, non ob Dei legem derelictam, & religionem ſartam tectam ſeruandam coniurabant, ſed ob dirutam atque direptam ſuam ciuitatem, bello infœliciter geſto cum Ioa Rege Iſrael [1]. At hoc non legitimam populi poteſtatem in Reges, quæ nulla eſt: ſed imperium & iniquitatem quorundam ſubditorum, quæ vtinam non tam frequens eſſet, demonſtrat. Itaque ſcriptum eſt; *tulit autem vniuerſus populus Iuda Azariam annos natum ſedecim, & conſtituerunt eum Regem pro patre eius Amazia* [2]. vt intelligamus non ab vniuerſa tribu Iudæ initam fuiſſe coniuratione͂, ſed tantùm à Hieroſolymitis quibuſdam *facta eſt*, inquit, *contra eum coniuratio in Ieruſalem*. vel, vt alibi extat [3]. *tetenderunt ei inſidias in Ieruſalem*. Quorſum igitur Peregrinus hoc exemplum? difficile dictu eſt: nec ego coniectura aſſequi poſſum. Non enim arbitror eum velle id libertatis populo concedi, vt Regem, barbara Gotthorum feritate, trucident, quandocunque illis collibitum eſt. *Gotthi*, inquit Aimoinus [4], *iam olim vitium hoc in conſuetudinem vertere, vt cum eis Rex proprius diſplicuerit, à ſuis interimatur*. vel, qui priſcis Burgundionib. mos erat [5], Regem ſolio & ſede pellant, *ſi ſub eo fortuna titubauerit belli, vel ſegetum copiam negauerit terra*. Sed qua mente hæc ſcripſit ipſe viderit: quàm parum verò ad inſtitutú accommodatè, ego iam oſtendi. Alios autem Peregrini errores aliis, vel mihimet alias ipſi, indicandos relinquam; atq; ad Brutum interea à quo digreſſus ſum reuertar.

[1] Nicol. Lyr. in c. 14. li. 4. Reg.

[2] 4. Reg. 14.

[3] 2. Para. 26.

[4] li. 2. c. 20. & li. 4. ca. 35.

[5] Ammia. Marcell. lib. 27.

Percurruntur, & excutiuntur inſigniores Bruti captiones, in hac ſecunda ſua quæſtione: cuiuſmodi ſunt quas ex fœdere ſuperius relato, inter Deum, Regem & populum, item ex naturâ obligationis duorum reorum promittendi: & ex altero fœdere, quod Aſa Rex monitu Azariæ ſanxit, magis ſubdolè quàm ſubtiliter deducit.

CAP.

CAPVT VIII.

QVamuis ſuperiora prudentibus quibuſque & circumſpectis rerum æſtimatoribus faciant ſatis: tamen ne lector curioſus fraudulentis Bruti fallaciis capiatur, percurram breuiter loca inſigniora apud eum in hac quæſtione: & præcipuas eius captiones ſingillatim excutiam. Primum igitur ex fœdere ſuperius relato, quod inter Deũ, Regem, & populum feriebatur, colligit populo poteſtatem fuiſſe in Reges, hac ratione, quia finis eius fuit, inquit [1]. Pag. 3d.

Vt populus eſſet populus Dei, id eſt, vt is populus Eccleſia Dei eſſet: at certiſſimum eſt Deum non fruſtra hoc egiſſe. Ni enim aliqua authoritas & promittendi, & promiſſa præſtandi populo ſuperfuiſſet, fœdus planè ſuperuacuum fuiſſet. Videtur ergo Deus feciſſe, quod in dubiis nominibus creditores facere ſolent, vt plures in eandem ſummam obligentur, vt eiuſdem rei duo pluresue rei promittendi conſtituantur, à quorum vnoquoque, tanquam principali reo ſolidum peti poſſit. Eccleſiam vnico homuncioni committere lubricum erat. Eam itaque vniuerſo populo commendat, atque committit. Poterat Rex in tam lubrico gradu conſtitutus, facile in impietatem delabi. Ne itaque collaberetur Eccleſia, populum interuenire voluit. In ea, de qua agitur, ſtipulatione. Deus, vel eius vice ſummus ſacerdos, eſt reus ſtipulandi: Rex & populus vniuerſus, puta Iſrael, ſunt rei promittendi, ambo ex vna eademque cauſa, & quidem ex voluntate coniunctim obligati. Stipulatur ſacerdos, an non promittant, populum fore populum Dei: an nõ operam ſe daturos vt Deus templum ſuum, Eccleſiam ſuam in medio eorum perpetuò habeat, vbi ritè colatur? Spondet Rex, ſpondet Iſrael (vniuerſitas enim hominum vnius perſonæ vicem ſuſtinet) & quidem coniunctim, non diuiſim, vt ex ipſis verbis apparet: incontinenti, non ex interuallo. Conſtituuntur ergo hic duo rei, Rex & Iſraël, idoque æqualiter in ſolidum obligantur.

Specioſus hic fallaciæ fucus eſt, ſed abſterſu facilis: diſpice igitur Brute, quàm parùm tibi hæc omnia opitulentur ad obtinendum id quod animo intendiſti, quamuis ea vera eſſe concedamus. Quis enim dubitat fuiſſe autoritatem promittendi populo, & efficiendi promiſſum facultatem, cùm vel priuato cuique par in eiuſmodi re poteſtas competat? Vt enim populus non declinando à lege Domini, neque obtemperando Regi in iis quæ contra Dei legẽ præcipit, ſtat conuentis, facitque promiſſum: ita etiam qui-

libet

libet è populo idipſum promittere & præſtare poteſt: ſe nē-pe in vero Dei veri cultu & ſeruitio perſtiturū. Non enim eæ fœderis pactiones id exigunt, vt populus Regem impium, vel iniqua iubentem, imperat: ſed ne iuſſa eius, diuinis in-ſtitutis aduerſantia, capeſſat & exequatur: neue ab ipſo ad idolorum cultum recedente, abduci ſe ſinat quoquo pactu ad alienos deos. Atq; hoc quidem cùm populus facit, præ-ſtat vtrique quod promiſit, & Eccleſiam Dei in ſe perpetuò ſartam tectam conſeruat. Hæc itaque ſponſionis illius vis eſt, hic effectus, quantum ad populi partes attinet: denique fœdus hoc quod toties & tantopere iactas, nullum per ſe, neque populo in Regem, neq; Regi in populum, ius & im-perium tribuit: ſed ſolùm vni Deo vtroſque debitores con-ſtituit, Regem ſcilicet & populum: ille imperium in ſubdi-tos, Iure Gentium communi diuina lege approbato, iam ante obtinebat: & ideò non fruſtra eum Deus hoc fœdere aſtrinxit multitudini illi in officio continendæ; cui domi-nabatur: hic verò vt nullà ante in Principem poteſtate prę-ditus erat, ità nullam nouam hoc fœdere poteſtatem acce-pit, quippe nulla ei opus erat ad eam rem perſoluendam, quam promiſerat; vt planè iam oſtendimus.

Ac ne illa quidem inſtituto tuo vel minimū fauent, quæ de duobus reis promittendi à iure Romano mutuatus es: quippe in duobus reis id obſeruatur, vt vno ſoluente quod promiſit, alter liberetur [z]. At in propoſito longè aliter ſe res habet: finge populum omnem nauaſſe operam, atque effeciſſe omnino vt populus Dei eſſet, nihilo magis libera-tur Rex, niſi ipſe quoque ſumma diligentiâ & ſolicitudine idipſum curauerit: & contrà, ſi Rex proponatur id egiſſe ꝙ in ſe eſt, vt populus Deo fideliter ſeruiat, populo vel renitē-te, vel Regis mandatum ſegnius exequente: non dubium quin ipſe quidem exoluiſſe promiſſum iure optimo cēſea-tur, eoque ab obligatione liberatus: & tamen populus in-terea permanet, ex ſua ſponſione obſtrictus, donec & ipſe etiam id præſtiterit quod promiſit. Hæc igitur cùm repu-gnent naturæ obligationum, quæ in perſonis reorum pro-mittendi conſiſtunt, perſpicuum eſt non rectè & ex iuris diſciplina te affirmare Regem & Iſrael, in illo fœdere, reos promittendi factos fuiſſe. Et quidem re verà duo rei pro-mittendi non erant, ſed diuerſi diuerſorum factorum debi-tores: eiuſmodi inquam debitores, quorum alter alterius obligationem ſuo facto diſſoluere nequiret. Mirum igitur

quæ

[z] Ex huiuſmodi Inſt. de duob. reis l. 3. §. vl. D. eod.

quæ ratio impulerit, vt duos hac ſtipulatione reos debendi factos eſſe arbitrere: nam quod tanquam certum eius rei argumentum adfers, id manifeſtum erroris tui indicium nobis præbet. Ais enim [1]. [1] Pag. 38.

Quod verò ea ſtipulatio, de qua agimus, eius generis ſit, ex aliis ſcripturæ locis apparet. Saule Rege Iſraelis conſtituto, Samuel ſacerdos & propheta Domini his verbis Iſraelem affatur: tam vos quàm Rex veſter qui eſt ſuper vos ſequimini Dominum Deum veſtrum: quod ſi perſeueraueritis in malitia, tam vos quam Rex veſter peritis. Addit verò rationem: quia placuit Deo vos facere populum ſuum. Hic vides duos reos manifeſtè coniungi in eiuſdem pœnæ ſtipulatione.

At ego hic manifeſtè video non coniungi duos reos in hac ſtipulatione: quin potius tuam inſcitiam vel malitiam manifeſtè video. Nam ſi cognitam & perſpectam habes naturam obligationis duorum reorum hoc ipſo nobis imponis, quòd tale quid ſciens prudens proponas: ſin verò exiſtimas ipſe duos reos hac ſtipulatione conſtitui, intolerabili iuris inſcitia laboras: cùm ſit certū, ex ſtipulatione pœnali duorum reorū, pœna ab vno exacta alterum liberari, quod neutiquam in hac ſtipulatione obtinet, ex qua ſuam quiſque pœnam luit, nec alius alium liberare poteſt. Denique perperam colligis ſtipulationem aliquam contractam eſſe verbis Samuelis: ipſe enim tantummodo hortatur populū & Regem vt ſeruiant Deo, & eius vocem audiant, & ne exaſperent os eius, declinent quoad vana, quæ nec opem illis ferre, nec eruere eos de malis poſſent. quod ſi fecerint Deū illis ad futurum, ſin ipſi Deum dereliquerint, à Deo pariter derelinquendos, & miſeriis maliſque omnibus inuoluendos eſſe pronunciat. At hoc non maiorum conuenientiam habet cum ſtipulatione per quam duo rei debendi conſtituuntur, quàm cæteræ legum ſanctiones comminationeſque, aut Principum edicta, quæ ſubditis in officio continendis quotidie proponuntur, quæ nemo niſi iuris imperitus ſtipulationes eſſe dixerit.

Sed vt tibi aliquid benignè largiamur, & quod non eſt, eſſe concedamus, eſto duos hoc fœdere reos promittendi fuiſſe conſtitutos, Regem & populū quid inde ad tuæ ſententiæ confirmationem? populo, inquies, hoc ipſo ius fuiſſe Regem quaſi fuga retrahendi, & coercendi, ſi ad alienos deos transfugiſſet [2]. itane vero? dic nobis bone iuriſconſulte, qua iuris parte, quoue capite comprehenſum ſit, vt [2] Pag. 38.

propter

propter coniunctam reorum debendi obligationem alteri in alterum poteſtas ſit extorquendi totum, vel partem debiti propria authoritate? id ne vſpiam legibus Romanis, aut aliarum nationum inſtitutis, quæ modò congruenter naturæ vitam degunt, inuenitur permiſſum? Scimus eum qui totum debitum exoluit, portionem virilem à correo recuperaturum [1]: at per iudicem, nõ autem per manus iniectionem & prehenſionẽ ſine iudice. Tu igitur qui exemplo correorum tribuis actionem vtilem Regi in Iſraelem, & Iſraeli in Regem, ſi quando hic vel ille idolis ſeſe mancipauerit, nonne fateris iudicio contendendum eſſe vbi is caſus inciderit, *actio enim eſt ius perſequendi in iudicio.* atque ita alium à populo vel Rege iudicem quærendum, ne ipſi in ſua cauſa iudicent. At dic quæſo, quem Regi quæſitorem, & iudicem feres? an non eum qui Rege ſuperior eſt (par enim in parem, multoque minus inferior in ſuperiorẽ, non habet imperiũ) is autem ſolus Deus eſt, vt ſuperioribus libris iam fuſiſſimè & apertiſſimè demõſtrauimus: cui cõſequẽs eſt id remedii tantùm populo ſupereſſe, vt cum Rege correo ſuo coram Deo expoſtulet de iis quæ contra legem Dei vel ipſe facit, vel ab aliis faciendum curat. Vides, opinor, vt inanis prorſus, & ſine pondere, tota hæc ratio ſit, quàm ex tractatu de duobus reis in tuas vindicias tranſtuliſti: cùm licet fateamur Regem & populum eſſe duos reos promittendi, quod tamen falſum eſt, nõ inde tamen conſequatur ius aliquod populo in Principem eſſe tributum, ſed hoc tãtùm, poſſe populum in iudicio aduerſus Regem conſiſtere, atque per eum, cuius vterq; iuriſdictioni ſuppoſitus eſt, partẽ virilem, & quod ſua intereſt, conſequi.

[1] l. 2. C. de duobus reis.

Pergamus nunc igitur ad illud fœdus, quod Aſa Rex Iuda, monitu Azariæ prophetæ ſanxit: nam inde tu quoq; aliud argumentum, imò aliam fallaciam contexis, quà populo in Regem ius vitæ ac necis eſſe contendis.

Tu verò, inquis [2], *ſacrificiis ritè peractis ſancitur fœdus, his tanquam conceptis verbis. Quicunque non inuocauerit Dominum Deum Iſrael, ſeu minimus, ſeu maximus, morte moriatur. Cùm maximum dicit, ne Regem quidem ipſum huic pœna eximi vides. Quis vero hanc à Rege pœnam repoſcere poſſit (de temporali enim hic agitur) niſi vniuerſus populus, cui ipſe iurat, non ſecus ac populus ipſi?*

[2] pag. 58.

At certè palam eſt hunc locum minus tecum facere, quã vllum ſuperiorum. Nã ipſe Rex Aſa fuit, niſi non animad-

ue rtis,

uertis, qui hæc ad populum locutus eſt. Ait enim Scriptura [1], *quod cum audiſſet Aſa, verba ſcilicet & prophetiam Azariæ, filii Obed prophetæ, confortatus eſt, & abſtulit idola de omni terra Iuda, & de Ben-iamin, & ex vrbibus, quas ceperat, mõtis Ephraim, & ædificauit altare Domini, quod erat ante porticum Domini, congregauitque vniuerſum Iudam & Ben-iamin. &c. & intrauit ex more ad corroborandum fœdus, vt quæreret Dominum Deum patrum ſuorum, in toto corde, & in tota anima ſua. Si quis autem, inquit, non quæſierit Dominum Deum Iſrael, moriatur à minimo vſque ad maximum, à viro vſque ad mulierem. Iurauerũtque Domino voce magna in iubilo, & in clangore tubæ. &c.*

[1] 2. paral. 15.

En ipſa Scripturæ verba, quæ planum faciunt quod tua nobis paraphraſi obſcurius reddidiſti. Regem enim hic cernimus fœdus cum populo ex Dei perſona renouantem, & pro poteſtate imperii mortis pœnam in fœderis ruptores aſcribentem, vt corporalis ſupplicii metu, homines natura ad idololatriam procliues in Dei cultu contineret: eſtque perinde ac ſi dixiſſet, Si quis veſtrum non quæſierit Dominum Deum Iſrael, eum ego morte multabo, cuiuſcunque aut ſexus, aut dignitatis, & conditionis vitæ is fuerit. Eſtque huic ſimile ſi paterfamilias his verbis familiam alloquatur. Si quis hodie domo fuerit egreſſus, vapulabit largiter à minimo vſque ad maximum, à viro vſque ad mulierem, à puero vſque ad ſenem. Nemo enim non mentis inops vnquam exiſtimabit poteſtatem puniendi ipſum patremfamilias, ſi exierit, ſeruitiis eſſe tributam. Qui Chriſto ſubiecit omnia Pater, ſeipſum vtique excepit [2]. De Rege ergo à ſubditis iudicando ſi deliquerit, ne verbum hic quidem, ac ne per conſequentias tale quid colligi poteſt ex hoc fœdere, non magis quàm ex aliis aliarum legum ſanctionibus, quas Reges in Diuini vel humani iuris violatores quotidie proponunt, niſi planè cauillemur, & calumniemur verba ſenſuſque Scripturarum.

[2] 1. Corinth. 15.

Omitto alia firmamenta, imo figmenta, quæ huic peſtilenti tuæ ſententiæ aſperſiſti: cuiuſmodi illud eſt,

Quorſum fœdus cum populo, vt ſit populus Dei, ſi ſeſe ad alienos deos per Regem abduci patiatur, aut pati tenetur? Si denique non licet ei operam dare, vt id, quod promiſit, præſtetur, Deuſne cum eo fœdus ſanxit, qui neque promittendi, neque rem promiſſam præſtãdi ius habuerit? Si ridemus & actione ſubmouemus, qui cum ſeruo filioue familias contraxerit: an non impudẽtes ſumus, qui tale quid Deo tribuere velimus?

Apa-

Apage iſtas muſcipulas, non niſi cæcos ſorices capiunt. Ecquis vnquam tam impius vel impudens extitit, ſi modò religione aliqua tenebatur, qui populum ita Regibus deuinctum atque obſtrictum credidit, vt teneatur pati ſe per Reges abduci ad alienos deos? vel negauit licere ei operam dare, vt præſtet quod promiſit? Nemo ſanus non proclamat, populum & poſſe & debere promiſſum facere & fœderis cùm Deo icti pactiones omnes adimplere. Sed nihil vtique ad eam rem populo opus eſt poteſtate & iuriſdictione in Principem: non enim fœdere comprehenſum eſt, neque id etiam Deus exigit, vt populus Regem deuium & inſanos errores ſectantem, vi & armis in viam reducat: ſed ne ipſe eum ſequatur, vel abduci ab eo, atque infici iiſdem erroribus ſe ſinat, vt eſt à nobis ſuprà hoc capite annotatum. Quod autem præterea addidiſti, *Si ridemus & actione ſummouemus eum, qui cum ſeruo filioue familias contraxerit, &c.* id te valde ridiculum, & iuriſprudentiæ prorſus expertem atque ignarum, eſſe arguit. Tuos iam aliquot non leues iuris errores ante indicauit: at hic præ cæteris inſignis, & nimis ſupinus eſt, ac vix Iuſtinianeis nouis [1] condonandus *filius familias*, inquit Caius [2], *ex omnibus cauſis tanquam paterfamilias obligatur. & ob id agi cum eo tanquam cum patrefamilias poteſt*, & Vlpianus: *Siquis cum filiofamilias contraxerit. duos habet debitores: filium in ſolidum, & patrem duntaxat de peculio.* l. ſi quis 44. D. de peculio. & idem alibi, *tam ex contractibus quam ex delictis in filium familias competit actio* [3]. (excipitur ſola mutui datio contra Sc. Macedonianum) duratque contra eum actio etiam poſtquam ſui iuris factus eſt, ſiue emancipatione, ſiue morte patris, exéat de poteſtate [4]. tantum leges hoc ei largiuntur, ne vltra id quod facere poteſt conueniatur, ſi emancipatus, vel exhæredatus fuerit, aut paterna hæreditate alioqui abſtinuerit [5]. Sed & contractus etiam cum ſeruis initi, non prorſus inanes ſunt: nam ex iis quoque complures iure prætorio actiones in dominos tribuuntur [6]. Si itaque rides eum qui cum filiofamilias vel ſeruo contrahit, rides quæ recta, quæque à iuris conditoribus præclarè & ſapienter conſtituta ſunt, quod quamuis ſecundum religionis tuæ regulas laudétur fortaſſe, per ſe quidem tamen non eſt laudabile. An non igitur vel vnicus hic locus ſatis ſuadet, diligente nobis prouiſione cauendū eſſe, ne tibi de iure publico, hoc eſt, de religione & regno differenti, fidem habeamus, qui in perſpicuis & indubitatis iuris

1 ita vocantur iuris ſtudioſi primo anno.

2 l. 39. de ob. & ac.

3 l. tam ex. 57. D. de iud.

4 l. 2. D. de cap. minut.

5 l. 2. & paſſim. D. quod cùm eo qui in al. pot.

6 Inſtit. quod cum eo qui in al. pot. & toto lib. 14. & 15. Digeſt.

juris priuati capitibus tam fœdè hallucinaris? Sed hæc miſſa facio, vt quæ reliqua ſunt apud te hic raptim percurram: iam enim animus in tertiam tuam quæſtionem velis plenis paſſiſque deſertur.

Deteguntur alia Bruti mendacia & captiones, quibus, contra fidem, contráque mentem Scripturarum, ad falſa ſua ſententia confirmationem, tanquam veris ſcriptura teſtimoniis, vtitur: catera etiam pracipua eius argumenta in hac 2. quaſtione diſſoluuntur.

CAP. IX.

AIs *hinc eſſe* [1] id eſt, ex poteſtate populi in Principem, quam ſomnias, *quod Regibus fœdus violantibus, propheta Iudam, domum Iacob, Samariam perpetuò alloquuntur, vt eos officii ſui admoneant: nec id tantum ne Baali ſacrificent, ſed vt Baalem etiam, eiuſq; ſacerdotes, Rege inuito & reclamante, deturbent & exterminent.* Quin prophetæ, populum ſui ſæpe officii admonuerint, neu ſponte, neu impiis Regum ſuaſionibus vel minis ſpiritu fornicaretur, nō dubium quidem eſt. At vt Rege inuito & reclamante, Regis idolum demoliretur, ſacrificulóſque perimeret, id nuſquam legimus prophetarum monitis diſertè comprehenſum. Tu tamen ita eſſe exemplo contendis. 1 Pag. 41.

Sic, inquis, *cùm Achab occidiſſet prophetas Dei, Elias propheta congregat populum, & quaſi concilium indicit, corripit, coarguit, conuincit. Populus verò eius hortatu, ſacerdotes Baal morte multat. Nempe officium ſuum deſerente Rege, eſt quod ſuo fungatur Iſrael: nec tumultuariè aut temerè, ſed publica authoritate, concilio habito, cauſâ ordine cognitâ.*

Deum teſtor Omnipotentem, Brute, mirari me, quid ſit, quod tam manifeſta Scripturæ loca, tam nequiter ad tuū ſenſum detorqueas. Nam in primis falſum eſt quod aſſeris, Eliam congregaſſe populū, & concilium indixiſſe, cùm Achab prophetas Dei occidiſſet. Ipſe enim Rex Achab fuit, qui populum Eliæ monitu congregauit, quippe Scriptura refert Eliam Regi dixiſſe [2]. *Veruntamen nunc mitte & congrega ad me vniuerſum Iſrael in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta: prophetaſque lucorum quadringentos, qui comedunt de menſa Iezabel. Miſit Achab ad omnes filios Iſrael, & congregauit prophetas in monte Carmeli.* Nonne perſpicuum eſt Regem eſſe qui Iſraelem hic congregat? quem- 2 3. Reg. 18.

iuſtè ac rectè feciſſe fateamur. Dei quippe indignatio vindicatióque iuſtiſſimam ſemper cauſam habet; in pœnis tamen exigendis improbiſſimorum hominum miniſterio frequenter vtitur, qui nihil minus quàm Dei cauſam agere, & iniurias in Numen illatas vlciſci cogitant; ſed ſuis tantùm commodis & cupiditatibus inſeruire ſtudent, iiſq; omnia metiuntur. Quid enim? nonne idololatria & abominationes peſſimę Manaſſis. & aliorum Regum Hebræorũ, quibus ſubditos ſuos præuaricari, & Dominum in ſe prouocare fecerant, cauſa Deo iuſtiſſima fuit cur illos ab Ægyptiis, Aſſyriis, Babyloniiſque Regibus inuadi, & ipſorum vrbes, agros, ædificia, ferro flammaque vaſtari fecerit: vt quocunque oculos Iudæus intenderet, cædes, incendium, captiuitas, direptióque aſpectui obuerſarentur [1]? Et tamen negare non poſſumus Reges illos, Pharaonem Nechao, Salmanaſerem, Nabuchodonoſorem, & alios, iniuſtè & per ſummum ſcelus regnum illud nullo iure ſibi debitum occupaſſe, niſi ipſam pariter Scripturam negauerimus: quod vel ex vno Iſaiæ loco patet [2], per quem Deus Regem Aſſyriorum ſic affatur. *Væ Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam*, & quæ ſequuntur. Deus ſæpe vtitur peruerſa quorundam voluntate, cuius ipſe author non eſt, ad aliorum ſcelera vindicanda: &, vt eſt in prouerbio, *malum nodum malo cuneo findit* [3]. Vindicabo me de inimicis meis per inimicos meos. Quod igitur Scriptura dicit, *Dereliquerat enim Dominum Deum patrum ſuorum, &c.* id nõ rebellantium Idumæorum & Lobnenſium facti æquitatem indicat, commendátve, vt falsò putat Peregrinus; ſed tantùm iuſtam vltionis diuinæ cauſam deſignat, commeruiſſe videlicet Ioramum propter quod Dominus eum iuſtè in tales anguſtias coniecerit, & acerbiſſimis etiã ſuppliciis excruciarit.

An non Ioas itidem Dominum dereliquit, & ſeſe idolorum ſpurcitiis, ac cæde ſummi ſacerdotis fœdiſſimè contaminauit; populúmque à vera religione auertit? An non etiam iuſto Dei iudicio prius hoſtium potitus, mox à ſeruis occiſus, tot tantorúmque flagitiorum meritas debitáſque pœnas exoluit [4]? An non & ratio quoque adſcribitur perſimilis ei quæ de Ioramo allata eſt? quòd nimirum dereliquerat Dominum Deum patrum ſuorum. Ergo, ſecundum

pere-

[1] 4. Reg. 17. & 23. & 24.

[2] Iſa. 10.

[3] S. Hieron. ad Oceanũ. epi. 83.

[4] 2. Paral. 24.

peregrinam huius Peregrini theologiam, concludendum eſt, Aſſyriorum exercitum, diripiendo Iudam & Hieruſalem, & Principes populi occidendo: atque adeo ipſos Regis illius interfectores, iuſtè feciſſe: *quando*, vt loquitur Peregrinus, *Spiritus ſanctus hiſtoriam deſcribens, hanc facti eius grauiſſimam iuſtiſſimamq́; rationem aſſignat. eò quod dereliquiſſet Dominum Deum patrum ſuorum.* At hanc interpretationem fallacem eſſe, falſamque ſententiam, perſpicuè demõſtrat ſuperior illa apud Iſaiam comminatio: ſimulq́ue iuſtũ de coniuratoribus ab Amaſia ſequente Rege ſumptum ſupplicium. An non & Amon ſimiliter Deum patrum ſuorum dereliquit, idoliſque omnibus ſeruiuit & immolauit quæ pater eius Manaſſes fabricauerat: & multo quàm pater nequiora perpetrauit: *nec eſt reueritus faciem Domini, ſicut reueritus eſt Manaſſes pater eius* [1]. ob quæ flagitia permiſit Deus propriis ipſius ſeruis, vt eum, coniuratione factâ, iugularent. Nemo hic non videt iuſtiſſimam Deo malum malè perdendi cauſam fuiſſe: nemo etiam, niſi inſigniter impudens, negabit Regis illius interfectores iniuſtè feciſſe, ac proinde iuſtas & graues ſceleris ſui pœnas Reipub. perſoluiſſe. *percuſſit populus terræ omnes qui coniurauerunt contra Regem Amon.* Et tamen, ſi firma eſt & non fallax ſuperior Peregrini conſequentia, fateri oportet ſeruos iſtos iuſtè in Regis necem conſpiraſſe, eò quod ipſe Apoſtata eſſet & idololatra, haberétque Deus pœnas ab eo repetendi cauſam iuſtiſſimam. Quid multis? ſi vbicunque iuſta vindictæ diuinæ cauſa eſt, ibi etiam homines per quos Deus crimina vlciſcitur, iuſtè facere ſtatuamus, infinita conſequentur abſurda, quibus vnuſquiſque, velit nolit, aſſentiatur neceſſe eſt. Nam & Cainum iuſtè à Lamecho interemptum fatebimur, quoniam iuſtiſſima Deo cauſa fuit reum fraternæ cædis ſimili pœnâ afficiendi? & Amalecitam, qui ſe Saulem Regem occidiſſe, licet falsò, aſſeuerabat, iniuſtè condemnatum à Dauide [2], qui non ignorabat Saulem multo ſcelere Dominum irritaſſe, cauſamque iuſtam præbuiſſe cur mortem ei Deus tam infœlicem atque infamem præſtitueret. Similiter Mauricium Imperatorem à Phoca primipilo iuſtè vita & imperio ſpoliatum, quòd militũ Chriſtianorum, quos hoſtium potitos modico ſumptu potuit redimere, effundi potius ſanguinem, quàm pauculos in redemptionem aureos profundere maluerit. Sed & Reges etiam ac Principes, atque omnes vbique iudices errare

[1] 4. Reg. 21. 2. Paral. 33.

[2] 2. Reg. 1.

grauiter & peccare, qui ſicarios & homicidas puniunt, ſi ii, quos occiderunt, alios antè occiderant: cùm ſint iſti quidē diuinæ ſententiæ executores, ac proinde iuſtè ſe facere cōtendant: quia iuſta Deo cauſa eſt cur vitam illis eripi faciat, qui vitæ vſuram aliis eripuerunt. *quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: & omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt* [1]. Denique Turcas regna & imperia Chriſtiana iuſtè occupare, quòd illis Deus ad vindicanda peccata noſtra, tanquam iræ ſuæ miniſtris, iuſtè vtatur. Hæc illa ſunt & ſimilia nouæ Theologiæ Peregrini, præclara ſcilicet conſequentia, quæ nemo, niſi impius aut inſanus, vnquam concesſerit. hoc ſi animaduertiſſet Peregrinus, numquam nobis, vt arbitror, tam futilem & commentitiam ſententiæ ſuæ rationem propoſuiſſet.

1 Gen. 9. Matth. 26.

Eiuſdem generis ſunt argumenta alia quæ illic ſubiicit, quid enim illo vanius, quod de indignitate Iorami verboſiſſimè exaggerat: quidque ſubleſtius ad probandam Idumæorum & Lobnenſium facti æquitatem? quandoquidē nemo negat ea fuiſſe Regis illius ſcelera, propter quæ Deus Regnum ei totum, ſtirpíque eius, meritò ademiſſet, niſi, quæ ſua erat clementia, ob Dauidis ſerui ſui memoriā pactíque cum eo initi conſeruationem, iræ ſuæ modum adhibuiſſet. At hoc quid ad Idumæos & Lobnenſes? quibus neque ordinariæ iuriſdictionis poteſtas erat in Regē, cùm ipſi eius ſubditi eſſent, neque expreſſæ iuſſionis Dei authoritas, qua in illum, vt Iehu olim in Ioramum [2] Regē Iſrael, inſurgerent animaduerterentque.

2 4. Reg. 9.

Quod autem poſtremo loco tractat, de Regis illius cadauere, quod adeo deſpectum populo fuit, vt illud neq; paterno monumento intulerint, neque regalibus exequiis more Maiorum honorarint [3], ſatis eo contemptu indicantes quàm Deo fuerit inuiſus nefarius ille homo dum viueret, vt ait Ioſephus [4], id certè ne minimum quidē eius ſententiæ patrocinatur: quippe Ioramus poſt mortē nec Rex erat, nec homo, vt dominationis iure honos ei aliquis haberetur. Iuſta autem cur feciſſent, quæ nemo niſi bene de ſe in vitâ merito ſoluere tenetur? Et verò ſi Peregrinus hanc hiſtoriæ particulam acutè & ſubtiliter perpendiſſet, nunquam eam ad ſuæ ſententiæ confirmationem adduxiſſet, cui tantùm abeſt vt opituletur, vt planè contrà, firmiſſimum ſolidiſſimumque nobis argumentum ad eam conuellendam ſuppeditet. Nam cùm iidem fuerint, qui poſt

3 2. Paral. 21.

4 li. 9. ca. 3.

Iorami

Iorami mortem cadaueri eius inſultauerunt, & qui ei viuo obſequebantur, ac regios honores impertiebant, quamuis ſat ſcirent eum fratricidam & idololatram, atque omnino ſceleratum ac nefarium hominem, Deoque inuiſum: nec vllam mutatæ affectionis ipſorum nouam aliquam certã expreſſamque cauſam Scriptura deſignet; an non id ſatis demonſtrat eos Regem illum nequiſſimum vel ideò tolerаſſe, quod iudicarent fas nõ eſſe ſubditis, niſi ſpeciali mãdatu Dei commonitis, in Regem conſurgere; vel quod ſcirent ſe viribus inferiores, & Regi cogendo impares eſſe? At hoc poſterius dici non poteſt, cùm vniuerſus populus Rege ſemper potentior ſit, ſi de facto ac non de iure certetur, & tali potiſſimùm Rege qui lue tabida confectus erat, cunctiſque exoſus.

Quapropter ſi Peregrino viſum eſt ad Iudæorum facta nos reuocare, vt eorum exemplo noſtras erga Regem actiones dirigamus; ac non potius ad Idumęorum ſcelera imitanda pertrahere: neceſſe profectò eſt vt vel ex hac vnica hiſtoriæ particula agnoſcat & fateatur contrarium eius quod aſſeruit: nempe Deum à quo omnis poteſtas eſt, coniurationes & rebellia iniuſſu ſuo excitata in Principes legitimos, quantumuis impios & ſceleſtos, improbare, ſibique ſoli pœnæ exigendæ poteſtatem reſeruare: quando Spiritus ſanctus hiſtoriam deſcribens oſtendit Iudæos, populum duræ ceruicis & ſeruitutis impatientem, Regi peſſimo paruiſſe, & ei Regi cuius impietatem & nequitiam vſq; adeo execrabantur, vt quem viuum vlciſci propter Regię Maieſtatis reuerentiam non audebant, eius cadauer, ad perpetuam defuncti ignominiam, regia ſepultura prohiberent. Si igitur exemplis rerum geſtarum ab Hebræis commonentur Chriſtiani quo erga Reges animo eſſe debeant (vt ipſemet arbitratur Peregrinus) nihil hoc exemplo illuſtrius, nihil memorabilius, aut magis efficax ad ſubditos in officio continendos, & omnem illis aditum ad defectiones & rebellia præcludendum, reperietur. Sed pro Deus bone, id huic ſcriptori cæteriſque ſimilibus accidiſſe video, quod præ iracundia ſæuientibus vſuuenire ſolet: nempe obuia omnia ſine delectu arripiunt, quæcunque feruor aut furor comminiſtrat: & prius tela in hoſtem coniiciunt, quàm vtrum firma ſint an fracta præuideant. idque in ſuperiore exemplo de Ioramo elucet, quod nemo eruditus, niſi inuidentiæ aut alterius prauæ affectionis ſtimulo concitatus

Digitized by Google

citatus atque occæcatus, vnquam pro populo contra Reges protuliſſet: quippe Regum cauſam euidenter iuuat ſuſtinétque.

Eiuſdem temeritatis & imprudentiæ eſt, exemplum de Amaſia ad populi imperium ſtabiliendum proferre: quandoquidem coniuratio aduerſus eum facta nullo Scripturæ teſtimonio laudata eſt. Nam licet Deus illi mortem minatus fuerit per prophetam, propter nimiam impietatem & idololatriam: tamen Hieroſolymitæ qui necem ei intulerunt, non ob Dei legem derelictam, & religionem ſartam tectam ſeruandam coniurabant, ſed ob dirutam atque direptam ſuam ciuitatem, bello infœliciter geſto cum Ioa Rege Iſrael [1]. At hoc non legitimam populi poteſtatem in Reges, quæ nulla eſt: ſed impetum & iniquitatem quorundam ſubditorum, quæ vtinam non tam frequens eſſet, demonſtrat. Itaque ſcriptum eſt; *tulit autem vniuerſus populus Iuda Azariam annos natum ſedecim, & conſtituerunt eum Regem pro patre eius Amazia* [2]. vt intelligamus non ab vniuerſa tribu Iudæ initam fuiſſe coniuratione͂, ſed tantùm à Hieroſolymitis quibuſdam *facta eſt*, inquit, *contra eum coniuratio in Ieruſalem*. vel, vt alibi extat [3]. *tetenderunt ei inſidias in Ieruſalem.* Quorſum igitur Peregrinus hoc exemplum? difficile dictu eſt: nec ego coniectura aſſequi poſſum. Non enim arbitror eum velle id libertatis populo concedi, vt Regem, barbara Gotthorum feritate, trucident, quandocunque illis collibitum eſt. *Gotthi*, inquit Aimoinus [4], *iam olim vitium hoc in conſuetudinem vertere, vt cum eis Rex proprius diſplicuerit, à ſuis interimatur.* vel, qui priſcis Burgundionib. mos erat [5], Regem ſolio & ſede pellant, *ſi ſub eo fortuna titubauerit belli, vel ſegetum copiam negauerit terra.* Sed qua mente hæc ſcripſit ipſe viderit: quàm parum verò ad inſtitutũ accommodatè, ego iam oſtendi. Alios autem Peregrini errores aliis, vel mihimet alias ipſi, indicandos relinquam; atq; ad Brutum interea à quo digreſſus ſum reuertar.

[1] Nicol. Lyr. in c. 14. li. 4. Reg.

[2] 4. Reg. 14.

[3] 2. Para. 26.

[4] li. 2. c. 20. & li. 4. ca. 35.

[5] Ammia. Marcell. lib. 27.

Percurruntur, & excutiuntur inſigniores Bruti captiones, in hac ſecunda ſua quæſtione: cuiuſmodi ſunt quas ex fœdere ſuperius relato, inter Deum, Regem & populum, item ex natura obligationis duorum reorum promittendi: & ex altero fœdere, quod Aſa Rex monitu Azariæ ſanxit, magis ſubdolè quàm ſubtiliter deducit.

CAP.

CAPVT VIII.

QVamuis ſuperiora prudentibus quibuſque & circumſpectis rerum æſtimatoribus faciant ſatis: tamen ne lector curioſus fraudulentis Bruti fallaciis capiatur, percurram breuiter loca inſigniora apud eum in hac quæſtione: & præcipuas eius captiones ſingillatim excutiam. Primum igitur ex fœdere ſuperius relato, quod inter Deũ, Regem, & populum feriebatur, colligit populo poteſtatem fuiſſe in Reges, hac ratione, quia finis eius fuit, inquit [1]. Pag. 38.
Vt populus eſſet populus Dei, id eſt, vt is populus Eccleſia Dei eſſet: at certiſſimum eſt Deum non fruſtra hoc egiſſe. Ni enim aliqua authoritas & promittendi, & promiſſa præſtandi populo ſuperfuiſſet, fœdus planè ſuperuacuum fuiſſet. Videtur ergo Deus feciſſe, quod in dubiis nominibus creditores facere ſolent, vt plures in eandem ſummam obligentur, vt eiuſdem rei duo pluresue rei promittendi conſtituantur, à quorum vnoquoque, tanquam principali reo ſolidum peti poſſit. Eccleſiam vnico homuncioni committere lubricum erat. Eam itaque vniuerſo populo commendat, atque committit. Poterat Rex in tam lubrico gradu conſtitutus, facilè in impietatem delabi. Ne itaque collaberetur Eccleſia, populum interuenire voluit. In ea, de qua agitur, ſtipulatione, Deus, vel eius vice ſummus ſacerdos, eſt reus ſtipulandi: Rex & populus vniuerſus, puta Iſrael, ſunt rei promittendi, ambo ex vna eademque cauſa, & quidem ex voluntate coniunctim obligati. Stipulatur ſacerdos, an non promittant, populum fore populum Dei: an nõ operam ſe daturos vt Deus templum ſuum, Eccleſiam ſuam in medio eorum perpetuò habeat, vbi ritè colatur? Spondet Rex, ſpondet Iſrael (vniuerſitas enim hominum vnius perſonæ vicem ſuſtinet) & quidem coniunctim, non diuiſim, vt ex ipſis verbis apparet: incontinenti, non ex interuallo. Conſtituuntur ergo hic duo rei, Rex & Iſrael, idoque æqualiter in ſolidum obligantur.

Specioſus hic fallaciæ fucus eſt, ſed abſterſu facilis: diſpice igitur Brute, quàm parùm tibi hæc omnia opitulentur ad obtinendum id quod animo intendiſti, quamuis ea vera eſſe concedamus. Quis enim dubitat fuiſſe autoritatem promittendi populo, & efficiendi promiſſum facultatem, cùm vel priuato cuique par in eiuſmodi re poteſtas competat? Vt enim populus non declinando à lege Domini, neque obtemperando Regi in iis quæ contra Dei legẽ præcipit, ſtat conuentis, facitque promiſſum: ita etiam quilibet

libet è populo idipſum promittere & præſtare poteſt: ſe nẽpe in vero Dei veri cultu & ſeruitio perſtiturũ. Non enim ex fœderis pactiones id exigunt, vt populus Regem impium, vel iniqua iubentem, imperat: ſed ne iuſſa eius, diuinis inſtitutis aduerſantia, capeſſat & exequatur: neue ab ipſo ad idolorum cultum recedente, abduci ſe ſinat quoquo pactu ad alienos deos. Atq; hoc quidem cùm populus facit, præſtat vtique quod promiſit, & Eccleſiam Dei in ſe perpetuò ſartam tectam conſeruat. Hæc itaque ſponſionis illius vis eſt, hic effectus, quantum ad populi partes attinet: denique fœdus hoc quod toties & tantopere iactas, nullum per ſe, neque populo in Regem, neq; Regi in populum, ius & imperium tribuit: ſed ſolùm vni Deo vtroſque debitores conſtituit, Regem ſcilicet & populum: ille imperium in ſubditos, Iure Gentium communi diuina lege approbato, iam ante obtinebat: & ideo non fruſtra eum Deus hoc fœdere aſtrinxit multitudini illi in officio continendæ, cui dominabatur: hic verò vt nullâ ante in Principem poteſtate prędi tus erat, ità nullam nouam hoc fœdere poteſtatem accepit, quippe nulla ei opus erat ad eam rem perſoluendam, quam promiſerat; vt planè iam oſtendimus.

Ac ne illa quidem inſtituto tuo vel minimũ fauent, quæ de duobus reis promittendi à iure Romano mutuatus es: quippe in duobus reis id obſeruatur, vt vno ſoluente quod promiſit, alter liberetur [1]. At in propoſito longè aliter ſe res habet: finge populum omnem nauaſſe operam, atque effeciſſe omnino vt populus Dei eſſet, nihilo magis liberatur Rex, niſi ipſe quoque ſumma diligentiâ & ſolicitudine idipſum curauerit: & contrà, ſi Rex proponatur id egiſſe ꝙ in ſe eſt, vt populus Deo fideliter ſeruiat, populo vel renitẽte, vel Regis mandatum ſegnius exequente: non dubium quin ipſe quidem exoluiſſe promiſſum iure optimo cẽſeatur, eoque ab obligatione liberatus: & tamen populus interea permanet, ex ſua ſponſione obſtrictus, donec & ipſe etiam id præſtiterit quod promiſit. Hæc igitur cùm repugnent naturæ obligationum, quæ in perſonis reorum promittendi conſiſtunt, perſpicuum eſt non rectè & ex iuris diſciplina te affirmare Regem & Iſrael, in illo fœdere, reos promittendi factos fuiſſe. Et quidem re verà duo rei promittendi non erant, ſed diuerſi diuerſorum factorum debitores: eiuſmodi inquam debitores, quorum alter alterius obligationem ſuo facto diſſoluere nequiret. Mirum igitur

[1] §. Ex huiuſmodi Inſt. de duob. reis l. 3. §. vl. D. eod.

quæ

quæ ratio impulerit, vt duos hac ſtipulatione reos debendi factos eſſe arbitrere: nam quod tanquam certum eius rei argumentum adfers, id manifeſtum erroris tui indicium nobis præbet. Ais enim [1].

Quod verò ea ſtipulatio, de qua agimus, eius generis ſit, ex aliis ſcripturæ locis apparet. Saule Rege Iſraelis conſtituto, Samuel ſacerdos & propheta Domini his verbis Iſraelem affatur: tam vos quàm Rex veſter qui eſt ſuper vos ſequimini Dominum Deum veſtrum: quod ſi perſeueraueritis in malitia, tam vos quam Rex veſter peritis. Addit verò rationem: quia placuit Deo vos facere populum ſuum. Hic vides duos reos manifeſtè coniungi in eiuſdem pœnæ ſtipulatione.

At ego hic manifeſtè video non coniungi duos reos in hac ſtipulatione: quin potius tuam inſcitiam vel malitiam manifeſtè video. Nam ſi cognitam & perſpectam habes naturam obligationis duorum reorum hoc ipſo nobis imponis, quòd tale quid ſciens prudens proponas: ſin verò exiſtimas ipſe duos reos hac ſtipulatione conſtitui, intolerabili iuris inſcitia laboras: cùm ſit certũ, ex ſtipulatione pœnali duorum reorũ, pœna ab vno exacta alterum liberari, quod neutiquam in hac ſtipulatione obtinet, ex qua ſuam quiſque pœnam luit, nec alius alium liberare poteſt. Denique perperam colligis ſtipulationem aliquam contractam eſſe verbis Samuelis: ipſe enim tantummodo hortatur populũ & Regem vt ſeruiant Deo, & eius vocem audiant, & ne exaſperent os eius, declinentquoad vana, quæ nec opem illis ferre, nec eruere eos de malis poſſent. quod ſi fecerint Deũ illis ad futurum, ſin ipſi Deum dereliquerint, à Deo pariter derelinquendos, & miſeriis maliſque omnibus inuoluendos eſſe pronunciat. At hoc non maiorum conuenientiam habet cum ſtipulatione per quam duo rei debendi conſtituuntur. quàm cæteræ legum ſanctiones comminationeſque, aut Principum edicta, quæ ſubditis in officio continendis quotidie proponuntur; quæ nemo niſi iuris imperitus ſtipulationes eſſe dixerit.

Sed vt tibi aliquid benignè largiamur, & quod non eſt, eſſe concedamus, eſto duos hoc fœdere reos promittendi fuiſſe conſtitutos, Regem & populũ quid inde ad tuæ ſententiæ confirmationem? populo, inquies, hoc ipſo ius fuiſſe Regem quaſi fuga retrahendi, & coercendi, ſi ad alienos deos transfugiſſet [2]. itane vero? dic nobis bone iuriſconſulte, qua iuris parte, quoue capite comprehenſum ſit, vt

propter

[1] Pag. 38.

[2] Pag. 38.

propter coniunctam reorum debendi obligationem alteri in alterum poteſtas ſit extorquendi totum, vel partem debiti propria authoritate: id ne vſpiam legibus Romanis, aut aliarum nationum inſtitutis, quæ modò congruenter naturæ vitam degunt, inuenitur permiſſum? Scimus eum qui totum debitum exoluit, portionem virilem à correo recuperaturum [1]: at per iudicem, nõ autem per manus eiectionem & prehenſionẽ ſine iudice. Tu igitur qui exemplo correorum tribuis actionem vtilem Regi in Iſraelem, & Iſraeli in Regem, ſi quando hic vel ille idolis ſeſe mancipauerit, nonne fateris iudicio contendendum eſſe vbi is caſus inciderit, *actio enim eſt ius perſequendi in iudicio.* atque ita alium à populo vel Rege iudicem quærendum, ne ipſi in ſua cauſa iudicent. At dic quæſo, quem Regi quæſitorem, & iudicem feres? an non eum qui Rege ſuperior eſt (par enim in parem, multoque minus inferior in ſuperiorẽ, non habet imperiũ) is autem ſolus Deus eſt, vt ſuperioribus libris iam fuſiſſimè & apertiſſimè demõſtrauimus: cui cõſequẽs eſt id remedii tantùm populo ſupereſſe, vt cum Rege correo ſuo coram Deo expoſtulet de iis quæ contra legem Dei vel ipſe facit, vel ab aliis faciendum curat. Vides, opinor, vt inanis prorſus, & ſine pondere, tota hæc ratio ſit, quam ex tractatu de duobus reis in tuas vindicias tranſtuliſti: cùm licet fateamur Regem & populum eſſe duos reos promittendi, quod tamen falſum eſt, nõ inde tamen conſequatur ius aliquod populo in Principem eſſe tributum, ſed hoc tãtùm, poſſe populum in iudicio aduerſus Regem conſiſtere, atque per eum, cuius vterq; iuriſdictioni ſuppoſitus eſt, partẽ virilem, & quod ſua intereſt, conſequi.

[1] l. 2. C. de duobus reis.

Pergamus nunc igitur ad illud fœdus, quod Aſa Rex Iuda, monitu Azariæ prophetæ ſanxit: nam inde tu quoq; aliud argumentum, imò aliam fallaciam contexis, quâ populo in Regem ius vitæ ac necis eſſe contendis.

Tu verò, inquis [2], *ſacrificiis ritè peractis ſancitur fœdus, his tanquam conceptis verbis. Quicunque non inuocauerit Dominum Deum Iſrael, ſeu minimus, ſeu maximus, morte moriatur. Cùm maximum dicit, ne Regem quidem ipſum huic pœna eximi vides. Quis vero hanc à Rege pœnam repoſcere poſſit (de temporali enim hic agitur) niſi vniuerſus populus, cui ipſe iurat, non ſecus ac populus ipſi?*

[2] pag. 89.

At certè palam eſt hunc locum minus tecum facere, quã vllum ſuperiorum. Nã ipſe Rex Aſa fuit, niſi non animad-

uertis, qui hæc ad populum locutus eſt. Ait enim Scriptura [1] *quod cum audiſſet Aſa, verba ſcilicet & prophetiam Azariæ filii Obed propheta, confortatus eſt, & abſtulit idola de omni terra Iuda, & de Ben-iamin, & ex vrbibus, quas ceperat, mōtis Ephraim, & ædificauit altare Domini, quod erat ante porticum Domini, congregauitque vniuerſum Iudam & Ben-iamin. &c. & intrauit ex more ad corroborandum fœdus, vt quæreret Dominum Deum patrum ſuorum, in toto corde, & in tota anima ſua. Si quis autem, inquit, non quæſierit Dominum Deum Iſrael, moriatur à minimo vſque ad maximum, à viro vſque ad mulierem. Iurauerūtque Domino voce magna in iubilo, & in clangore tubæ. &c.*

1 2. paralip. 15.

En ipſa Scripturæ verba, quæ planum faciunt quod tua nobis paraphraſi obſcurius reddidiſti. Regem enim hic cernimus fœdus cum populo ex Dei perſona renouantem, & pro poteſtate imperii mortis pœnam in fœderis ruptores aſcribentem, vt corporalis ſupplicii metu, homines natura ad idololatriam procliues in Dei cultu contineret: eſtque perinde ac ſi dixiſſet, Si quis veſtrum non quæſierit Dominum Deum Iſrael, eum ego morte multabo, cuiuſcunque aut ſexus, aut dignitatis, & conditionis vitæ is fuerit. Eſtque huic ſimile ſi paterfamilias his verbis familiam alloquatur. Si quis hodie domo fuerit egreſſus, vapulabit largiter à minimo vſque ad maximum, à viro vſque ad mulierem, à puero vſque ad ſenem. Nemo enim non mentis inops vnquam exiſtimabit poteſtatem puniendi ipſum patremfamilias, ſi exierit, ſeruitiis eſſe tributam. Qui Chriſto ſubiecit omnia Pater, ſeipſum vtique excepit [2]. De Rege ergo à ſubditis iudicando ſi deliquerit, ne verbum hic quidem, ac ne per conſequentias tale quid colligi poteſt ex hoc fœdere, non magis quàm ex aliis aliarum legum ſanctionibus, quas Reges in Diuini vel humani iuris violatores quotidie proponunt, niſi planè cauillemur, & calumniemur verba ſenſuſque Scripturarum.

2 1. Corinth. 15.

Omitto alia firmamenta, imo figmenta, quæ huic peſtilenti tuæ ſententiæ aſperſiſti: cuiuſmodi illud eſt,

Quorſum fœdus cum populo, vt ſit populus Dei, ſi ſeſe ad alienos deos per Regem abduci patiatur, aut pati tenetur? Si denique non licet ei operam dare, vt id, quod promiſit, præſtetur, Deuſne cum eo fœdus ſanxit, qui neque promittendi, neque rem promiſſam præſtādi ius habuerit? Si ridemus & actione ſubmouemus, qui cum ſeruo filioue familias contraxerit: an non impudētes ſumus, qui tale quid Deo tribuere velimus?

Apa-

iuris priuati capitibus tam fœdè hallucinaris? Sed hęc miſſa facio, vt quæ reliqua ſunt apud te hic raptim percurram: iam enim animus in tertiam tuam quæſtionem velis plenis paſſiſque defertur.

Deteguntur alia Bruti mendacia & captiones, quibus, contrà fidem, contráque mentem Scripturarum, ad falſa ſua ſententiæ confirmationem, tanquam veris ſcripturæ teſtimoniis, vtitur: cætera etiam præcipua eius argumenta in hac 2. quæſtione diſſoluuntur.

CAP. IX.

AIs *hinc eſſe* [1] id eſt, ex poteſtate populi in Principem, quam ſomnias, *quod Regibus fœdus violantibus, prophetæ Iudam, domum Iacob, Samariam perpetuò alloquuntur, vt eos officii ſui admoneant: nec id tantùm ne Baali ſacrificent, ſed vt Baalem etiam, eiuſq; ſacerdotes, Rege inuito & reclamante, deturbent & exterminent.* Quin prophetæ, populum ſui ſæpe officii admonuerint, neu ſponte, neu impiis Regum ſuaſionibus vel minis ſpiritu fornicaretur, nõ dubium quidem eſt. At vt Rege inuito & reclamante, Regis idolum demoliretur, ſacrificulóſque perimeret, id nuſquam legimus prophetarum monitis diſertè comprehenſum. Tu tamen ita eſſe exemplo contendis. [1] Pag. 41.

Sic, inquis, *cùm Achab occidiſſet prophetas Dei, Elias propheta congregat populum, & quaſi concilium indicit, corripit, coarguit, conuincit. Populus verò eius hortatu, ſacerdotes Baal morte multat. Nempe officium ſuum deſerente Rege, eſt quod ſuo fungatur Iſrael: nec tumultuariè aut temerè, ſed publica authoritate, concilio habito, cauſâ ordine cognitâ.*

Deum teſtor Omnipotentem, Brute, mirari me, quid ſit, quod tam manifeſta Scripturæ loca, tam nequiter ad tuũ ſenſum detorqueas. Nam in primis falſum eſt quod aſſeris, Eliam congregaſſe populũ, & concilium indixiſſe, cùm Achab prophetas Dei occidiſſet. Ipſe enim Rex Achab fuit, qui populum Eliæ monitu congregauit, quippe Scriptura refert Eliam Regi dixiſſe [2]. *Veruntamen nunc mitte & congrega ad me vniuerſum Iſrael in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta: propheraſque lucorum quadringentos, qui comedunt de menſa Iezabel. Miſit Achab ad omnes filios Iſrael, & congregauit prophetas in monte Carmeli.* Nonne perſpicuum eſt Regem eſſe qui Iſraelem hic congregat? quem- [2] 3. Reg. 18.

vt id faciat, idcirco propheta rogat quòd ſine Regis iuſſu atque imperio haud coituram fuiſſe multitudinem ſat ſciebat. Itaque Ioſephus eandem hiſtoriam referens [r]. *vt verò omnes acciti à Rege ad conſtitutum locum confluxerunt*, inquit. Deinde quod ais populum Eliæ hortatu ſacerdotes Baal morte multaſſe, verum eſt, ſed nihil tecum facit, imò contra te facit plurimùm. Non enim inuito & reclamante Rege id egit populus, vt tu falsò exiſtimas, falſòq; nobis perſuadere conaris, ſed Rege præſente, & ob tanti miraculi magnitudinem, conſentiente, certè neutiquam contradicente, vt ipſa illa hiſtoria pluſquam disertè teſtatur. Nam comprehenſis omnibus prophetis Baal, atque occiſis ad torrentem Ciſon, Elias dixit ad Achab. *aſcende, comede, & bibe, quia ſonus multæ pluuiæ eſt, aſcenditq; Achab vt comederet & biberet*. In quem locum Lyranus. *Videbat Elias populum feruentem ad honorem Dei propter recentiam miraculi viſi: & ideo voluit accelerare mortem ſacerdotum, qui deceperant populum, ne Iezabel induceret Regem maritum ſuum, & Rex populum ad ſeruandum vitam ipſorum*. Et verò ſi non ex Regis voluntate id factum fuiſſet, ſed eo inuito & reclamante, vt tu dicis, credibile non eſt authorem hiſtoriæ diuino ſpiritu afflatum, circumſtantiam illam, vtique tam memorabilem, ſilentio prætermittere voluiſſe.

Lib. 8. Antiq. cap. 7.

Præterea ſi populus aliquod in Regem ius habuit, an id Elias in re tanti momenti diſſimulaſſet? An non id aliquãdo ſummus iſte poſt Moyſen propheta contra Regem imploraſſet? An non tunc cùm vidiſſet eum omnibus deceſſoribus ſuis nequitia ſuperiorem, eiuſque vxorem Iezabel, cæde & ſanguine prophetarum idolorum ſuorum cultum ſtabilire conantem, & quotquot Deum Iſrael inuocabant gladio ſeueriſſimè perſequentem? Aut tunc cùm poſt falſorum prophetarum occiſionem Iezabel præſentem ei perniciem quærebat, & ipſe populum, vt eſt veriſimile, propter recentis miraculi memoriam ad quiduis audendum facilè induxiſſet. Quapropter ſi hunc Scripturæ locum ſolerter expendamus fatebimur ingenuè maximo eũ argumento eſſe, populum de quo loquimur nullam poteſtatem habuiſſe in Regem, quamuis crudelem, quamuis impium & idololatram: aut certè Eliam vt communis ſalutis deſertorem, & propè dixero, maieſtatis diuinæ reum, valde culpandum fuiſſe, quòd ſuam iſtam populo poteſtatem, ſuumque officium non indicarit. Non enim ignorabat

bat Elias Regem eſſe, qui hæc Baalis ſacrificia in eam gentem inuexerat, ipſoque viuo cum ſua parte Iezabel idololatriam in Iſrael haud extinctum iri: quippe in primo congreſſu ſuam ei nequitiam & idololatriam prophetica libertate improperauerat, *tu*, inquit, *& domus patris tui conturbatis Iſrael, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſequuti eſtis Baalim* Et tamen nihil quicquam ad populum de Rege iſto ſceleſtiſſimo vel abdicando, vel in ordinem cogendo, neque tunc cum falſos prophetas Rege inſpiciente occidi curarit, populumque habuerit ſibi in omnibus obſequentiſſimum, neque alias vnquam locutus eſſe inuenitur. Ac ne de Iezabel quidem tollenda, quòd ipſa Regis vxor eſſet, eoque regalis honoris particeps, ne populus Principis ſui Maieſtatem in coniugis perſona violaret: quo nos exemplo monemur nihil populo iuris eſſe in Principem, niſi id ei Dominus ſpeciali mandato conceſſerit, vt olim regnante Ioramo filio huius Achabi contigit [1].

Quæ ſequuntur apud te in hac quæſtione, leuiora ſunt quàm quæ accurata reſponſione egent. Nihil enim niſi apertas captiunculas continent. Nam vt oſtendas populi partes eſſe Regi legem Dei violanti reſiſtere, & eum coercere ſi obſtinatiùs in errore permanſerit. Dicis non alia de cauſa fuſum deletumque Iſraelis exercitum vna cum Saule Rege, quàm quòd populus Sauli legem Dei violanti non reſiſtebat: & pios impiè perſequenti applaudebat: idque ea ratione confirmas, Pag. 42.

quod filius non portabit iniquitatem patris: ſed anima quæ peccauerit ipſa morietur. An Deus vlciſcitur peccata Principis in populum? inquis, *an patris in filium? Abſit à te, qui iudicas vniuerſam terram, vt occidas iuſtum cum impio,*

inquit Abraham. vnde colligis non alia ratione cæſum eſſe populum, quàm quòd Regi malo non reſiſtebat. Sed vno verbo reſpondemus aliud eſſe non reſiſtere, aliud applaudere, hoc improborum eſt & in faciendo, illud ſubditorum & in patiendo conſiſtit. Deinde conſtare quidem inter omnes qui Scripturam lectitant, & qui de rebus diuinis rectè ſentiunt, eam fuiſſe populi Hebræi conditionem vt vnius etiam priuati impietas & peccatum in omnes aliquando vindicaretur, idque à Deo factum, eſſe; vt duræ ceruicis populum facilius in officio contineret: exẽpla legenti obuia ſunt: conſtat quoque & illud, ſubditos aliquãdo regii peccati pœnas luere, & propter Principem puniri

1 Ioſue 7. & 22. 1. Reg. 14.

pœna temporali, & etiã morte corporali, vt ait Lyranus [1]: quemadmodum & filios propter peccata parentum. Vnde diſcipuli Dominum interrogarunt, *Rabbi quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* [2] Quia Rex in populo afflicto, vt & pater [3] in perſona filii, grauius torquetur.

Idem tibi reſponſum volumus ad id quod de Dauidis facto populum numerantis profers [4]. Nam quod vniuerſum populum eo facto peccaſſe affirmas, id falſum eſſe Dauidis pro populo deprecantis oratio ſatis oſtendit [5]. *Nonne ego ſum*, inquit, *qui iuſſi vt numeraretur populus? ego qui peccaui, ego qui malum feci: iſte grex quid commeruit?* & alibi (2. Reg. 24.) *Ego ſum qui peccaui, ego inique egi: iſti qui oues ſunt quid fecerũt?* Quo pertinet quod ſcribit D. Ambroſius in Apologia Dauidis (ca. 7. & refert. de pœnit. diſt. 3. can. illud) & B. Gregor. (lib. 25. in Iob.) cap. 20. *Dauid propheta tumore repentinæ elationis inflatus populum numerando peccauit & tamẽ in vindictam populus Dauide peccante ſuſcepit.* Itaque innocentem hũc populum ab angelo bono percuſſum eſſe teſtatur Lyranus [6]. Adhæc, ſi rationi tuæ locus eſt, neminem ſcilicet alieni ſceleris pœnam pati; ac proinde Deum non vlciſci peccata principis in populum: cedo cur populus ille recenſus, morbo tam mortifero plexus eſt? nunquid omnes ea contagione abſumptos, ſibi ipſis numerandis authores fuiſſe putas? Nam quod tu præfectos populi (quos falsò conſortes imperii Dauidis nominas) conſenſiſſe aut ſegnius repugnaſſe dicis, eóque populum totum peccaſſe, quem illi repræſentabant; id profectò tale eſt, niſi non animaduertis, quod rationis tuæ fundamentum penitus conuellat. quandoquidem non ita populum repræſentabant iſti, ſiue præfecti ſiue ſeniores Iſrael, quin reuerà aliæ repræſentantium, aliæ repræſentatorum perſonæ fuerint, ac proinde nõ potuerunt populum ſceleri obligare, niſi nominatim id eis populus mandaſſet perpetrandum; cùm neque ad id electi & conſtituti fuiſſent, vt Deum offenderent: neque officium ſuum & mandatum prætergreſſi, populum in eo quod malo multitudinis moliebatur dici poſſent iure repræſentaſſe [7]. Quapropter ſi, vt tu dicis, alieni ſceleris pœnam nemo ſuſtinet, non erat cur ob conſenſum vel conniuentiã præfectorum innocens multitudo ſupplicium tam acerbum perſolueret: atque ita vel Regis peccatum in populo vindicatum, vel omnes ab angelo percuſſos ad id facinors nominatim conſpiraſſe, fateamur, neceſſe eſt. Cæterùm multa præ-

1 in cap. 18. l. 1. Reg. in ver. & dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manu Philiſtim.
2 Ioan. 9.
3 l. iſti. 8. D. q̃ met. cauſ.
4 pag. 44.
5 1. Paral. 21. in cap. 12.
6 Exod.
7 l. qui fundum 7. §. ſi tutor. D. pro empt.

ta prętereo, quib. hanc ſolius Dauidis noxã fuiſſe cõuincitur veluti quòd ei ſoli optio pœnæ data ſit, quodque eius ſolius pœnitentiæ & deprecationis mentionẽ faciat Scriptura, & alia id genus quæ in illa hiſtoria memorantur.

Quod autem ſubiicis, *Manaſſe Rege templum Dei polluente, Deum non ipſum modò Manaſſem, ſed vniuerſum populum alloquutum eſſe, non alia de cauſa quàm vt Iſraelem tanquam alterum promittendi reum admoneret, ni Regem in officio contineret, ſuo damno futurum,*

Id ſimiliter falſum eſt, & ſatis ſupérque iam ſuprà refutatum [1]. Non enim populus ille à prophetis increpitus eſt, quòd Reges ſuos impios & idololatras non coerceret: ſed quod ipſorum flagitiis turpiter aſſentiret, & ſe iiſdem, quibus illi, peccatis inuolueret. 1 cap. 6.

Verùm vt facilius nos fallas, & tuum hunc Scripturæ ſenſum pertinacius tuearis, Auguſtini & Ambroſii authoritatem ſubinde nobis obtrudis.

Propterea, inquis, *Auguſtinus & Ambroſius: Herodes & Pilatus condemnant Chriſtum, Sacerdotes neci tradunt: populus ferè illachrymatur, vniuerſi tamen puniuntur. Cur ita? Quia quem è manibus impiorum eripere poterant, quia non fecerunt occiderũt.*

Bella ratio, ſcilicet, qua populum Regibus reſiſtere, & eos coercere poſſe contendas, quod nunquam tamen cogitarunt, nedum aſſeruerunt, beati iſti Patres, quos tuarũ partium aſtipulatores eſſe autumas. Nam quod ad D. Ambroſium attinet, ex cuius libris de Officiis iſta te excerpſiſſe indicas, is ne verbũ quidem in eam ſententiam iis libris conſcripſit: & quamuis ſcripſiſſet quod eum ſcripſiſſe fingis, nihilo magis tuam iuuaret opinionem, vt mox conſtabit. B. verò Auguſtinus, quem in pſalmos allegaſti, hoc tantùm habet [2]. *Hac dicta ſunt, vt ſciretur in eo populo, in quo natus & occiſus eſt Chriſtus, nec illos fuiſſe immunes à tanto ſcelere, qui cùm eſſent tanta multitudinis, vt eos, ſicut euangelium loquitur, timerent Iudæi, & propterea in Chriſtum manus mittere non auderent, poſtea conniuerunt, cumque interimi à malignis & inuidis Iudæorum principibus permiſerunt, qui ſi voluiſſent, tuerentur ſemper, & nunquam in eum ſceleratorum præualerent manus.* At locus iſte quid ad Reges? quid inquam, vel contra Reges pro populo, vel pro Regibus contra populum facit? Adeóne te inuidentia regalis fortunæ, vel deſpicatio Maieſtatis obcæcauit, vt apertiſſima quæque non cernas, ſed velut ublatis è medio perſpicuis rerum omnium differentiis, res

2 Pſal. 81. verſ. auferte ergo inopem.

inter ſe diſſimillimas inepta ſimilitudine comparationẽque confundas? Scito igitur primùm, qui inſcitè nimis id Hebræorum factum ad hanc diſputationem traduxiſti, neminem tunc inter Iudæos fuiſſe regia authoritate præditum, translato iam antè ad Romanos imperio: *non habemus Regem*, inquiunt, *niſi Cæſarem*: ac proindè multitudinẽ nulla parendi neceſſitate obſtrictam fuiſſe Scribis & Phariſæis & Principibus ſacerdotum, qui Chriſtum neci dederunt. Itaque populus ille ſine vllo Maieſtatis & rebellionis crimine, & ſine vllo ſcelere, in iis quæ publicam adminiſtrationem ſpectabant, obiicere ſe potuit, imò debuit, inuidis ſacerdotum conatibus Chriſtum opprimere cupientium: quòd nullo politicę poteſtatis & obedientię vinculo illis teneretur. Deinde verò, vt concedamus Principes illos ſacerdotum, & ſeniores populi, imperio ſimili & planè gemino regiæ poteſtatis functos, atque ob eam cauſam multitudini non licuiſſe vi & armis aduerſus eos contendere: tamen certum eſt multitudinem illam, alia ratione, in culpa fuiſſe, perinde ac ſi ipſa Chriſtum occidiſſet? non quia Scribis & Phariſæis pro virili non reſtitit, ſed quia horum pellecta blanditiis, eidem cum ipſis ſceleri aſſenſa eſt: & quem ſolo diſſenſu: & verbo vno liberare poterat, vindicando ſibi Saluatorem, conſenſu peruerſo, & redemptis ſuffragiis, petendo Barrabam, malitiosè perdidit. Ait enim Scriptura. *Congregatis illis dixit Pilatus, quem vultis dimittam vobis? Barrabam aut Ieſum qui dicitur Chriſtus. Principes autem ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barrabam, Ieſum verò perderent* [1]. Non mirum igitur, ſi non ſolùm cum Auguſtino dicamus eos *non fuiſſe immunes à tãto ſcelere*, ſed etiam ſceleris illius quodammodo principes, certè ſocios præcipuos: quòd vbi ſola voce pauperem à potente, & innocentem ex impiorum manibus eripere potuerint, non neglexerunt modò ſalutem Iuſti, ſed prodiderunt. Itaque peccaſſent illi quidem hoc caſu, etiam ſi ſub Rege Chriſtum peroſo & taliter perimente tunc degiſſent: non quòd Regi tam ingens ſcelus patranti violenter reſiſtere, niſi expreſsè iuſſi, ſed quòd non conſentire tenerentur: vt Euangelium in Petro defenſionem Magiſtri ſuſcipiente admonet.

Matth. 27. Marc. 15.

Non perſequar hîc cætera commenta quæ in tuũ iſtum tractatũ conieciſti, vt ſunt illa de magiſtratib. à populo delectis & conſtitutis, quos falsò imperii conſortes, & Regũ

Ephoros

Ephoros nominas:cùm ſatis iam conſtet inter omnes, ſitque notiſſimum, magiſtratus in omni Monarchia & regno ritè ordinato, non à populo, ſed à Principe deligi & conſtitui ſolitos, à quo in ipſos, tanquam à fonte ſeu radice & ſummo capite, iuriſdictio atque imperium omne dimanat. Et illa ſimiliter quæ de expeditionibus Principũ Chriſtianorum in Turcas, Saracenos, & alios Dei hoſtes commemoras. Nam hæc quorſum? Non improbamus, imò approbamus & laudamus, bella Regum & ſummorũ Principum iuſſu in infideles & hæreticos geſta: vtque in illa omnes incumbant ſtrenuè ſummis à Domino votis contẽdimus. Sed reprehendimus & execramur rebellia ſubditorum in ſuos Principes. Nec aliquem adeo inſanire arbitror, vt illa bella & hæc rebellia inter ſe perfecta ſimilitudine conuenire, aut alterum alteri conſequens eſſe putet. Illud enim, cum infidelibus inquam bellum gerere, laudabile inprimis, atque in ſacris ac profanis hiſtoriis ſempiternæ gloriæ datum eſſe legitur: hoc verò nunquam ab hominum memoria, à piis & peritis hominibus, vllo iuſtitiæ & honeſtatis elogio fuiſſe commendatum. Sed hæc, & alia id genus, vel ſuprà à nobis confutata ſunt, vel in tertiæ tuæ quæſtionis examine commodius refellentur, ad quam ipſam nunc aggredior.

Tertia Bruti quæſtio præclara: ſed perperam ab eo tractata. Tyranni nomen nimis ambiguè in ea poſitum. Argumenti à Regis conſtitutione ad Regum ſubiectionem pertractati refutatio.

CAPVT X.

QVæ tertia à te ſubiicitur quæſtio, ea quidem præclara eſt, Brute, ſed perperam, ac peruersè à te tractata. *An, ſcilicet, & quatenus Principi Rempublicam aut opprimenti, aut perdenti, reſiſtere liceat? item quibus id, & quo modo, & quo iure permiſſum ſit.*

Nam id tuum de hac quæſtione iudicium eſt, eamque ita explicas, vt Rex non ſolùm toti populo, quique populum repræſentant patriciis, Palatinis, & communi ordinum regni concilio; ſed Curiis etiam, quæ vulgo Parlamenta Galli vocant, & quod indigniſſimum eſt, ſingularum vrbium vel prouinciarum rectoribus ſubiiciatur: iiſque rerum à ſe geſtarum rationẽ reddat [1]. Quam quidem doctrinã & im- Pag. 89. 194. 195. 196. 197. & 210.

piam & peſtilentem, & regnis ac ciuitatibus exitioſam eſſe, quoniam ſæpius ante monuimus, & nunc ſeriò ac religioſè proteſtamur: noſtramque de Regum ſumma & libera poteſtate ſententiam tuæ prorſus contrariam, ſuperioribus libris copioſè & accuratè deſcriptam comprehendimus; reliquum nunc eſt, vt quàm infirmis rationũ momentis fundamentiſque opiniones tuæ nitantur, demonſtremus.

Quod antequam aggrediamur, principiò monendus eſt quiſquis vel tua vel noſtra legerit, tyranni nomen in huius tertiæ tuæ quæſtionis præfatione nimis ambiguè poſitum, & haud accommodatè Regibus eſſe oppoſitum. Nam ſi hanc ei verbo ſubiectam vis eſſe notionem, vt is intelligatur qui principatum, quem vel iure hæreditario à Maioribus delatum, vel multitudinis ſuffragio oblatum adeptus eſt, inſipienter & inſolenter gerit: falſum eſt quod ſcribis,

Tyrannum Regi è diametro opponi.

Rex enim manet qui antè Rex fuit, quanquam impotẽter dominetur. Vt enim probitas & iuſtitia regiam dignitatem non conferunt, ſed legitima ſucceſſio electioque, ita nec vitia iſtis cõtraria eam ritè inſtitutis auferre poſſunt [1]. Licet igitur verum ſit Tyrannos, in hac verbi ſignificatione, bonis & iuſtis Regibus opponi, quatenus tales ſunt: nõ tamen verum eſt eos ſimpliciter & abſolutè Regibus opponi. Niſi eadem forma & malos Epiſcopos non eſſe Epiſcopos, & malos coniuges non eſſe coniuges, & quicquid ab alio qualitate aliqua ſeparatur, id ab eo in totum & ſimpliciter remoueri iudicemus. Sed ſunt quidem eiuſmodi fallaciæ notiores, quàm quibus refellendis aliquam otii noſtri partem impertiamur. Sin Tyranni nomine eum intelligis, qui in libera ciuitate, liberóque populo dominatum in cæteros vi & armis occupat, aut principatum alteri delatum vel debitum inuadit, rectè quidem Tyrannum Regi oppoſis: ſed fruſtra tamen quantum ad præſens inſtitutum attinet. Nam de Tyrannis eiuſmodi nulla eſt inter mortales controuerſia; quippe quos, vt hoſtes publicos, non ſolùm ab vniuerſo populo, ſed à ſingulis etiam impeti cædíque iure optimo poſſe tota antiquitas cenſuit, & iugi aſſeueratione conſentiens ſubſequentium ſeculorum probauit authoritas. Reges verò legitimè conſtitutos, licet in ſæuitiã ac proteruitatẽ Tyrannorum delabãtur, vt ſacroſanctos tamẽ, & ſupra omnes leges & iudicia

[1] Ioan. Bouderius in compendio concert. tit. 2. artic. 11. & titu. 11. art. 7.

humana

humana conſtitutos, in nullo & à nullo lædi poſſe ſine publicâ iniuriâ & Maieſtatis crimine, omnibus ferè ante veſtram ſectam, & miſerimas horum temporum miſerias, tã diuini quàm humani iuris peritis viſum eſt. Sed de præfatione ſatis. Ad argumenta igitur & rationes tuas reuertamur.

Primã ex eo ducis, quòd Reges à populo conſtituantur, & ſine populo Rex ne mente quidem concipi poſſit, ſine Rege verò innumeri populi viuant & regantur: & quamuis Deum peculiari ſuo populo Reges elegerit, dederitve, ramen non ante voluerit eos regnare, quàm populi ſuffragio & conſenſu Reges conſtituerentur, idque variis exemplis & argumentis per totas octo paginas verboſiſſimè produxiſti, hanc ei concluſionem ſubiicis [1]. *Iam verò cum Reges à populo conſtituantur, omnino ſequi videtur, populum vniuerſum Rege potiorem eſſe. Ea enim vis verbi eſt, vt qui ab aliquo conſtituitur, eo minor habeatur: qui ab aliquo authoritatem accepit, ſuo authore inferior ſit. Putiphar Ægyptius conſtituit Ioſephum ſuper familiam ſuam. Nabuchodonozor Danielem ſuper Babylonicam prouinciam. Darius præſides centum & viginti ſuper regnũ nempe domini ſeruos, Reges miniſtros conſtituere dicuntur. Sic etiam populus Regem tanquam miniſtrum Reip. conſtituit.* 1 Pag. 81.

Quod de regnum electione & conſtitutione adfers, leuius nunc percurro: neque enim neceſſe eſt de eò pluribus hic diſſerere, cũ ſit à nobis ſuperiore libro fuſiſſimè diſputatum, totaque ratio illa refutata [2]. Itaque ſic habeto, populus Regem conſtituit, Deus conſtituto dat autoritatem. *Data eſt à Domino poteſtas vobis* [3]. Quod autem annectis, innumeros ſine Rege populos viuere, Regem verò ſine populo ne quidem animo concipi poſſe: id quorſum? eine illico conſequens eſt, Regem populo eſſe inferiorem? fallit te captioſa probabilitas, ſi id arbitraris: quid enim? an non ſimiliter ratiocinabere? complures pupilli viuunt ſine tutore, innumeri minores ſine curatore: at tutor ſine pupillo, curator ſine minore, ne cogitatione quidem comprehendi poteſt. ergo tutor & curator pupillo & minore ſunt inferiores, & horum quàm illorum maior autoritas. Videt iam vitium tui argumenti quiſquis non cæcus eſt. Nunc ad cõcluſionem tuam venio.

2 cap. 2. 3. 4.

3 Sap. 6.

Ais populum Rege potiorem eſſe, quia Rex à populo cõſtituitur, & generaliter, eum qui conſtitutus eſt & autoritatem ab aliquo capit, eſſe minorem conſtituente: idque pro-

bas inductione, ſeu verius exemplis Putipharis, Nabuchodonozoris, Darii, & aliorum qui ſub ſe præſides vel præfectos conſtituerunt. Sed die mihi per Deum, Brute, an ignorabas, cùm iſtoc ſcriberes, exempla eiuſmodi nõ ſatis quadrare concluſioni, quatenus Reges complectitur? Certè id non animaduertiſſe, inſcitia, ſcripſiſſe autem vbi animaduerteris, mera malitia eſt. Nam exempla perſpicuè demonſtrant te cõcluſionem intelligere, de iis qui ſub ſe alios cõſtituunt, vt Putiphar Ioſephum, Nabuchodonozor Danielem, Darius præfectos ſub ſe conſtituit. At ſermo tibi antè fuit de Rege, quem populus conſtituit, non ſub ſe quidem, vt Pharao vel Putiphar Ioſephum, & alii quos commemoras, ſed ſuper ſe planè, eiq; ſe pariturum ſpopondit. An vnquam memoriæ proditum didiciſti, gentem aliquam conſtituiſſe ſub ſe Regem? An non ſemper in ſacris & prophanis hiſtoriis legitur Reges ſuper populum eſſe conſtitutos?
[1] Deut. 17. *Cum ingreſſus fueris terram* [1], inquit Moyſes ad populũ, *quã Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaueriſq; in illa & dixeris: conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes.* Et populus ad Samuelem à regio eos
[2] 1. Reg. 8. imperio dehortantem [2]. *Nequaquam: Rex enim erit ſuper nos,*
[3] 1. Reg. 10. *& erimus nos quoque ſicut omnes gentes:* & iterum [3]. *Nequaquãe ſed Regem conſtitue ſuper nos.* Quid multis? innumera extant loca in Scripturis, quæ Regem conſtitui ſuper populum
[4] 3. Reg. 19. manifeſtè teſtantur. *Vnges* [4], inquit Dominus ad Eliam, *Hazielregem ſuper Syriam, & Iehu filium. Nam ſi vnges regem ſuper Iſrael.* Quid quod Chriſtus. *Reges gentium dominantur eo-*
[5] Marc. 10. Luc. 22. *rum* [5], *& principes eorum poteſtatem habent ipſorum.* Præeſſe autem & ſubeſſe, ſubiici & dominari, habere poteſtatem in aliquẽ & eſſe in eius poteſtate, omninò ſunt contraria. quapropter ſi Rex eſt ſuper populum, vt ait Scriptura, non eſt ſub populo: ſi populo dominatur, vt Chriſtus autor eſt, non vtique eidem ſubiicitur. Si vis ergo exempla à te propoſita quadrare concluſioni, & aliquid aduerſus Reges facere, ea ſic inducere oportet. Putiphar conſtituit Ioſephum ſuper ſe. Nabuchodonozor ſuper ſe Danielem. Darius centum & viginti prefectos ſuper ſe: quæ omnia cùm ſint manifeſtè falſa, nullam efficiendi vim habent; ac proinde perperam ad Regum authoritatem minuendam à te adducta, quos
[6] Stat. 1. Achil. conſtat ſuper populum eſſe conſtitutos. ſcitè poeta [6],

--- Tum primum, Græcia vires
Contemplata ſuas tunc ſparſa, ac diſſona moles

In cor-

In corpus, vultúmque coit, & rege ſub vno
Diſpoſita eſt.

Sub Rege itaque populus idque tu ipſe fateare, vel tibimet planè contradicas neceſſe eſt. Nam vbi de Tyrannis tollendis vel tolerandis diſputas, doces apertè, populum & Rempublicam transferre omnem ſuam poteſtatem in Regem, eique ſeipſos tanquam victos iureiurando deuincire. *At certè*, inquis [1], *ſi ſemel ita rerum potiatur, vt populus victus ſeſe iureiurando ei denunciat, Reſpublica oppreſſa ſuam in eum poteſtatem transferat, regnum in ſuarum legum mutationem ritè conſentiat: tum ſanè quia titulum, quem antea nullum habebat, adeptus eſt, nec ex facto tantum, ſed iure poſſidere videtur, etſi populus* ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, *id iugum recepit: æquum tamen eſt, vt obtemperet & Dei voluntati, qui regna de gente in gẽtem ſuo arbitrio transfert, placidè acquieſcat.* Sana profectò, & ſalutaris doctrina, quam ſi vbique fuiſſes ſequutus, nobis nihil hoc ſcriptionis genere opus fuiſſet. Nec minus laudabile quod ſubiicis [2]. *certè ſeditioſus fuit Cinna qui lege regia iam lata, qua populus ſuam in Auguſtum omnem poteſtatem contulerat, in eum conſpiraſſe legitur.* Benedictus Deus qui veritatem ab inuitis non rarò exprimit. Si populus ſuam in Auguſtum poteſtatem tranſtulit, atque adeò in quemlibet Tyrannum transfert, cui ſe iureiurando deuincit, quamuis talis cõſenſus vi & metu initio expreſſus ſit (voluntas enim coacta voluntas eſt [3]) Si inquam, ſuam in eum poteſtatem transfert, quoties ei titulum tribuit, id eſt, in eum vt Rex ſit ritè conſentit. An non ſequitur Regem ſuper populum eſſe conſtitutum, ac proinde populo ſuperiorem? Niſi fortè Tyrannis cũ titulo, plus iuris in regno, quám legitimis Principibus, id eſt, ſanguinis vel electionis iure ad regnum vocatis, tribuendũ putes: quod nemo niſi rationis expers vnquam arbitrabitur. Quamuis igitur qui ſub ſe aliquem conſtituit, vt Putiphar, Pharao, Darius, maior ſit eo quem conſtituit: tamen qui ſuper ſe aliquem conſtituit (vt populus Regem, Cardinales Pontificem, Clerus Epiſcopum, Monachi Abbatẽ) tantũ abeſt vt cõſtituto ſuperior ſit, vt ei ſtatim inferior efficiatur. Id & ratio naturalis, & vera verbi notatio cõuincit. Qua de cauſa [4] B. Gregorius hortatur Clerum, vt in eligẽdo Epiſcopo ſummã adhibeat diligentiam: quia poſtquã electus eſt, nõ amplius ab eligentibus iudicari poteſt: quia nimirũ ſuperior ab inferiore iudicari non debet. Et de hac quidẽ cõſtituẽdi ratione & forma eſt, ꝙ ſcite Panormitan. (in cap.

1 pag. 183.
2 pag. 189.
3 l. Si mulier 21. § vlt. D. quod met. cauſ.
4 li. 2. epiſt. cap. 68. & refertur 8. q. 2. can. vlt.

(in cap. 4. de cler. non reſid.) *Nota*, inquit, *quod habens poteſtatem conferendi non habet poteſtatem deſtituendi etiam propter delictum* & doctiſſimus Bellarminus (to. 1. Contr. 3. li. 2. ca. 17.) Regem eſſe ſupra populum licet à populo conſtituatur, affirmat. Qua regia autoritate fretus Imp. Valentinianus, militibus, magnâ vociferatione conclamantibus vt aliquem ſibi conſortem imperii aſciſceret, reſpondiſſe fertur. *Vt me ad imperandum eligeretis, in veſtra ſitum erat poteſtate, ô milites. At verò poſtquam me iam elegiſtis, quod petitis in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tanquam ſubditis conuenit parere, mihi verò quæ facienda ſunt cogitare.* Noli ergo ſimpliciter aſſerere, eum qui cõſtituitur ab aliquo, minorem eſſe eo qui conſtituit: ſed adhibe diſtinctionem, ſitne ſub conſtituente an ſuper eum conſtitutus. Alioqui quid vetat hoc pacto colligere; vir à muliere maritus conſtituitur, mulier enim niſi vellet, non eum ſibi virum aſſumeret: ergo maritus muliere inferior eſt. Et hoc ſi conceptis verbis expreſſiſſes, maiorem credo à mulieribus gratiam iniiſſes, quàm nunc à populo.

Diſtinctio autem quam protulimus, facilè exemplis illuſtratur. Nabuchodonozor conſtituit Sedeciam Regem ſuper Iudam & Ieruſalem [1], Cæſar [2] Taſgetium ſuper Carnutes, Comitum ſuper Trebates. Cauarinum ſuper Senones. Nero Teridatem ſuper Armenios [3]. Non dubium quidẽ quin minor Nebuchodonozore Sedecias Cæſare Taſgetius Comius & Ganarinus, Nerone Teridates, quia ſub ipſis non ſuper ipſos conſtituti erant: at iidem tamen populis dignitate & authoritate longè antecellebant, ſi cum eo quiſque populo conferatur, cui Rex datus erat, & à quo etiam dici poterat aliqua ratione cõſtitutus, quatenus ſcilicet populi in eos conſenſerunt: quia ſuper populos non ſub populis, conſtituebantur.

Iam verò non minor captio eſt in ea collectione, quam paulò pòſt adfers [4]. *Cùm itaque Rex per populum*, inquis, *& propter populum exiſtat, nec abſque populo conſiſtere poſſit: cui mirũ videatur, ſi populum Rege potiorem eſſe concludamus?* Imò cui non mirum? ſed ſi de poteſtate & autoritate adminiſtrandi Imperii concluſionem intelligis: vt eſt à nobis ſuperiore libro fuſiſſimè demonſtratum. Alioqui ſequeretur: cum curator per minorem, & propter minorem exiſtat, nec abſque minore poſſit conſiſtere (non enim cogitur minor accipere curatorem præterquam in litem [5].) vt minorẽ curatore potio-

1 2. paral. 36. Ierem. 37.
2 li. 4. & 5. de bell. Gall.
3 Xiphil. ex Dione in vita Neron.
4 Pag. 81.
5 Inſt. de Curat.

potiorem eſſe in rerum ſuarum adminiſtratione concludamus: quod nemo niſi inſanus, vnquam admiſerit. Vides vt ex paribus præmiſſis planè falſum colligitur: eoque argumenti tui vim nullam eſſe. Sed ad alia pergamus.

Commentum Bruti de Ephrone & Hemore refellitur: de Saule etiam qui Ionatham roganti obnoxius populo, & precibus non imperio contendenti permiſit. Nihil ei denique auxilii eſſe in Ieremiæ hiſtoria ex vnanimi interpretum conſenſu docetur.

CAPVT XI.

AB argumentis ad exempla tranſis, vt iis regiam nobis ſubiectionem depingas: *Primorum ferè Regum quàm lata*, inquis [1], *poteſtas fuerit, ex eo ſatis apparet, quod Ephron Rex Hethæorum iis ſepulchri Abrahamo, inconſulto populo concedere non audet: neque Hemor Heuius* (voluiſti credo dicere, Heuæus) *Rex Sichem, fœdus cum Iacobo ferire: nempè grauiora negocia ad populum referri ſolita.* 1 Pag. 89. & 145.

Mira canis, ſi vera canis. Et vnde tibi cõſtat, quæſo, Ephronem fuiſſe Regem? certè ex hiſtoria ſacra nõ cõſtat, imò contrarium potius cõſtat, Ephronem ſcilicet non fuiſſe Regem, ſed vnum de populo, ſed ciuem, ſed priuatum, atque ideo non potuiſſe locum humandæ Saræ, Abrahamo qui peregrinus erat concedere: niſi priùs Abraham ius ſepulturæ à populo impetraſſet. Ait enim Scriptura [2]. *Cumque ſurrexiſſet Abrahã de officio funeris, locutus eſt ad filios Heth, dicens: aduena ſum & peregrinus apud vos, date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum. Reſponderunt filii Heth, dicentes: audi nos domine: princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum: nulluſque te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum. Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ. filios videlicet Heth: dixitque ad eos, ſi placet animæ veſtræ vt ſepeliam mortuũ meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor: vt det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri ſui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in poſſeſſionem ſepulchri. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Reſponditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens: Nequaquam ita fiet, domine mi, ſed tu magis auſculta quod loquor: agrum trado tibi, & ſpeluncam quæ in eo eſt, præſentibus filiis populi mei, ſepeli mortuum tuum. Adorauit* 2 Gen. 23.

Digitized by Google

rauit Abraham coram populo terræ, & loquutus eſt ad Ephron circumſtante plebe: quæſo vt audias me &c. Reſpondit Ephron: domine mi, audi me &c.

Quod hic verbum reperitur, ex quo intelligi poſſit Ephronem fuiſſe Regem? An quia appellauit populum Hethæum populum ſuum; cum dixit ſe tradere agrum & ſpeluncam quæ in eo eſt Abrahamo, præſentibus filiis populi ſui? ergo Booz Rex Bethlehem, quia de eo ſimiliter ſcri-
1 Ruth.4. ptum eſt, quod dixerit, cognato ſuo [1], *quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis ſedentibus, & maioribus natu de po-*
2 Daniel. 9. *pulo meo.* ergo Daniel Rex Iſrael, quia dixit [2], *cum confiterer peccata mea, & peccata populi mei.* Communis hæc eſt & vſitata loquendi conſuetudo, qua quis populum ſuum, aut
3 l. Lucius. 38. §. ciues ſuos vocat eos qui ſunt populares & conciues [3]. An
ciuibus de leg. 2. quia Abraham ſupplicauit populo, vt pro ſe apud Ephronem intercederet? Certè hoc non arguit Ephronem fuiſſe Regem: priuatus enim ipſius ager petebatur, vt mirum non ſit Abraham exiſtimaſſe interceſſione aliqua opus eſſe, tum quòd aduena ipſe eſſet, tum quod Ephron agri dominus rem ſuam inuitus vendere nō cogeretur. Nihil igitur aliud ex illis verbis colligi poteſt, quàm quod populus, vt aſſolet in democratia, ius ſepulchri Abrahamo conceſſerit, & Ephron rogatu populi, vel potius ſponte ſua, agrũ ſuum priuatum Abrahamo vendiderit. An quia ſcriptum eſt, Ephronem habitaſſe in medio filiorũ Heth? ergo Rex
4 Ierem. 37. 4. erat Ieremias, quia dicitur ambulaſſe in medio populi [4]:
Reg. cap. 4. ergo Regina erat Sunamitis illa, ad quam diuertere ſole-
5 li. 1. antiq. bat eliſæus, ait enim *In medio populi mei habito* [5].
cap. 15.

Sed quid ego moror in manifeſtè falſis refellendis? Nã quòd priuatus & ciuis Hebronenſis tantùm fuerit Ephrõ,
6 li. 1. antiq. cap. teſtatur Ioſephus his verbis [6]. *Ἀβράμου δὲ ὠνησαμένου τὸ*
l. 15. *χωρίον σικλῶν τετρακοσίων, παρ' Ἐφρέμου τινὸς ἐκ τῆς Χέβρωνος.* id eſt, ad verbum, Abrahamo quidem emente agrum quadringentis ſiclis ab Ephremo quodam Hebronenſi, vel, vt interpres Græcæ linguæ peritiſſimus vertit, Abrahamus tamen maluit ſepulturæ locum quadringentis ſiclis emere de Ephremo quodam Hebronenſi ciue: & doctiſſimus Genebrardus in Gallica interpretatione *Mais Abraham ayma mieulx en achepter vn d' vn citoien d' Hebron, nommé Ephren.* Si Rex fuiſſet Ephremus, non niſi ineptè vocaſſet eum Ioſephus quendam Hebronenſem, & perinde ac ſi quis Franciæ, Hiſpaniæ, Scotiæ, Angliæ Reges,

Gallum

Gallum quendam, Hiſpanum quendam, Scotum aut Anglum quendam vocitaret. Cum itaque nec Regem fuiſſe Ephronem, nec de iure ſepulturæ apud eum actum, ſed tantum de priuato agro vendendo appareat: inconſultè, imò ſtultè tu quidem ad regiam poteſtatem & libertatem metiendam, exemplum ab Ephrone adfers: niſi fortè Reges & priuatos eodem iure cenſes.

Quod autem de Hemore Sichæmitarum Rege ſcribis, id cum ſit perſpicuè falſum, refutatione non eget: ipſa enim hiſtoria disertè narrat, Regem ſine vllo populi cōſenſu, imò antequam populi animum tentaſſet, fœdus cum Iacobo, & Dinæ fratribus iciſſe.

Sed accidiſſe iam video, quod ante ſum auguratus [1], te ſcilicet in ipſo limine ius ciuile peruertentem, non meliore fide ſacra quàm profana tractaturum. Idque non ex eo ſolum patet, quod in ſuperiore exemplo de Ephrone ſcripſiſti ſed etiam ex tribus exemplis ſequentibus, quæ fallaciis mendaciiſque conſtruuntur. Nam primum quod de Ionatha Regis Saulis filio proponis, quem populus Regis ſententia damnatum liberauit, id neutiquam autoritati populi ſupra Regem tribuendum eſt, ſed Regis ipſius facilitati, qui, populo inſtanter deprecante, animaduerſionem & ſupplicium iuratò ſtatutum, Ionathæ condonauit. Itaque B. Gregorius [2], explicans illum Scripturæ locum. *Liberauit ergo Ionatham populus ne moreretur* [3]. *Quo in loco notandum eſt*, inquit, *quia Rex bis iuſiurandum interfectionis Ionathæ ſuperius protulit: quem tamen victus populi inſtantia non occidit.* deinde addit. *quid eſt quod iurauit, & iuramenti aſſertionem nequaquam ſeruauit? Sed ex hac re duo nobis documenta proueniunt, vt cauti ſcilicet & diſcreti eſſe debeamus. cauti quidem ne iuremus, diſcreti ſi agere peruerſa iuramus. qui enim iurare cauet, priuare omnino non poteſt. Sed cùm male iuratur, iuſtius iuſiurandum dimittitur, quàm compleantur crimina quæ iurantur. Cauti ergo in noſtris diſpoſitionibus eſſe debemus. ſed ſi cauti eſſe negligimus, prætermittenda ſunt propoſita, nō implēda. Sic quippe à propoſito deſiſtere, non eſt vitiū leuitatis, ſed virtus diſcretionis. tamē iurare quæ reuocāda ſunt & deteſtāda omnino cauendū eſt, & vehemēter horrendū: quia cū tale iuſiurādū nō impletur, nō omnino culpa vitatur, ſed minor eligitur.* Hęc & alia de illo Saulis iureiurando Gregorius, quę fruſtra tamen, & ſine vllo rationis fundamēto deducerentur ex illo ſacræ hiſtoriæ loco, ſi populus non demiſſæ ſupplicationis remedio

[1] cap. 2. ſup. hoc lib.
[2] li. 5. expo. ſu. in 1. Reg. cap. 4.
[3] 1. Reg. 14.

Digitized by Google

remedio, ſed legitimæ poteſtatis ſuæ imperio Ionatham liberaſſet, ſi inquam, Sauli liberum non fuiſſet exequi iuſiurandum, & poſthabitis populi precibus Ionatham neci dedere vti promiſerat: quippe qui ab externa cauſa impeditur, ne promiſſum poſſit efficere, is votū mutaſſe, aut promiſſi negligens fideique deſertor dici non poteſt. Quæ cum ita ſint, perperam tu quidem ex illa hiſtoria colligis appellationem fuiſſe à Rege ad populum, quod nec inde colligi poteſt, nec alibi in Scripturis reperitur.

In altero autem exemplo, quod ex Bibliis adfers, manifeſtius mendacium apparet & ne calumniam tibi ſtruere videar, en tua ad verbum ſcripta tranſcribam [1].

1 Pag. 91.

Ex quo regnum propter Roboami ſuperbiam ſciſſum fuit, Synedrium Hieroſolymitanum ſeptuaginta & vnius virorum, ea autoritate fuiſſe videtur, vt non ſecus ac Rex ſingulos, hi Regem iudicare poſſent. Exemplis res dilucidior fiet. Ieremias miſſus à Deo qui vrbi Hieroſolymitanæ excidium nunciaret, ea propter damnatur primū à ſacerdotibus & prophetis, id eſt à iudicio ſeu ſenatu Eccleſiaſtico: demum ab vniuerſo populo vrbis, hoc eſt ab ordinariis vrbis iudicibus. Chiliarchis nempe & Centurionibus. Tandem à principibus Iehuda, id eſt, lxxi. viris aſſidentibus ad nouā portam templi, cauſa cognita abſoluitur. Ii verò in eo ipſo iudicio diſertè damnāt Regem Iehorabin qui Vriam prophetam paulò antè ſimilia comminantem, crudeliſſimè trucidaſſet.

Primùm nuſquam in ſacris Scripturis apparet eam fuiſſe Synedrii Hieroſolymitani autoritatem, vt Regem iudicaret: quin potius infinitis in locis apparet Regem liberum & ſolutum legibus vixiſſe, ac ne quidem totius populi, nedum Synedrii, iudicio fuiſſe ſubiectum. Deinde non inuenio quenquam inter Reges Iudæ vocatum Iehorabin. Vriā autem prophetam à Rege Ioakim fuiſſe occiſum Scriptura
2 Ierem. 26. nobis euidenter teſtatur [2]. Denique nihil falſius, q̄ Regem illum, à quo Vriæ nex allata eſt, damnatum fuiſſe à principibus ad nouam portam templi congregatis. Nihil enim aliud in eo conſeſſu feciſſe dicuntur principes qui Ieremiā liberarunt, niſi admonuiſſe populum officii & ſalutis ſuæ, atque de cæde Ieremiæ diſſuaſiſſe. Nec omnes etiam Principes qui à regia in portam templi aſcenderāt, ab eius cauſa ſtetiſſe videntur. Nam vt ſcribit Rabbi Salomon, cuius interpretationem comendat & ſequitur Lyranus, Principes illi in contrarias ſentētias diſtrahebantur, Probis viſum fuit dèmittendum Ieremiam & placandum pœnitentia Deum ex-

um exemplo boni Regis Ezechiæ; qui Michæam de Moraſti prophetam, ſimilia his quæ Ieremias, & etiam grauiora comminantem, non occidit: malis verò contraria ſententia placuit, morte ſcilicet multandum Ieremiam, exemplo Vriæ filii Semei de Cariathiarim, quem paulò antè idem Rex Ioakim neci dederat eò quod eadẽ quæ Ieremias prædixiſſet. Principes itaque qui pro Ieremia dicebant, nullã Vriæ & Ioakim Regis mentionem faciebant, neque enim id illis exemplum opitulabatur. Sed qui contrà diſputabant, ii pro ſe ad exemplum trahebant factum illud Regis Ioakim, qui paulò antè Vriam ab Ægypto reductum gladio percuſſerat. Tantùm igitur abeſt vt in hoc Principum conceſſu Rex Ioakim damnatus fuerit, vt eius factum, quamuis per ſe quidem vituperabile, à quibuſdam eorum fuerit laudatum, & ad imitationis rationem pertractum. *Non eſt veriſimile*, inquit Lyranus, *quod Principes Regis actu regnantis, ex eius malitiâ facerent argumentum ad liberationem Ieremiæ.*

Sed vt huius rei fidem Scriptura ipſa faciat ſubiiciam integrè quidquid de ea re ſcriptum eſt, ne lectorem, cui ad manum Biblia non ſunt, ſuſpenſum teneam. Cogor enim ſæpe integra authorum loca, licet prolixa, in medium proferre, quæ tu, Brute, vel non caſtè citas, vel peruerſa & malitioſa interpretatione ad tuum ſenſum detorques. In Bibliis igitur ſic ſcriptum eſt [1]. *Cumque compleſſet Ieremias loquens, omnia quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuerſum populum, apprehenderunt eum ſacerdotes, & prophetæ, & omnis populus, dicens: morte moriatur. Quare prophetauit in nomine Domini, dicens: ſicut Silo erit domus hæc: & vrbs iſta deſolabitur, eò quod non ſit habitator? Et congregatus eſt omnis populus aduerſus Ieremiam in domo Domini. Et audierunt Principes Iuda verba hæc: & aſcenderunt de domo Regis in domum Domini, & ſederunt in introitu portæ domus Domini nouæ. Et locuti ſunt ſacerdotes & prophetæ ad principes, & ad omnem populum dicentes: iudicium mortis eſt viro huic: quia prophetauit aduerſus ciuitatem iſtam, ſicut audiſtis auribus veſtris. Et ait Ieremias ad omnes Principes, & ad vniuerſum populum, dicens: Dominus miſit me vt prophetarem ad domum iſtam, & ad ciuitatem hanc omnia verba quæ audiſtis. Nunc ergo bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, audite vocem Domini Dei veſtri: & pœnitebit Dominum mali, quod locutus eſt aduerſum vos. Ego autem ecce in manibus veſtris ſum: facite mihi quod bonum & rectum eſt in o-*

Ierem. 26.

Accuſatio Ieremiæ.

Defenſio.

culis veſtris: veruntamen ſcitote & cognoſcite quòd ſi occideritis me ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos, & contra ciuitatem iſtam, & habitatores eius: in veritate enim miſit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus veſtris omnia verba hæc. Et dixerunt Principes & omnis populus ad ſacerdotes & ad prophetas: non eſt viro huic iudicium mortis quia in nomine Domini Dei noſtri locutus eſt ad nos. Surrexerunt ergo viri de ſenioribus terræ: & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes. Michæas de Moraſthi fuit propheta in diebus Ezechiæ Regis Iuda, & ait ad omnem populum Iuda, dicens. Hæc dicit Dominus exercituum: Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem in aceruum lapidum erit: & mons domus in excelſa ſyluarum. Nunquid morte condemnauit eum Ezechias Rex Iuda, & omnis Iuda? Nunquid non timuerunt Dominum, & deprecati ſunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduerſum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas noſtras. Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Vrias filius Semei de Cariathiarim: & prophetauit aduerſus ciuitatem iſtam, & aduerſus terram hanc, iuxta omnia verba Ieremiæ. Et audiuit Rex Ioakim, & omnes potentes, & principes eius verba hæc: & quæſiuit Rex interficere eum. Et audiuit Vrias, & timuit, fugitque in Ægyptum. Et miſit Rex Ioakim viros in Ægyptum Elnathan filium Achobor, & viros cum eo in Ægyptum. Et eduxerunt Vriam de Ægypto: & adduxerunt eum ad Regem Ioakim, & percuſſit eum gladio: & proiecit cadauer eius in ſepulchris vulgi ignobilis. Igitur manus Ahicam filii Saphan fuit cum Ieremia, vt non traderetur in manus populi & interficerent eum.

Populus iudicium in melius commutat. Qui ſtant à Ieremia argumentum ab exemplo ducũt.

Aduerſarii Ieremiæ ſuam ex exemplo contrario ſententiam muniunt.

Obtinuit bonorum ſententia quorũ princeps erat Ahicam.

En hiſtoria tota, in qua ne verbum quidẽ de Rege Ioakim reo conſtituto, vel cõdemnato: de Iehorabin verò nec ibi nec alibi, quod ſciam, mentio in Scripturis eſt: vt mirum ſit, te tam aperto mendacio conari probare Regem in populi, & eorum qui populum repræſentant, eſſe poteſtate. Nam quamuis ſuperiorem interpretationem Rabbi Salomonis, & Lyrani, non admittas: ſed omnes vno ore principes cauſam Ieremiæ ſuſcepiſſe, & Ezechiæ atque Ioakim Regum facta contraria populo propoſuiſſe contendas: vt illius commendatione facti, huius verò reprehenſione, populus officii ſui in præſente negotio admoneretur: tamen nullum inde argumentum afferri poteſt, quo principes illos Rege ſuperiores fuiſſe, nedum Regem illo iudicio condemnaſſe, exiſtimemus. Id tantùm inde colligeretur, non placuiſſe Principibus factum illud Regis Ioakim, quo V-

riam

riam ex Ægypto reuocatum interemit, eóque illud improbaſſe. At hoc non eſt Regem iudicare, vel Regi imperare: Non eſt, inquam, Regem, vt publici iudicii reum, vel condemnare vel abſoluere, quod tu tibi probandum ſumpſeras. Eo etenim pacto ſeruus dominum, filius patrem, priuatus quiſque Principem, iudicare & condemnare poſſe probabitur. Nam & herile factum ſeruo plerumque diſplicet: & filio prudenti res à patre imprudenter geſta non rarò improbatur: & ſubditus ſæpe Principis ſui malos mores & malefacta vituperat. At iſtis tamen in Dominos, parẽtes, vel principes, nemo iudicium tribuet, niſi qui omnis iudicii & ſenſus communis expers eſt.

Ex eadem Ieremiæ hiſtoria doceri; Regi in Synedrium poteſtatem fuiſſe Sedeciam non coactum, vt putat Brutus, ſed cæco aulicorum affectu ductum, eundem Prophetam inimicis ad mortem tradidiſſe.

CAPVT XII.

SEd magnam habeo tibi gratiam, Brute, quod nos ad Ieremiæ hiſtoriam deduxiſti, vnde non tale quidem regiæ ſubiectionis exemplum quale tu obſcura & falſa interpretatione comminiſceris, ſed perſpicuum planè atque euidens regalis imperii in omnes regni Principes teſtimonium deprehenditur. Vt igitur errorem agnoſcas tuum, aut ne alios in errorem pertrahas, en alium ex illa hiſtoria locum [1], qui nihil iuris neque Synedrio iſti, quod extollis, neque principibus aut populo vniuerſo in Regem fuiſſe docet. Cùm enim Ieremias ab eodem Ioakim in carcerem contruſus non potuiſſet ipſe ea quæ prophetici ſpiritus dono acceperat ad aures multitudinis perferre, Baruch ſcribæ negocium dedit, vt illa omnia ſe dictante exciperet, populóq; promulgaret. *Ego clauſus ſum,* inquit, *nec valeo ingredi domum Domini, ingredere ergo tu, & lege de volumine, in quo ſcripſiſti ex ore meo verba Domini: audiẽte populo in domo Domini in die ieiunii: inſuper & audiente vniuerſo Iuda qui veniunt de ciuitatibus ſuis, leges eis.* Baruch verò perſcriptos ex ore Ieremiæ ſermones Domini, mox vbi commodum fuit perlegit in domo Domini audiẽte multitudine tota, quæ indicti ieiunii cauſa in Ieruſalẽ cõfluxerat, *Cùmq; audiſſet Michæas filius Gamariæ filii Saphan omnes ſermones Domini ex libro, deſcẽdit in* Ierem. 36.

 do-

domum Regis ad Gazophylacium ſcribæ & ecce ibi omnes Principes ſedebant: Eliſama ſcriba, & Dalaias filius Semeia, & Elnathan filius Achobor, & Gamarias filius Saphan, & Sedecias filius Hanania, & vniuerſi Principes. Et nunciauit eis Michaas omnia verba, quæ audiuit legente Baruch ex volumine in auribus populi. Miſerunt itaque omnes Principes ad Baruch, Iudi filium Nathaniæ filii Selemiæ, filii Chuſi, dicentes: volumen, ex quo legiſti audiente populo, ſume in manu tua, & veni. Tulit ergo Baruch filius Neriæ volumen in manu ſua, & venit ad eos. Et dixerunt ad eum: Sede, & lege hæc in auribus noſtris. Et legit Baruch in auribus eorum. Igitur cùm audiſſent omnia verba obſtupuerunt vnuſquiſq; ad proximum ſuum, & dixerunt ad Baruch: Nunciare debemus Regi omnes ſermones iſtos? Et dixerunt Principes ad Baruch: vade, & abſcondere tu & Ieremias, & nemo ſciat vbi ſitis. Et ingreſſi ſunt ad Regem in atrium. Porro volumen commendauerunt in Gazophylacio Eliſamæ ſcribæ: & nunciauerunt audiente Rege omnes ſermones. Miſit Rex Iudi vt ſumeret volumen, qui tollens de Gazophylacio Eliſamæ ſcribæ, legit audiente Rege, & vniuerſis principibus qui ſtabant circa Regem. Rex autem ſedebat in domo hiemali menſe nono: & poſita erat arula coram eo plena prunis. Cúmque legiſſet Iudi tres pagellas vel quatuor, ſcidit illud ſcalpello ſcribæ, & proiecit in ignem, qui erat ſuper arulam donec conſumeretur omne volumen igni qui erat in arula. Et non timuerunt neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex & omnes ſerui eius, qui audierunt vniuerſos ſermones iſtos. Veruntamen Elnathan, & Danaias, & Gamarias contradixerunt Regi ne combureret librũ: & non audiuit eos. Et præcepit rex Ieremiel filio Amelech, & Saraiæ filio Ezriel, & Selemiæ filio Abdeel vt comprehenderent Baruch ſcribam & Ieremiam Prophetam: abſcondit autem eos Dominus, &c. Vbi illud nunc, Brute, Synedrii tui in Reges imperium? Vbi illa Regem iudicandi authoritas atque poteſtas? An non hîc cernis eoſdem illos principes omnes, quibus ſynedrium conſtabat, in Gazophylacium conuenientes, quamuis lectione libri Ieremiæ obſtupeſcerent, nõ auſos tamen fuiſſe vel palam emittere Ieremiam è carcere, vel Baruch ſcribam apud ſe retinere, vel vllum iis denique ſalutis præſidium, inuito Rege ferre: excepto conſilio, quod pauperes æquè ac potentes impertiri ſolent, *Vade*, inquiũt, *& abſcondere tu & Ieremias, & nemo ſciat vbi ſitis.* Indigna certè ſynedrio vox, ſi vt tu ais, *Principes illi non ſecus Regem, ac Rex ſingulos, iudicare potuiſſent.* Quid enim? latitare viros ſanctos voluerunt, quos pro imperio è latebris in lucẽ produce-

ducere,& Rege condemnato, ab omni periculo carceris & calumniæ liberare potuerunt? eſtne veriſimile? Nunquid putes eos ſeſuamque authoritatem irrideri & contemni à Rege in libro prophetiæ comburẽdo fuiſſe paſſuros? Nam quod ſcriptum eſt. *Elnathan, & Dalaias, & Gamarias*, Principes, *contradixerunt Regi ne combureret librum*, id non de cõtradictione contentioſa, ſed de ea quæ verbis precariis fit, intelligendum eſt, inquit Lyranus, *Vnde in Hebræo habetur deprecati ſunt Regem.* Cùm itaq; iidem Principes hic eſſent, qui ad nouam portam templi paulò antè de Ieremiæ cauſa à ſacerdotib. & populo ad necem rapti cognouiſſent: idéq; Rex Ioakim, cuius in illo conceſſu atrox in Vriam Prophetam crudelitas memoratur: idẽ denique negociũ, Ieremiæ nimirum ſalus & conſeruatio, verteretur: an nõ, ſi aliquã Regis coercendi poteſtatem habuiſſent, officio tunc maximè functuros ſuo fuiſſe autumas, cùm Rex ille impius, præſentibus & conuenientibus ipſis, volumen ſacrum conſcidit, atque cõbuſſit: & ſanctos Dei Prophetas, de quorum ſalute erant ſoliciti, ad ſupplicium furens popoſcit? Supereſt poſtremum tuum exemplum de Sedecia, quem ſcribis [1] huius ſynedrii authoritatem adeò reueritum eſſe, vt Ieremiam à 71. viris in tetrum carcerem detruſum, non modo nõ liberare, verumetiã vix in mitiorem carcerem transferre auderet: iiſdẽmq; ſuadentibus vt in Ieremiæ mortem conſentiret, reſpondiſſe, Ieremiã in ipſorum manibus eſſe, ſeq; ipſis contradicere in nulla re poſſe: & addis. *Quin & veritus idẽ, ne in ſermones, quos cum Propheta habuerat, inquirerent, quaſi rationem eorũ, quæ dixiſſet, redditurus mendaciũ comminiſcitur.*

[1] pag. 92.

Ordiar ab vltimo, & hyſteron proteron, fallacias has refellam. Si Rex Sedecias mendacium comminiſcitur, Ieremias vtique mendacium dicendum ſciens prudens ſuſcepit, vt Regis mandatum diuino prorſus contrariũ exequatur. Scriptum eſt enim *venerunt ergo omnes Principes ad Ieremiam, & interrogauerunt eum: & locutus eſt eis iuxta omnia verba, quæ præceperat ei Rex, & ceſſauerunt ab eo.* Næ tu impurus homo es, qui tantum Prophetam, vocatum & ſanctificatũ in vtero matris, vt Regi mox perituro placeat, Diabolica voce loquutum eſſe contendis [2]. Erras, Brute, erras vehementer, qui id putas: neque enim Rex vllum illic mendacium confinxit, neque Propheta confictum ſuſcepit Principibus recitandum quippe verum erat Ieremiam in eo colloquio ſupplicaſſe Sedeciæ, ne ſe iterum in tetrum illum &

[2] Ioan. 8.

cœnoſum carcerem, vbi citò moriturus eſſet, detrudi pateretur: vt ex præcedente Regis reſponſo facilè colligitur: ait enim Scriptura, *Iurauit ergo Rex Sedecias Ieremiæ clam, dicens. Viuit Dominus, qui fecit nobis animam hanc. ſi occidero te, & ſi tradidero te in manus virorum iſtorum, qui quærunt animam tuam.* Igitur Rex, cùm nollet omnes ſermones, quos ipſe & Propheta inter ſe contulerant, principibus renunciari, rogat vt partem reticeat: hoc autẽ ſi mentiri eſt, vide ſis quæſo, ne ipſam veritatem Christum Dominum mendacii inſimules [1] quod nefas eſt tartareis ſuppliciis expiandum.

[1] Matth. 17. Luc. 2.

Quod ad cætera attinet, Sedecias non quia ſe ſynedrio inferiorem putabat, aut eius authoritatem reuerebatur, vt tu ſomnias, Ieremiam principibus puniendum tradidit: ſed quia (vt malis Regibus mos eſt) viris populi & aulæ primariis gratificari cupiebat, vnius iniuriæ conſenſit vt multorum votis obſequeretur. Idque tum ex principum petitione patet. *Dixerunt principes Regi: Rogamus vt occidatur homo iſte:* tum ex eo, quod, vbi libitum Regi fuit, vnius ſerui monitu Prophetam miſerati, deduci illũ ex tetro illo carcere, inconſultis proceribus, & ad ſe adduci propria authoritate præcepit; tum denique ex iureiurando à Rege præſtito Ieremiæ, quo promiſit ſe non traditurum eum principibus illis inimicis qui mortem ei machinabantur, vt ſuprà retulimus. Vnde perſpicuum eſt Sedeciam non liberæ & abſolutæ poteſtatis defectu, ſed cæco nimis in ſuos aulicos affectu impulſum, vt votis principum iniuſta petentium indulgeret. Nam quòd reſpondit principibus ad necem poſcẽtibus Ieremiam. *Ecce ipſe in manibus veſtris eſt: nec enim fas eſt Regem vobis quidquam negare,* id blandientis ſermo eſt, nõ Regibus modò, ſed priuatis etiam familiaris, quo amicos & gratioſos apud ſe homines demerẽtur, ex cuius prolatione nulla naſcitur obligatio: iactationis enim verba ius non faciunt [2]. Hinc illud eſt quod gloſſa [3], vt vocant, ordinaria in eum locum ait. *Sedeciam ſine puro affectu Ieremiæ impendiſſe miſericordiam, ſi enim verè eum dilexiſſet, non eũ principibus tradidiſſet.* Peccauit itaque Sedecias in dedendo Ieremia, quod minimè feciſſet, ſi eum conſeruandi & retinendi, atque adeo principibus illis reluctandi poteſtatem non habuiſſet. Falſum igitur quod concludis, nempe in eo regno, regni officiarios fuiſſe Rege ſuperiores.

[2] l. vltim. D. qui teſt. fac. poſſ.
[3] in c. 38. Ierem.

Hæc cum ita ſint, non eſt, Brute, quod brutinam tuã de Regibus opprimendis ſententiam, exemplis è ſacra Scri-

ptura

ptura petitis iuuari exiſtimes, cum nullũ illic ſit quod pro te faciat; multa verò, quæ tibi maximè aduerſentur.

Nihil Bruto præſidii eſſe in his quæ ex Perſarum monimentis affert. Inepta eius ὁμοτίμων interpretatio. Roma tam à Regibus quàm ab Imperatoribus liberrimè fuiſſe regnatũ. Nihil Venetorum aut Polonorum formas Reipub. iuri Regum derogare.

CAPVT XIII.

MVlto quidem minus illa tibi patrocinantur, quæ ex aliarum nationum rebus geſtis, legibus, & inſtitutis, ſubdolè & verſutè mixtis mendaciis conſarcinas. Ex quibus ea tantum recitabo quæ fraudes & fallacias tectiores continent: cuiuſmodi illud eſt, quo niteris perſuadere Regum apud Perſas eam fuiſſe conditionem, vt populo, &, qui populum repræſentabant, Magis & Magnatibus ſubiicerentur [1]. 1 pag. 94.

Tales erant (id eſt regni officiarii Rege ſuperiores) inquis, *in Perſico imperio ſeptem Magi, ſeu Sapientes, item ὁμότιμοι quaſi honoris regii conſortes, & qui Regum aures & oculi nuncupabantur, quorum iudicio Reges acquieuiſſe legimus.*

Ac ne id à tuo cerebro profectum confectumque arbitremur, locum in margine adſcribis, vnde illud te ſumpſiſſe indicas, Eſther 1. ſcilicet. vbi tamen nihil ſimile, vel ex quo tale quid colligi poſſit, reperitur: quin prorſus contrarium hiſtoria illa ſacra continet, cæteraque omnes quæ de rebus Perſicis circunferuntur. Ex quibus facile eſt coniectare te vel non omnino, vel admodum oſcitanter Perſica monimenta oculis colluſtraſſe: aut, quod extremæ ſtultitiæ eſt, arbitratum fuiſſe neminem, niſi rudem & inexercitatum in Hiſtoria, tuas iſtas virulentas vindicias eſſe lecturũ. Quid enim? an non vnicum illud Perſarum Regis reſponſum ſatis indicat ſumma eos & libera ac ſoluta regnandi poteſtate frui ſolitos, qui expeditionem in Græcos moliens, omnibus imperii ſui Satrapis & Principibus conuocatis, *ne viderer*, inquit, *meo tantummodo vſus conſilio, vos cõtraxi: Cæterùm mementote, parendum magis vobis eſſe, quam ſuadẽdum* [2]. A quo bello Græcis inferendo cùm eum Artabanus omnium Perſarum Principum primus, idemque Regis patruus, benigna & ſupplici oratione dehortari conaretur, parũ abfuit quin acerbas irato Regi pœnas illicò dediſſet [3]. 2 Val. Max. li. 9. cap. 5. 3 Herodot. li. 7.

Darii, Cyri, Cambyſis, & aliorum Regum ſimiliter res geſtæ parem poteſtatem redolent[1]. Ac ne longiùs abeas, illam ipſam Eſtheris hiſtoriam euoluito, plenam eam ſummi & ſolutiſſimi imperii regii exemplis inuenies. Rex enim Aſſuerus, ſiue Xerxes ille fuerit ſiue Artaxerxes, Aman, quãuis alienigenam & Macedonem, ad id honoris euexit, vt cunctis Perſarum & Medorum Principibus anteferretur, & poſt Regem adorari ab omnibus, & Regis pater vocari ſolitus ſit: eundemque mox, vt Reginæ gratificaretur, de tanto dignitatis faſtigio in ignominioſam crucem deiecit: & Mardochæum, cui Aman patibulum paulò antè parauerat, totius honoris & dignitatis eius ſucceſſorem cõſtituit, quorum omnium nihil facilè effeciſſet, ſi non arbitratu ſuo, ſed de procerũ ſententia, imperii ſui habenas rexiſſet[2].

1 Exempla ſunt in libris Eſdræ, Danielis, Eſther, Herodot. Procop. & aliorum & quædã à nobis propoſita ſunt ſupra li. 2.

2 Nõ enim paſſi fuiſſent principes alienigenam ſibi præferri.

Quod autem adiicis ὁμοτίμους vocatos quaſi honoris regii conſortes, id vnde hauſeris per Deum nobis edicito. Nam nec Xenophon, nec alius ex veteribus vllus, quod ſciam, id verbum ita interpretatus eſt. Et verò peruerſa hæc eſt, & calumnioſa interpretatio, ὁμότιμοι enim dicti fuerunt, quòd qui tales erant eodem honore cenſerentur, quaſi honore pares & æquales inter ſe, Rege licet inferiores: qua ratione Plutarchus Senatores Romæ, ὁμοτίμων nomine ſignificat.

Et quia Senatorum Romanorum mentionem fecimus, operæprecium eſt, argumentum quod ab eorum & aliorũ magiſtratuum Romanorum poteſtate adfers recitare. Ais itaque,

Pag. 93.

In Romano imperio hunc locum (ſcilicet Regem iudicandi & in ordinem cogendi) *obtinebant Senatores, & Magiſtratus per populum creari ſoliti, Tribunus Celerum, Præfectus vrbi, & cæteri, adeo vt à Rege ad populũ prouocatio eſſet: quod Seneca è libris Ciceronis de Republica citat, & hiſtoria Horatii tergemini ob cadẽ ſororis, à regiis iudicibus damnati, & à populo abſoluti, ſatis indicat.* Imperitiam hic tibi obiiciam, Brute, an impudentiã, equidem non ſatis ſcio: id certè ſcio, non poſſe te vtriuſque notam effugere. Nam niſi omnibus Hiſtoricis, qui res Romanas literis mandarunt, fidem abroges, cõſtabit manifeſtò, imperantibus Romæ Regibus, nullum à populo neque Senatum, neque Magiſtratum deligi vel creari ſolitum, ſed omnes à Rege, pro ſua in populum poteſtate, fuiſſe creatos. Liuium[3], Dionyſium[4], Plutarchum[5], & alios antiquitatis ſcriptores teſtes adhibeo. Quod autẽ ſcribis, à Rege ad po-

3 lib. 1.
4 li. 2. 3. & 4.
5 in vita Romuli.

populum fuiſſe prouocationem, falſum ſimiliter eſt, & ab antiquitatis ignoratione profectum, ac neque ex loco illo Senecæ in epiſtolis [1], neque ex hiſtoria Horatii ſororicidæ, aut aliis eius ſeculi monimentis rectè colligitur. Sed huius erroris tui refutatione hic ſuperſedebo, quod eum plurib. & certiſſimis argumentis, in mea Boucherianorum librorum anacriſi coargui [2]. Longum eſſet errores ſingulos perſequi, quos de Romana Republica comminiſceris, inter quos ille eſt non ferendus [3]. Præfectum prætorio magiſtratum populi Romani fuiſſe appellatũ: magiſtratus quidem Romanus, & ſecundum Principem maximus fuit, ſed non populi Romani: nulla enim tunc populi poteſtas erat, redactâ in vnius ditionẽ Republicâ [4] idque vel ex vno Imperatoris Adriani dicto intelligi poteſt, qui populo aliquid enixè roganti non modò non conceſſit, quod peteret, ſed illud inſuper imperari iuſſit, *Silete*, & iiſdem alio tempore magno clamore contendentibus, vt aurigæ cuidam libertatem daret, reſpondit ſe non facturum, hoc addito nõ decere populum Rom. ab ſe petere, vt aut ipſe alienũ ſeruum donaret libertate, aut vt dominum ad id faciendum compelleret [5].

Ab Romanis ad Germanos, deinde ad Polonos tranſis, vt eorum etiam exemplis popularem in Reges poteſtatem à te deſcriptam confirmes. Quod ad Germanicum Imperium attinet, auſim liquidò affirmare illud initiò ita cõparatum, vt ſolius Imperatoris nutu gubernaretur, ad inſtar Imperii Romani ſub Cæſaribus, quod aſſumptum à Germanis, & continuatum potius quàm mutatum fuiſſe videtur. Non eſt enim credibile Imperium illud Romanum deteriore iure in Carolum Magnum fuiſſe translatum, quàm antea ab Romanis Græciſque Imperatoribus tenebatur. Quod ſi aliquid ei progreſſu temporum fuit detractum, id Cæſaribus quidem Germanis, & Imperii Romani dignitati, non autem communi cæterorum Regum libertati præiudicare oportet. Sed non arbitror illuſtres Principes populumque Germaniæ, qui Imperium illud Romanũ in ſua gente iam ſtabilitum haud vanè gloriantur, inficias ituros Imperium illud Monarchia contineri, & Maieſtatem Imperialem penes Cæſarem eſſe: quod neutiquam tamen verum eſſet, ſi Imperatore populus eſſet ſuperior.

De Polonis autem friuolum eſt ꝙ proponis: ais enim [6]. *Apud Polonos verò, qui diſputet, vter potior ſit, Rex, an vniuer-*

[1] lib. 19. epiſt. 1.

[2] ad li. 1. ca. 21. de abdicat. Henr.

[3] pag. 93.

[4] l. vnic. D. de off. præf. præt.

[5] Xiphilin. in vita Adriani.

[6] pag. 95.

ſus regni populus per optimates repræſentatus,perinde faciet,ac qui Venetiis diſputet,vtrum Dux Republica ſuperior ſit.

Egregia ratio,ſcilicet. Si Rex apud Polonos eum ordinem tenet, quem Dux apud Venetos, & hic quidem nõ niſi nomen Ducis tantùm obtineat, ſine vlla imperandi facultate,quod verum eſt,imperiúmque totum (vt in Ariſtocratia ſolet) in ſenatu reſideat: nónne ei conſequens eſt, Polonicos Reges non niſi nomine tantum Reges eſſe, imperio re vera penes optimates conſiſtente? Hoc autem quid ad Monarchiam? quid, inquam, ad eos qui non inani Regum titulo,vt Rex Polonicus, ſed vi ac poteſtate regia in florẽtiſſimis regnis præfulgent? hoc illud fortaſſis eſt quod ſoli mortalium Poloni ex regionibus longinquis Reges ſibi aſciſcũt, quaſi nulli apud eos imperio digni naſcerentur: vel quod verius eſt,quòd nemo,niſi peregrinus & ignarus rerũ Polonicarum, velit ſub regii nominis velamento ſplendidam ſeruire ſeruitutem. Poloni itaque, ſi rem propius intueare,nec regnum habent,nec Regem,ſed Oligarchicum regiminis genus fucata regni ſpecie & inani Regis titulo adumbratum. Nulli ego nationi iniurius eſſe volo; quod fortè viderer,ſi quæ Polonorum vicinus Ditmarus Epiſcopus Merſepurgenſis ex illuſtri Saxonicorum Principum familia ortus,& non minus virtute quàm genere clarus ante quingentos annos,de Polonis ſcripſit,in hunc locũ transferrem. Nam populum illum & *more bouis eſſe paſcendum,& tardi ritu aſini caſtigandum,& ſine pœna graui non poſſe cum ſalute Principis tractari*, ait.

Lib 8. Chronic. in princ.

Regni Francici laudes. Illud verè Monarchiam præ ſe ferre. Nihil Curiæ ſiue Parlamenti authoritatem Regis imperio detrahere. Eiuſdem Parlamenti origo, author, cauſa, laudes: cui Brutus cùm patrocinari ſe putat, plurimum incommodat.

CAP. XIV.

VEnis tandem ad Francicum Imperium, regnorum omnium quæ terris continẽtur, meo iudicio, pulcherrimum: exque eo ad tuæ ſententiæ firmamentum argumenta trahere conaris. Aſt ego niſi inanem illum & irritum conatum eſſe oſtendero, non ſatis officio meo feciſſe videar erga ſuauiſſimam illam, & velut Germanam Scotis omnibus patriam. Franciam igitur omnis humani-

Francia velut germana patria Scotis.

tatis & honeſtatis matrem, literarum & literatorum hominum alumnam, ſpeculum religionis, ſummam Iuſtitiæ cultricem, armatorum decus & delicias togatorum, tune vnus eximes de Monarchia? Non patiar, Brute, non patiar hanc ei regno iniuriam inferri: imò nō patientur ii qui nuper legem Salicam non ære aut marmore inciſam, neq. exaratam in pictis calamo monimentis: ſed in ipſis Francorū cordibus Naturæ digito ſculptam eſſe reſponderunt [1].

Francorum laus.

[1] in publico ordinum conuentu Pariſiis, anno Domini 1593.

In quibus autem Francici Imperii Maieſtatem lædis, hæc ſunt. Primùm Regi nullam neque iubendæ, neque abrogandæ legis poteſtatem eſſe: Senatum, ſiue Curiam Pariſienſem, Rege potiorem eſſe, eique præferri. Magiſtrum equitum, qui vulgò Coneſtablus dicitur, Cancellarium, Mari Præfectum ſiue Amirallum, Mareſchallos, Secretarios, Quæſtores, & cæteros non pendere à Rege, nec eius officiarios eſſe [2]: ſed regni tantummodo: ac neque creari à Rege neque exautorari poſſe. Pares Franciæ dici tanquā Regis conſortes, & eſſe Rege ſuperiores. quæ omnia quàm ſint vana, falſa & abſurda, ac non niſi perfugâ & perdito homine digna mox patefaciam.

[2] Pag. 88. in fin. & 96.

Ad primum igitur redeo, de quo ſic ſcribis [3] *In Francico regno vbi tamen ampliſſima vulgò cenſetur Regum authoritas, ferebantur olim leges in triū ordinū cōuentu, regioue conſilio ambulatorio. Ex quo verò Parlamentum ſtatarium eſt. fruſtra ſunt omnia Regum edicta, ni Senatus ille comprobet, cùm tamen Senatus ſeu Parlamenti Areſta, ſi lex deſit, legis vim paſſim obtineāt.*

[3] Pag. 124.

Hæc qui legit incautiùs, vix poterit non ſtatim ſumma voluntatis inclinatione in huius tam illuſtris, vt videtur, teſtimonii fidem propendere: cùm non ſit veriſimile quēquam, niſi extremæ ſtultitiæ hominē, tanti momenti controuerſiam, argumentis planè friuolis, & perſpicuè falſis, veſtire velle aut ornare. At è contrario, qui in muneris publici adminiſtrationis partem aliquā vocatus eſt, vel ciuilis ſcientiæ ſtudio operam curamque nauauit, & vel leuem regni Gallici notitiā habet, cùm hæc eadem intuetur, non poteſt non execrari improbitatem ſcriptoris tam inſigniter mentientis. Sed heus Brute, dic ſodes, quēnam huius tuæ tam immitis ſententiæ autorem laudas? quibus ex annalibus aut monumentis eam eruiſti? quos ab vltima antiquitate, exceptis tui ſimilibus, in hunc vſq; diē habueris aſtipulatores? quæ enim dicis ſi vera ſunt viciſti: meq; nec reluctantem nec inuitum pertrahes in tuam opinionē: ſin

falſa.

falſa, ne nobis ſuccenſeto, qui veritatem vanitati, certa ſuſpectis futilib. fide digna anteponimus. Etenim profectò vt aliquam hic fingas fallaciam,

rurſus ad ingenium vetus verſutum te recipis tuum.

& rem non vſquequaque vulgo notam, ſed in vmbraculis hiſtoriarum deliteſcẽtem ita præcisè & corruptè profers, vt facilè appareat te decipere quàm docere lectores maluiſſe. Ais namque fruſtra eſſe omnia Regum edicta, ni Senatus ea comprobet: id eſt Regi neceſſariò opus eſſe Senatus conſenſu, vt lex ab eo lata valeat: cùm tamen Senatus, ſeu Parlamenti Areſta, ſi lex deſit, legis vim paſſim obtineant: hoc eſt, etſi regiæ Maieſtatis autoritas non accedat, pro legibus obſeruentur: id enim aduerſatiua illa, *cùm tamen*, ſatis indicat, iunctis iis quæ ſententiã illam præcedunt & ſequuntur in tuis illis vindiciis. Aut enim hoc dicis, aut nihil dicis quod propoſito tuo faueat & opituletur.

At ego tibi repono, Curiam ſiue Parlamentum ſine Rege nihil: Regem verò ſine Parlamento, quæcumque è Repub. eſſe viderit, edictis, decretis, legibus, ſancire poſſe: ita vt Curiæ perpetuo neceſſaria ſit Regis autoritas, Regi verò Curiæ conſenſus nunquam. Hæc mea ſententia tuæ, ni fallor, ex diametro opponitur, quam ſi luce dignam probauero, tua ad noctuas commigrabit. Neminem iudicem recuſo, qui non ſingulari in Reges odio exæſtuet. Age ergo huius Curiæ perennis & ſtatariæ originem, & qua de cauſa, quibus temporibus, quo autore inſtituta fuerit videamus.

Ac in primis quidem meminiſſe oportet, quod antè à nobis dictum eſt: primos illos Reges qui virtutis opinione, meritoque ſuo ſceptris potiebantur, & ſi omnia pro arbitrio diſponendi libertatem nacti fuiſſent, ſibi tamen peritos rei gerendæ conſiliarios & adminiſtros ſtatim aſciuiſſe: eoſque potiſſimum tam ex Optimatibus, quàm ex reliquo populo delegiſſe, qui & in conſulendo prudentia, & in agendo opibus Rempublicam iuuare poſſe putabantur: ac vbi res arduæ flagitabant, pluribus ex omni multitudine conuocatis, quæ ad communem vtilitatem pertinerẽt, communi conſilio expediiſſe. Qui mos deinde in poſteros iugi obſeruatione deriuatus, ad hunc vſque diem retentus eſt. Inde tu aliique perduelles regiam potentiam exoſi, iſta priſcæ conſuetudinis exempla, nouo calumniandi artificio, apud imperitum antiquitatis vulgum identidem & ia-

ctanter

ctanter extollitis: ad opprimendos ſcilicet Reges, & libidini ſubdendos populari: quaſi verò huius conſilii acceſſus effecerit, vt Reges iure ſuo decederent, vel eos haberent perdendi regni autores, quos eiuſdem tuendi amplificandique ſtudio, in partem ſolicitudinis ſponte accierāt: perderetur enim ab iſtis regnum, ſi ipſorum acceſſus regiam libertatem tolleret impediretue: cum nec regnum ſine Rege, nec Regem ſine ſummo ſolutoque imperandi iure dici verè ac propriè poſſe ſatis ſuperque ſit demonſtratum.

Iam verò hanc conſilii capiendi rationem Franciæ Regibus præter ceteros omnes fuiſſe ſolemnem, nemo eſt in eius gentis hiſtoria vel mediocriter verſatus qui ignoret. In eo enim conſilio Reges, non modò res publicas, & pacis belliique cauſas ac leges tractare conſueuerunt ſed ſingulas etiam priuatorum querelas audire, controuerſias componere, pœnas & præmia, cæteraque in quibus nunc Curiæ occupantur, decernere: ita vt quotannis ſupremum hoc tribunal, ſummumque iudicium ciuibus & incolis omnibus ſæpius pateſceret vocabaturque *Parlamentum*: vt vel ex vno Specularoris loco patet. (tit. de feriis. §. 1.) *nulla lex poteſt curiam Principis coartare*, inquit, *quum poſſit quolibet tempore ius reddere, etiam diebus feriatis. Nam ipſe eſt lex animata in terris. Et per hoc poteſt excuſari conſuetudo Curiæ Regis Franciæ quæ tempore Parlamentorum omni die ius reddit, vt venientes de longinquis partibus citius expediātur.* Verùm cùm eſſet hoc conſilium ſiue parlamentum indictiuum, nullaq; nec loci nec temporis definitione ſtatum coeuntibus nēpe ad nutum Regis proceribus eò loci, qui ei commodior pro tempore videretur: tandem poſt multas ætates, inſtituta eſt à Philippo Pulchro Curia ſeu Parlamentum hoc ſtatarium, de quo tu hic tātopere gloriaris: & verè quidem gloriari poſſes, ſi ſuas ei tantùm laudes tribueres, quæ tot & tantæ ſunt, vt numerandis iis nominandiſque imparem me eſſe profitear: neque enim ſi quis omnes terræ plagas luſtrauerit,

> —*à Gadibus vſque*
> *Auroram & Gangem*,

Honorificentiorem conceſſum inueniet, aut qui maiore cum gloria dignitatem ſuam, innumeris virtutum documentis, tutatus ſit: vt non immeritò totius orbis ocellus iuſtitiæ & æquitatis lucem ſemper aſpiciens dici poſſit. Eius autem inſtituendi cauſam & rationem, quotquot ea

de re

dere ſcripſerunt, omnes vnam prodidere: nempe quòd Rege in ampliſſimi regni aliis ſubinde atque aliis partibus occupato, Conſilium eiuſmodi indictiuum & ambulatorium, ſine magnis coeuntium laboribus ſumptibuſque, peragi nequiret. Itaque ne vel indicto conuentu conſiliarii ex lōgo itinere moleſtiam traherent, vel eo penitus ceſſante viri boni iure ſuo fraudarentur, Pariſiis, vbi regia eſt Franciæ [1], ſtatarium ac perpetuum Parlamentum eſſe voluit. Poſitum ergo hoc eſt, & omnium conſenſione firmatum, Parlamenti huius autorem fuiſſe Regem Philippum pulchrum, anno, vt traditur, Saluatoris 1302: cuius filius Rex Ludouicus, cui agnomen Huttinus, illas ei quas nunc in Palatio habet ſedes aſſignauit.

1 autor hiſtoriæ adiectæ Aimoino, in vita ludouici iunioris filii Ludouici Craſsi.

Originem itaque, cauſas, tempora, autores tenemus. De eius poteſtate & imperio, non quę dici poſſunt omnia, ſed quæ ad inſtitutū neceſſaria ſunt nunc paucis cōplectemur: de quibus nihil verius vel breuius dici poteſt, quàm quod omni eruditione & antiquitatis ſtudio inſignis Budæus, inter alia quæ de Curia illa grauiter & copioſè diſſerit, in hunc modum effert [2]. *In ea curia, in qua ſumma iuriſdictionis Gallicæ, atque etiam iuridicialis imperii ſita eſt, omnia ineſſe mihi videntur, quæ & in Senatu, & in Centumuiratu, & in Areopago erant: duntaxat quod ad iuriſdictionem, imperiumque iuridiciale attinet.* Habet ergo Curia iſta ingens imperium, & de omnibus rebus cognoſcit, ita vt ab ea prouocari non poſſit: eſtque ſola in qua de fortunis & capitibus Parium Franciæ iudicia conſtituuntur. At vnde iſta ei poteſtas? id eiuſdem Philippi Regis, qui eam ordinauit, pars conſtitutionis docebit: quam idem Budæus latinam fecit his verbis. *Sancimus etiam, & ſtatuimus, vt iudicia, areſta, ſententiæ, quæque à Curia noſtrā, quæque à communi conſilio noſtro exierint, rata ſint omnino, idque ad quos ea res pertinebit exequi ea poſſint, prouocatione ſublata.* A Rege ergo Curiæ autoritas eſt, idque ampliſſimus ille ordo agnouit ſemper agnoſcetque donec humaniſſimus Galliæ populus Regibus parebit ſuis. Cuius clariſſimum teſtimonium eſt, quod ex quo inſtituta fuit multo tempore inſtaurari ſoleret, anniuerſario Regis edicto poſtridie S. Martini: *quoad haud ita pridem*. inquit Budæus [3], *indulgentiorum conniuentia Principum perpetuus ille magiſtratus nedum perennis eſſe cœpit; etiamſi quotannis, diplomate nonnunquam vt fama eſt, inſtaurari hodie quoque in more ſit Curia.* Et ante Budæum Gagui-

2 ad l. vlt. D. de Senator.

3 in d. l. vlt.

Gaguinus de Parlamento loquens [1], *Atque vt huius ſacroſanctæ concionis*, inquit, *Regem autorem eſſe certum ſit: regia ſingulis quibuſque annis reſcripta eduntur, quibus ad diui Martini diem feſtum, id eſt, 11. Idus Nouembris, Parlamentum inchoandi iudicibus à Rege autoritas datur.* Denique vt intelligas, Brute, Regem Parlamento ſuperiorem eſſe, ac ſummam ſemper penes ſe poteſtatem retinuiſſe, tam de rebus aliis regni ſui, quàm de ipſa Curiâ iudicandi, accipe quæ in ea Philippina conſtitutione ſequuntur, & ſuperioribus annecte. *Quod ſi quid in iis* (iudiciis, ſententiis, areſtis ſcilicet) *extiterit vel ambiguitatis vel erroris, quod modò momentũ aliquod habere videatur, volumus & ſancimus, vt eorum enarratio, emendatio, & interpretatio, atque etiam, ſi opus ſit, inductio, ad nos ac conſilium noſtrum commune, ad maioremve partem eius pertineat: Quæ tamen omnia cum ingenti animaduerſione, nec iniuſſu noſtro, nec citra reſcriptũ noſtrum fieri volumus, iubemuſque.*

Ecquid tibi videtur hac conſtitutione effectum? poſitane ſatis firma noſtræ ſententiæ fundamenta? Vides Regem ſolum inter omnes eminere, & non tantùm ampliſſimæ Curiæ, ſed etiam magno & communi Conſilio pro poteſtate Maieſtatis imperare. Quid quod Francorum Rex Curiæ iudicium de quibus vult cauſis diſſoluit? & non ſolùm cœptas in ea tractari, arbitratu ſuo, ad ſe euocat, verumetiam Areſtis definitas atque deciſas, in priſtinum ſtatum reponi, & retractari vel executionem in tempus ſibi placitum differri, ſola reſcripti ſui autoritate facit: nonne id ſatis locuples nobis teſtimonium regalis imperii in ſenatum præbet, & aliud nullum extaret argumentum [2]? Omitto quòd tam aduerſus Curiæ quàm magni Conſilii ſententias Regi frequenter ſupplicetur: à Regis verò cognitione & ſententia ad Curiam & conſilium nunquam: quodque horum, iubente Rege, augeatur poteſtas, atque iterum contrariâ voluntate arctetur: quæ omnia nemo niſi peregrinus in Gallia neſcit eſſe vera [3]. Hæc quamuis per ſe ſatis ſint, tamen & illud addam, quòd nouo Rege inaugurato, omnes ciuitates, collegia, vniuerſitates, ac ſupremæ illæ Curiæ ſeu Parlamenta, Priuilegiorum, iuriſdictionis, & autoritatis ſuæ confirmationem ab eo petant [4]. Quo pertinet quòd Bodinus ſcribit [5], de immenſa & abſoluta poteſtate data ſenatui Mediolanẽſi & Neapolitano à Carolo. V. Imperatore, quæ tamen

1 li. 3. in vita Pipini.

2 l. iudiciũ ſoluitur. 58. D. de Iud. Rebuff. tract. de ſupplic. num. 41.

3 Rebuff. tract. de euocat. num. 36. 46. 58. 59. & in tract. de liter. ciuil. gloſ. 2. n. 35. Duaren. ad tit. de iudic. & ad tit. de reſtit. Papon lib. 4. de Areſt. tit. 6. art. 2. in fin.

4 Bodin. li. 1. de Repub. tit. 8. Papon lib. 4. de Areſt. tit. 2. art. 4.

5 Ibidem.

tamen non ideo conceſſa eſt, vt minuatur maieſtas Regis Hiſpaniæ: ſed vt curâ & mole tantarum rerum non nihil leuetur, & ideo eam poteſtatem Rex arbitratu ſuo reuocare poteſt. Eiuſdem quoque rei, regalis ſcilicet in Curiam poteſtatis, præclarum illud eſt & non vulgare teſtimoniũ, quòd cùm olim iudices vectigalium in quadam ſolemni ſupplicatione à Rege indicta ſenatorũ Parlamenti inſignia ſibi vſurpaſſent, atque ea deponere iuſſi fuiſſent autoritate Curiæ, reſponderunt, nihil autoritatis & poteſtatis habere Curiam præſente Rege, eoque Regis ſolius eſſe, non curię, id prohibere vel permittere, ſeque ornamenta illa nõ poſituros, niſi Rex deponi iuſſerit [1]. Nolo infinita perſequi, quibus regia poteſtas in populum, atque adeo Parlamentum Pariſienſe, cæteraſque ſupremas Francici regni Curias demonſtratur.

1 Papon. li.4.ti. 6.artic.17.

Tuæ autem ſententiæ quæ ſuffragantur? primùm, credo, quod non vno in loco ſcriptum [2], ſit huius parlamenti decreta, ſiue Areſta, tantæ apud omnes autoritatis eſſe, vt pro legibus obſeruentur: faciantq; res iudicatas & præiudicatas in omne æuum, cunctique iis acquieſcere ac parere neceſſe habeant: ita vt pro ratione ſat eſſe credatur reſpondere, *curia ipſa ita cenſuit*: vt illud αὐτὸς ἔφα, Pythagoreorum. Hæc ſanè magna habent momenta ad tuendũ errorem tuum, ſi per ſe conſiderentur: ſed tamen id quicquid eſt argumenti, ſatis iam attritum eſt & eneruatum, cùm planè conſtet illam poteſtatis Curiæ amplitudinem regiis conſtitutionibus formatam eſſe & firmatam: ac omnino à Principis autoritate pẽdere, qui ei inſignia & imperium contulit. Ac proinde non mirum ſi quæ ab illo ordine ampliſſimo decreta ſunt, qui Regis iuſſu & regali voce loquitur, talem vim & poteſtatem habeãt, qualem modò deſcripſimus. An ignoras in priuatis negotiis ſi quis mandatu noſtro aliquid fecerit, id à nobis factum videri, cauſamque noſtram lædere vel iuuare [3]? Sed audi Curiæ ſupremæ Burdegalenſis primariũ præſidẽ, virum certè prudentiſſimũ conſultiſſimumq;. *Sed Parlamenta*, inquit, [4] *fuerunt inſtituta per Reges Franciæ ad iura partib. reddendũ, & non profectò ad alia regia maieſtatis réſeruata, & per populũ in ipſum principem tranſlata faciendum.* Ex his nemo non videt magnos illos viros, qui de Curiæ amplitudine ſcripſerunt, id ſolùm ſibi animo propoſuiſſe, vt & dignitatem ordinis, & autoritatem iudicii, & firmitatem Areſtorum aliaſq; tam illu-

2 Budæ. ad l.vl. de Senat.

Parlamentum loquitur voce Regis & eius iuſſu.

3 Bart. in opuſc. quæſt.5.nu.4.

4 in addit. ad tract. Ioan. Mont. de autorit. mag. conſil. num. 177. in fin.

illuſtris conceſſus dotes, ſuo quiſque elogio ad æternitatis memoriam conſecraret: non autem vt tuo more Principalibus eam cognitionibus ſoluerent, aut Regi ſuo æqualem, nedum ſuperiorem profiterentur.

Sed tu iſtuc quidem parum verecundè ac ſapienter agis, ex eo enim homines coniecturam facere poſſunt quid animi habeas, quaque fraude non Regibus modo, ſed ordini illi ampliſſimo inſidieris, neq; enim hac tua ſententia tam incommodas Regibus, quàm ipſius Parlamenti ſplendorē & dignitatem exagitas: & cùm apertè ſceptra oppugnas, in arcem Curiæ tectos agis cuniculos, vt veriſimile ſit te non tam odio Monarchiæ, quàm ſtudio Anarchiæ flagrare: & vnà cum Rege magiſtratus omnes inſignes regno velle exigere. Fac enim vera eſſe quæ dicis, & Curiam regali authoritate priua, imperio exime, nuda ſubſidiis: ac ſuis tantùm quātæ quantæ fuerint, virib. vt conſiſtat effice: cernes quāprimùm neque iuſſis pondus, neque Areſtis firmitatē, neque ordini decus, neque perſonis ſingulis priſtinum honorem ac dignitatem remanere: multoſque nunc conceſſum illum ſuſpicere, qui tunc naſo ſuſpenderent.

Ferunt Iordanem Inſulanum Aquitanicum, hominem inprimis nobilem, & opibus ac clientela haud multis in Gallia inferiorem, in ipſa prope ſtatarii Parlamenti infantia iudicatum fuiſſe à Curia, atque in furcam ſublatum [1]. Et non multò pòſt, Carolum Regem Nauarrum eidē Curiæ ſe ſiſtere coactum, & veniam cædis Ioānis Hiſpani Magiſtri equitum, præſente Rege, deprecari [2]. Quæ putas authoritas, quod parendi vinculum, cuius imperii maieſtas hoſce potentiſſimos regni proceres edomitos tenuit, tantumque illis iudiciorum metum incuſſit, vt ſe ſuaque Curiæ ſubmitterent? Num ſenatorum quos iuri dicundo Rex præfecerat? dici non poteſt. Principes enim Galliæ, cæterique illuſtriores nobiles, qui niſi Regi, aut eius perſonam repræſentanti, parere nollent, nunquam profectò à pauculis hominibus, & eorum fortè aliquot etiam obſcuro genere editis, iudicium de fortunis & capite ſuo conſtitui paterētur, conſtitutúmve ſubirent, niſi id Regis iudicium eſſe intelligerent: cùm ipſi amplas ditiones poſſideant, atque in regno ſe, non in Republica eſſe norint.

En quo pacto Curiæ ſiue Parlamento, cuius dignitatem exaggerare velle videbaris, parū fœliciter es patrocinatus, quippe cui & Maieſtatem ſedendi in iudicio, & iubendi im-

[1] Gaguin. li. 8. in princ.

[2] idem lib. 9. in princ.

perium, & iuſſa exequendi vires, hoc ipſo ſubtraxiſti, quòd Regi eam non ſubieceris. Quapropter ſi quando ad Senatum illum ampliſſimum cum tuis iſtis Vindiciis veneris, ſcis, Stephane Iuni, quemnam laboris εὕρετρον feres? ſi neſcis dicam. Patroni cauſarum diſertiſſimi, quos locus ille complures habet, te illicò maieſtatis reum peragent: Curia damnabit: lictores ad patibulum trahent, & vt perduellem perditè excarnificabunt. Fieri enim non poteſt, vt aliter ab illa Curia tracteris: fieri, inquam, non poteſt, quin Areſtum incunctanter de ſacrando cum fortunis omnibus capite tuo pronunciet, quæ centum & octoginta circiter ab hinc annis, publico & ſolemni decreto cenſuit, læſę Maieſtatis reos eſſe, qui à Rege, aut eius ordinationib. ad concilium appellant [1]. Sed ad alteram partem tuæ ſententiæ nunc reuertar.

1 Rebuff tract. de ſupplicat. nu. 53.

Bruti in proponenda Curia authoritate calliditas. Reges Senatus iudicium ſponte ſubire voluiſſe, quo auguſtiorem conceſſum illum ſubditis redderent: eorum in legibus condendis libera poteſtas. Paponis geminus error.

CAPVT XV.

EX quo Parlamentum ſtatarium eſt, inquis [2], *fruſtra ſunt omnia Regum edicta, ni Senatus ille comprobet.*

2 pag. 124.

Scio veterem eſſe apud didaſcalos veſtros pſeudotheologos cautelam, non Cæpolicam quidem aduocatorum, ſed diabolicam Miniſtrorum, qua Patrum teſtimonia vel truncata, vel detorta, ad cauſæ ſuæ defenſionem proferũt: quorum ſolertiam imitando ſatis te conſecutum vnicus iſte locus demonſtrat. Nam quanquam rei de qua agitur veritatem, perſpicuè & apertè à multis traditam, licuerat tibi proponere: tamen hoc quicquid eſt conciſè ſcriptum ab vno vel altero maluiſti arripere, vt ſententiæ tuæ inprimis falſæ, quam ſolidum omne firmamentum defecerat, adumbratum aliquod argumentum affingeres. Licet enim nonnulli ex iis qui res geſtas Francorum literis mandarũt talia quædam obiter & ſuccinctè in laudem Curiæ cõſcripſerint [3], ita vt verbis tecum conuenire videantur: tamen re & ſententia longè à te diſſentiunt, & exitiabile hoc tuũ de regnis & Regibus commentum pariter execrantur: quorum iudicium, ſi te candidum dogmatiſten præbuiſſes, non ex particula aliqua coniicere, ſed ex omnibus eorum ſcriptis

3 veluti Gaguin. in vita Pipini.

pris colligere debuiſti, adiectis etiam aliis luculentis autoribus qui rem eandem pertractarunt. *Inciuile eſt*, inquit Celſus [1], *niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita iudicare, vel reſpondere.*

[1] l. inciuile. 24. D. de legib.

Quid ergo rei eſt? dices. Sic accipe, Reges Curiæ à ſe inſtitutæ facultatem cognoſcendi de regiis edictis, atque etiam iudicandi, ingentis beneficii loco tribuerunt: nõ quò ſe inuitos in Curiæ poteſtatem dederent, priſtinóque priuarent imperio: ſed quò ipſam Curiam inſigni aliquo dignitatis priuilegio honeſtatam populo ſpectabiliorem formidabilioremque redderent: exiſtimantes quod res erat, neminem quamuis Nobilem, quamuis elatum, quamuis potentem, quamuis apud vulgus gratioſum, non ei ordini ſubmiſsè pariturum, ad cuius notionem, & velut cenſorium iudicium, Rex ipſe rerum à ſe geſtarum rationem deferri ſtatuiſſet. Itaque Budæus dum eius Curiæ amplitudinem authoritatemque deſcribit [2], his verbis vtitur. *Huius authoritate rata irritáve Principum acta, ne ipſis quidem recuſantibus, fiunt. Vna hæc Curia eſt, à qua ſibi ius dici Principes legibus ſoluti, ciuili animo ferant: quam authorem fieri ſacrandis promulgandisq́; ſanctionibus ſuis velint: cuius conſilii cenſura conſtitutiones eximi, edictaq́; ſua nolunt: imò cuius decretis huiuſmodi ſua facta conſecrari æternitati velint; id quod ſenatui Romano Probus Imperatòr honoris ingentis loco indulſit.*

[2] in d. l. vl. de Senator.

Idem ferè apud Paponem, ſed vulgari ſermone, reperies [3]: verba eius hæc ſunt: *A laquelle les Rois, priuatiuement ſur toutes autres, ont tant deferé, que combien qu'ils ſe viſſent diſpenſez de la loy, & ſur le droit poſitif, ce neantmoins ont bien voulu ſoy ſouzmettre à ladite Court, pour y auoir iuſtice, à l'exemple d'Antigonus Roy, qui ayant toute puiſſance, la voulut limiter & croire eſtre ſeulement toute en ce que nature, honneur, & le droit luy permettoyent d'en vſer, ſans entreprendre d'auantage.* Id eſt, cui quidem Curiæ Reges tantùm ſupra cæteras omnes ſpeciatim detulerunt, vt quanquam viderent ſe legibus ſolutos, & omni iure humano ſuperiores, tamen libenter ſe ei ſubmittere, & ſibi ab ea ius dici voluerint: exemplo Regis Antigoni, qui cùm omnem penes ſe poteſtatem haberet, eam ita definire voluit, vt totam arbitraretur conſiſtere in eo quod naturæ, honeſtatis, & legum ratio permittebat, nihil ſibi vlterius vindicando.

[3] in prologo librorum des Arreſts notables &c.

Atque idem rurſus alio loco planius [4]. *Cõbien que nos Rois ſoient diſpenſez de l'obſeruation de la loy, & ſoyent ſur la loy, cõme*

[4] li. 4. tit. 1. art. 1.

ne recognoiſſans aucun ſuperieur, ſi eſt ce que pour mouuoir & entretenir leurs ſubiects à continuer l'obeiſſance qu'ils leur doiuent, & à leur iuſtice, ils ont bien voulu touſiours ſe ſouzmettre de leurs differens au Parlement de Paris, ainſi qu'on trouue par infinis Arreſts, tant du viuant de ſainct Loys, qu'autre temps. hoc eſt, Etſi Reges noſtri ſint immunes & liberi ab obſeruatione legis, & ſupra legem conſtituti, vt qui nullum agnoſcunt ſuperiorem: tamen quo facilius ſubditos ſuos ad debitam ſibi, iuſtitiæque ſuæ obedientiam perpetuandam excirent, Parlamenti Pariſienſis iudicio ſe libentes ſubiicere in ſuis cōtrouerſiis voluerunt, vt videre eſt in multis Parlamenti Arreſtis, tam diui Ludouici quàm Regum aliorum temporibus, factis. Et iterum eodem libro [1]. *le Prince eſtant ſur la loy & ſur la couſtume, en a peu faire comme il luy plaiſt.* id eſt, Princeps cùm ſit lege & conſuetudine ſuperior, quod ſibi viſum eſt potuit ſtatuere.

1 tit. 8. Arreſt. 1.

His authoribus ſi Baldum, Barbatium, Boerium, Lucam de Penna, aliosque tam recentes quàm antiquos iuris interpretes addidero, quibus & ius Regis, & Curiæ authoritas, & regni Francici conſuetudo perſpectiora fuerunt, quàm tibi vnquam: opprimêre teſtimoniis, ni tuum errorem fatearis quàm ocyſſimè Baldus enim ſcribit [2], Regem Franciæ eſſe tanquam ſtellam matutinam in medio nebulæ meridionalis eminentem, &, quo ad ſubditos ſuos, eſſe tanquam quendam corporalem Deum, & eſſe legem animatam in regno ſuo. Atque ita quæ facit in regno, non tāquam ipſe, id eſt homo, ſed tanquam Deus facit, cuius vicarius eſt in temporalibus [3]. Alibi etiam teſtatur Baldus, Regem ſolū facere conſtitutiones, ſeu leges in regno Franciæ [4]. Quod idem & Barbatius aſſerit [5]. Lucas de penna, *in his*, inquit [6], *quæ Rex agit cauſa non requiritur, quia quod ei placet lex eſt, eſt enim lex animata in terris* [7]. *Et licet regnans inutiliter dicitur quodammodo non regnare, tamen hoc decernere non eſt ſubditorum* [8]. Boerius autem idipſum planius adhuc atque expreſſius enunciat: dum multis rationibus propoſitis, hoc ad verbum ſermone concludit [9]. *Ex quibus patet dominos de Parlamento nec de iure nec de facto poſſe leges aut ordinationes facere, ſecundum communem & veram ſententiam Doctorum in locis ſuprà allegatis: & Albericum in rubr. de legib. & in d. l. humanum. & ſic debent intelligi hîc per ſocium meum in quarta ratione pro magno conſilio & Parlamento ſimul adducta. Sed bene econtra Princeps ſine conſilio procerum, vel Papa ſine*

2 ad tit. de prohib. feud. alien. per Freder. in vlt. col.
3 gl. ad initium Auth. de hæred. & falcid.
4 ad cap. 1. extra de conſtit.
5 ad ca. nemini de offic. legati.
6 in l. 4. C. de Caſtrenſianis.
7 idem ad l. 1. C. de vend. res fiſc.
8 ad l. in ſacris C. de prox. ſacr. ſcrini.
9 in tractat. de Auth. magni cōſil. nu. 179.

Cardi-

Digitized by Google

Cardinalibus, poteſt condere leges decretales, non obſtante clauſula, de qua in d. l. humanum: & illa, pontificia, *de fratrum noſtrorum conſilio; quia videtur magis decentiæ quàm neceſſitatis, maximè in materia non ardua.* Quid denique illud in conſtitutionibus apponi ſolitum, *de noſtre certaine ſcience, pleine puiſſance, & authorité Royale*, an non plenam & abſolutam Regum poteſtatem in legibus condendis demonſtrant? Itaque lapſus eſt haud leuiter Ioannes Papon [1], geminoque errore ſe inuoluit (incertum an ignoratione antiquitatis, an rerum à Romanis geſtarum immemoriâ) dum ait, populum Romanum, ſtante Republica, nullam legem ſanxiſſe, quam non prius eum ſenatu communicaſſet, vt Patres Conſcripti ſuum de ea conſilium atque authoritatem interponerent: ac proinde nec Principem aliter legem ferre poſſe, cùm id tantùm iuris in eum translatum ſit quod populus habuit, & eo modo quo populus habuit. Nam primùm ſatis conſtat inter omnes antiquitatis Romanæ peritos, Magiſtratum qui legis ferendæ poteſtatem habebat, eam aliquando ſine ſenatus authoritate, imò contra ſenatus authoritatem rogaſſe. Neque enim ideo ad ſenatum referebatur lex promulganda, quòd populus eam ſine ſenatus authoritate conſtituere non poſſet (ſcitum enim illud eſt, quod de Democratia ſcribitur. *Iuſſus populi & ſuffragia ſunto, quodcunque poſtremùm populus iuſſit, id ius ratúmque eſto*) Sed quod rogator Comitiorum, legem quam ſuadere cupiebat, ſenatus commendatione gratiorem populo, atque acceptiorem fore ſperaret. Deinde conſtat etiam non ſolùm populi ius, quod ſupremum erat, ſed etiam munia omnia magiſtratuum, quæ in populari ſtatu Reipublicæ plurimum valuerunt, cum ipſis nominibus, excepta dictatura, in Imperatores, ſenatu populóque volentibus, fuiſſe translata [2].

[1] li. 5. Not. tit. de la clauſe, car ainſi nous plaiſt. Papon reprehenſus.

[2] Dion. li. 53.

Longum eſſet, nec neceſſarium, infinitas prope ſapientiſſimorum hominum in eandem rem ſententias concordiſſimas ſingillatim percenſere, qui ſeculis, ætatibus, locis, ordine, officiis diſiuncti, conſpirante conſenſu, & velut vno omnes ore, Regi in Senatum, atque adeo regnum vniuerſum, eam, quæ in figendis & refigendis legibus ſita eſt, poteſtatem detulerunt: quorum de ea re iudicium, nemo, niſi veſtris furiis concitatus, hactenus reprehendit. Cùm tamen contrà, Senatus ipſe, vt eſt apud Gaguinum, inſigni & laudabili reſponſo, Regis ſupra ſe authoritatem & iubendi po-

1 in vita Ludou. XII.

poteſtatem publicè confeſſus ſit [1]. Nam cùm Ludouicus XII. initio regni ſui ad iudiciorum abuſus corrigendos animum intendiſſet, & ſcholaſticorum priuilegia per interpretationem reſtrinxiſſet: Pariſienſis Academia vt priſtinam ſuam libertatem tueretur, miſſis in Curiam oratoribus, petiit ab Ampliſſimo Ordine, *quæ conſtituta à Rege erãt, benignius explanari: neque ſinerent iudices, apud quos iudiciorum poteſtas erat, turbari ſcholaſticorum quietem, qui & Pariſiis maximo commodo eſſent, & Chriſtiano orbi luminis atque fidei ſtabilimentum afferrent. Ad hac Senatus reſpondit, ſi à Rege iuſſos promulgare quas tulerat leges. Apud illum authoritatem eſſe abuſiones tollendi, & corrigendi erratu, quæ à ſuis committi ſubditis comperiſſet.*

2 Rebuff. in tractat. de pan. aut. & arg. in gloſſ. Sciendum.

Regum igitur Franciæ edicta, leges, & conſtitutiones in ſenatu illo Pariſienſi ampliſſimo nobiliſſimoque recitari, expendi, & promulgari ſolent: non quod hoc ordine prætermiſſo populum non teneant, ſed vt regeſtis & actis publicis mandatæ conſtitutiones ſingulis faciliùs innoteſcant, & ad poſteritatis memoriam reſeruentur [2], id Rege humaniter volente, & nominatim præcipiente: ne cui res tot ſapientiſſimorum hominum iudicio trutinata, laudataque conſenſu, videri poſſit aliquid præter æquum bonum continere, aut ipſe Princeps contra ius fáſque ſubditis imperare. Verùm tu, calumnioſa interpretatione, hanc iubendi poteſtatem in parendi neceſſitatem conuertis; & ſpontaneæ ſubmiſſionis arbitrio legitimæ ſubiectionis vinculum perperàm conaris inuoluere: quod inſcitè facis, & perinde ac ſi dominum tuum hoc ipſo tibi obnoxium eſſe contendas, quod pro amore erga te ſuo, multis magniſque beneficiis te diu ſolitus fuerit cumulare. Atque hoc cùm dico, in memoriam redit quod paucis abhinc annis in ſereniſſimi Principis noſtri ditione ſolemniter obſeruatum animaduerti: ne quæſtorum videlicet quiſpiam, mandato principali de erogandis pecuniis ad ſe delato pareret, ſi præter ſubſcriptionem Principis & ſecretarii, manus quoque præfecti ærario non adeſſet. At id ſingulari quadam ratione ab Illuſtriſſ. Duce conſtitutum ſi malè feriatus aliquis tui ſimilis in argumentum ſubiectionis, & minuti imperii Principis traxiſſet, non ridiculum modò eum, ſed plane ceritum, & commotæ mentis hominem Lotharingia tota iudicaſſet.

Ete-

Etenim profectò nemo, niſi ciuilium rerum planè inſcius, ignorat Principes interdum, ne ſuis reſcriptis pareatur, certis de cauſis prohibere: ac velut ſibi ipſis imperij amplitudinem præcidentes, non quod volunt, ſed quod velle debent, apud magiſtratus cæteroſque iudices locum vt obtineat præſtituere. Qua ratione Rex apud Ægyptios ſolebat magiſtratus & iudices à ſe conſtitutos iureiurando aſtringere, ne ſibi iniuſtam de aliquo ſententiam flagitanti morem gererent [1]. Vetuit Conſtantinus, ne impetrato lenitatis ſuæ iudicio de pupillis, viduis, debilibus, aut diuturno morbo fatigatis, extra prouinciam litis cauſa trahendis, vllo modo obtemperetur [2]. Non quòd non potuerit Imperator eos ad ſuum comitatum accire, & in eo cauſarum momenta trutinare (Eſt enim vani capitis, inquit Innocentius, exiſtimare ſuperiorem non poſſe præcipere, nec euocare, ſine cauſæ cognitione [3]) ſed quòd noluerit optimus Princeps iſtiuſmodi perſonas à gratioſis & potentibus aduerſariis, ſe authore, tantis moleſtiis diuexari. Multa huius generis exempla tam ex iuris Romani voluminibus, quam aliarum gentium, maximè Francorum regalibus edictis, peti poſſunt [4]. Itaque quemadmodum teſtatoris voluntas facit, vt prior ſcriptura poſteriore potior ſit, cùm clauſulam, vt dicunt, ſequentium derogatoriam apponit, veluti, ſi quid Titio infrà legauero, id neque do, neque lego: ita vbi Princeps ſe nolle largiri quæ conceſſurus eſt edictis propalam denunciat, prioris voluntatis poteſtate ſequentis authoritas infringitur. Sed quid iſta Regum libertatem minuunt? an non potius ſummam & abſolutam in Principe poteſtatem demonſtrant? omnibus nempe quacunque forma emiſſis reſcriptis parendum eſſe, niſi quorum ſententiam tales derogatoriæ ſanctiones præoccupauerint. Nam vetat incaſſum, cui vel iubēti reſiſtitur: fruſtraque iubetur, quod in arbitrio eius ponitur cui iuſſum eſt [5].

[1] Plut. in Apophtheg.

[2] l. vnic. C. quādo Imp. inter pupill.

[3] in cap. ad aures. de temp. ord.

[4] Rebuff. tr. de ſupplic. nu. 41. 42.

[5] S. Hieron. li. 1. aduerſ. Iouini.

Coneſtablum, Cancellarium, & cæteros, Regis officiarios eſſe: quod ex iuriſiurandi formula ab illis præſtari ſolita euincitur. Eoſdem à Rege conſtitui & authoritatem accipere multis exemplis demonſtratur. In interregno duntaxat, aut Regum infantia eos ab ordinibus deligi ſolitos, aliaque nonnulla.

Cap. XVI.

QVod autem de Coneſtablo, Cancellario, Secretario, & cæteris, non minus falsò quàm fraudulẽter adducis [1], eos ſcilicet non Regis, ſed Regni officiarios eſſe, *atque olim quidem non niſi in concilio publico trium ordinum, Cleri, Nobilitatis, & Populi, creari ſolitos, & ex quo Parlamentũ Lutetianum ſtatarium factũ eſt, non prius cenſeri in eo gradu conſtitutos, quàm à ſenatu Lutetiano recepti & comprobati ſint, & neque etiam abſque eiuſdem conſenſu & authoritate deſtitui poſſe.* id non longa cõfutatione indiget. Regis enim re vera ſunt, quamuis & regni etiam aliquo modo dicantur; Regis, inquam, quatenus Rex eſt, hi omnes ſunt miniſtri & officiarii, quos ſub ſe procurandis regni commodis, in ſuo quemque ordine & munere, inſtituit. Beatus Andoenus (qui & Dado dictus eſt) Referendarius fuit Regis Dagoberti, inquit Aimoinus [2]. Sic Gregorius Turon. de Agroecula Epiſcopo Cabillonenſi loquens [3]. *obiit epiſcopatus anno 48. fuit autem 83.* inquit, *cui Flauius referendarius Gunthranni Regis ſucceſſit.* Referendarium autem eas partes obiiſſe quas nunc Cancellarius, ſuperior Aimoini locus demonſtrat. *Qui referendarius ideo eſt dictus*, inquit, *quod ad eum vniuerſæ publicæ deferrentur conſcriptiones, ipſeq; eas annullo Regis, ſiue ab eo ſigillo ſibi commiſſo muniret ſeu firmaret.* Et hi quidem non alia ratione regni officiarii dici poſſunt, niſi quia ipſorum miniſterium, quod Regi exhibent, in cura Reipublicæ, & grauioribus regni negociis verſatur. Itaque Cancellarius regni ſiue Franciæ dicitur, quòd non aliqua regni parte officium eius circumſcriptum ſit, ſed totius regni negotia, quæ ad eius officium ſpectant, tractare ſoleat. Idem verò Cancellarius Regis ſiue regius dicitur, quia à Rege habet quod ſit Cancellarius, & quicquid ad officium ſuum ſpectans agit, id Regis authoritate in ſe collata agit: quem propterea Rex, vbi eius mentionem facit, in ſuis edictis & conſtitutionibus, hac formula nominare ſolet, *Noſtre tres-amé & feal Chancellier.* quod Francis omnibus notius eſt, quam vt probatione egeat. Idem de Coneſtablo, Amirallo, Mareſchallis, cæteriſque ſimilibus intelligendum eſt. Atque hîc quidem animaduerſione dignum videtur, hos Magiſtratus, quia pro poteſtate generaliter ſibi cõceſſa res multas in variis regni partib. exequi ſine ſpeciali Regis mãdato poſſunt, non ſolũ Regis ſed regni etiam

[1] pag. 88. in fi. & 96.
[2] lib. 4. cap. 41.
[3] li. 5. cap. 45.

etiam officiarios, & quidem frequentius, vulgò nominari: veluti cum dicimus. *Conneſtable de France, Mareſchal de Frãce, Chancellier de France.* Alios vero officiarios de quibus loquitur Brutus, vt Secretarios & Quæſtores, quòd iis ad ſingula ferè negotia ſpeciali iuſſu Principis opus ſit, perrarò regni, ſed Regis vbique officiariós vocari: veluti *Secretaire du Roy, Threſorier du Roy.* Vtut eſt, regni & Regis omnes dici poſſunt, cùm regnum ſine Rege ne cogitari quidem & concipi animo valeat: ob eamque cauſam, rege mortuo, ad interregnum res redit tãtiſper dum alius conſtituatur. Sed à Rege tamen habent quod tales ſunt: quippe à quo Rempublicam in partibus gubernãdam acceperunt. quò pertinet quod Aimoinus (li. 4. cap. 74.) Maiorem domus, ſiue Comitem Palatii, qui ſecundum Regem ſummus in regno erat, Regis miniſtrum appellat.

Quamuis autem hæc ita ſe habeant, tamen vt Bruti ſeu malitia ſeu inſcitia planius detegatur, operæ precium eſt præcipuum eius argumentum referre, quo ſuperiores omnes non Regis, ſed regni tantùm, officiarios eſſe docet. *Iſti verò omnes*, inquit, *primùm regno, id eſt, vniuerſo populo, deinde Regi, tanquam eius curatori fidem dant. quod vel ex ipſa iuriſiurandi formula perſpicuum eſt.* At ego illi oſtendo vſitatam iuriſiurandi formulam, ex qua perſpicuum eſt eum mentiri, formula autem his verbis concipiebatur. *Vous iurez que vous ſerez treſobeiſſant au Roy. Que de bonne foy vous luy conſeillerez ce que vous cognoiſtrez eſtre commode & digne de ſa Maieſté, & au prouffit de luy & de la choſe publique. Que vous conſeruerez de tout voſtre pouueir ſon patrimoine & la choſe publique. Que iamais vous ne vous mettrez ſous obeiſſance ny ſeruice d'autre que de luy. Que iamais vous ne prendrez ny acceptrez, ſinon de ſon conſentement, robbe, manteau, ſolde, ou gages, preſét, ny prouffit aucun, d'autre que de luy. Que par faueur, grace, ou haine, vous ne ferez iamais rien. Et qu'à preſent, ſi vous auez quelque ſerment à Seigneur ou Dame, ou auez eu à iceux, vous quittez & renoncez le tout* [1]. id eſt. Iuras te Regi fore obſequentiſſimum, eique candidè & bona fide conſulturum, quicquid vtile, & eius Maieſtate dignum, atque è Republica eſſe cognoueris. Eius patrimonium remque publicã totis viribus conſeruaturum. In nullius vnquam alterius clientelam & obſequium, niſi ſolius Regis, tranſiturum. A nemine, ſine eius conſenſu, præterquam ab ipſo ſolo, togam, pallium, ſtipendium, mercedem, munus, donum,

[1] Vide Papon. li. 4. tit. 8. art. 1.

vel emolumentum aliquod vnquam accepturum. Nihil gratiâ, odio, vel amore acturum: & ſi alicui alii Principi viro, aut fœminæ ſacramento aliquo obſtrictus es, id totum te hodie diſſoluere, eique renúciare. En verborum pactionem, qua magni iſti miniſtri, quos Brutus regni officiarios vocat, ſuum olim iuſiurandum comprehendebant: atq; iis quidem temporibus comprehendebant, quibus modeſtiſſimi Principes imperarunt, & Optimatum atque Ordinum regni valde, ſi vnquam alias, vigebat autoritas.

Illud etiam inter alia Bruti mendacia non minimum eſt, quod ſcribit hoſce regni officiarios creari, & autoritatem capere à populo, nec ſine eo poſſe exautorari [1]. Cuius contrarium ab initio regni Francici, ab illo inquam tempore, quo tales in eo regno extitiſſe memorantur, vſque in hunc diem, obſeruatum fuiſſe, tot luculentis teſtimoniis, & rerum geſtarum exemplis probatur, vt nullum operiendo huic mendacio mantellum inuenire queat: è plurimis autem pauca ſubiiciam. *Rex Francorũ Clotharius*, inquit Aimoinus [2], *trigeſimo regni ſui anno poſtquam regnare cœperat, patre defuncto Monarchiam regni adeptus VVarnatium, cuius inſtantia regnum Burgundiæ fuerat adeptus, Maiorem domus in ipſo conſtituit regno.* En vt Clotharius V. Varnatii erga ſe fidem hoc dignitatis beneficio remuneratus eſt. Et iterum [3]. *Poſt hac autem Sigebertus Rex Auſtraſiorum Pipino defuncto, Grimoaldum filium eius maiorem domus inſtituit.* quod Ado totidem fere verbis cõmemorat [4]. Ac ne dubitemus hanc aulæ præfecturam à ſolo Rege concedi ſolitam, velut obſequii & beneuolentiæ remunerationem, facit alius adhuc eiuſdem autoris locus [5], vbi ſcribit Othonem quendam ſperaſſe Comitem ſe palatii fieri poſſe, *eò quod baiulus fuerat Regis Sigeberti in eius tenera ætate.* Ado Viennenſis in breuiario Chroni. [6]: *Gundolandus maior domus moritur: cuius loco Herthenoldus à Dagoberto conſtituitur.* Maior autem domus, ſiue Comes Palatii, vulgò le Maire du Palais, inter regni officiarios Regiſque miniſtros quin ſummus fuerit ea tempeſtate, nemo vt reor, ambigit. Itaque Brunichildes inter alia flagitioſa facinora, Protadium quendam ſtupri causâ ſibi familiarem, hac præfecturæ dignitate ornare cupiens, *præſumpſit nepotem orare ſuum*, id eſt, Regem Theodoricum, *vt interficeret Bertoaldum, & Maiorem totius regiæ domus cõſtitueret Protadium*, inquit Aimoinus [7], quod fruſtra feciſſet Brunichildes ſi, vt Brutus ſomniat,

1 Pag. 88.
2 lib. 4. cap. 6.
3 cap. 42. eiuſdẽ libri.
4 ætat. 6.
5 lib. 4. cap. 38.
6 ætat. 6.
7 lib. 3. cap. 91.

non

non à Rege, ſed à populo magiſtratus ille mandari, & autoritatem capere potuiſſet. Ac ne inanem Brunichildis conatum, & ſine effectu fuiſſe arbitremur, ſubdit mox idem autor [1], *anno decimo regni Theodorici iuxta voluntatem Brunichildis ex præcepto Theodorici Protadius Maior domus conſtituitur.* 1 cap.93.

Ac illud quidem memorabile eſt in hac ſpecie, quod idem autor ſcribit [2]. Reginam matrem, cui tutela & educatio filii concredita erat, Præfectum Palatii, ſiue Maiorem domus regiæ creaſſe de conſilio quorundam optimatum qui Regis viſendi gratia ad ipſam venerant. Verba eius hæc ſunt. *Anno quarto regni ſui Chlodouæus cum Mantilde matre Aurelianos, caput regni Burgundiæ petiit: vbi aduenientes Pontifices ac Optimates ipſius gentis, & ſe dominio Clodouei tradentes, Mantildes humaniſſimè tractauit: vtque filio ſuo fidem ſeruarent ammonuit. Quorum conſilio Flaucatum Francia oriundum, Præfectum inſtituit Palatii, ſociata ei nepte ſua Ragnoberta in matrimonium.* qui locus ſatis oſtendit hunc magiſtratum à Rege, vel ſaltem Regis autoritate, mandari ſolitum. Item alter eiuſdem libri [3]. *Franci,* inquit, *conſilium pertractantes VVaratonem virum illuſtrem, cū iuſſione Regis, Maiorem domus Palatii conſtituunt.* Atque eam quidē fuiſſe priſcorum Regum Franciæ in creandis magnis iſtis magiſtratibus autoritatem, præter rerum ſcriptores, teſtatur etiam perpetua ſequentium ſeculorum conſuetudo, quæ iugi obſeruatione ad poſteros tranſmiſſa eſt. Qua ratione cùm poſt exceſſum Caroli V. Francorum Regis, frater eius Ludouicus Andegauorum Dux, publica regni negotia, nepotis ſui Caroli. VI. impuberis nomine obiret, & Coneſtablum inſtituere vellet, reſtiterunt ei Burgundus Borboniuſque, ſolius Regis eſſe id muneris tribuere contendentes. Itaque *ad Oliuerium Cliſſonium dignitas illa, Rege* puero *tribuente, delata eſt* [4]. Nec deſunt etiam exempla quibus monemur Reges non ſolùm hæcce Coneſtabli Cancellarii, & aliorum magnorum Magiſtratuum officia: ſed & Parium Franciæ prætereà nomen & dignitatem aliis ſubinde atque aliis, pro arbitrio eſſe largitos [5]. Idemque iuris in mandandis magiſtratibus apud alias nationes quæ regale iugum patiuntur, obſeruatum eſſe, ex antiquis populorum monimentis & annalibus, cuilibet facile fuerit animaduertere. Vnde apud Scotos gentem bellicoſiſſimam & tyrannidis vſque adeo impatientē-

vt cum

2 lib.4 cap.39.

3 cap.46.

4 Guaguin. lib. 9. cap. 1.

5 Vide Papon. li. 4. Areſt. tit. 4.

vt cum annos bis mille circiter ſub Regibus vixerint, nullum vnquam ſuper ſe alienigenam regnare paſſi ſint, hæ perantiquæ de Regis imperio leges, conceptis verbis recenſentur [1].

[1] Hector. Boet. lib. 12. hiſt. Scot.

In profanis rebus nemo ius dicito, niſi quem iuri dicundo maieſtas regia præfecerit.

Solius Regis nomine ius omne redditor, conuentus indicitor, concilia conuocantor.

Ne quis alia quàm regia authoritate magiſtratum obtineto.

Ex his igitur perſpicuum eſt, ſuam Brutum ſentētiam manifeſto mendacio fulcire.

Sed errorem ei forſitan creauit, quòd apud Aimoinum, & alios, non vno loco legitur, Francos aliquando Maiorē domus regiæ, ſiue Comitem Palatii elegiſſe & conſtituiſſe. Sed id quicquid eſt, ſi non oſcitanter ſecum perpendiſſet, facilè intellexiſſet vel in Regis infantia factum eſſe à Concilio, cùm ipſe nondum per ætatem ſuopte iudicio talia expedire potuerit: vel Regis iuſſu & autoritate factum ab iis quibus id negocii datum erat: vel certè in diſcordiis ciuilibus, aut in interregno, cùm Regem ſibi, & præfectum Palatii eius ſimul eligerent. Veluti cùm dicitur [2], *in infantia Sigeberti omnes Franci de regno eius Chrodinum Maiorem domus elegerunt. & Franci Clotharium, ſeniorem puerum ex tribus, Regem ſibi ſtatuunt, cum ipſa Regina matre regnaturum: defunctoque Erchinoaldo Maiore domus, Franci in incertum vacillantes, præfinito conſilio Ebroinum in huius honoris altitudine Maiorem domus ſtatuunt* [3]. & paulò pòſt [4]. *Franci autem Ledeſium filium Erchinoaldi in maiorem domus Palatii erigunt*: in interregno ſcilicet, inter Childericū occiſum & Theodoricum, quem paulò antè totonderant truſerantque in monaſterium. Sic Ado Viennen [5]: *Childericum ſuper ſe Regem leuant, Maiorem domus VVilfoldum.* Occurrunt & alia id genus exempla nō pauca in hiſtoriis Francorum: ſed quæ, ſi rectè conſiderentur, ex ſuperioribus cauſis pendent: ita vt Regum in hac re nec tollant nec minuant poteſtatem.

[2] Aimoin. 3. c. 4.

[3] lib. 4. cap. 44.

[4] eod. cap.

[5] in Chronic.

Et tamen hæc ſunt, hiſque ſimilia exempla, quibus ſcriptores iſti monarchomachi nituntur, & Reges apud imperitam multitudinem, libris editis, exagitant: præcipuè verò Hotomanus in ſua Francogallia, vbi quamuis omnia vndique exempla corroget, quibus demonſtrari putat Regem & regnum à concilio regi, nulla tamen profert, nec

proferre poteſt, niſi quæ ad imbecillem Regis ætatem, vel alios temporum caſus, de quibus dictum eſt, referantur.

Sed ingens mihi labor conſumendus eſſet, ſi fraudes & fallacias omnes perſequerer, quibus ſuam iſti pernicioſã opinionem infucant: ſat habeo magna ex parte indicaſſe, monuiſſeque lectores ne ſibi imponi fucata talium argumentorum fronte patiantur: excutiant ſingula diligenter, & vitium in vnoquoque deprehendent. Nam vt cætera taceam quæ Hotomanus in ſua illa Francogallia retulit [1], & quorum facilis refutatio eſt ex iis quæ ſuprà à nobis dicta ſunt: quid magis à ratione alienum vel abſurdum dici poteſt, quàm inde velle colligere, Regi non eſſe facultatem creandi miniſtros & officiarios regni, quòd proceres Frãcorum reprehenderint Carolum Caluum nondum Regẽ inauguratum, eò quòd Præfectos & officiarios eiuſmodi, cum ipſe nondum Rex eſſet, arbitratu ſuo crearit. Nam cũ nemo Rex ſit (vt ſuperioris libri initio diximus) antequã populi conſenſus acceſſerit, quamuis ei regnum hæreditatis iure debeatur, non potuit ille quidem, nec debuit, ante inaugurationem, quæ regii muneris ſunt exequi. Sed hoc quid ad eos qui poſtquam Reges à populo deſignati declaratique ſunt, talia pro poteſtate imperii exequuntur?

Regibus itaque non aduerſantur quæ vel Brutus hoc loco, vel Hotomanus in illa Francogallia, de Concilii publici autoritate iactat. Nam quamuis fateamur Reges vt plurimum res magni momenti, communicato cum Optimatibus regni conſilio, in cætu publico pertractare ſolitos: atque adeo magnos illos magiſtratus ibidem creare id tamen non neceſſarium deminutæ poteſtatis regiæ, ſed tantùm regni prudenter adminiſtrati probabile argumẽtum nobis præbet. Quemadmodum enim magiſtratuum Romanorum creatio ad curam Principis pertinebat, non ad populi fauorem, vt ait Modeſtinus [2], licet in ea re cõſiliariorum opera perſæpe vteretur: ita in cæteris regnis, quæ verè regna ſunt magiſtratus arbitrio Regum, ſine vllis populi ſuffragiis conſtituuntur: licet in iis eligẽdis, ne malis hominibus magnos honores mandent, probos & prudentes viros conſulere interdum ſoleant. Etenim profectò nemo negat, & eſt veriſſimum, omnia quæ ad publicũ regni ſtatum pertinent, multo facilius & fœlicius componi à Regibus in concilio publico, vbi ſapientum virorum & conſiliariorum magna eſt copia, quàm alibi de aulicorum

1 cap. 11. & ſeq.

2 l. vnic. D. ad l. Iul. de amb.

tum quorundam ſententia, qui ſe candidos Regi monitores rarò præbent. Itaque Carolus. V. cognomento Sapiēs, cùm poſt exceſſum Cancellarii nominè *d'Ornant*, de alio creando altius cogitaſſet, multos regni optimates & fidos conſiliarios priuatis nunciis ad ſe acceſſiuit, idque non indicatâ causâ, priuſquam à ſingulis ſeorſum admiſſis, interpoſito ſolemni iureiurando exquiſiſſet, quemnam omnium totius Galliæ maximè idoneum ad id munus obeundum iudicarent: lectis deinde ac numeratis ſuffragiis (quæ à ſcriba excipiebantur vt quiſque conſiliarius ad Regem ſolus introibat) comperit primum Curiæ Præſidem, cui nomen *d'Orgemont*, omnium ferè conſenſu digniſſimum habitum, cui magiſtratus ille mandaretur: quem Rex idcirco ſtatim inuitum propè ac reluctantem, creauit Cancellarium [1]. En vt Rex prudentiſſimus Cancellarium ſibi non in concilio publico, nec ſine conſilio tamen, elegit conſtituitque. Nihil itaque vanius, quàm ex eo colligere tales regni officiarios non niſi in Concilio publico creari poſſe, quòd Reges ſæpe id ſoliti ſint obſeruare, cū id vltrò pro ſua in ſubditos humanitate fecerint, nec æquum ſit aliquem ex benignitatis conſuetudine ad præſtationis neceſſitatem compelli.

1 Vide Papon. li. 4. de Areſt. tit. 8.

Sed eſto, Regem non niſi de conſilio optimatum qui populum repræſentant, ſiue in concilio publico, creare poſſe eiuſmodi officiarios: Nunquid ei conſequens eſt quod vult Brutus: à populo ſcilicet eos creari & autoritatem capere? minime quidem. Nam aliud eſt creare aliud creandi conſilium dare vt ipſimet aduerſariorum didaſcali fatentur. Qua ratione Hotomanus, Pipinum non ſummi Pontificis Zachariæ, ſed concilii Francici autoritate, Regem factum eſſe contendit [2], verba eius ſunt. *Ex quibus omnibus facile intellectu eſt. Non ſi Francici Pipinum exquiſita Papæ ſententia Regem crearunt, iccircò illum Papæ imperio atque authoritate creatum fuiſſe. Aliud eſt enim Regem creare, aliud creandi conſilium dare. Aliud ius creandi habere, aliud ius conſilii dandi: quanquam conſilii in huiuſmodi rebus dandi ius nemo habet, niſi is à quo petitur.* Æquiſſima lex eſt quæ iubet vnūquemque ius illud aduerſus ſe admittere, quod ipſemet in alium ſtatuit [3] hoc igitur argumento in Brutum & Hotomanum vti nobis liceat.

2 In Francogal. cap. 13.

3 tit. quod quiſque iur. Dig.

Dignitates officiariorum in Gallia olim non fuiſſe perpetuas.

Non verum eſſe quod quidam putant Maiorem Palatii vocatum fuiſſe poſtea Coneſtablum. Argumentum à Paribus Franciæ deſumptum refutatur. Harum Vindiciarũ Bruti Hotomanum, ni ſecum ipſe diſſideat, non eſſe authorem. Caroli. VI. inter Britanniæ Regulum & Cliſſonium Coneſtablum iudicium.

CAPVT. XVII.

HÆc de creandis regni Francici officiariis ſatis, quantum ad præſens quidem inſtitutum attinet. Sed eſt tamen obiter notandum, neque illam Præfecturæ Palatii dignitatem, de qua ſuprà, neque alias publicorum miniſteriorum perpetuas tunc fuiſſe in Gallia: ſed nutu Regis concedi, adimique ſolitas. Qua de causâ Rex Clotharius vt VVarnarii erga ſe ſtudium fidemque magno aliquo munere compenſaret, eum aulæ ſuæ præfectum fecit, adhibito iureiurando ſe non daturum ei ſucceſſorem quamdiu viueret [1]. Eaque ratio dandi magiſtratibus ſucceſſores arbitrio Principis vtiliſſima eſt Reipublicæ, & ab antiquis Imperatoribus obſeruata, vt ex Lampridio [2], Capitolino [3], & aliis rei Romanæ ſcriptoribus patet. Itemque illud admonitione dignum, non verum eſſe quod Brutus ſcribit [4], & alii etiam nonnulli opinantur, Maiorem Palatii ſcilicet, ſiue præfectum domus regiæ, fuiſſe poſtea vocatum Comitem vocabuli aut hunc in illius locum vndiquaque ſucceſſiſſe: idque vel ex eo intelligi poteſt, quòd ambæ illæ dignitates ſimul in regia viguerunt, & illa quidem maior fuerit, in qua vniuerſa quædam totius regni procuratio ſub Rege reſidebat: hæc verò ad particularem quandam de regiis equis & ſtabulis ſolicitudinem pertinebat: eique ſimilis erat, quam nunc gerit is qui vulgò nominatur grand Eſcuyer du Roy. ac propterea neque ducandi exercitum, neque imperandi militibus poteſtatem habebat, niſi eam à Rege ſpeciali aliquo mandato accepiſſet. Aimoinus [5]. *Lendegiſilus*, inquit, *regalium præpoſitus equorum, quem vulgò Comiſtabilem vocant, quemque Rex ei præfecerat expeditioni.* Itaque nonnunquam Comes ſtabuli, & Comes Palatii, ſiue Maior domus vnà ad bellum mittebantur. Idem de Carolo Magno loquens [6], *qui ſtatim accitis ad ſe tribus miniſtris ſuis, Adalgiſo Camerario, & Geilone Comite ſtabuli, & VVorado Comite Palatii, præcepit, ut ſumptis ſecum orientalibus Francis ac Saxonibus, contumaciam*

1 Aimon. lib. 4. cap. 6.
2 in vita Alex.
3 in vita Anton. pii.
4 Pag. 96.
5 li. 3. cap. 70.
6 lib. 4. cap. 71.

macium Sclauorum audaciam, quanta poſſent celeritate, comprimerent. Vbi videmus Comitem Palatii vocatum miniſtrũ Regis, quod Bruti diſtinctionem inter Regis & regni officiarios, falſam, futilem, & ineptam eſſe declarat: vt eſt à nobis ſuperiore capite demonſtratum. Sed poſtquam pertæſum eſt Reges tantæ dignitatis ſub ſe in aula, cuius potentiam non poterant non ſuſpectam habere, poſt Martelli & Pipini res geſtas in eo magiſtratu: videntur illius Præfecturæ officiũ diuiſiſſe in duas partes, & quæ ad belli apparatum & militarem diſciplinam pertinent, Coneſtablo & qui ſub eo ſunt Mareſchallis, quæ verò reliqua ſũt, ei quem Magnum Magiſtrum vocamus aſſignaſſe. & verò Magni Magiſtri nomen ad illam Maioris domus appellationem propius accedit. Sed de his ſatis.

Nunc illud argumentum videamus, quod Brutus ex denominatione & autoritate Parium Franciæ deſumit: nam hos quoque Regi opponit, & velut Ephoros quoſdam, nõ æquat modò ſed præfert. At verò quàm inſidioſè & fallaciter id faciat, facilè apparebit. Ait igitur [1]. *Habet præterea regnum Francicum ſuos ſiue Pares tanquam Regis conſortes, ſiue Patritios, tanquam Reip. patres, ſingulos à ſingulis regni prouinciis dominatos quibus Rex inaugurandus, tanquam vniuerſo regno, fidem dare ſolet. Ex quo illos Rege ſuperiores eſſe liquet.* Plauſibile quidem hoc eſt, & aptum ad capiendos imbecilles animos argumentum, ſed nullius momenti, & planè ſpernendum, vbi eius vitium detegitur. Duplex igitur hic error eſt: alter quidem quòd Pares Frãciæ dictos putet, quaſi Regis conſortes. Nam, vt ſuperius paulò de ὁμοτίμοις Perſicis diximus [2], non ideo vocati ſunt Pares, quia Regi pares erant: id enim vetat ipſa vis Monarchiæ. & regni cõſtituti natura. Sed quia pares inter ſe erant, id eſt, pari honore & dignitate apud Regem cenſebantur: idque ipſemet Hotomanus, quamuis Regibus alioqui parum æquus iudex, ita diſertè teſtatur, vt etiam rideat eos qui aliter ſentiunt. *Magnum eorum iudicium requirere cogimur,* inquit [3], *qui propterea Pares Franciæ appellatos ſcribunt, quod Regi pares eſſent: cùm Paritas non ad regiam, ſed ad communem ipſorum dignitatem atque authoritatem referretur.* Atque hic locus quidem ſatis oſtendit Hotomanum vel harum vindiciarũ autorem non eſſe, vel pugnantia loqui, & ſibimet contradicere [4]. Alter Bruti error in eo eſt quod putet rectè colligi Pares Rege ſuperiores eſſe, eò quòd Rex, dum inaugura-

tur,

1 Pag. 96.

2 cap. 13. huius libri.

3 cap. 14. Franc. cog.

4 vide quod ſetipſi. lib. 3. ca. 1.

tur, fidem illis, tanquam vniuerſo regno, ſpondet: cùm tamen id huic nullo modo ſit conſequens. Quandoquidem Rex, cùm ſit maritus Reipublicæ, & regni ſibi concrediti caput,[1] tantum abeſt vt fidem dando Paribus, aut toti populo ſimul congregato, & viciſſim ab iis accipiendo, ſeſe illis inferiorem faciat: vt planè contrà, dominum ſe atque rectorem omnium hoc ipſo conſtituat: ad inſtar ſponſi, cui fides data acceptaque imperium in puellam tribuit. Regem itaque non poteſt hac ratione Paribus inferiorem eſſe concludere, niſi & maritum vxori, & ducem militibus, & monachis Abbatem, & Canonicis Epiſcopum, & ſummum Pontificem Cardinalibus & omnino caput membris ſubiiciat.

1 Luc. de Pen. ad l. quicunque nu. 8. c. de omni agro deſer. lib. 11.

Quod autem confirmandæ ſententiæ ſuæ argumentum profert, adeo infirmum & leue eſt, vt nullo negocio retundatur. Videmus, inquit, etiam hóſce patritios inter Regem & ſubditos ſæpe diiudicaſſe. Quid tum poſtea? Rex vult ſibi ius dici ab omnibus Curiis regni ſui & quotidie inter eum & priuatos controuerſiæ per eius procuratorem in iudiciis agitantur: an Rex idcircò Curiis ſubiicitur? nugæ. Quicquid poteſtatis habet Curia, id totum à Rege habet, vt paulo antè oſtendimus. Inſtat tamen Brutus, & poteſtatis huius Parium ſiue patritiorum praxim nobis exemplo proponit. *adeo quidem, inquit, vt cùm Carolus VI. in Ducem Britanniæ ſententiam ferre vellet, obſtarent illi, dicerentque, non Regis, ſed Parium eſſe eiuſmodi iudicium, quorum authoritati nihil derogare poſſit.* Suſpectum mihi valde eſt hoc exemplum, & vellem aliquem laudaſſet authorem: quod cùm non faciat, commenti ſui coniecturam nobis præbet. Nam ego in contrarium habeo ſcriptores luculentos, qui iudicium hoc de regulo Britanniæ in conſilio Regis cœptum & terminatum fuiſſe, atque ſententiam pro Cliſſono Coneſtablo in Ducem, à Regis Cancellario latam, nullo Parium nec repugnante nec contradicente, tradunt. Guaguinus enim de eo ſic ſcribit[2]. *In communi Regis conſilio cauſam agi, & prudentum ſententia eam definiri, Cliſſonus acquieuit. Acta cauſa eſt, ab vtraque parte, magno certamine: Demum dicente ius Cancellario, Dux arces rupis Arianæ, & Ioſſelini cùm tota ablata inde ſuppellectili, Cliſſono reſtituere damnatus eſt centum millium francorum pœna adiecta.* Author verò operis quod inſcribitur. *la mer des hiſtoires & chroniques de France,* de ea controuerſia ſic ſcribit. *Et ſemblablement Cliſſon*

2 lib. 9. in vita Caroli VI.

ſon fuſt d'accord que le parties ouyes le Roy en ſon conſeil luy fiſt iuſtice & raiſon, & fuſt fort à eſmouuoir & ſe conſentir à ce [1], *non obſtant que aultre choſe ne pouuoit il requirer raiſonnablement. Et l'autre cauſe ſi eſtoit, car il auoit ſceu, que le Roy, à la requeſte deſditz deux ſeigneurs ſes oncles, auoit tout pardonné, en tant que luy touchoit, l'offence & le cas commis par le Duc, & en auoit eu remiſſion: & apperceuoit qu'il n'en auroit que ſon intereſt ciuil. Si vindrent en la preſence du Roy & de ſon conſeil, & fiſt propoſer Cliſſon les excez que le Duc luy auoit faits, en la forme, qu'il eſtoit pour le Duc bien deshonorable, deſus declarée. Par le conſeil du Duc fuſt defendu en propoſant excuſations plus tendant à doller ſa fault que autrement. Et les parties ouyes fuſt appointé & dit par le Chancelier; que le Roy les auoit ouyes, & qu'il feroit tout ce qu'il appartiendroit par raiſon: Et fuſt le conſeil par pluſieurs & diuerſes fois aſſemblé tant en la preſence du Roy que autrement. Et finablement fuſt la ſentence prononcee par le Chancellier, par laquelle le Duc de Bretaigne fuſt condamné à liurer les places de la Roche d'Arien, de Ioſſelin, & autres meubles dedans leſdictes places: & en faiſant du criminel ciuil, fuſt cōdamné en cent mil frācs. Et par ce moien fuſt la paix faicte entre le Duc & le ſire de Cliſſon, laquelle ne dura gueres.* Id eſt, Aſſenſus eſt tandem Cliſſonus, vt Rex vtraque parte audita ius de iniuria ſibi illata in conſilio diceret: quod tamen vt admitteret ægrè adductus eſt, [2] quamquam aliud non poterat iure poſtulare. Mouit & Cliſſonum alia cauſa, acceperat enim certò Regem, interuentu & rogatu ſuorum patruelium (Burgundiæ nimirum & Borboniæ Ducum) omnem Britoni culpam, quantum ad Maieſtatis offenſionem pertinebat, condonaſſe: vnde ſe nihil aliud, niſi quod ſua ciuiliter intererat, habiturum perſpexit. Ambo itaque ſe Regi in conſilio ſiſtunt: ibi ex parte Cliſſoni proponebantur iniuriæ à Duce factæ, & ita exaggerabantur, vt in Ducis ignominiam valde redundarent. Ille contra per ſuos aduocatos excuſationibus vſus eſt, quæ ad pœnitentiam & culpæ deprecationem, quàm facti defenſionem, magis accedebant. Auditis omnibus, Cancellarius reſpondit Regem eos audiiſſe, facturumque quod ratio poſtularet. Inde conſilium de ea re ſæpius habitum, tam præſente quàm abſente Rege: tandem Cancellarius ſententiam pronunciauit, qua Dux Britanniæ condemnatus fuit reſtituere Cliſſono arces Rupis Arianç & Ioſſelini, & omnem quæ in iis erat, ſuppellectilem: & criminali iudicio in ciuile commutato, centum

1 Car il inſiſtoit touſiours à prouocquer le Breton de leuer le gage du duel qu'il auoit iette en la preſence du Roy, pour combattre en champ de battaille.

2 quia ſcilicet pugna & monomachia litem dirimi cupiebat, ad quam ſæpe Britonem coram Rege, proiecto in terram duelli pignore, prouocauerat.

tum millia francorum pœnæ nomine perſoluere. Atque ita inter Ducem & Cliſſonum facta pax eſt nō multum duratura.

Rex igitur, ſi his authoribus fides, inter Britonē & Cliſſonum iudicauit. Quod ſi ita eſt, & vt ille dicit, obſtabant Pares, ac ſuum illud non Regis iudicium eſſe dicebant, apparet profectò non iure eos reſtitiſſe: magnumque adeò hac ratione præiudicium in perpetuum factum eſt ei iuri quod prætendebant, cùm Rex nihilominus de ſententia optimatum & conſiliariorum, neglecta ſeu potius reiecta illa Parium interpellatione, ſuum illud iudicium eſſe, ordine iudicii atque exitu comprobauit. Itaque tantùm abeſt vt hoc exemplo Parium iuri patrocinetur, aut Regis in ſubditos minuat poteſtatem, vt illud grauiter lædat, & hanc confirmet plurimùm.

Cætera quibus Brutus Francicam Monarchiam impetit diſſoluuntur. Regia reſcripta à Senatu examinari quomodò accipiendum. Regem poſſe reum mortis abſoluere, teſtimoniis & exemplis contra Brutum probatur.

CAPVT XVIII.

Cætera quibus Monarchiam Francicam impugnas, leuiora ſunt. Nam quod ſcribis [1], *literæ Regis ni à ſecretario regni ſubſcribantur & reſcripta ni à Cancellario (qui cancellandi poteſtatem habet) obſignentur, nullam auctoritatem habent*; 1 Pag. 98. & pag. 129.

vix dignum reſponſione eſt: propterea quod, vt ſuprà de Curiæ authoritate diximus, quicquid iſti poteſtatis habent, à Rege proficiſcitur. Itaque non alia de cauſa literis quidem ille ſubſcribit, niſi vt teſtetur eas à Rege profectas eſſe: hic verò reſcripta obſignare aliquando recuſat, non vt Regis voluntati reſiſtat, vel regiæ clementiæ & largitatis cenſorem & moderatorem ſe præbeat: ſed vt pro poteſtate ſibi à Rege conceſſa, tanquam ſummus Regis officiarius, caueat ne quod reſcriptum eliciatur ab occupato grauioribus negociis Rege vel non ſatis attento, per obreptionem ſupplicantium, aut inuerecundam & importunam petentium inhiationē, qua plerumque ita cōſtringitur Princeps (vt aiunt Impp. [2]) vt etiam non concedenda concedat. Quod igitur in ea re facit Cancellarius, 2 l. 1. C. de pet. bon. ſubl. li. 10.

quando examinata & patefacta fraude cancellat reſcriptũ, id Rex fieri velle creditur, qui fraudis admonitus idem feciſſet [1], vel omnino poſtulationi non conceſſiſſet.

1 C. ſi contr. ius vel vtil. publ.
2 Pag. 128. & ſeq.

Simili planè reſponſo refellitur quod alibi [2] de Regiorum diplomatum examinatione à Senatu fieri ſolita, oppidò calumnioſè & intemperanter confingis. Nunquam enim Senatus in Regis diplomata inquirit, vt regiæ clemētiæ aut ſeueritati modum adhibeat, quemadmodum tu falsò definis: ſed vt ex antecedentibus, conſequentibus, aliíſque facti circumſtantiis, cum narratione reorum & Regis diplomate abſolutorio collatis, an ea Regis voluntas ſit exquirat. Fieri enim poteſt vt ſcriptum, à Rege ſignatum, producatur: ſed fraude elicitum, ſed importunitate extortum: ſed ignoratione conceſſum, aut alio quopiam vitio laborans, quod ſi Rex ſciſſet, non vtique indulſiſſet reo. Hæc & ſimilia rectè examinant Senatores, quibus ab ipſo Rege talis poteſtas data eſt, mandatúmque ne ei reſcripto pareant, quod quid legibus repugnans continet: ſed Regem ignoratione lapſum exiſtiment, eóque rem illam ad iuris communis normam exigant: vt olim Antiochus III. [3] & Tiberius Cæſar [4] reſcripſerunt. Hæc nimirum regalis ſapientiæ prouiſio eſt, vt proborum hominum & pro Republica nauiter ſudantium opera vtatur: qui quoniam ad hoc à Rege conſtituti ſunt, vt eius miniſtri ſint, legúmque cuſtodes, nihil illis antiquius eſſe debet, quàm vt ſolicitè & ſolerter perquirant quæ Regis in reſcripto vel diplomate voluntas fuerit: ne vel, Rege non iubente, à lege recedant: vel eo gratiam criminis alicui faciente, legis ſeueritatem exequantur. Hæc Senatui cauſa eſt inquirendi in Regis diplomata, & codicillos veniales, quos vocas; non autem illa, quam tu ad inuidiam & cōtemptum regiæ Maieſtatis, contra omnem diuini & humani iuris rationem, fraudulenter excogitaſti: vt ſcilicet modum Regis ſeueritati & clementiæ ſtatuant.

3 Plut. in Apophtheg.
4 Niceph. lib. 1. cap. 17.

Sed quia nullus in iſtis vindiciis locus eſt, qui rebellem ſpiritum, & inſigniter mendacem, proiectæque audaciæ & perfrictæ frontis impoſtorem magis redoleat, rranſcribam quod ſcribis de hac re, quanquam tuæ me pudet impudentiæ. Ais igitur [5]. *An non verò fortè, quia vitæ cauſa fauorabilior eſt, quos lex damnarit, abſoluere ſaltem Rex poterit? Nihilo ſanè magis. At quia interdum ea accidere poſſunt, in quibus lex muta, lege loquente: legis ratio Regis oratione, quaſi interprete,*

5 Pag. 126. & ſeq.

opus

opus habet, licebit Regi, ne ſummum ius ſumma iniuria fiat, adhibita in conſilium ratione, quæ legis anima eſt, legem interpretari. Ne tamen perturbatio vlla ſedem rationis occupet, inconſultis ſapientibus nihil planè definiendum putabit. Hoc modo homicidam quidem ſeuerè puniet: ei tamen indulgebit, qui excuſſa è manibus ſecuri, tranſeuntem fortè aliquem occiderit. Graſſatorem morte multabit: qui graſſatorem, vim vi repellendo, interfecerit, abſoluet. Itaque vt Regi, tanquam cuſtodi legis, verba interpretari interdum licet: ita & Senatui, in omnibus regnis bene conſtitutis, iniunctum eſt & ex officio conuenit, tum interpretationem Regis examinare, tum etiam eiuſdem ſeueritati clementiæve modum adhibere. Quod ſi verò hominum corruptelâ factum eſt, vt hæc minus re ipsâ obſeruentur: idem tamen perpetuò ius eſt, quod in libertatem vindicari oportet. Ne plura exempla in re manifeſta accumulemus, in Francico regno ita obſeruatum fuit. Quos enim Rex abſoluerat capite plecti, & quos occiſos voluerat, abſolui ſæpe vidimus. Interdum etiam ſcelera, teſte Rege commiſſa, impunita fuerunt, quia plures teſtes non ſuccurrebant: quod ſub Henrico II. in cuiuſdam extranei, grauiſſimi criminis à Rege ipſo accuſati, perſona accidit. Cùm quis verò reus amicorum precibus veniam à Rege impetrauit, Cancellarius, cauſa cognita, recuſare poteſt. Sin & hic conniuet, ad iudices nihilominus veniat oportet: qui quidem non modò an obreptitia venia ſit, ſed etiam an ciuilis & legitima, diligenter examinare debent. Reus verò qui codicillos illos veniales impetrauit, non prius iis vti & niti poteſt, quàm ſeſe coram iudicibus ſtiterit, capite aperto, genibus flexis, carceréſque vltrò ſubierit, interim dum cauſæ, quæ Regem impulerunt, penſitantur. Hæ ſi minus idoneæ ſunt, mulctatur reus, perinde ac ſi Rex non condonarit. Si contrà: eſt ſanè quod non Regi, ſed legi, eiuſque æquitati vitam acceptam ferat.

Hæc tua ſunt, & his ſimilia, figmenta & incantamenta, quibus imperitæ multitudinis aures & animos, in ſuam ipſius Regumque perniciem, velut magico carmine effaſcinas: quæ tamen ex tam apertis & manifeſtis mendaciis cõſtant, vt mirum ſit inueniri quoſdam, vſu rerum & eruditione nonnihil præſtantes, qui talibus impoſturis aures accommodent. Quid enim falſius, quid impudentius dici poteſt, quàm quod ſcribis, Regem non poſſe abſoluere quos lex damnarit? Contrarium enim, non de facto ſolùm (vt loquuntur) ſed etiam de iure, obſeruatum perpetuò fuiſſe in omnibus regnis benè conſtitutis, hiſtoriæ

tam ſacræ quàm profanæ perſpicuè demonſtrant. Quid enim? Abiatharo ſacerdoti Maieſtatis reo, an non ignouit Salomon, & quem legis ſententia morte mulctandum iudicauit, regia clementia legum pœnis abſolutum dimiſit? Equidem vir mortis es, inquit [1], *ſed hodie te nõ interficiam, quia portaſti arcam Domini coram Dauid patre meo. Vade in Anathoth ad agrum tuum.* Hinc D. Auguſtinus [2], *Iudicibus ſtatutum eſt, ne liceat in reum datam ſententiam reuocare. Nunquid & ipſe Imperator ſub hac erit lege? nam ipſi ſoli licet reuocare ſententiam, & reum mortis abſoluere & ipſi ignoſcere.* Et Theodericus apud Caſſiodorum [3]: *fas eſt Principi maculoſas notas vitiatæ opinionis abſtergere.*

1 Reg. 3. cap. 2.
2 lib. de fat.
3 lib. 3. Variar. cap. 46.

Poſſum facile ex omni memoria & monimentis populorum, qui Regibus & Monarchis vſquam paruerunt, innumera huius rei documenta proferre, quibus oſtenditur, Principem, pro poteſtate imperii, gratiam delicti quantumuis magni reis facere, & legitimè condemnatos legum pœnis poſſe eximere, ſed cum in re perſpicua laborem inutilem planè & ſuperuacaneum eſſe arbitror. Etenim profectò hæc facultas ignoſcendi iure condemnatis, vſqueadeo cohæret cum monarchico imperio, vt etiam Dictatura apud Romanos, quæ nihil aliud niſi ſemeſtris Monarchia fuit, id poteſtatis annexum habuerit: quod illuſtri, præter cætera, exemplo in L. Papyrii dictatura emicuit. Is enim Q. Fabium magiſtrum equitum capitis condemnatum (quod contra diſciplinam militarem, dictatore vetante & abſente, auſus eſſet cum hoſtibus ſigna conferre) Tribunis pleb. populoque iram deprecantibus condonauit. *Tum dictator ſilentio facto, Bene habet, inquit, Quirites, vicit diſciplina militaris: vicit imperii maieſtas: quæ in diſcrimine fuerunt, an vlla poſt hanc diem eſſent. non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnauit: ſed noxæ damnatus donatur populo Romano: donatur tribunitiæ poteſtati, precarium, non iuſtũ auxilium ferenti. Viue Q. Fabi, fœlicior hoc conſenſu ciuitatis ad tuendum te, quàm qua paulò ante exultabas victoria. viue id facinus auſus, cuius tibi ne parens quidem, ſi eodem loco fuiſſet, quo L. Papyrius, veniam dediſſet* [4].

4 Liu. lib. 8.

At iſtam Principes poteſtatem vſurparunt dicis, non iure delatam acceperunt. Imò verò iuris authores atque interpretes omnes, eam Principibus ſine vlla controuerſia, iiſque ſolis, iure optimo competere, tam firmo atque vnanimi conſenſu tradiderunt [5], vt neceſſe ſit fateamur vel illos

5 l. relegati. 4. in fi. l. Diui fratres. 27. & l. ad beſtias 31. D. de pœn. toto tit. de ſent. paſſis. D. & C.

los omnes errare, vel te mirum in modum delirare atque deſipere, qui contrariam ſententiam aſtruis. Itaque inter legitimas defenſiones illa numeratur, qua reus condonatum ſibi à Principe crimen eſſe proponit. Quia, vt vno omnes ore affirmant [1]. *Summus Princeps poteſt pœnas delictorũ delinquentibus remittere & indulgere: & poteſt omnes pœnas remittere, tam corporales quam pecuniarias, etiam per ſententiam & condemnationem inflictas, etiam ſi talis ſententia in rem iudicatam tranſiuerit.* Hinc Baldus dicit [2], Principem in eo honorari, quod apud eum omnis pœna eſt arbitraria, idque in Gallia obſeruatum eſſe inter omnes conſtat, adeo vt Regis ignoſcentia etiam domino feudi præiudicet, ad quem damnati bona propter delictum perueniſſent, ſi ex Regis indulgentia culpæ veniam non impetraſſet [3]. Quid opus eſt multis? ſententia planè falſa, reprehenſione tantùm, nõ refutatione indiget.

1 vide Iul. Clar. §. fi. Pract. Crim. q. 59. & Ant. Peregrin. li. 5. de iur. fiſc. tit. 2.

2 in l. cunctos populos. col. 8. C. de ſumma Trin. & fid.

3 Papon lib. 24. tit. vlt. de Areſt.

Quæ ſit Parlamentorum in Regia diplomata inquiſitio. Reges ſponte aliquando ſe legibus ſubiicere. Reſoluta Bruti captio ex antiqua Gallorum regnandi conſuetudine. Inter Principatum & Regnum differentia.

CAP. XIX.

PAr impudentia in eo eſt quod ſcribis, Senatus partes eſſe Regis interpretationem examinare, & eiuſdem ſeueritati vel clementiæ modum adhibere. Nam quanquam (vt modo diximus) Senatus officium eſt, regia reſcripta, & diplomata examinare ad Regis voluntatem intelligendam; ne velle eum quod nolit falsò exiſtimet. Nunquam tamen ab hominum memoria auditum eſt in regnis benè ordinatis, legis interpretationem à Rege factam, à Senatu reiectam vel correctam fuiſſe: vt neque de eius clementia in condonandis ſuppliciis, vel rigore in puniendis, detractum quicquam vel remiſſum, vbi Regis ſemel voluntatem Senatus certò intellexit, quippe talis ſenatoria poteſtas regni naturæ prorſus repugnaret, nec cũ eo conſiſtere vllo modo poſſet: ſed aliam induceret regiminis ſpeciẽ, vt eſt à nobis ſuperioribus libris ſatis ſuperque demonſtratũ. An neſcis illud Conſtantini Magni ad Baſſum Præfectũ vrbi reſcriptũ? *Inter æquitatem iuſq; interpoſitam interpretationẽ nobis ſolis & oportet & licet inſpicere* [4]. aut iniquum & tyranni-

4 l. 1. ca. de legi. vide quæ ſcripſimus ſup. li. 2. circa fin.

nicum eſſe arbitraris? aut non Regibus & Monarchis cæteris æquè ac Imperatoribus conuenire iudicas? ludis Brute, ludis. Nam quos tu dicis à Rege abſolutos fuiſſe, & capite tamen plexos; ii re vera non erant à Rege abſoluti, ſed ſubreptitio tantùm diplomate liberati; quos propterea Senatus, detecta fraude, vt nullo modo abſolutos, meritò ſuppliciis debitis deſtinauit. & contrà, ſi quos fortè Rex errore facti deceptus iudicibus puniẽdos mandauit, iudices, comperta innocentia, liberos atque abſolutos demiſerũt, de Regis ſententia & voluntate id factum eſſe creditur, qui illos eo animo iudicibus tradidit, vt ſecundum leges iudicarent. Hæc igitur ſi quando contingunt, Regis authoritatem nullo modo minuunt, imò confirmant plurimùm: ꝙ vtrobique ſecundum eius voluntatem abſolutio damnatioq; contingat. Nam id ſemper velle prçſumitur, quod iuris rationi congruit, atque vti potius ordinaria quàm abſoluta poteſtate, niſi contrarium manifeſtè conſtet [1].

Iam verò quod de criminibus Rege teſte commiſſis adfers, id nihil ad tuam pernicioſam opinionem proficit. Ita enim à Regibus lege lata conſtitutum eſt, ne vnius teſtimonium in vlla cauſa admittatur [2], eam ſi ipſimet Reges legẽ obſeruare volunt, quid tùm poſtea? *decet tantæ maieſtati eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur* [3]. maximè verò in hac re, quia hominis iudicium, Dei iudicium eſſe dicitur [4]. At neque Chriſtus in ſeculari iudicio, ream ſine accuſatore & teſtibus cõdemnare voluit, quamuis certò ſciſſet eam deliquiſſe [5]; neque etiam Deus quemquam ſpirituali ſententia, ſine accuſatore & teſte, condemnabit. Non mirum igitur ſi Reges à Deo conſtituti vt ſint miniſtri regni eius, Dei modum in iudicando, quantum quidem per humanã imbecillitatem conſequi poſſunt, piè & inuiolatè cuſtodiant: præſertim Reges tales, quales permulti in Gallia extitiſſe memorantur, inter quos ille fuit, vnde exemplũ ſumpſiſti, Henricus II. quem ſubditi omnes ita amanter & ſtudioſè obſeruabant, vt eius nomen quod erat, *Henry de Valois*, per anagrammatiſmum mutarint in illud, *Roy de nul hayé*, id eſt, *Rex nulli inuiſus*. Fecit igitur Rex ille quod facere debuit, qui (vt olim excellentiſſimus vir Q. Scæuola) ita demum ſuo teſtimonio credi voluit, ſi alii inuenirentur qui idem aſſeueraſſent: quique (vt Africanus poſterior) accuſatoris, teſtis, & iudicis partes in reum agere noluit [6]. Quod itaq; aſſeris reũ cui Rex ignouit, non Regi, ſed Legi, eiuſq; æqui-

1 Bald. & alii in l. ex facto: D. de vulg. & pupill. & in l. omnes populi D. de iuſt. & iur. & in ca. licet. de off. ord.
2 l. Iuriſiurandi C. de teſt.
3 l. ex imperfecto 23. D. de leg. 3. l. ex imperfecto. c. de teſtam.
4 Deut. cap. 1.
5 Ioan. cap. 8.
6 Val. Max. li. 4. cap. 1.

æquirari ſalutẽ acceptam ferre debere: id te nõ ſummæ ſolùm impudentiæ, ſed extremæ etiam dementiæ hominem conuincit tum quòd vbi aliquis mero iure & communi legis auxilio ſatis iuuatur, nihil Regis venia & extraordinario remedio indiget: tũ etiã quia quos lex damnauit, Rex abſoluere poteſt, vt certiſſimis ſuprà teſtimoniis probatũ eſt.

Vides nunc, Brute, quàm nequiter in Reges Galliæ inſultes:& contra fidem hiſtoriæ, rerumque geſtarum exempla, florentiſſimi regni fundamenta conuellas:vt in perniciem ſubditorum ex regno Rempublicam, ſi non potius ex Monarchia Anarchiam, tibi ſi auſcultetur, magno totius orbis malo efficias. Doleo equidem ita te intemperanter ingenio abuti tuo, vt omnem tibi à Natura largitam rationis & orationis facultatem, odio Regum & Reip. ad calumnias & mendacia conuertas: quaſi id tibi ſolùm negotii datum ſit populo vt imponas.

Quod ſi ſubtilitas in maleficiis laudanda ſit, magna tu quidem laude dignus es, qui mendacia ex mendaciis pendere, & quaſi conſequi ſe mutuò, tam ſubtiliter facis, vt veri ſpeciem præ ſe ferre videantur. Nam licet quæ ad Regis Francorum maieſtatem minuendam cõfinxiſti planè falſa ſint, tamen ea tanto artificio cõcinnas, vt ex antiquis Gallorum inſtitutis manaſſe ad Francos, & ab iis iugi obſeruatione retenta, pari impoſtura coneris perſuadere.

Nimirum habebant fortè hoc à Gallis Franci, inquis [1], *authore Cæſare libro quinto de bello Gallico. Fatetur enim Ambiorix Rex Eburonum ea fuiſſe tum Regum Galliæ imperia, vt nõ minus populus ritè conuocatus in Regem, quàm Rex in populum, authoritatis haberet. Quod etiam in Vercingetorige apparet, qui coram populi cœtu cauſam ſuam agit.* [1] Pag. 100.

At mentitum fuiſſe Ambiorigẽ partim ſui excuſandi, partim hoſtis circumueniendi cauſa, ipſius rei ſtatus atque exitus comprobauit:itaque quod ille finxit doloſè, tu pro vero hic aſſuinis mendosè. Quod autem ad Vercingetorigem attinet, non erat ille quidem Rex conſtitutus ſuper omnes populos, quibus in ſuſpicionem proditionis venerat, tantùm belli gerendi dux ab iis delectus fuit, & imperium ei ad id bellum adminiſtrandum datum: Rex verò Aruernorum tantummodo ab ſua factione appellatus eſt, idque non legitimò modo, & concordi ciuium voluntate, ſed per vim & ſcelus, vt ex eiſdem Cæſaris commentariis liquet [2]. At obtinere principatum vel imperium apud eos,

[2] li. 7. de bello Gall.

aliud erat quàm obtinere regnum, ſiue Regem eſſe. *Celtilus* eiuſdem Vercingetorigis pater, *Principatum Galliæ totius obtinuerat*, inquit Cæſar [1], *& ob eam cauſam quod regnum appetebat, ab ciuitate erat interfectus.* Quod autem Vercingetorix non fuerit Rex, ſed tantùm imperator ad id bellum gerendum lectus, ex contentione inter eum & Æduos ab eodem Cæſare relata manifeſtè patet [2]: Agamemnō, belli ad Troiam gerēdi cauſa Græcorum omnium Princeps & Dux factus eſt, in quos, cùm ad prælium exirent, vitæ & necis poteſtatem habebat: licet alioqui in concionibus redargui, reprehendi, & cohiberi ſæpe ſolitus ſit: quod non Regem eum, ſed belli ducem ſuper ſe cōnſtituiſſet. Longè igitur aliud regnum eſt, aliud principatus. Itaque Lactantius Firmianus de Vrano & Saturno loquens [3], de quibus contentio eſt inter priſcos authores, vter prior ſummum in terris imperium habuerit. *Nō magna diſſenſio*, inquit *ſiquidem maximorum authorum de filio, ac patre, dubitatio eſt: ſed tamen vtrumque fieri poteſt, vt & primus Vranus eminere inter cæteros potentia cœperit, & Principatum habere non regnum Poſtea Saturnus maiores ſibi opes comparauerit, ac regium nomē aſciuerit.* Eodē pertinet quod Krantzius in VVandalicis ſcribit [4]. Boemos vbi aliquandiu ſub ducibus & annuis magiſtratib. vixiſſent, tandem ſibi Regem aſciuiſſe. *Zethus*, inquit, *ordinato regno, primus in gente dominatus libera poteſtate, cùm alii vel annui, vel menſtrui, vel ad bella eſſent duces*, & mox [5]. *Iam Regem habuere Boemi, iam legitimo illius iure imperabat vir non poſtremi ingenii*, &c. In Scotia ſimiliter, Anglia, Dania, aliiſque nationibus, apud quas imperia verè regia vigent, parem Regum libertatem videre licet, cuius rei inſigne, ſed triſte nobis documentum reliquit Henricus VIII. Anglus, qui ſi non tanta poteſtate à Deo populoque ſibi conceſſā, fuiſſet abuſus, ac leges pro arbitrio tuliſſet, veſtris, Brute, hominibus, Hæreticis inquam, nullus ibi locus patuiſſet. Quod autem de regnis Hiſpaniæ & Iuſticia Arragonica ſcribis, id iampridem Bodinus ita doctè & eleganter diluit [6], vt noſtra hic refutatione non ſit opus.

[1] Ibidem.

[2] Ariſt. li. 3. cap. 10. polit.

[3] li. 1. diuin. Inſtit. cap 13.

[4] li. 1. cap. 16.

[5] li. 1. de Repub. cap. 18.

[6] li. 1. de Repub. cap. 8.

Detectus Bruti animus, cuius ſcopus Anarchia eſt, ei cum reliquis Hæreticis communis. Lutheri in Principes maledicta funeſtum & acre ruſticorum bellum excitaſſe: tale quid moliri Brutum, atque inibi alia de Hæreticorum malitia.

CA-

CAPVT. XX.

IN Bruti errores de regno Franciæ confutandos eo diutius incubui, quod regnum illud ipſe, eiuſque ſequaces, pulchrè & ſapienter, cæteriſque omnibus rectiùs conſtitutum eſſe fateantur: ac proinde cum iam conſtet Regis ibi imperium ſummum & liberrimum eſſe, abque eo pendere quicquid vſquam poteſtatis & iuriſdictionis in toto regno exercetur: non poteſt non iniurius videri aliarum nationum imperiis, qui hanc illis Regum libertatem inuidet, ſine qua nec Rex, nec regnum propriè dici poſſit. Ad reliquas nũc igitur huius populorum præſtigiatoris fallacias refellendas pergamus: quæ vt ſuperioribus ſunt leuiores ita tenuioribus indiciis facilius detegentur. Sed vna tamen præ cæteris inſignis eſt, & digna quæ plena manu tractetur: ex ea enim lector Bruti conſilium, & quod animo facinus meditetur agnoſcet. Ait itaque [1]. Pag. 196.

Si populus Romanus Imperatores ſuos noxæ dedit, qui ad Furcas Caudinas indecorè cũ hoſtibus pepigerant, coacti licet, & in ſummas anguſtias redacti, nec ea ſe pactione vllatenus teneri iudicauit: an non multo minus tenebitur populus id iugum pati, quod non vi ſed vltrò, non mortis metu ſed lucri cupidine, aut ſi qui excutere debebant, impoſuerint, aut qui poterant tolerarint.

Videbatur initio Brutus infinitam & immoderatam Regum libertatem velle tantummodo cohibere, non autem ſuum optimatibus ius auferre; quorum legitimam potentiam vſque adeo extollit, vt eos regni Ephoros, & regalis imperii conſortes, Rege ipſo ſuperiores, appellet: ob eãque cauſam videtur illis qui eum non attentè legunt ſumma voluntatis inclinatione in Ariſtocratiam propendere, eoque nomine magnam ab ambitioſis hominibus gratiam conſequitur (qui ſub ſpecie reuocandi in ordinem Reges ſuos, re vera autem affectati regni cupiditate, ſeditionis & defectionis duces ſeſe populo præbent) quòd ſuam illius patrocinio cauſam ſatis defenſum ac protectum iri exiſtimat. Sed longè alius Bruto ſcopus: non ei regnũ, non Ariſtocratia, non Democratia curæ eſt: Anarchiã amat & optat, quòd in ea nullus libertati & libidini terminus ſit, ſed infinita vtique & impunita licentia: eoque vt nos cautè & pedetentim ducat, regnum primò in Ariſtocratiam mox hanc in popularem dominationem commutãdi conſilium tribuit: ſed tanto tamen artificio, vt neutrius ius lædere,

lædere, neutriue iniuriam facere ſe velle ſimulet, quo deinde progreſſurus ſit vbi è regno in Rempublic. peruenerit, non obſcurum arbitror iis eſſe qui furibunda Hæreticorũ ingenia paulò ſagacius odorantur, quorum princeps & parens Lutherus Euangelii ſui initium, talibus ſtratagematis longè lateque propagauit: tantumque oris ſui petulantia & infamibus iniuriis in Cæſarē, & Reges, ac Principes alios iactis effecit, vt ingens ille in Germania ruſticorum cōtra dominos tumultus exciretur, qui plebeiorum hominũ circiter cētum millium cęde expiatus eſt, quos omnes perditus ille apoſtata ſuis incantamentis velut Circæis poculis infatuauit. Nam Principum autoritatem adeò vilem & contemnendam, multis maledictis & iniurioſis nominib. apud imperitam multitudinem reddidit: vt ſe talibus ſubiici nec æquum, nec vtile eſſe iudicarent. Quod ſi ruſtici illi, vt victi erant, viciſſent; non dubium quin nouus iſte Euangelii reſtaurator, ſe ſtatim ad nefariam illam ſocietatem, quam verbis pepererat, factis & opere adiunxiſſet: atque ingentem de Principibus & tota Nobilitate triumphũ egiſſet moxque anarchiam, & communionem rerum multis encomiis celebraſſet. Sed quia ſpem ſuam fruſtratam ſenſit, conſilium ex tempore & euentu rerum cepit, atque à Principibus ſe ſtare ſimulans, huius rebellionis ruſticorũ vindicandæ, cuius ipſemet autor erat, acerrimum ſe ſuaſorem præbuit: idque tanta immanitate, quantam vix credibile eſt in Scythico, nedum Chriſtiano pectore latitare: adeo ille verſutus in omnes partes, & mirum in modum impudens erat [1]. Lutherum in hoc ſequuti ſunt poſteri eius omnes, licet in multis aliis vehementer ab eo diſſentiant, in iis hic noſter eſt, qui, cuiuſcunque tandem ſectæ fuerit, magnum illum magiſtrum veſtigiis directè & dextrè in virulentis iſtis Vindiciis cōſequitur. Lutherus enim, vt Reges & Principes per ora ciuium traduceret, dicebat eos eſſe vel perditiſſimos nebulones, vel præcipuos moriones [2]: ſtolidos præterea, inſanos, fatuos, furioſos, ipſoque Turca decies peiores, & id genus aliis quæcunque ad ſummam ignominiam excogitari poterant nominibus appellabat [3]. Eoſdem Brutus (ne nihil ad magiſtrum de ſuo addidiſſe videatur) Homunciones, ſeruos Reipublicę & multitudinis, nihil à priuatis impunitate differentes, eſſe, tradit [4]. Sed & nobiles ac primarios viros, quorum vicaria fide Reges in variis regni negotiis & Republica admi-

niſtranda

1 Vide Surium ab anni 1523. initio vſque ad 1526.

2 lib. de ſeculari poteſt.

3 Contra duo mandata Cæſaris.

4 Pag. 123. & 124. & 126. & 130.

hiſtranda vti ſolent, canina ſua facundia nequiter & calumnioſè allatrat. Ait. n. eos nihil eſſe, niſi Regum aſſentatores & illuſores populi, imò nihil niſi laruas, & velut antiqua in tragœdiis paludamenta, quorum præuaricatione & ignauia factum eſſe dicit, vt Reges eam, qua hodie inſoleſcunt, licentiam, quadam quaſi longi temporis præſcriptione vſuceperint: proinde non debere id populus præiudicare, quo minus ipſi ſe in libertatem vindicent [1]. Pag. 103.

Quæſo per Deum quid iſtiuſmodi ſermonibus, vel ad inuidiam huius ordinis acerbius, vel ad ſeditiones concitandas vehementius dici aut excogitari poſſit? An non praui & peruerſi animi in Bruto teſtimoniũ locuples nobis præbent? Ex iis certè perſpicuum eſt, eum non in Reges tantùm & Monarchas ſtylum acuiſſe, ſed in omnes omnino qui dignitate & poteſtate aliqua præditi ſunt: eoq; conatus ſuos omnes paraſſe, vt credulæ & incõſtanti multitudini perſuadeat eam prorſus liberam eſſe, & nullius ductu atque imperio regendam, niſi quatenus, & quamdiu ipſa voluerit: ac proinde nullo iuris vinculo teneri illis pmiſſis ſtare, quæ eius nomine Optimates in concilio publico, vel alias Regi quoquo modo faciunt: penes eam ius totum eſſe feriendi, firmãdi, frangendique fœdera & promiſſa omnia, prout è re ſua eſſe arbitretur. Quo conſilio nihil turbulẽtius, nihil peſtilentius & magis exitioſum ſocietati humanæ ab ipſomet Diabolo, nedum ab homine, hominibus proponi potuit, eo enim admiſſo quid ſupereſt niſi vt regnorum omnium, & ariſtocratiarum fundamenta protinus conuellantur? quandoquidem certum eſt intemperantes plebeiorum hominum animos, tam fera & effrenata libertate luxuriantes, nullum ſibi modum daturos: neque ad ſummam in Deum, & Magiſtratus omnes, inſolentiam aliquid omiſſuros. Sed & ipſamet etiam Democratia, quàm regno velit ſuccedere, tabificâ huius morbi contagione vehementer laborabit: & tandem infecta penitus & confecta inſolentis libertatis intemperie, velut corpus aliquod graue, luxatis membris concidet, atque in meram Anarchiam diſſoluetur. Hæc illa Bruti eſt præclara doctrina, ſcilicet, præclara, inquam, Reipublicæ forma, quam ſuis hiſce Vindiciis ſtabilire conatur: quæ ſi vllam apud homines gratiam inuenerit, motus longè maiores per totum orbem metuendi ſunt, quàm vnquam illi fuerunt, ex Germanorum ruſticorum ſeditione concitati. Periêrũt

in il-

in illo tumultu centum circiter milia plebis; at centies cẽtena milia peribunt, ſi Bruto auſcultetur. Nam proculdubio maior pars populi, vbi hac debitæ ſibi libertatis opinione fuerit imbuta, atque eiuſdem potiundę ſpe accenſa, nullo ſe diſcrimini non committet, vt ius ſuum vel ab inuitis exprimat, vel à volentibus conſequatur. Et contrà Magnates, qui plurimùm vulgo elatiores animos gerunt, neutiquam permittent ſe de ſtatu & ordine ſuo deiici, quin potius extrema quæque pati, ac ſe non eſſe multo malint, quàm in tantas támque ignominioſas calamitates & miſerias (vt ipſis videtur) incidere. Illi igitur, quoniã ad eam, quam ſpe deuorarunt, libertatem, niſi his protritis & conculcatis, penetrare non poſſunt; neceſſe habebunt ferro ſtatim & flamma viam ſibi aperire. Et hi ſimiliter quod in ſe periculum intendi ſciunt, non ſegnius conabuntur præſidiis aduerſus tot hoſtes domeſticos ſe munire, atque aditus omnes præcludere, per quos in ſua caſtra perrupi poſſit: Denique & arte & armis decernere, quibuſcunque dignitatem ſuam tueri poterunt: quo fiet, vt has diſcordias bella cruenta & pluſquam ciuilia, bellorumque funeſti & miſerabiles exitus conſequantur. Mirabitur fortè poſteritas (ad quam, vt ſpero, Bruti libellus luce & lectione indignus non perueniet) Chriſtianum, ac ſani cerebri hominem, eò audaciæ prorupiſſe, vt auſit tàm ardentes diſcordiarum & ſeditionum ſcintillas, ne dicam faces & flãmas, in populum diſpergere. Sed mirari deſinet, vbi Lutheri Caluinique conſilium agnouerit, quorum alterutrius diſcipulum eſſe hunc Reip. incendiarium, ex propriis eius ſcriptis, nõ obſcurè deprehenditur: cuius rei lectorem ſupra commonui [1]. Nam cum Hæretici mortifera ſectæ ſuæ dogmata proponere & propagare vnicè ſtudeant: eaque liberius, & ſine legum iudiciorumque metu, in mediis ſeditionibus, & turbata Repub. diſſeminari poſſe ſciant: nihil non machinantur, quo Principes populoſque inter ſe cõmitti poſſe putant: vt his vtrinque arma tractantibus, atq; in tetro & periculoſo bello adminiſtrando occupatis, illis idonea graſſandi in omnium animas, & venenatũ ſuæ hæreſeos mucronem in penitiſſimis cordium receſſibus figẽdi opportunitas tribuatur.

[1] lib. 3. cap. 1.

Brutum tum metu Numinis, tum moris Maiorum obſeruantia plebem ſoluere, quo facilius omnia in Anarchiam recidant.

dant. Eius de populi & Optimatum authoritate inconſtãs iudicium: de Rebellio & rebellii cauſis futiles & pernicioſa ſententia.

CAPVT XXI.

SEd ne quis fortè arbitretur me Bruto aliquid per calumniã affingere: en aliqua eius libri loca annotabo, quibus iſtam, quam ei aſcripſimus, doctrinam, non obſcurè & diſſimulanter, ſed apertè planeque complexus eſt: idque cùm facit nonnulla, à vero non abhorrentia tractatui ſuo ſparſim inſerit, atque immiſcet ita vt vera illa ex falſis principiis ab eo poſitis, vel hæc ex illis oriri & pendere lectoribus incautis & ineruditis videantur. Sed ego id ei vix vitio vertam, ſiquidem ex artis ſuæ præſcripto facit. Hæreticis enim omnibus antiquum eſt & ſolẽne, fraudes & fallacias ſuas verarum ſententiarum permiſtione condire. Itaq; quod de meretricibus olim Iuriſconſulti [1], id paucis commutatis, in iſtos non ineptè conueniet. *turpiter eos facere quòd ſunt Hæretici, ſed non turpiter impoſturis mendaciisque vti, cum ſint Hæretici.* Eſt enim hæreſis proſtitutio quædam ſpiritualis, quæ quot animas occupat, tot facit eſſe proſtibulas. Sed hoc agetur alio loco: ad inſtitutũ reuertor. Ait igitur [2].

[1] Labeo Marcellus, Vlpianus. l. 4. §. 2. D. de cõdem. ob turp. cauſ.

[2] Pag. 107.

Dices verò fortaſſe. Tu mihi Patritios, Optimates, regni officiarios narras. Ego verò contra, nil præter laruas, & antiqua tanquã in tragœdiis paludamẽta video: antiquæ verò libertatis & authoritatis vix vlla vſquam veſtigia cerno. Deniq; pleroſque palã ſua curare, Regibus aſſentari, populo illudere videas: vix vſquam qui populi euiſcerati miſereatur, nedum qui miſero opem ferat, inuenire poſſis. Quod ſi qui verò eo animo aut ſunt aut eſſe putantur, rebelles & perduelles iudicantur, exulant, ac tantum non victum quæritare coguntur. Quid? ita res ſe habet. Tanta ferè ſemper, & vbiq; locorum fuiſſe videtur aut Regum audacia, aut Optimatum partim præuaricatio, partim ignauia, vt Reges quidem eam, qua hodie plerique inſoleſcunt, licentiam quaſdam quaſi longi temporis præſcriptione, vſucepiſſe: Populi verò authoritatem ſuam aut tacitè ceſſiſſe, aut non vtendo amiſiſſe videantur. Nihilominus tamẽ aduerſus populum neque præſcriptio, neque præuaricatio iſta quidquam facit. Vulgatũ eſt, nullam fiſco præſcriptionem nocere, multo verò minus populo vniuerſo, qui Rege potior eſt cuiuſque gratia Princeps id priuilegium habet, &c.

Conſiſte paululum lector, & dolos ad circumſcribendũ populũ, maiore impudentia quã artificio conſutos, mecũ dili-

diligentius perpende. Cùm enim duæ potiſſimum res ſint, quæ multitudinem arctioribus vinculis in officio retineant, eique magnam aduerſus Principes ſuos obſeruantiam & reuerentiam ingenerent: metus ſcilicet Numinis, moſque Maiorum: Brutus eam ſua ſententia, vtriuſque obligationis nexu ſoluit liberamque dimittit. Nam quod ad legis diuinæ præceptum attinet, quo *omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita eſſe iubetur*, *non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, id hac ratione eludit, quod populi, quàm Regis celſiorem & ſublimiorem eſſe dignitatem poteſtatemque contendat: idque in ſuis vindiciis pro certo ac ſolido totius doctrinæ ſuæ fundamento nobis obtrudat: atque Apoſtolum eo loco, non magiſtratuum aut populi officium deſcribere, ſed tantum ſingulorum Chriſtianorum, ob eamque cauſam ipſi etiam Neroni obediendum eſſe docere[1]: quibus conſequens eſt, alia ſimiliter omnia de Rege honorando præcepta, ad ſingulos tantùm de populo non ad ipſum populum aut maiores magiſtratus pertinere, quæ ſententia, quamuis tota planè falſa ſit & futilis, ac non niſi meris mendaciis & captioſis rationibus nixa (vt eſt à nobis iam ſatis ſuperque demonſtratum) tamen quoſdam adeò leues & inconſideratos inuenit, vt illo interpretationis fuco metum omnem ſibi abſtergant, qui ex religioſa mandatorum Dei obſeruatione, mentibus hominum in hoc negotio incuti ſolet. Alterum verò impedimentum, quod ex inueterata regnorum conſuetudine, & patrio cuiuſque gentis more natum animaduertit, ea fraude hic remouet, quæ ſerpentinum cum prima muliere congreſſum, colloquiumque, in memoriam mihi reducit: quaſi Brutus in cœtu populari multitudinem interrogaret: cur patimini Reges veſtros tanta in vos libertate dominari: cur iis immenſam hanc licentiam veſtra autoritate non præciditis? Cur non efficitis vt in ordinem redeant, & communi ciuium iure, legibus ſubiiciantur? Iiſq; reſpondentibus id ſe ideò tentare non auſos, quòd populus ab ipſo regni primordio in Regum ditionem conceſſerit, inque eos ſuum omne imperium & poteſtatem contulerit: iſta mox, quæ ſuperius hoc capite retulimus alia[2] que in eam ſententiam ſubiiceret. Nequaquam ſcilicet rem ita ſe habere, vt illa arbitratur: eſſe hunc errorem imperitæ multitudinis ius ſuum ignorantis, in quo verſari eã diutius non oporteat. Reges liberiorem iſtam, qua hodie fruun-

[1] Pag. 212.

fruuntur,licentiam,non populi conceſſu accepiſſe, ſed vel ſua audacia,vel *Optimatum partim præuaricatione, partim ignauia,quadam quaſi longi temporis præſcriptione vſucepiſſe*: eamque rem populo fraudi eſſe non debere, nec vllo modo præiudicare:quippe in quo ſummá ſemper poteſtas, atque imperium reſidet,cui nullo tempore, quantumuis diuturno,præſcribi poſſit. Ac ne quis ei reponeret, nihil nunc populo ad priſtinam authoritatem imperiúmque recuperandum,iuris reliquum eſſe: quoniam per ſuos optimates,qui (vt dictum iam ſæpius) populum vniuerſum repræſentant, poteſtatem omnem ſuam in Reges tranſtulit, vnde immẽſa hæc illis libertas obuenit. Statim it obuiam illi obiectioni, aſſeritque non populi voluntate, ſed optimatũ perfidia id factum eſſe, quorum inita cum Regib. conſpiratio, coniuratióque,ius populi mutare vel minuere non poteſt: ideoq; Magnates legum pœnis,vt præuaricatores,eſſe ſubiiciendos,quòd populi cauſam prodiderint:populum verò nihilo magis iure ſuo cecidiſſe, ac proinde nõ teneri id iugum pati,quód Optimates perfidis pactionibus,& colluſione cum Regibus facta,ei impoſuerunt. Ita enim ille. *Quid ſi Optimates ipſi cum Principe colluſere,&c.*
mox reſpondet [1]. *Non poteſt ſanè iſta quaſi Magnatum in damnum necémque populi inita conſpiratio quidquam eius iuri detrahere. Verùm & illi in pœnam legis,quæ in præuaricatores lata eſt,incident & his ac ſi res omnino integra eſſet, & patronum aliũm eligere,& ius ſuum denuo perſequi lex permitteret.* quibus addit,quod ante retulimus. *Etenim ſi populus Romanus imperatores ſuos noxæ dedit,qui ad Furcas Caudinas indecorè cum hoſtibus pepigerant,coacti licet & in ſummas anguſtias redacti,nec ea ſe pactione vlla tenus teneri iudicauit: an non multo minus tenebitur populus id iugum pati, quod non vi, ſed vltro, non mortis metu,ſed lucri cupidine,aut ſi,qui excutere debebãt, impoſuerint,aut qui poterant tolerarint.* Pag.106.

En vt apertè his locis, & ſine vlla circuitione loquitur, atque imperium populi ſupra Reges & Magnates omnes ita extollere & ſtabilire conatur, vt ſolius multitudinis arbitrio iudicium de ipſorum innocentia,deque fortunis & capite fiat; in quo ipſa ſola,& accuſatoris, & teſtis,& iudicis, partes obibit. Sed idem tamen poſtea,vt hominem ridiculè inconſtantem agnoſcas, hanc tam immitem in Optimates legem , ſeu ſtudio permulcendi nobilitatem, quam contumelioſa hac ſententia offenderat, ſeu vulgi impo-

Digitized by Google

tentes animos cohibendi gratia, ſeu immemoria lapſus, aliáve de cauſa, nouo decreto ſuo refixit. Nam vbi multa ficta & commentitia vndique corraſit; eaque per fallaces & captioſas conſequutiones, ad Regem de libertrimo & ampliſſimo vitæ ſuæ ſtatu deiiciendum, veri quadam ſpecie adumbrauit: tandem ad finem tractatus ſui iterum de iure populi percontatur, & quærit num ſingulis vindicandi Rempublicam à tyrannide ius fáſque ſit (ſingulorum autē nomine quin ipſum ſine Optimatibus populum intelligat, dubium non eſt: id enim ſubiecta ad quæſtionem reſponſio perſpicuè demonſtrat) Reſpondet autem, *minimè verò. ſed eorum qui vniuerſos in regno, regione, vrbéve, quæ regni partem faciat, repræſentant* (qui ſunt Optimates, vt ipſe millies iam faſſus eſt) *iuſſum expectent oportet, aut vnius ſaltem ex illis, antequam aduerſus Principem quidquam moliantur*, idque ducto à ſimilitudine argumento confirmat. *Etenim vt pupillus*, inquit [1], *non niſi tutore aut hore, actionem intendere poteſt, & ſi pupillus quidem dominus verè eſt, tutor verò pro domino tantum, quantum ad pupillarem prouidentiā attinet, habetur, Ita neque populus, niſi his auctoribus in quos ſuam auctoritatem & poteſtatem tranſtulit ſiue ii ordinarii magiſtratus ſint, ſiue in conuentu publico extra ordinem creati: quos, inquam, gladio ſuo in eam rem accinxit, quibus ſe regendum, curandumque tradidit: qui denique non ſecus ac prætor ille Romæ, qui inter ſeruos & dominos ius dicebat, eo loco verè conſtituti ſunt, vt ſi quæ lis inter Regem & ſubditos oboriatur, iudices & vindices ſe præſtent, ne ipſi ſubditi in ſua ipſorum cauſa ſententiam pronuncient. Itaque ſi vectigalia & tributa iniqua imperari, ſi quæ contra pacta in veſraudem fieri videantur, nec tamen optimatum vllus reclamet, aut repugnet, conquieſcendum ſibi putent.* & paulò pòſt, *Si manifeſtæ tyrannidi faueant Optimates ipſi, aut ſaltem non repugnent: recordentur*, reliqui de populo *propter peccata populi, Deo permittente, regnare hypocritas: qui niſi ſe ad Deum ipſi ex corde conuertant, nullis machinis euerti poſſint. Itaque non pedibus, non manibus, ſed genibus flexis opus eſſe. Denique malos Principes ferant, meliores optent: & non ſecus ac grandinem, alluuiones, tempeſtates, ceteraſque naturales calamitates, tyrannidem illam ſibi æquo animo ferendam, aut ſedes mutandas putent.* & mox. *At ſi Optimates omnes, aut plerique, aut vnus ſaltem aliquis manifeſtam tyrannidem coercere, aut magiſtratus ab ea regni parte, qua ſibi commiſſa fuerit, arcere conetur, & ita quidem, vt is ſit, qui eius expellendæ prætextu aliam non intuebat:*

Pag. 210.

bat: tum ſanè, tanquam agmine facto, certatim ad delectum concurrant, obnixè pedibus manibuſque opem ferant, ac tanquam Deus ipſe cælitus ſignum pugnæ aduerſus tyrannos dederit, R. publ. regnumque à tyrannide vindicare conentur. Etenim vt populum per tyrannos, ita & tyrannos per populum punit & caſtigat Deus.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? quid enim hoc homine inconſtantius, quem modò conſilii pœnitet, modò pœnitentiæ ipſius? Omnem initio poteſtatem tribuit populo tàm in Regem quàm in Optimates [1]. Poſtea verò eandem illi poteſtatem aufert, atque in ipſos iterum transfert Magnates [2]: nihilque tentandum populo cenſet, etiam in manifeſta tyrannide, ſi Optimates cum Rege conſpirant. Poſtremò, vt ademptam multitudini ſuperiore ſententia libertatem, ei iterum reſtituat, facilemque ſe ditioſis hominibus viam ſternat ad defectiones & rebellia, concludit [3] ſat populo eſſe, ſi vnus magiſtratus, cæteris ſilentibus & conniuentibus, aut etiam repugnantibus, ſe Regis tyrannidi opponat, ad hoc vt omnes, *tanquam agmine facto, certatim ad delectum concurrant &c.* Effecit profectò Brutus poſtrema hac ſententia, ne ſit cur populus aliquid ſibi ademptũ queratur: & ne Reges vel Optimates, in quorum perniciem hoc opus conſcripſit, vllo poteſtatis ſuæ commodo frui, vllaque imperii ſecuritate gaudere, niſi ad multitudinis arbitrium poſſint. Quippe nullum regnum tam exiguis finibus concluſum eſt, vt non in eo factioſus aut ambitioſus aliquis magiſtratus reperiatur, qui ſe facilè præconem, imò principem, ac ducem ſeceſſionis populo in Regem infenſo præbeat. Itaque nihil illis obſtabit vnquam, quo minus Principem ſuum, & cum eo primores omnes, vnius turbuleti hominis ductu atq; imperio, in ignominioſam ſeruitutẽ dedant. Cautio autem q̃ adhibet, ita demum ſc. vnius magiſtratus iuſſu omnibus ad arma concurrendum, ſi is ſit, qui tyrannidis *expellendæ prætextu aliam nõ inuehat*, ridicula planè eſt & ſuperuacanea: nam & vulgũ ipſum eius rei arbitrũ facit, qui plurimùm corruptè iudicat: & cõditionẽ adeò incertã apponit, vt nihil ſuprà: Quãdoquidẽ res nulla inter mortales reperitur, quę hominẽ æquè cuncta ſimulare & diſſimulare omneſq; animi affectiones vitioſas cõprimere & occultare ad tẽpus faciat, ac ipſa ambitio, vt difficile, imò impoſſibile ſit, præſcire an is qui ad arma vocat ſuo potius quã populi cõmodo moueatur,

[1] pag. 105. & 106.

[2] pag. 210. 211. & 212.

[3] pag. 212. & 213.

vt eſt à nobis libro primo multis & authoritatibus & exẽplis abundè demonſtratum. Quapropter temerarii & inconſiderati hominis eſt, ac Principem ſimul & populũ furibundâ audacia perdere conantis, ſuadere vt populus certatim, iubente vno ex Optimatibus, arma capiat, atque in Regem & reliquos Optimates omnes hoſtiliter inuadat: ac rupto denique illo patientiæ & concordiæ vinculo, propter quod ferendam tyrannidem eſſe monuit cùm omnes à Rege Optimates ſtant, cuncta ſeditionibus & bellis inteſtinis ac domeſticis, ad vnius magiſtratus nutum compleat. Sed mirum eſt Brutum non animaduertiſſe quàm acriter & euidenter ipſe ſecum in huius rei definitione pugnet, & non ſolùm non cohærentia inter ſe dicat, ſed maximè diſiuncta atque contraria. Si enim populo licet in optimates ſuos, qui ſeruitutis iugum à Rege impoſitum aut tolerarunt aut non repulerunt, pœnis præuaricatorum animaduertere; vel eos noxæ dedere, vt olim populus Romanus duces ſuos, qui exercitum ad ſaltus Caudinos interceptũ, ſub iugum traduci patiebantur; cur non ſimiliter ei licebit eoſdem Optimates manifeſtæ tyrannidi fauentes de ordine atque officio ſuo deiicere, & tanquam ſceleris tyranni ſocios ac participes, eiuſdem quibus ipſum tyrannum, armis & artibus perſequi perdereque? cur non ſe ſine illis Magnatibus in libertatem vindicare? cur omnium eorum, aut vnius ſaltem, iuſſum expectare teneatur, antequam collũ manifeſtæ tyrannidis iugo ſubtrahat; aut aliquid contra Principem moliatur? Vel ſi nihil, niſi Optimatibus iſtis authoribus, iubentibuſque, populus aduerſus Principem moliri debet; qui fieri poteſt vt eorundem Optimatum cum Principe conſpiratio non detrahat quidquam iuri & libertati populi? Et, ſi dum omnes Optimates manifeſtæ tyrannidi fauent, aut ſaltem non repugnant, populus quieſcere tenetur, ac tyrannidem illam æquo animo ferendam, aut ſedes mutandas putare: qua ratione concludetur eum poſſe, ſpretis atque reiectis Optimatibus qui in aperta Principis tyrannide conniuent, alios tuendæ libertati patronos aſciſcere? An non adeo pugnantes hæ ſunt diſcordéſque ſententiæ, vt altera poſita atque conceſſa, alteram tolli neceſſe ſit. Nam quòd locis & lineis in illo libello diſtent, id ſyllabarum, non ſententiarum, controuerſias dirimit: nec tam mentẽ in deprehendẽdo & iudicando contrariè ſcripta, quàm memoriã in retinendo perturbat præpeditque.

Vi-

Videat,nũc igitur Cono Superantius quiſquis eſt,qui præfationem de Bruti laudibus,& eius Vindiciarum conſtanti certa ac perfecta doctrina contexuit,quàm miſerè in eo legendo fallatur,vel quàm turpiter cum eo deliret. Nihil enim inconſtantius,nihil incertius aut obſcurius, quàm de totius quæſtionis & controuerſiæ capite ac ſumma, nunc hoc,nunc illud,contrariè ſtatuere; atque ita quidem ſtatuere,vt quam ex contrariis ſententiis velit obtinere, non apertè definiat,ſed dicendi quodam artificio inuoluat,quaſi aut neutram aut vtramque ſenſiſſe videatur.

Brutina iuris inſcitia. Dilutum ex Romana hiſtoria argumentum. Eius in ambiguitate verbi, Imperator, calliditas. De populi inſurrectione ductu Magnatis alicuius, quam præponit, exagitata & reprehenſa ſententia.

CAPVT XXII.

HÆc cùm ita ſe habeant, reliquum eſt vt vitia elẽchorum,quibus vtitur hic author in locis ex illo in ſuperius caput translatis, curſim ſtrictimque aperiam. Primùm igitur quod ſcribit,

Reges eam,qua hodie pleriq; inſoleſcunt, licentiam,quadam quaſi longi temporis præſcriptione, vſucepiſſe : partim per ſuam ipſorum audaciam, partim per præuaricationem & ignauiam optimatum. Id,etſi non omnibus videatur, ſplendidum vtique mendacium eſt: quandoquidem ſatis conſtat inter omnes,qui in hiſtoriis & veri inueſtigatione verſantur,Regibus initiò conceſſum à populis fuiſſe,vt ſolutiſſima & liberrima poteſtate in ſubditos fruerentur: cuius rei ſi quis certam & indubitatam ſibi fidem fieri poſtulet,is,ne actum nunc agam,permulta in ſuperioribus libris paſſim inueniet quæ ad eam rem ſatis ſunt. Deinde quod pro certo iuris axiomate profert,***nullam fiſco præſcriptionem nocere.*** id quoque magna ex parte falſum eſt. Nam & actiones tam in rem, quàm in perſonam, atque etiam hypothecariæ fiſco competentes, triginta vel quadraginta annorum curriculo perinde extinguuntur, ac ſi eſſent priuatorum [1] & ipſa Regalia, ſoli Principi & fiſco reſeruata, amittuntur præſcriptione temporis, cuius initii non extat memoria [2]. Quinetiam præſcriptioni locum eſſe tradunt aduerſus ſupremam dominationem Imperatoris,ſi Reges & Reſpublicæ, per tempus memoriam hominum excedens, eum non agno-

1 gl. in §. res fiſci. Inſtit. de vſucap. & ibi Fabe. Angel. & alii. Bart. Iud. l. in omnib. D. de diuerſ tẽp. præſcrip. Bal. & Salic. ad l. 1. C. de quadr. præſc

2 DD. ad tit. quæ ſunt regalia li. 2. feud. Chaſſan de glor. mundi in 5. parte.

Bart. in l. hoſtes D. de cap & poſt. reuerſ. Bal. in l. 1. nu. 22. & 25. C. de ſeruit. & in l. 1. C. ne rei dominicæ. Felin. in cap. cum non liceat. de præſcrip.

agnouerit ſuperiorem? vt inde potius argumentum contra Brutum rectè aliquis ducat: cùm Reges multis nunc ſeculis, non vt ſubditos, ſed vt ſolutos & ſuperiores populo ſe geſſerint.

Rurſus quod ab exemplo authoritatis populi Romani argumentum trahit, id nulla ratione cōcludit. Nam quod populus ille ſuos belli duces, qui ignominioſæ pacis cum Samnitibus ad Caudium authores erant, noxæ damnarit dederitque id iure ſuo fecit: quippe popularis tunc rei Romanæ ſtatus erat, ita vt in populo imperii poteſtas omnis reſideret: cuius iniuſſu neque Conſules, neque Tribuni, aut vlli alii magiſtratus vrbani vel militares, fœdus aliquod ferire, bellúmve indicere poterant. At nobis de Regno & Monarchia ſermo eſt, in quibus populus imperium & ius omne ſuum à ſe abdicauit atque in Principem tranſtulit ita vt omnis imperii exors ſit, ac proinde ius nullum animaduertendi neque in Optimates vniuersè, neque in ſingulos, Rege id totum ſibi vindicante, habeat. Quod igitur Brutus ex democratico illo Romanæ Reipublicæ ſtatu ad regalis imperii vim extenuandam adducit, id inſcitè quidem facit, & perinde ac ſi dixeris. Si populus in democratia liber magiſtratibus à ſe & infra ſe conſtitutis multam dicere, atque omnem abrogare authoritatem poteſt, vt olim poſt exactos Reges populus Romanus: An non in Regno ſimiliter populus imperio exutus eandem aduerſus Reges & alios magiſtratus ſupra ſe poſitos poteſtatem exercere poterit? hæc autem vitioſa nimis & inſcita atque abſurda collectio eſt: plus enim quàm manifeſtum eſt, nihil efficacitatis habere argumentum à populi liberi poteſtate, ad populum ſub regalis imperii iugo ſceptróque degentem.

Sed & illud non inſubtiliter facilioris fallaciæ cauſa ſcripſiſſe videtur, *Si populus Romanus Imperatores ſuos* nimirum vt vno lectorem verbo caperet. propterea quòd nomē illud Imperatoris, dignitatem nunc maximam, & ſummi imperii Principem deſignat: quaſi hac ratione colligi poſſit populis in Reges ius eſſe, cùm populus Romanus in Imperatores ſuos liberrima poteſtate dominatus ſit: Sed captio eſt in verbo. Imperatores enim ſtante Republica dicebantur ii, quos populus belli duces exercitibus præficiebat: qui ipſi, & exercitus omnes, in populi erant poteſtate. Inter illos igitur, & poſteriorum ſeculorum Impe-

ſatores ac Reges, nulla proportio comparatioque æqualis reperitur.

Præterea ſtatuere vt vnus magiſtratus, vnáve regni ciuitas, cæteris omnib. nec conſentientib. nec conniuentibus, imò contradicentibus, Regis ſe imperio ſubducere, & eum bello perſequi poſſit, non ſolùm iuris diſciplinæ repugnat, quæ ciuitates ſingulas, in comparatione & reſpectu totius Reipublicæ, priuatorum loco habet[1], & neutiquam permittit, vt vnus ex pluribus eiuſdem dignitatis ſociis, inuitis cæteris, aliquid innouet. qua ratione vnius Tribunorum interceſſio reliquorum omnium in re noua introducenda conatus irritos & inanes faciebat. Sed naturali etiam æquitati, atque adeo communibus regni commodis, & publicę tranquillitati aduerſatur, quæ nunquam non aſſiduis rebelliis euerterentur, ſi & cuilibet Magiſtratuum fas eſſet multitudinem cogere, atque armare in Principem inſolita atque tyrannica imperantem: & ipſa multitudo neceſſitate conſtringeretur ad eiuſmodi Magiſtratus vocem, tanquam ad Dei ipſius claſſicum canentis, concurrere, vt author hic falsò nititur nobis perſuadere. Accidit enim frequenter vt ſatius ſit manifeſtam tyrannidem ipſoſque Tyrannos, certè Reges tyrannicis moribus inquinatos, tolerare, (etiam ſi daremus eos iure tolli poſſe) quàm commouere ad rebellionē ſubditos, & totum vbique regnum inteſtinis ac domeſticis odiis, belliſque ciuilibus complere. Quod cùm ita ſit, quid quæſo miſerius & Reipublicæ pernicioſius, quàm tantarum rerum diſcrimen ac delectū, non ſapientum conſiliis, non Optimatum ſententiis, non populi ſuffragiis, ſed vnius perditi hominis, temerarii, inquam ac ſeditioſi magiſtratus arbitrio, ſecundum Bruti ſententiam, velle committere? vt populus ſcilicet ad apertam, ſed tolerabilem tyrannidem vindicandam, in moleſtias & calamitates intollerabiles, vnius ambitioſi vel fanatici, imò phrenetici hominis, nec ſummum in eos imperium habentis, iuſſu ſe præceps coniiciat. Poſtrema denique impoſtura in eo eſt, quod rationis loco adſcribit.

Etenim vt populum per Tyrannos, ita & Tyrannos per populum punit & caſtigat Deus:

quaſi verò aut iuſtè faciant Tyranni, quos Deus patitur in populum peruerſum & legis diuinæ negligentiorem ſæuire: aut populus, quem furens & fatalis impetus in Principis

[1] l. eum qui vectigal. 16. D. de verb. ſig.

& Superioris ſui necem propriæ iniuriæ vindicandæ ergo concitat. Scitum eſt quod ſuprà diximus, *malum nodũ malo cuneo findendum*. Vtrique igitur peccant grauiter: illi quidem quòd iure ſuo abutuntur, & ſupra modum proterue ac crudeliter imperant, eoque tantarum iniuriarum reos ſua ipſorum conſcientia, & ſolos quidem & nudos, ad inflexibilis Iudicis tribunal tandem aliquando conſtituet: hi verò quòd contra omnem iuris rationem, & ratum humanarum rerum ordinem, ſubditi in ſuperiores & diuina atque humana lege inuiolabiles magiſtratus cum ferro inuadunt. Non itaque, ſi Deus punit & caſtigat Tyrannos per populum, continuò ſequitur populo in Tyrannos ius eſſe (quod Brutus hic probandum ſuſcepit) tantùm id ſequitur, variis Deum modis, malos è medio tollere, & inimicorum ſuorum alios per alios vlciſci; alioqui eadem ratiocinandi formula concludetur priuato cuique licere peruerſos Reges trucidare, quandoquidem per priuatos aliquando, & infimæ ſortis homines, Deus malis Regibus mortem offert.

Reges propriè legumlatores eſſe: Bruti de ea re mendacia perſtringuntur. Ab eius calumnia vindicati aulici. Regum in condemnando & ignoſcendo poteſtas & facultas ſolutiſſima.

Cap. XXIII.

LOngum eſſet, minimeque neceſſariũ, cæteras omnes huius viri ineptias perſequi, quas partim mendaciis partim conſequutionum fallaciis, velut phaleris quibuſdam, ornat & ordinat; complures tamen in tranſcurſu attingam.

1 pag. 114. 2 pag. 130. *Regibus id præcipuè muneris commendatum* ait [1], *vt legum cuſtodes, miniſtri & conſeruatores eſſent*: & inferiùs paulò [2], *leges in regni incolas, vitæ necíſq; poteſtatem habere, non Reges, qui legum tantùm miniſtri & cuſtodes ſunt.*

Cur non addidit, & legumlatores, quod præcipuum & maximè proprium Regis officium eſt? certè id ſingularia Regum munia explicantem præteriiſſe non oportuit. Sed nimirum cauſæ ſuę iugulum proprietas illa vehementer premebat, quandoquidem neque legiſlationem neque interpretationem Regibus concedit. Id igitur aſtutè reticuit, quia cauſæ ſuæ tantopere aduerſatur, vt ei verbo *lumbos fractos eſſe velit*. At meminiſſe debuit proditorem veri-

tatis eſſe, non ſolumqui mendacium dicit, ſed etiam qui veritatem vafrè & malitioſè occultat [1]. Itaque illud Caracallæ dictum, vt tyrannicum, reprehendit [2]. *Imperatores leges dare, non accipere*; quo tamen nec iuſtius quicquam, nec magis regium dici poteſt, dummodo non perperam intelligatur: & ſi quidem deterius nihil dixiſſet aut feciſſet Baſſianus ille Caracalla, eũ Papinianus legalis doctrinæ theſaurus non excuſaſſet modo, ſed laudaſſet. Nam re vera Imperatoris eſt leges populo dare, non à populo accipere, vt conpluribus euidentiſſimis argumentis atque exemplis paſſim his libris demonſtratum eſt. Sed Bruti mendacia perſequamur.

1 Can. quiſquis. Can. Nolite. xi. quæſt. III.
2 Pag. 119.

Ne verò legi vim facerent, inquit, *Optimates, de quibus antea ſubinde Regibus à populo adiuncti fuerunt.*

Et hoc merum quoque mendacium eſt. Satis enim conſtat inter omnes, qui gentium nationumque hiſtorias regnorum initia & progreſſus non oſcitanter perſcrutati ſunt, Optimates, quos noſter iſte paſſim regni officiarios nominat, non Regibus à populo datos, ſed à Regibus ipſis ſponte ſua in conſilium fuiſſe aſcitos, vt ſcilicet eorum vicaria in regno gubernando fide & opera vterentur, vt inquam eos in maximis curis, quæ regno plurimùm iunctæ ſunt, haberent ſibi ope conſilio adiutores. Romulus enim diſtributa in ordines multitudine, compoſitoque totius Reipublicæ ſtatu, conſiliarios de Patribus ſibi delegit, vt haberet quorum conſilio Rempublicam adminiſtraret, quorum vni præcipuam rerum vrbanarum curam commiſit, quoties ipſe exercitum foras ductabat. ὁ δὲ Ῥωμύλος, inquit Dion. Halicarnaſſæus [3] ἐπειδὴ ταῦτα διεκόσμησε, βουλευτὰς εὐθὺς ἔγνω καταστήσασθαι μεθ' ὧν πράττειν τὰ κοινὰ ἔμελλε, ἐκ τῶν πατρικίων ἄνδρας ἑκατὸν ἐπιλεξάμενος. In Scotia verò per nouem Reges ducentis circiter annis regnatum fuit, ſine vlla conſilii publici mentione: ac tandem Finnanus Rex decimus legem tulit, populo nihil tale aut rogante aut expectante, ne publica regni negotia ſine procerum conſultatione & conſilio tractarentur [4]. Hanc igitur neceſſitatem Rex ipſe ſibi impoſuit, non à populo obtruſam pertulit, non ex conuentione & cõtractu accepit: ob eamque cauſam nec ipſe, nec eius poſteri, illa lege ita aſtringebantur, vt ipſis liberum non eſſet ab ea recedere: eſt enim generali definitione proditum, neminem eam ſibi legem dicere poſſe, à qua recedere ei non liceat [5]. & ſucceſſorem

3 lib. 2. antiq.
4 Hector Boeth. in hiſt. Scot.
5 l. ſi quis. 22. D. de leg. 3.

1 cap. innotuit. in dignitate deceſſoris ſui legibus non alligari [1]. Sed illud
20. de elect. cap. Bruti quàm ridiculum? *ne legi vim facerent.* quaſi verò qui
licet. de ſponſ. legis ferendæ arbitrium habet, is legi vim inferre, niſi
duor. καταχρηστικῶς dicatur, cùm ei, quod ſine legis diuinæ præ-
iudicio fiat, legem ciuilem, vbi libuerit abrogare liceat, vt
2 lib. 2. ſup. ſatis ſuperque probatum eſt [2]. Itaque melior magiſter B.
Auguſtinus, *Imperator*, inquit, *non eſt ſubiectus legibus, qui ha-
bet in poteſtate alias leges ferre.* Sed Brutus tantam Regibus
inuidet libertatem nec mirum, inuidet & honorem. Ita-
que ſibi temperare non poteſt, quin inuehatur in eos, qui
Reges iis nominibus & titulis efferunt, quibus eos diuinæ
& humanæ leges, legumque ipſarum ſancti interpretes
ſumma conſenſione ornarunt.

3 Pag. 11?. *Valeant ergo*, inquit, [3] *aulicorum aſſentatorum impia nugamē-
ta, qui Reges numina, Regum reſponſa oracula vocant.*

Valeat ergo, vt impius nugax & nugator, Dauid, quia
dixit, *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum*: & rurſus, *Ego dixi quia*
4 Pſalm. 81. *Dii eſtis* [4] *Deos appellans qui habent de hominibus iudicandi po-*
o in Ezech. cap. *teſtatē*, inquit D. Hieronymus [o] quaſi diceret Deus, vt ſcri-
44. bit doctiſſimus Genebrardus (*Ego vos dignatus ſum mea ap-
pellatione præ reliquis hominibus, ob officii dignitatem quo fungi-
mini, vt non homines, ſed Dii quidam terreſtres eſſe videamini.*
Valeat & Moyſes vt impius aſſentator, qui omnes iudices
5 Exod. 22. Deos vocat [5]. *Si latet fur*, inquit, *dominus domus applicabitur
ad deos, & iurabit quod non extenderit manum in rem proximi
ſui.* Quid? Deus ipſe nonne Moiſi dixit, *Ecce conſtitui te Deū
6 Exod. 7. Pharaonis* [6]. Non ſunt igitur aſſentatores aulici, qui Regi-
bus ea tribuunt quæ ipſis iure diuino atque humano de-
bentur. Sed calumniator Brutus, qui aulicis falſa crimina
intendit, & vitio vertit, quod virtuti tribuendum eſt. Quod
autem præterea adiicit, eoſdem.

*Non vereri Regibus ſuadere, nil per ſe iuſtum eſſe, ſed vt Rex ita
vel ſecus iuſſerit, iuſtum iniuſtumue fieri, quaſi Deus ipſe ſit qui
peccare nullo modo poſſit.*

Id quoque calumniam eſſe reor: quanquam ſi de indif-
ferentibus (cuiuſmodi multa in hominum ſocietate repe-
riuntur, quæ Græci ἀδιάφορα vocant) aulici ita loquan-
tur, rectè quidem loquantur & ſentiant. ea enim Rex ar-
bitratu ſuo, vt iuſta vel iniuſta ſint, legibus latis efficere
7 vide ſup. lib. 1. poteſt [7]. In cæteris verò quæ vel ſui natura, vel ſacrarum
legum præſcripto, æqua iniquaue cenſentur, neque Reges
Chriſtianos veriſimile eſt putare: eam ſibi poteſtatem cō-
petere,

petere, neque aulicos id illis conari perſuadere : niſi forte perd·tiſſimus aliquis fuerit ne dicam Bruto ſimilis, qui fas ac nefas iuxtà aſtimat.

Sequitur apud iſtũ [1] *In omnib. regnis bene conſtitutis dicemus Regem à populo leges, quas tueatur, quaſque intueatur, accipere.*

Oſtẽdimus iam ante nihil hac aſſertione falſius. Ipſa iura humana per Imperatores & Reges ſeculi, Deus diſtribuit generi humano, inquit Auguſtinus [2], nec eam, quòd refutatione iam amplius egeat, huc retulimus : ſed vt hominis imprudentiam, vel certè impudentiam, in ea comprobãda redarguamus. Probat igitur exemplis hoc modo. *Hac exemplis demonſtrari poſſunt*, inquit, *Antequam Rex eſſet in Iſraele Deus illi legem per Moſem præſcripſerat, tum ſacram tũ ciuilem, quam perpetuò ante oculos haberet. Vbi verò Saul electus eſt, & à populo conſtitutus, Samuel eam ipſi deſcriptam tradidit quã diligenter cuſtodiat nec prius cæteri Reges, quam in ipſius verba iurati, recipiuntur.*

Næ Brutus illuſtre nobis exemplum profert, quo ſuum prodat dolum, non quo probet ſententiam. Nam leges iſtæ vt hic fatetur, non à populo latæ erant, ſed à Deo: nec has Saul cùm inauguraretur accepit à populo, ſed à Deo per eius Prophetam Samuelem, nullaſque in ea re populi partes fuiſſe conſtat, niſi quod in Rege expetendo conſtituendoque conſenſerint. At quæ, precor conſequẽtia? Saul initio principatus ſui leges a Deo per prophetam accepit, ergo eas accepit à populo; ſi hoc non eſt ineptire, & imponere, aliis iudicandum relinquo, interim pergamus.

Alterum exemplum. *Reges Spartæ*, inquit, *quos legitimos vocat Ariſtoteles, iureiurando ſingulis menſibus renouari ſolito. Ephoris regni nomine ſtipulantibus, ſe iuxta leges patria à Lycurgo latas, regnaturos iurabant.*

Huius exempli vim nullam eſſe tum ex eo patet, quòd Lacedæmone diu ante Ephoros conſtitutos regnatum fuerit more regio, id eſt liberrimè : tum etiam quia Spartiatæ poſt Ephoros creatos, nec regnum habebant nec Regem, niſi nomine tenus : ſed mixtum quoddam Reipublicæ genus ex Oligarchia, Monarchia & Democratia conſtans, vt in Politicis tradit Ariſtoteles [3], & nos ſuprà cõmonuimus [4]. vt inde quis facilè intelligat iuſiurandum illud, non iure regni introductum debitumque, ſed,

1 Pag. 119.
2 Can. 1. diſt. 8.
3 li. 2. ca. 4. & li. 3. ca. 10. & 12.
4 li. 2. & l. 3. c. 8.

ſed Ephororum audacia (quorum magiſtratus teſte Ariſtotele malè fuit inſtitutus lib.2.polit.cap.7.) ab oppreſſis Regibus fuiſſe extortum.

Sequitur tertium, *Ægyptiorum Reges omnia agebant iuxta legum decreta, ſeque legibus parendo beatos fore profitebantur.* Rectè quidem, nihil enim Principes magis decet, quam legum ſuarum præcepta ſeruare. At illud hic non eſt in quæſtione, nec probandum ſuſcipitur, ſed hoc tantum Reges non eſſe legumlatores, ſed eas à populo accipere: hoc autem nulla ratione colligi poteſt ex eo quod ipſi legib. ſe ſubmittant. licet enim, iure regni legibus ſoluti ſint: tamen nihil tam proprium imperii eſt, quàm legib. viuere [1]. Hoc igitur exemplum perinde ad Bruti inſtitutū facit, ac ſi quis dum vult probare piſces extra aquam viuere poſſe, exemplum proferat de auibus quæ in aere volitant.

1 l. Princeps. D. de leg. l. 3. C. de teſtam. l. ex imperfecto. 23. de legat. 3.

Quartum. *Romulus Romanum regnum inſtituens, cum ſenatu ita paciſcitur, vt populus leges ferat, ipſe ne rumpantur prouideat, legumque cuſtos habeatur.* & alibi [2], *Conſimiliter in regno Romanorum Romulus cum ſenatu & populo hoc pactum facit. Populus leges ferret, ipſe Rex latas cuſtodiret: bellum populus decerneret, ipſe gereret.* Hoc exemplum momenti aliquid haberet, ſi verum eſſet, ſed falſum cum ſit, eo nos decipimur, nō docemur. Et vnde quæſo hæc Bruto hiſtoria? ex Dionyſii Halicarnaſſenſis libro.1, inquit, voluit fortè dicere.2 nam libro primo nihil de Romanę Reipublicę ordinatione autor ille tractat. Ego certe Dionyſium non raptim aut oſcitanter perlegi nec tamen apud eum aliquid de pactis Romuli cum populo factis inuenio. Largitionem quandam Romuli video: beneficium eius in populum video; liberalitatem in ſenatum video: pactum non video; non video, inquam, pactum quale Brutus intelligit, id eſt vltrò citroque conuentionem, ſeu ſtipulationem & confœderationem, vt ille loquitur. Nam quod ad pactum de non petendo attinet, quam donationem eſſe fateor, de eo hic nobis ſermo non eſt. apud Halicarnaſſæum igitur hoc tantum habetur [3]. Romulum Reipublicæ Romanæ formam præſcripſiſſe, honores & poteſtates in ſingulos ordines diſtribuiſſe, munia ſibi quæ placuerant reſeruaſſe, alia ſenatui plebique pro arbitrio commiſiſſe. Quæ omnia ſummæ & liberrimæ regnandi poteſtatis, non autem minuti & coarctati imperii, argumenta & ſigna ſunt certiſſima. Quid quod Corn. Tacitus (tertio Annal.) *Nobis Romulus*, inquit,

2 Pag. 161.

3 lib. 2.

quit, *vt libitum, imperitauerat*. & Pomponius (l. 2. §. quod ad Magiſtratus D. de orig. iur.) *Quod ad magiſtratus attinet*, inquit, *initio ciuitatis huius conſtat Regis omnem poteſtatem habuiſſe* & in eiuſdem legis initio ſic ſcribit, *Poſtea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipſum Romulum traditur populum in triginta partes diuiſiſſe: quas partes Curias appellauit propterea quod tunc Reipublicæ curam per ſententias partium earum expediebat. Et ita leges quaſdam & ipſe curiatas ad populum tulit. tulerunt & ſequentes Reges, quæ omnes conſcriptæ extant in libro Sexti Papirii*. &c. Si non Regi ſed populo leges ferendi poteſtas fuiſſet, nunquid hoc tacuiſſet Pomponius, qui iuris Romani originem & proceſſum, de induſtria exponendũ ſuſcepit?

Denique Plutarchus in vita Romuli manifeſtè tradit, nullam planè neque Senatus neque populi authoritatem & imperium eo regnante extitiſſe. *Senatores qui Patritii vocabantur*, inquit, *Reipublicæ gerendæ participes non erant, nec aliquid niſi nomen & habitus honorificus illis ſupererat: ac pro more potius, quàm ſententiæ dicendæ cauſa in ſenatum cogebantur, vbi Regi imperanti auſcultabant & poſtea recedebant hoc ſolo à plebe differentes, quòd ipſi priores quæ acta erant intelligebant*. Quid ad hæc Brutus? nunquid cum eius iſtis figmentis conſiſtere poſſunt? Non eum talia docuit Halicarnaſſæus qualia illi aſcribit. Audiet ab eo, ſi aures habet Regem præſcribere, Regem diſponere, Regem diſtribuere, Regem permittere, Regem committere: nihil ab eo extortum cernes, nihil pactis ademptum, nihil populi authoritate ereptum: vt mirum ſit Brutum in narratione tam perſpicua caligare, vel nobis caliginem offundere. Nam quod præterea autor ille de ſuo tradit hanc ſcilicet Romani imperii formam ex laconica Republica fuiſſe deſumptam, in qua Reges non ſui erant arbitrii, vt quicquid vellent facerēt: id homini peregrino, & Græco ſcriptori extra hiſtoriam differenti condonandum eſt, qui inſtituta Romanorum ad Græcorum conſuetudinem & imitationem traducere paſſim nititur. Sed vt maximè concedamus Romulum ad inſtar Laconicæ Reipublicæ ſuam compoſuiſſe, tamen, niſi illi ipſi hiſtoriæ fidem abrogemus, neceſſe eſt fateamur populum, gratuito Romuli beneficio, legis ferendæ poteſtatem accepiſſe, non autem minis, metu, vel pactionibus vllis ab eo expreſſiſſe. Huc accedit, quod primorum Regum Spartanorum liberrimum fuerit arbitrium, nulla

nec;

neque multitudinis, neque ſenatus, neque Ephororum authoritate coanguſtatum: donec Rex Euricion, ſeu nimia ſocordia emollitus, ſeu populari aura ſeductus, aliquid de ſumma & abſoluta regii dominatus poteſtate, cōtrà quàm debuit, ciuibus relaxauit: quæ mox indulgentia populum illum breui tam efferum & inſolentem reddidit, vt inde ad Lycurgum nulla nec Regum nec legum reuerentia & metu amplius tenerentur [y], inſigne mortalibus documentum, nullam poſſe legibus florere ciuitatem quæ ſummi magiſtratus metum exuit. Sed ad Halicarnaſſenſem redeo, is alibi perſpicuè demonſtrat omnem conſtituendi & moderandi regni Romani poteſtatem penes Reges fuiſſe, cùm de Seruio Tullio ſic ſcribit [z]. ὁ δὲ Τύλλιος οὐκ ἐν μόνοις τούτοις τοῖς πολιτεύμασι δημοτικὸς ὢν ἐδήλωσεν ἐν οἷς ἐδόκει τήν τε τῆς βουλῆς ἐξουσίαν καὶ τὴν τῶν πατρικίων δυναστείαν ἐλαττοῦν, ἀλλὰ καὶ ἐν οἷς τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν ἐμείωσε τὴν ἡμίσειαν τῆς ἐξουσίας αὐτὸς ἀφελόμενος. τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ βασιλέων ἁπάσας ἀξιούντων ἐφ' ἑαυτοὺς ἄγειν τὰς δίκας, καὶ πάντα τὰ ἐγκλήματα τά τε ἴδια καὶ τὰ κοινὰ πρὸς τὸν ἑαυτῶν τρόπον δικαζόντων, ἐκεῖνος διελὼν ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν τὰ δημόσια, τῶν μὲν εἰς τὸ κοινὸν φερόντων ἀδικημάτων αὐτὸς ἐποιεῖτο τὰς διαγνώσεις, τῶν δὲ ἰδιωτικῶν ἰδιώτας ἔταξεν εἶναι δικαστάς, ὅρους αὐτοῖς καὶ κανόνας τάξας οὓς αὐτὸς ἔγραψε νόμους: id eſt, *Tullius verò popularem ſe eſſe præ ſe ferebat, non ſolùm in his Reipublicæ moderandæ conſiliis, quibus ſenatus authoritatem & patritiorum potentiam imminuere videbatur: ſed etiam quibus regum imperium deteriore conditione fecit, mediam ei poteſtatis partem detrahendo. Nam cùm alii ante ipſum Reges iudicia omnia per ſe obire cauſasq́; & controuerſias omnes tam priuatas quàm publicas ſuo more iudicare, æquum dignum cenſuiſſent: ille publica à priuatis diſtinxit; & criminum quæ in Rempublicam committuntur, penes ſe cognitionem retinuit: priuatorum autem priuatos iudices conſtituit, iiſq́; limites & regulas in iudicando legibus à ſe latis præſcripſit.*

y Plutarch. in vita Lycurgi.

z l. 4. Antiq.

Ecquid hoc teſtimonio clarius ad primorum Regū Romanorum ſummam & abſolutam in omnes ordines & vniuerſum populum poteſtatem declarandam, memorari vel ſcribi poteſt? Quicquid enim ſenatus, nobilitas, plebs, authoritatis, dignitatis, poteſtatis habebat, id Regis beneficio qui ea omnia prout ſibi viſum erat, augendo, minuendo, mutando, vel abrogando moderabatur vt hic locus cū ſuperioribus coniunctus locupletiſſimum regiæ libertatis apud Romanos teſtimonium nobis præbeat.

Quin-

Quintum de Theodoſio iuniore exemplum, non magis ad rem pertinet quàm illud Regum Ægyptiorum. Eſt certè *digna vox maieſtate regnantis, legibus allegatum ſe principem profiteri* [1]. Interea tamen ita legibus ſolutus eſt, vt ad earum obſeruationem inuitus adigi nequeat. *Rectorem te poſuerūt, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus ex illis.* [2], leges itaque in Principem dominantur vi directiua, non compulſiua, vt loquuntur interpretes. Reliqua huius rei exempla ab eo propoſita, ſuperius refutata ſunt [3].

Iam verò ex falſis principiis à ſe poſitis, duas falſas conclusiones infert [4], quarum altera eſt, *Principē nō poſſe ſtringere gladium, niſi in eos quos legis vox damnauerit.* Altera *Principem non poſſe abſoluere eum quem lex damnarit.*

Poſterioris falſitatem iam patefecimus [5]. Prioris verò mendacium vno Dauidis facto refellitur: cuius iuſſu Amalecita, qui Saulem ſe occidiſſe faſſus eſt, nulla legis expectata ſententia, illicò confoditur. Nec dici poteſt, hunc propria confeſſione ſatis fuiſſe conuictum, quaſi legalis in ea re vox præceſſerit. Nam quanquam in ciuilibus iudiciis confeſſi pro iudicatis habentur [6]: in criminalibus tamen, quæ capitis pœnam irrogant, ei rationi locus non eſt 7. Fecit igitur hoc Dauid regia authoritate, quæ ordinariis iudiciorum formulis non conſtringitur. Itaque iuris Ciuilis & Pontificii interpretes pro regula nobis tradunt. *Principem in hoc priuilegiari & honorari, quod non tenetur ſeruare ordinem iudiciarium* [8]: atque etiam in eo, *quod omnis apud eū pœna eſt arbitraria* [9]: *ipſeque ſolus ſecundum conſcientiam iudicare poteſt* [10]: *& augere vel minuere pœnam legibus ſtatutam, etiam ſine cauſa, quia eius voluntas habetur cauſa ſufficiens* [11]. Ad quo pertinet illud D. Auguſtini iam ſępius repetitum, *Iudicibus ſtatutum eſt, ne liceat in reum datam ſententiam reuocare: Nunquid Imperator ſub hac erit lege? nam ipſi ſoli licet reuocare ſententiam, & reum mortis abſoluere, & ipſi ignoſcere* [12]. Cùm itaque Brutus dicat, Principem non poſſe abſoluere, quem lex damnauit. S. verò Auguſtinus contrà aſſerat eum poſſe, ſintque hæc aientia & negantia, alterum hallucinari neceſſe eſt. At Auguſtinum & vitæ ſanctitas, & ſciētia Scripturarum, & legū cognitio, ab erroris ſuſpicione liberant: Brutum verò quæ tueantur non video, præter Archididaſcali ſui Lutheri propriam defenſionem, mille ſcilicet Auguſtinos, aut Cyprianos, nihil eum præ ſe ducere: erraſſe Papas, erraſſe Concilia, ſe autē errare non poſſe. Nā qđ ad

illam

1 l. digna vox. C. de leg.

2 Ecclеſ. 32.

3 Hoc li. ca. 13. cum 5. ſeq.

4 pag. 126.

5 ſu. hoc l. ca. 17.

6 l. 1. & paſſim. D. de confeſ. l. vnic. C. eod.

7 l. 1. § Diuus & § ſi quis vltro D. de quæſt. l. non tantum 6. D. de appell.

8 Iacobin. de S. Georgio in tract. feud. in ver. Princeps. Folin. in ca. in cauſis de re iud & in c. ad petitionem de accuſ. Chaſſā. in 5. par. catal. glo. mundi n. 21.

9 Bald. in l. cunctos populos col. 8. C. de ſumma Tri.

10 Bart. in l. 1. C. vt quæ deſ. aduoc. part. Barb. conſil. 24. lib. 2. Franc. Luca. in tra. de priuil. fiſc. priu. 39. Feli. in d. cap. in cauſis.

11 Chaſſan. 5. part. cat. glo. n. 47. & in conſ. Burg. ti. des iuſtices. §. 5. in glo. à l'arbitrage.

12 l. de tato.

illam rationem attinet, quam ex cauſa conſtituendorum Regum depromis, nullius ponderis & momenti eſt.

Reges, nimirũ, vtilitatis publicæ cauſa conſtitutos fuiſſe: ac proinde non eſſe veriſimile homines quæſiſſe Regem, qui, quotieſcunq; collibitum eſſet, quos vellet, temere necare poſſet. &c.

Eſto, is fuit ſcopus Regis conſtituendi, quid tum poſtea? euentus expectationem fefellit: abdicandus igitur & expellendus illicò, qui paulò ante fuit electus? minimè verò. Iam enim res integra non eſt, nec amplius pœnitentiæ locus: Deus conſtituto dedit autoritatem: proinde quem ſemel regni caput, & ſupra ſe conſtituerunt, loco & ordine mouere poſtea, niſi per iniuriam, nequeunt. Quod ſi de regno & Rege aliter ſtatuamus, par captio in matrimoniis obtinebit. Nunquis enim vxorem quæſiiſſe putandus eſt, quæ, quoties vellet, maritum opprobriis & iurgiis laceſſat, aut totam turbet familiam? nemo, arbitror, iis conditionibus ſociam diuini & humani iuris ſibi aſciſcet. Longè alia conciliandis nuptiis blandimenta: nec fas cuiquã tam malè de procis & puellis ominari. Si ergo coniux in matrimonii leges delinquat (non de illa loquor, quæ ſola repudii cauſa legitima eſt) ſequeretur ex Brutina ratiocinandi formula, pelli eam domo, atque eiici familia poſſe, quam ſententiam ſi inter reliquas nouæ religionis ſuæ libertates ſuadere poterit, magnam ab illis, quibus mulieres moleſtæ ſunt, gratiam inibit.

Bruti de Pontifice commentum. Epiſcopi Romani ſummum per vniuerſalem Eccleſiam imperium. Cur Vniuerſalis appellari noluerit: deque illo honorifica iuris interpretum ſententia.

CAPVT XXIV.

HAud maiore difficultate retũdi poſſunt rationes reliquæ in ſpeciem probabiles, quas Brutus & Buchananus vel à cauſa conſtituendorum Regum, vel ab vtilitate Reipublicæ, atque exemplis rerum geſtarum, corrogarunt. Etenim ſua ſingulis vitia inſunt, quæ lector, ſuperioribus ſcriptis noſtris [1] commonitus & communitus, citò deprehendet. Quapropter vt tandem refellendi huius hominis argutias finem faciam, vnius adhuc aſſertionum eius adnotatione opus abſoluam.

Enimuerò, inquit [2], *non eſt, vt diximus, vniuerſa regni adminiſtratio*

1 lib. 1. & lib. 3. c. 2. 3. 4. & hoc libr. cap. 10. & alibi paſsim.

2 Pag. 206.

ſtratio Regi à populo commendata: vt nec Pōtifici vniuerſalis Eccleſiæ epiſcopatus (aiunt) ſed Optimatum cuique pro virili.

Vetus eſt & verum, oportere eum qui ſemel verecundiæ fines tranſiluit, poſteà nauiter eſſe impudentem: eam Brutus cautionem minimè neglexit. Nam ex quo cœpit apertè Monarchiam impugnare, & ſuam Regibus dignitatem poteſtatemque detrahere, eò inuerecundiæ deuectus eſt, vt nihil ſibi non licere comminiſci putarit, quo ſuâ nobis portenta perſuadeat. Cuius rei cùm alia multa, tum vnicus iſte locus teſtimonio locupleti eſſe poteſt: in quo pauculis verbis duo impudentiſſima mendacia complexus eſt: quorum alterum totius orbis, gentium, inquam, & nationum omnium quæ ſub Regibus degunt, viuendi ratio redarguit: alterum verò Chriſtiana fides Catholica, tanquam religionis peſtem execratur Nam, vt à poſteriore prius ordiar, Chriſtiani orthodoxi omnes ſummam ſemper Pontificis Romani in omnes Eccleſias poteſtatem agnouerunt: eumque, vt D. Petri ſucceſſorē, ac proinde vniuerſi cætus Chriſtianorum principem paſtorem venerati ſunt: à cuius fide & communione quotquot diſſidebant decedebántve, omnes hæreticorum vel ſchiſmaticorum numero cenſebātur, abſque iis, tanquam ſpiritum peſtilentem exhalantibus, Catholici continuò abſtinebant. Cuius rei teſtimoniis exemplíſque plena ſunt antiquorum Patrum monimenta: quorum ego plurima hic articulatim recenſerē, ni multi pietate & doctrina excellentes viri, eam rem totam non ita pridem, accuratè, eleganter, fuſeque pertractâſſent [1]. Itaque non eſt cur diutius in hoc errore confutando laboremus: ſat erit eius originem ſuccinctè & quaſi per indicem explicare, vt vnde iſta Bruti impoſtura emanârit lectori ſit in promptu, nec habeat neceſſe alios eius rei cauſâ libros euoluere.

Omnes vbique Eccleſiarum Præſules, ſuam ſemper in Epiſcopum Romanum obſeruantiam non obſcuris aut dubiis reuerentiæ argumentis, ſed manifeſtis rerum geſtarum teſtimoniis, declarabant: eique, vtpote Principis Apoſtolorum ſucceſſori, curam totius Eccleſiæ à Chriſto demandatam, ingenuè & palam profitebantur: adeo vt ad eius, velut vniuerſalis eccleſiæ paſtoris, iudicium cauſas omnium epiſcoporū deferri debere, publico generalis Concilii ferè antiquiſſimi decreto ſtatuerint [2]. Atq; ea de cauſa priſci illi Patres, variis eum honoris titulis ornabant:

1 Bellarm. tom. 1. contr. 3. & alii quos recenſet in præfat. illius controuerſiæ.

2 Sardin. Conc. can. 3. & can. 7. anno Dom. 349.

Oo mul-

multiſque nominibus efferebant, quæ ipſius in omnes Chriſtianos authoritatem poteſtatemque ſignificarent, in quibus illud erat frequens, *Vniuerſalis Epiſcopus*, ſiue, *Archiepiſcopus*, vt vel ex illo Iſchyrionis Diaconi libello contra
1 Anno 453. Dioſcorum, & rebus aliis in Chalcedonenſi ſynodo [1] geſtis perſpicuè patet. Verùm Pontifex Romanus id nomen per humilitatem modeſtè ſemper recuſabat, quamuis ſat ſciret appellationem illam muneri ſuo curæque congruere. Cauſam autem recuſationis duplicem inuenio. Alteram, ne videretur glorioſis & magnificis titulis, ſecularium Principum more, delectari. Itaque non Principis, aut Pontificis Maximi, aliiſve ſupremum dominatum præ ſe ferentibus epithetis in ſuorum diplomatum præfationibus vti ſolet: ſed Epiſcopi tantùm nomine, quod ei cum cæteris commune eſt, ad uncto infimæ ſubmiſſionis verbo, quo ſe Seruum ſeruorum Dei eſſe omnibus enunciat. Qua re vna, poteſtatis dignitatiſque ſuæ amplitudinem, velut quadam inſignis humilitatis admiſtione, temperat: memor
2 Luc. 22. Marc. 10. ſcilicet præcepti illius euangelici [2], *qui maior eſt in vobis, fiet ſicut minor: & qui præceſſor, ſicut miniſtrator & quicunque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſeruus.* Alteram verò cauſam, ne qua per vniuerſalis epiſcopi appellationem, aliis epiſcopis iniuria fieri videretur, quaſi vnus ille ſolus in orbe epiſcopus eſſet, cæteri autem vel vicarii ipſius, vel nullo modo epiſcopi, cenſendi: tale enim quid, prima facie, vniuerſalis epiſcopi nomen, notatioque, vulgi ſenſibus ingerit [3]. Quamuis igitur epiſcopus Romanus, vniuerſalis
3 S. Greg. lib. 7. epiſt. 30. indict. 1. epiſcopus re vera & ſit, & dici poſſit, ea ratione, qua ipſum generalis de tota Eccleſia, atque adeo epiſcopis omnibus, cura & ſolicitudo paſtoralis attingit (cæteris interea nihilominus, in ſua ſingulis diœceſi, & nomen & officium nulla ex parte imminutum retinentibus) Chriſtus enim cùm dixerit Petro, *paſce oues meas*, Apoſtolos vtique non excepit. Tamen propter hanc ambiguam vniuerſalis epiſcopi ſignificationem, (quæ alia atque alia interpretatione, bonum malumque ſenſum mentibus ingenerat) omnes qui in ampliſſimo illo dignitatis gradu, Petri, inquam, ſede collocabantur, ſatius eſſe duxerunt, eo nomine prorſus abſtinere, quàm ſcandali occaſionem aliis præbere, quod, vt fit plerumque, ex dubii ſermonis acceptione oritur. Qua de cauſa beatus Gregorius, vbi reſcierat Ioannem Conſtantinopolitanum epiſcopum illud idem nomen,

men, quod D. Petri ſucceſſores debitum ipſis vltroque delatum [1] modeſtiſſimè repudiarunt, magna animi contentione ambiiſſe, & oppido quàm arroganter ſibi aſſumpſiſſe retinuiſſeque, ægrè admodum tulit, & hominem per literas ſæpius conuenit, ac grauiſſimè queſtus eſt, *eum contra Deum, contra pacem Eccleſiæ, in omnium deſpectum & iniuriam ſacerdotum, modeſtiæ ac menſuræ ſuæ terminos exceſſiſſe: & illicitè ſuperbum ac peſtiferum Oecumenicum, hoc eſt vniuerſalis ſibi vocabulum vſurpaſſe.* Monet præterea, & amicè hortatur, vt in viam redeat, *& amoto ſuperbiæ vocabulo, cordis ſui elationem ad humilitatem, quam magiſter & Dominus noſter docuit, inclinaret* [2]. Vniuerſalis igitur vocabulum, haud iniuria vir ille ſanctus, vt peſtiferum, auerſabatur, imo execrabatur; quatenus ſcilicet ſuperbæ dominationis titulũ præ ſe ferret, ſuumque cæteris ius auferret: & quatenus illi epiſcopo tribueretur, in cuius perſonam atque officium nullo iure, nullaque ſignificationis interpretatione, conuenire potuit. Idipſum ſimiliter Gregorii deceſſor Pelagius. 2. fecit; & eius præterea Synodi, quæ nomen illud; Vniuerſalis, Ioanni tribuerat, acta omnia, authoritate Apoſtolica reſcidit, & *caſſauit, diſtrictiſſima illum increpatione corripiens, vt ſe à nouo & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet: adeo vt ſuum illi Diaconum, niſi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet* [3]. Scripſit & epiſtolam ad Epiſcopos à Ioanne in illam ſynodum non legitimè, & more maiorum conuocatos, cuius pars à Gratiano, inter alia ſanctorum Patrum decreta, his verbis relata eſt [4]. *Nullus Patriarcharum vniuerſitatis vocabulo vnquam vtatur: quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à fidelis cuiuſquam mente, hoc ſibi vel velle quempiã arripere, vnde honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vnquam ſuis in epiſtolis vniuerſalem nominet: ne ſibi debitũ ſubtrahat, cùm alteri honorem defert indebitum.*

Ex hac rerum geſtarum ſerie, & his fontibus limpidiſſimis, Brutus, vt & alii ante eum Hæretici erroris ſui riuulos, malitioſæ interpretationis cæno turbatos, deriuauit. Itaque Romanum Pontificem vniuerſali Eccleſiæ non præeſſe hoc argumento cõcludit, quòd neque B. Gregorius, neque vllus ante eum illius ſedis Epiſcopus, vniuerſalis Epiſcopi nomen admiſerit, ſed vt profanum & ſacrilegũ damnarit potius ac reiecerit [5]. At qua ratione ipſe, eiuſque deceſ-

1 in Cõcil. Chalcedon.

2 li. 4. ep. 34. alias 78. & li. 7. indict. 2. epiſt. 69.

3 dict. epiſt. 69.

4 Can. nullus diſt. 79.

5 Greg. lib. 7. 30. indict. 1.

ceſſores id fecerint, iam ſatis oſtendimus. Non enim ideò vniuerſalis appellari noluit, quod ſummam & generalem de vniuerſa Eccleſia curam à Chriſto commendatam non accepiſſet, aut id illi nomen tribui iure non potuerit, cùm, vt ipſemet teſtatur, ſacroſancta & vniuerſalis ſynodus, quã alibi Euangelio comparat [1], honorem illum Romano Epiſcopo decreuerit, ſeu verius à Saluatore decretum renũciarit, obtuleritque: ſed quòd verbum illud, in quadam ſignificatione, aliorum Epiſcoporum muneri dignitatique nonnihil detrahere videbatur: ſimulque vt non tolerandã Conſtantinopolitani Epiſcopi inſolentiam, tam illuſtri humilitatis documento, reprimeret, qui propterea quòd vrbem imperiali ſede decoratam, & nouam Romam appellatam incolebat, eò ſe cupiditate glorię extulerat, vt antiquę Romæ, id eſt ſedis Apoſtolicæ Epiſcopo, ſeſe æquare, & quod huic vni à Domino datum erat, id ei eripere, ac per fas & nefas ad ſe pertrahere conaretur. Sed per Deum Omnipotentem, quæ iſthęc eſt conſecutio? Pontifex Romanus non vult appellari Epiſcopus vniuerſalis: ergo Epiſcopatus, ſiue cura vniuerſalis Eccleſiæ non eſt ei commendata. An nõ conſtat inter omnes, id vſu ſæpè venire in omni vitæ genere, vt nominibus rem verè & propriè ſignificantibus, certis de cauſis, interdum abſtineatur? veluti cùm propter inuidiam nominis, aut contemptum, vel etiam arrogantiæ ſuſpicionem, aliquis iis vti nolit. Exemplis res erit illuſtrior: Qui Romanæ Reipublicæ ſummam poſt Iulium Cæſarem tenuerunt, ii re vera Reges erant, at Reges tamen diu vocari noluerunt (quamuis nonnulli, blandè id illis nomen tribuerint [2]) propter inuiſum ſenatui populóque Romano regium nomen & de Regibus non recipiendis iuſiurandum [3]: vt ex Appiano Alexandrino, & Dione Caſſio ſuperius oſtendimus [4]: Magiſtri nomen olim valde fuit honorificum & dignitatis cauſa impoſitum in aliqua ſcientia laureatis: eóque non ſolum plebeii, ſed antiquæ etiam nobilitatis viri docti libentiſſimè cenſeri voluerunt, vt etiamnũ in Scotia & Anglia moris eſt: attamen in Gallia, ex quo viliſſimarum rerum artifices, imo etiã carnifices neſcio qua ſermonis indulgentia, ac proprietatis loquendi neglectu & confuſione, Magiſtri vocabulum vſurparunt [5] adeo obſorduit id verbum, vt vix quiſquam ibi nunc melioribus ſcientiis excultus, nemo certè nobilis, Magiſtri titulum nomini ſuo præferri ac præponi patienter ferat: quid quod

Poli-

[1] lib. 1. epiſt. 34. in fine Can. ſicut. 15. diſt.

[2] Ἀξίωσις 9. D. de leg. Rod. de iact.

[3] Liu. lib. 2.

[4] lib. 2.

[5] Vulgò Maiſtre Claude, Maiſtre Eſtien, Maiſtre Nicolas, &c.

Politici nomen, quo nullum omnibus ſeculis honeſtius viſum eſt, cœpit ante paucos annos per ſeditioſorum quorũdam interpretationem, pro Atheo vſurpari: ſed ſpero fore, vt ſuum id nomen ſplendorem, decuſque recipiat. Poſſum alia id genus exempla multa proferre, quibus vt minimè neceſſariis nunc ſuperſedebo.

Quæ cùm ita ſint, quid mirum, ſi viri ſancti, & D. Petri ſucceſſores, ab illis vocabulis abhorrebant, quæ aliquam arrogantiæ ſuſpicionem quamlibet exiguam, gignere poſſe audientibus credebantur.

Hæc quamuis Bruti calumniam liquidò patefaciant, tamen operæprecium erit ipſius præterea in hoc errore nobis obtrudendo artificium perpendere. Nam cùm ſciret aliquo ſibi antiquitatis teſtimonio ad tantæ ſententiæ, imò tam inſignis mendacii, firmamentũ opus eſſe, eam ita proponit, vt lectori videatur non ipſius eſſe, ſed antiquorum Patrum, quibus credi ſine contradictione par eſt. Nam vbi ſuperiorem ſuam de Rege ſententiam tulit his verbis. *Enimuerò non eſt, vt diximus, vniuerſa regni adminiſtratio Regi à populo commendata*, mox ſubiecit, *vt nec Pontifici vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopatus* (*aiunt*) & addidit in libri margine, ſicut nonnullis nunc mos eſt authoritates adſcribere, *Can. nullus in Carthagin. Concil. Doctores Pontificii:* quod perinde eſt: ac ſi dixiſſet vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopatus non eſt à Deo commendatus Pontifici, vt aiunt Eccleſiæ Patres in canone, Nullus, & in Carthaginienſi Concilio, & Doctores Pontificii. Atque ita prius illud figmentum ſuum, non vno tantùm, ſed tribus ſplendidiſſimis mendaciis ornare & cõfirmare voluit, ne teſtiũ ſcilicet numero deficeretur [1]. Sed neque in Can. Nullus, 99. diſt. (quem certum eſt ab illo ibi intelligi) neque in vllo Carthaginienſi Concilio (ſeptem enim fuerũt) tale quid habetur; multoque minus apud interpretes iuris Pontificii. Nam in Can. Nullus, quem integrum ſuprà hoc capite retulimus, ne verbum quidem eſt de non commendata vniuerſalis Eccleſię cura, ſiue Epiſcopatu Pontifici Romano. Prohibentur tantum in eo Canone Orientales Patriarchæ ne quis eorum vniuerſalis vocabulum ſibi aſſumat, vt paulò ante fecerat Ioannes Conſtantinopolitanus, & ne inter illos alii alium eo nomine ſalutent: & prohibentur quidẽ ab Epiſcopo Romano, ꝙ argumẽti ſatis eſt, illi in eos imperium fuiſſe, & generalis de Eccleſia vniuerſali cura. Similiter in Cõcilio Carthaginiẽſi 3.

1. Iuriſiurandi C. de teſtib. ca. veniens 10. in 1. & cap. licet ext. eod.

(ex cæteris enim nihil quicquam afferri poteſt) hoc ſolum decretum eſt, *vt primæ ſedis Epiſcopus* (Prouinciæ Africanæ ſcilicet, nam cùm eſſet prouinciale concilium non potuit totius Eccleſiæ Epiſcopos obligare) *non appelletur Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus.* Ecce vt de nomine tantùm vtrobique ſit mentio, quod vitari interdum certis de cauſis ſolet, vt ſuprà oſtendimus. Quod autem attinet ad Doctores Pontificios, quos vocat, quàm vellem aliquem in illorum ſcriptis locum adnotaſſet: equidem non arbitror id illum fuiſſe prætermiſſurum, ſi quem vel memoria ſuggerere, vel mendax animus adulterare facilè potuiſſet. Sed horum illuſtriora & clariora ſunt teſtimonia de hac re, quàm quibus Brutinæ interpretationis nebula aliquid caliginis & tenebrarum offundere poſſit. Et verò ſi illorum libros non per ſomnium, ſed vigilans euoluiſſet, mirum quin puduiſſet eum, ſi vllus in eo pudor erat, tam fœda & ignominioſa mendacii labe ſeſe conſpurcare quandoquidem ab omnibus vno ore ſubiectas hic de Romano Pontifice ſententias, iiſque alias conſimiles, didiciſſet. *Ipſe ſedet in ſede illa, quam Dominus ſibi in perſonâ beati Petri ſpecialiter elegit. Ipſe eſt ſucceſſor Petri, & vicarius Ieſu Chriſti, vicem non puri hominis, ſed veri Dei gerens in terris: vnde omnia regit & diſponit & iudicat prout ſibi placet. Ideo licet quilibet Epiſcopus ſit, quoad quadam, vicarius Chriſti: habet etiam Papa plenitudinem poteſtatis ad quam vocatus eſt, alii verò in partem ſolicitudinis ſunt vocati* [1]. *Tota Eccleſia militans eſt in poteſtate Papæ* [2]. *Dei & Papæ idem eſt conſiſtorium* [3]. *Omnia beneficia mundi ſunt obedientialia & manualia reſpectu Papalis poteſtatis* [4]. *Nemo eſt inter creaturas qui poſſit declinare, ſeu eximere ſe à iuriſdictione Papæ, cùm ſit Vicarius Dei, & quilibet eſt ſubiectus Deo* [5]. *Papa licet ſit caput Eccleſiæ vniuerſalis, & fideles ſinguli ſunt membra generalia: tamen Papa eſt ſpeciale caput Cardinalium* [6]. Quid plures eiuſmodi ſententias perſequar? ſiquidem in Iuris interpretum ſcriptis adeo ſunt crebræ, vt eas ignorare nemo poſſit, niſi qui libros eorum non legerit. Aut igitur iſta non vidit Brutus, & tanquam cæcus de coloribus iudicauit: aut ſi vidit, planè hoc ſubtili artificio lectores ſimplices & credulos, inque iuris diſciplina minimè verſatos, decipere, atque in errorem pertrahere conatus eſt.

Can. 26.

1 Specul. tit. de leg. §. nunc oſtēdendum. Num. 62. & 89.

2 Innoc. in ca. q super. de voto.

3 Hoſtien. in ca. quāto de transl. epiſt.

4 Bal. in l. reſcripta. C. de præc. Imper. offer.

5 Felin. in rubr. de cōſtit. Panor. in cap. quoniam nu. 1. & 5. ibid.

6 Boer. in tract. de author. mag. conſil. nu. 58.

Altera Brutini elenchi pars diſſoluitur, qua Regi non vniuerſa Re-

ſa Regni negotia committi putat. Quod Rex per officiarios facit, per ſeipſum facere videri. Regum iuri nihil præiudicare populorum non in vera Monarchia degentium inſtituta. Epilogus.

CAPVT XXV.

DE Rege autem non eſt tanta difficultas: nam licet Eccleſia Dei multos habeat Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum atque officium ſuccedũt, quos omnes idcirco Pontifex Romanus fratrum nomine appellat [1] vt inde aliquam aduerſarii occaſionem captarint calumniandi ſedem Petri, atque adeo Epiſcopum Romanũ iiſdem omnino dignitatis ac poteſtatis cancellis, quibus cæteros concludendi: tamẽ cum vnum regnum vno plurimum Rege contentum ſit, nec plures ſummæ ſimul dignitatis ſocios vel ipſa perfecti regni natura, vel regnantium genius ferre queat: & ſit, vt primo proximus Poeta ait,

— ſummo dulcius vnum
Stare loco, ſociisq́; comes diſcordia regnis [2].

fit enim ſæpe vt regnandi cupido cõcordiſſimos in diſcordiam trahat, &

Ambitioſa pios collidat gloria fratres [3].

Nulla ratio probabilis reddi poteſt, qua, ſi non verè & ex arte, ſaltem veriſimiliter concludatur, non vniuerſam regni curationem & adminiſtrationem Regi eſſe cõmiſſam. Contrà verò plurimæ ſuppetunt, quibus & rectà demonſtrari, & obliquè per contrarias conſequentias abſurdas conuinci poteſt, integram totius regni procurationem penes Regem eſſe: quas ego prolixiùs hoc loco perſequerer, ſi eas non omnibus, partim innato iudicio, partim experientia, cognitas ac perſpectas eſſe exiſtimarem. Nam vt alias mittam, quid vulgarius & manifeſtius iis qui in regno degunt, quàm Regis nomine & authoritate, cuncta quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent, pace belloque adminiſtrari? Quod ſi quis Bruto ſimilis tam perfrictæ frontis fuerit, vt iſta audeat denegare, non aliis aduerſus eum teſtimoniis opus eſt, quàm eorum ipſorum qui Rempublicam in partib. gubernandam acceperunt. Nam vt in regno Franciæ videre licet, quod omnium optimè conſtitutum ipſimet aduerſarii prædicant, togatorum princeps Cancellarius, & Ordo ille ampliſſimus, quod Parlamentum vocant, cæteríque per vniuerſum regnum Magiſtratus omnes, programmata

[1] cap. Quamquam ... de crim. falſ.
[2] Statius lib. 1 Theb.
[3] idem lib. 6.

conſtitutiones, decreta, & quicquid priuatis publicíſque iudiciis obeundis neceſſarium eſt, Regis nomine & authoritate valere, & promulgare populo ſolent. Inde illa ſupremis Curiis olim dubitatio iniecta, quàm Papon in Areſtis à ſe collectis memorat [1], cuius ſcilicet authoritate munus ſuum à morte Regis exequi debeant, antequam is, qui ad regni ſucceſſionem vocatus eſt, more Maiorum fuerit inauguratus: quinetiam an iudicia omnia per id tempus omnino ceſſare & quieſcere quaſi acephala, an verò procedere ac progredi ſub noui Regis tutela debeant, fuit dubitatum. Quod ſi à pacis ornamentis, & integerrimis iſtis legum cuſtodibus, ad rei militaris diſciplinam, & belli gerendi in eodem regno ductores præcipuos tranſeamus, idem ab ipſis reſponſum feremus: ſe nempe Regis nomine & authoritate militem conſcribere, ductare exercitus, ſub vexillis progredi ac regredi, cum hoſte manum conſerere, paciſci inducias, pacem fœderaque ferire: in ſumma, eius iuſſu atque imperio arma capere vel ponere, omnes ingenuè fatebuntur. Hæc militiæ Principes, Conneſtablus & Mareſchalli, hæc Tribuni militum & Centuriones, hæc duces turmarum & Decuriones totúſque ordo militaris Bruto minitabundi occinent. Sed & qui præcipuis regni Prouinciis, vel munitiſſimis ciuitatibus præficiuntur, ii ſe illas Regis nomine gubernare & cuſtodire aſſerunt: idque ſibi in primis glorioſum, adque familiæ ſuæ decus, & memoriæ immortalitatem ſpectare putant, quod Regis vicarii, ſeu locumtenentes, vt vocant, appellentur.

Quæ cùm ita ſint: cumque peruulgata iuris regula nos moneat, id vnumquemque videri per ſeipſum facere, quod per alium facit [2]. Nonne conſequens iis eſt, vniuerſam regni curam & adminiſtrationem à Rege ſuſcipi abſoluique? *Omnia meritò noſtra facimus*, inquit Imperator [3], *quia ex nobis omnis eis impertitur authoritas.* Deinde verò cùm populus in Principem omne ius ſuum ac poteſtatem contulerit (alias enim non Regnum & Monarchiam, ſed mixtum quoddam Reipublicæ genus effeciſſent) ſequitur profectò nihil iuris populo reliquũ eſſe; quo alios poſtea magiſtratus creare & conſtituere poſſit: ac proinde qui ſingulas regni partes moderantur, ii neque honoris in ſe collati beneficium populo ferre acceptum, neque rerum à ſe geſtarum & muneris obiti rationem reddere tenentur, aut ſolent:

[1] lib. 4. tit. 2.

[2] l. qui iuſſu. D. de reg. iur. cap. qui facit de reg. iur. in 6.

[3] l. 1. C. de vet. iur. enucl.

lent: ſed Regi tantùm, in quo, & à quo ſunt & manant omnia omnium, quotquot in regno ſunt, magiſtratuum iura atque imperia.

Hæc igitur & his ſimilia cùm ſint eiuſmodi, quæ vix vllus in regno illo pulcherrimo natus aut neſcit aut negat, lectori profectò ad magnum & impudens iſtud Bruti mēdacium conuincendum ſat eſſe poſſunt: quin & ipſis eius aſtipulatoribus etiam vt ſe reuocent, ſi nōn tantæ maieſtatis inuidia penitus occæcantur. Nam quod gentes nonnullæ, apud quas RegniRegiſque nomen vſurpatur, ab hac regali & monarchica regiminis forma non parum deflexerint, & imperandi libertatem Principibus à ſe conſtitutis lege populari ſeu plebiſcito aliquo ademerint, id ſententiam nōſtram, id inquam, perfecti Regni, & veræ Monarchiæ ius neutiquam euertit. Neque enim tam hebetes & inſcii rerum ſumus, vt ignoremus nationes per orbem diſperſas, alias aliis atque aliis, moribus & legibus gubernari: nec tam iniqui æſtimatores, vt ſuam illis politiam & inueteratam conſuetudinem, modò mala non ſit, auferre, & regiam gubernationem præſcribere atque obtrudere cupiamus. Sed iis omnibus, ſiue aliquam regni ſpeciem & nomen ſine vera monarchia habent, vt Poloni & eorum ſimiles: ſiue aliis adminiſtrandæ Reipublicæ modis & mediis delectantur, ius ſuum ſaluum habere eoque vti liberrimè per nōs quidem, ſi libet, licebit: nec verbo vllo repugnamus, quo minus & in publicis & in priuatis negociis, quo cœperint more inſtitutóq; pergant: id tantùm contendimus, non ab iſtis argumenta atque exempla ſumi debere ad legitimum veræ Monarchiæ ius labefactandum, & eos populos in ſui perniciem concitandos, qui ſummo Dei Omnipotentis munere & beneficio in Regum tutelā conceſſere; quo nullum aliud nec diuinius, nec diuturnius imperium in terris conſpici poteſt.

Non progrediar vlterius in Bruti captionibus conuellendis: ſunt enim præcipuæ quas iam reſoluimus. Cæteræ partim ex his pendent, & cum iis vnā ſtantque cadūntque: partim in noſtris ad Boucherium notis ſequenti libro fuſiùs diſcutientur.

Abi nunc igitur, Brute, abi cum tuis iſtis ſeditionum flabris, & buccinis rebellionum, abi, inquam, cum virulentis iſtis *Vindiciis* ad Sauromatas hamaxobios, aut ſi quos ipſis ma-

magis barbaros poteris inuenire, qui fucatis tuis fallaciis capiantur. Deſine populis Chriſtianis, qui ſub Principum imperio, quos tu Tyrannos vocas, iam diu & multum pace belloque floruerunt, iſta Anarchiæ rudimenta perſuadere. Ne putes te amplius poſſe trãquillos ciuium animos furialibus vocibus ad perturbationem concitare, atque in tam plenum pertrahere furorem, vt Dei maieſtatem, in Principis à Deo dati perſona, violent. Tuæ iam tandẽ notæ ſunt artes, detectæ inſidiæ, impoſtura & fraudes cognitæ atque perſpectæ: ſed ſerius tamen quàm oportuit. Neq; enim tot nefariæ & inſolentes in Regum capita coniurationes, tamque miſerandæ ex coniurationibus clades, & interitus magnorum virorum, (quos nunc Reſpublica crudeliſſimis funeribus extinctos luget) atque etiã multitudinis in Gallia, Belgio, & alibi ſuperioribus annis extitiſſent, ſi tu & tui ſimiles, non ſummam rei gerendæ æquitatem, ſpemque perficiendæ maximam, credulis, ah nimium credulis hominibus falsò & fraudulenter propoſuiſſetis. At iidem illi, quos veſtris tunc præſtigiis faſcinaſtis, quotquot, tabulis de periculoſo Reipublicæ naufragio arreptis, ſalutem ſibi quærere potuerunt, veſtram nunc perfidiam magna ex parte non minus execrantur quàm qui in fide Regum, & debito illis obſequio, conſtanter & perpetuò remanſerunt. Sciunt iam, &, quod doleo, ſuo damno ſciunt, vnam regnis omnibus ſalutem vnumque tranquillitatis Reipublicæ præſidium ſupereſſe: ſi populi nempe Regum & principum ſuorum vitia leuiora diſſimulẽt, grauiora verò ita ferant, & perferant vt humilitatis & patientiæ moderatione, vel principes mitiores reddant, vel alios meliores à Regum omnium Rege promereãtur, Deo. Opt. Max. cui laus, honor, gloria, & poteſtas in æternum & vltrà.

Amen.

FINIS LIBRI QVARTI.

GVIL. BARCLAII I.C. DE REGNO ET REGALI POTESTATE aduerſus Monarchomachos.

LIBER QVINTVS.

SIVE ANACRISIS LIBRORVM IO. Boucherii, de iuſta, imò iniuſtâ, *Henrici III. abdicatione è Francorum regno.*

LINGVÆ MORBVS ET EFFRÆNE os cum miniſtrant nefariæ dementiæ, proculdubio prodigioſum aliquod ſcelus perpetrant. Philo Iudæus lib. III. de vita Moſis.

CAP. I.

SI verum eſt, quod D. Ambroſius [1], & ante eum Marcus Tullius in opere illo lectiſſimo de Officiis ſcripſit, eos qui, cùm poſſunt, non propulſant iniuriã ab iis quibus infertur, tam eſſe in vitio quàm ſi ipſi inferrent, imò quàm ſi parentes, amicos, aut patriam deſererẽt: quodque iuris aſylum Papinianus [2], hominis intereſſe hominem affici beneficio: non erit, Boucheri, cur vel tu, vel alius quiſpiam iure meritoque mihi ſuccenſeat, aut vitio vertat quòd Reges & Principes Chriſtianos (qui, ſi ſũmam in terris poteſtatem à Deo ipſis tributam ſpectes, ſupra hominum ſortem conſtituti quodammodo videntur) multis ignominiis atque iniuriis à te in duorum Regum perſonis appetitos, omnibus neruis omnique ſtudio propugnem: atque illa diſcordiarum ſemina, illas, inquam, cõiurationis & rebellii furiales & funeſtas faces, quas non

1 libr. 1. Offic. cap. 36.

2 l. Seruus. 7. D. de ſer. export.

ita

ita pridem colloquiis, conſiliis, concionibus, ſcriptiſque tuis, in ſinum multitudinis magno totius orbis malo cõiecisti, reſtinguere pro virili, atque ciues & ſubditos à communi iſto Reip. incendio flammaque liberare & eximere connitar. Quin tute potius ipſe in eandem nobiſcum curam & cogitationem incumbere, & totam qua polles dicendi differendique facultatem, ad regiæ dignitatis tutelam conferre debuiſti. Quod quoniam non feceris, imò contrà feceris, & turbas illas ciuiles prioribus tuis libris & concionibus excitatas, accenſaque in Reges odia, poſteriore ſcripto, quod patria lingua ſub Franciſci Veronenſis Conſtantini nomine diuulgaſti, non modò non mitigare & compeſcere, ſed nouo artificio fouere & propagare de induſtria niſus es: patere me tecum vehemẽtius paulò, ſed lenius tamen quam rei indignitas flagitat, Regum & regnorum omnium nomine, de hac iniuria expoſtulare. Etenim profectò is ſum, qui vitia & malos Sacerdotum mores velare potius quam vulgare ſtudeo. Sed nimia tuorum in Reges commiſſorum acerbitas, ac non ferenda ſceleris audacia facit, vt vix vllus tecum agere poſſit modeſtius, qui nõ erroribus tuis aſſentiri, aut conniuere velle videatur.

Quapropter ſi quid à nobis durius & aſperius in te dictũ his libris reperies, id cauſæ põderi, vel tuæ potius culpæ adſcribas; qui Chriſtianam eloquentiam in caninam facundiam, & libertatem ſacerdotalem in ſcurrilem licentiam, vt Regib. liberius oblatres, cõuertiſti. Scis depulſionem iniuriæ nõ eſſe iniuriam. Vt noſtras igitur iuſtiſſimas reprehenſiones æquiore animo ferre diſcas, memento quãtis tu alios, non conciues ſolùm & ſocios, ſed regni proceres, ſed Reges ipſos, ſed Reges tuos ſpirantes & [illegible]hantes, conuitiis, opprobriis, maledictis, non Fracicam quidem humanitatem toto orbe laudatam, ſed barbaram quandam feritatem redolentibus, fixiſti: adeò vt ſi omnibus conuitiis lacerere, quæcunque à petulantiſſimis ſcurris excogitari ſolent, tuo tibi merito id accidiſſe permulti iudicarent. Quod alii feceris ab alio vt expectes, Naturæ lex eſt. Nec eſt cur illo te præſidio munitum putes, quòd in loquendi libertate concionatoribus verbi Dei conceſſa collocaſti [1]. Nam vt Dei verbum prædicandi, vitiaque reprehendendi ſummam ſacerdotibus libertatem omnibus ſeculis tributam eſſe fatemur; ita famoſos libellos componendi, opprobria

[1] li. 1. ca. 21. in fine.

probria, & conuitia ingerendi, calumniaſque ſtruendi artificium & exercitium cùm omni hominum generi per ſe inhoneſtum, turpe, & ignominioſum, tum ſacris Dei miniſtris præter cæteros turpiſſimum eſſe iudicamus: earumq; rerum apud omnes nationes non modò non conceſſam libertatem, ſed omnem prorſus ademptam facultatẽ ſemper fuiſſe conſtat.

Scriptura Reges peſſimos Regum nomine & titulis vbique effert: eum Sauli Dauid, Antiocho Machabæi honorem tribuerunt: tu Henricum III. Regem Christianiſſimum, ne ſemel quidem Regis nomine dignaris, imò *criminis loco futurum* ſtatuis *ſi quis eum Regem dicat* [1]. Sed pro illo ſummæ dignitatis nomine ſummæ indignitatis epitheta, profanum, Cyclopem, prototypon nequitiæ, & id genus alia, quæ Regis & regni famam Maieſtatemque ſcelere omni grauiſſimo violant, ſubſtituis. An ignorabas Clericos æquè ac laicos Maieſtatis crimine teneri [2]? Deinde Reginam Angliæ non alio quàm Anglicanæ meretricis nomine deſignas: quo ſermone tum reuerẽtiæ Principibus quamuis impiis debitæ oblitum, tum ſignificationis verbi, meretricis, ignarum te eſſe oſtendis. 1. li. 2. c. 5. in fin. 2 gloſ. in Clemen. Paſtoralis. de re iudic.

Quid quod ne mortui quidem magna cum laude Principes morſus iſtos tuos, calumnias, dico, & vituperationes poſſunt effugere? adeò nimirum acerbitatis tuæ virus in omnes ſe effudit, quorum vitæ inſtituta, & mores diſciplináue nefariis illis tuis euertendi regni artibus reſiſtere & repugnare videbátur. Teſtis eſt Ludouicus XI. quem non ſolùm tyrãnum, ſed tyrannidis architectum vocas [3], & perfidum præterea, qui *omnibus fuco & larua ſua illius ad Virginem Clericam deuotionis illuſerit*. quibus nihil, ſi probatis authoribus fides, dici vel ſcribi falſius poſſit. Nam veram quidem & puram, non fucatam & laruatam, eius ad D. Virginem deuotionem, teſtatur ſynceriſſimus rerum ab illo geſtarum ſcriptor [4], his verbis. *il diſoit qu' il n' eſperoit à mourir qu' un Samedy, & noſtre Dame luy procura ceſte grace, en qui touſiours auoit eu fiance, & grande deuotion & priere*: id eſt, *ſperare dicebat ſe non moriturum alio quàm ſabbathi die, eamque illi Diua Virgo gratiam impetrauit, in qua firmã ſemper auxilii ſpem precibus & deuotione magna poſuerat* Quis tu es qui alienum ſeruum iudicas: adeone perſpicax humanarum actionum obſeruator atque arbiter es, vt etiam ad penitiſſimos cogitationum receſſus penetres, vnde omnes mentis 3 li. 1. ca. 22. 4 Philip. Cominæus in eius vita cap. 130.

mentis & voluntatis fines tanquã è ſpecula poſſis intueri, vel adeo arrogãs, vt quod præpotens illa Imperatrix Chriſti ſponſa Eccleſia iudicium ſibi nõ audet aſſumere, id tuo quodammodo iure tibi vindices? Externa enim ſi ſpectemus, cùm diuturnum illius Regis imperium & multa proſperè ab eo geſta, tum eius pio & Chriſtiano homine digna mors, non obſcura veræ deuotionis ſigna atque argumẽta nobis præbent. Sed nec tyrannum aut tyrannidis architectum fuiſſe grauiſſimo eiuſdem ſcriptoris teſtimonio, qui omnium optimè atque intus & in cute, vt aiunt, Regem illum nouerat, non ſemel atque iterum diſertè comprobatur. Nam vbi eius Imperii amplitudinem & potentiam, deque ſanitate & vita ipſius propaganda magnam ſummi Pontificis Sixti IV. & aliorum Principum curam
cap. 133. deſcribit [1], hac tandem concluſione narrationem abſoluit. *Par toutes les choſes deſſusdictes, l'on peut cognoiſtre le ſens & grandeur de noſtre Roy, & comme il eſtoit eſtimé & honoré par le monde, & comme les choſes qui ſont ſpirituelles de deuotion & de religion, eſtoient employeęs pour luy allonger ſa vie, auſſi bien que les choſes temporelles: toutesfois le tout n'y feiſt rien, il failloit, qu'il paſſaſt par la où les aultres ſont paſſez. Vne grace luy feiſt Dieu: car comme il l'auoit crée plus ſage plus liberal plus vertueux en toutes choſes, que les Princes qui regnoient auec luy & de ſon temps, & qui eſtoient de ſes ennemis voiſins, auec ce qu'il les paſſa en toute choſes, auſſi les paſſa il en longueur de vie: mais ce ne fut de gueres.* id eſt. *Ex omnibus quæ iam dicta ſunt, quanta fuerit animi magnitudo & gloria Regis noſtri, quantumque ei laudis & honoris ab omnibus per orbem habitum ſit, facile intelligi poteſt: & quemadmodum ſpiritualia æquè ac temporalia remedia eius vitæ producendæ ergo quæſita ſunt: at nihil ei omnia profuere quo minus viam vniuerſæ carnis ingrederetur. Vnum tamen ei Deus beneficium largitus eſt. Nam vt eum ſapientia, liberalitate, & cæteris omnibus virtutibus ornatiorem quàm alios ſui ſeculi Principes vicinos & hoſtes fecit, ſic etiam aliquanto, non tamen multo, longius ei quàm illis vitæ ſpatium tribuit.* Atque idem rurſus author hunc Regem ingraueſcente ætate timidiorem & ſuſpicioſiorem quàm oportuit in ſuos factum fuiſſe docens, hæc ad verbum ſubiicit. *On pourroit dire que d'autres ont eſté plus ſuſpectioneux que luy, mais ce n'a pas eſté de noſtre temps, ne paraduenture homme ſi ſage que luy, ne qui euſt ſi bons ſubiects: & auoient ceux la paraduenture eſté crue's & tyrans: mais ceſtuy cy il n'a fait mal à nul qui ne luy en euſt fait quelque offenſe.*

offenſe.id eſt. *Dici poſſit, alios illo ſuſpicioſiores extitiſſe: at non noſtro quidem ſeculo, quin nemo fortè vnquam, qui aquè ac ille ſapiens eſſet, & ſubditis adeo bonis imperaret. Et verò illi fortaſſis crudeles & tyranni fuerant: at hic nullum cuiquam malum intulit à quo prius non fuiſſet offenſus.* En vt Regem hunc, quem tyrannidis architectum vocas, omni tyrannidis ſuſpicione liberat: imò verò nihil non planè regium in eo fuiſſe prædicat, ſiue iuſtitiam, ſiue liberalitatem, munificētiam, caſtitatem, temperantiam, aliaſque præclaras & Rege dignas animi dotes intueare. Nam quod ſubditos maiorem in modum preſſerit vectigalibus, id à ſe ingruentium bellorum neceſſitate factum, in ſua ad filium admonitione paulò ante obitum declarauit: eumque, vt illos, vbi regnū inierit, quantum poſſet hoc onere leuaret, adhortatus eſt [1]. Poſſum & alia de hoc Principe fuſius: ſed hæc ſatis viſa ſunt, vt inde aliquis coniecturam faciat quanta animi perturbatione, quantoque furore in viuorum fama & exiſtimatione graſſeris, qui Regis ante te natum defuncti honorem & gloriam tam impudenter depeculari non es veritus: nihil vt neceſſe ſit in hunc locum proferre intolerandas illas omnis generis verborum contumelias, quib. Illuſtres & ſupetilluſtres regni proceres bacchantium more laceraſti, quorū ego hic nomina tacere, ne noua te inuidia premam ſatius eſſe duxi. Etenim profectò tam es in maledicēdo petulans, vt quoties tuos illos libros peruoluo, videare mihi opus illud totum conuiciandi ſtudio lucubraſſe. Quid enim ad dedecus Ampliſſimi ordinis addi poteſt iis iniuriis, quas in Clariſſimos quoſque ſummæ Curiæ Præſides & Aſſeſſores velut ex quadam cōuitiorum crapula eructas [2], quod in fide Regi data firmiter & conſtanter permanentes ſceleratis tuis conatibus obſtiterūt? Nobiles verò, vt quiſque tibi diſplicuerat, tam ſpurcis infamiæ notis à te confictis aſſitet turpiterque compungis, vt Nobilitatem ludibrio, Senatum contemptui, Maieſtatem ipſam ſummo tibi deſpectui eſſe, haud obſcurè & diſſimulanter oſtendas. Quo exemplo, Spartacus ille tuus ad omnem nequitiam eruditus, fractis omnibus modeſtiæ, honeſtatis, & legum vinculis, non dubitauit in Senatum armata manu perrumpere, & ſacrum illum conceſſum, quem ſummi & optimi quique ſuſpiciunt & venerantur, diuulſis inde atque abductis latronum more Senatoribus, incredibili temeritate atque immani audacia violare: quo nullum

1 Guaguin. in eius vita.

2 l. 4. cap. 14.

nullum indignius nec viſum antè nec auditum ab hominum memoria in eo genere facinus eſt. Quæ cùm ita ſint, quis læſam tuis libris Imperii Maieſtatem, contemptum Senatum, Nobilitatis ordinem violatum, deluſam plebē, totius denique regni ſtatum turbatum & concuſſum non indignetur?

Reprehendam igitur, & acriter reprehendam, quæ perperam, & contra omnem iuris diuini atque humani rationem, in Regem & regnorum perniciem à te ſcripta ſunt. Vellem equidem (quod & futurum aliquando ſperaui) nullam mihi cum tui ordinis viro tam grauem controuerſiam incidiſſe, ſed quoniam ita res tulit, vt aut in publica cauſa præuaricari, aut tibi fortiter reſiſtere & repugnare neceſſe habeam, *Publica commoda, priuatæ pietate potiora iudicaui.*

Quod ſi forte noſtra hæc arguendi libertas tui ſtomachi non eſt, ſed, vt alias optima ſolent medicamenta, exulceratum adhuc in Reges animum cõmordet: meditare tecum & cogita, *meliora eſſe vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis:* & vt Phocion ad Antipatrum, te non poſſe Barclaio ſimul amico vti & adulatore: bonis quippe vitia non viros odiſſe mos eſt.

Ac in primis quidem diſſimulare non poſſum, illud mihi in te non mediocriter diſplicere quod quamquam teipſum Catholicum & Theologum profiteris, & ea doctrinæ exiſtimatione apud tuos florebas, cùm opus iſtud aggrederere, quæ ſpem omnib. maximã & ex præiudicata de te opinione, attulit, fore vt cauſam rebellatorum, quã aduerſus Reges ſuſceperas, argumentis, rationibus, teſtimoniiſq; certis & fide dignis, iuſtiſſimam eſſe demonſtrares: tamen vix vlla, certè pauca, in eam rem protuleris, quæ nõ ab hæreticis per captiones & ſophiſmata, ad Principum Catholicorum exitium ante pauculos annos excogitata & exarata ſunt: quorum & libros & loca, vt res poſtulabit, infra adnotabimus. Quod cùm ita ſit, cum, inquam, te non puduerit fallaces rationes ab hæreticis malo more mutuari: ego quid grauabor aut cunctabor ſolutiones à piis Patribus Catholicis accipere commodato? Sed tempus eſt ad operis tui titulum accedere.

CAP. II.

BOucherius. *De iuſta Henr. III. abdicatione è Francorum regno, libri quatuor.*

Per-

Permultos ſanè hic titulus, meque inter alios, tum nouitate ipſa, tum rei inſolentis magnitudine, inuitauit ad legendum. Sed ſcire tamen ex te vehementer cupio (nam alius id mihi narrare nequit) quamnam hic abdicationem intelligas, factamne an faciendam? nam tutemet videris nonnihil dubitare [1]. Si enim de facta tractas, de re nulla tractas: eoque incondita prorſus, & nimium mendax eſt quæ libris tuis præponitur inſcriptio. Henricus enim tertius non prius regnum Francorum, quàm lucis huius vſuram amiſit. Quòd ſi abdicatum proponas: cedo vbi, quando, à quibus, & qua forma res tanti peracta eſt. Nam vt demus tibi & concedamus, quod nec dare debemus, nec dabimus vnquam, Maieſtatem Imperii in regno penes populum conſiſtere, eique ius eſſe, Regem legitimè conſtitutum regali ſceptro ſolióque priuandi: tamen non inde efficitur, ius illud in pauculis ſeditioſis, regio ſe imperio per rebellionem ſubtrahentibus, ſed vel in toto populo, vel eius ſaltem maiore parte, reſidere. An non extremæ dementiæ eſt exiſtimare vrbes aliquot in ampliſſimo regno poſſe, vbi ipſis placuerit, totum Regi imperium abrogare? Nullúſne ergo reliquus Nobilitati locus? nullâne cæteris ciuitatibus conſtabit authoritas? Nónne tota ferè Nobilitas Galliæ, pleræque etiam ciuitates, Henrici tertii authoritatem atque imperium ſequutæ ſunt: eique, vt Regi ſuo legitimo, armis, opibus, conſilio, ad vltimum eius vitæ ſpiritum ita fideliter & conſtanter inſeruierunt, vt ſua erga eum fide, & obſeruantia ſatis teſtatum reliquerint, nihil illi, dum vixit, de regia maieſtate dignitatéque decidiſſe? Iuris authoribus viſum eſt, quod & naturalis ratio ſuadet, nihil in re communi innouandum ſine omnium ſociorum conſenſu, & ſemper potiores partes eſſe prohibentis [2]: *quod enim omnes tangit debet ab omnibus approbari* [3]: vel certè à maiore parte, cæteris præſentibus, aut ſaltem legitimè commonitis & conuocatis [4], quando tale quid eſt, quod omnibus vt vniuerſis, non vt ſingulis commune eſt. Ex nouem Tribunis plebis apud Romanos vnius interceſſio reliquos octonos, ne quid ſciſcerent, impediebat [5]: & vos interceſſio tot Prælatorum & Optimatum, tot ciuium & ſociorum, tot millium armatorum hominum, quo minus ius publicum & regni leges dementiſſima temeritate perfringereris, euerteretiſque, non impediret? Si ergo tota ferè Nobilitas Franciæ, quæ primum, vel certè primo proximum, in populo

1 in Præfatione ſtatim initio.

2 l. Sabinus. D. comm. diuid.

3 cap. quod omnes de reg. iur. in 6.

4 l. quod maior. 19. vbi Barr. & alii DD. ad Munici.

5 Plutar. in vita Tib. & C. Grac. & in vita Caton. vtic.

pulo gradum obtinet: ſi ciuitates plurimæ: ſi Prælati & Eccleſiaſtici ordinis non pauci: ſi infinitus denique Francorum numerus & multitudo, non verbis ſolùm & ſententiis, ſed magno & forti exercitu, ſceleratis veſtris conatibus obuiam ire, & Regis ac Reipublicæ maieſtatem à vobis indigno facinore violatam vlciſci nitebantur: qua tu fronte Henricum Regem dicis abdicatum? An Regis vel conſtitutionem, vel repudiationem non putas ad communem Regni cauſam ſortemque attinere? An furentium & ſcelus anhelantium potiores partes in excutiendo regalis imperii iugo, quàm moderatè & ſapienter obtemperantium in eo retinendo fuiſſe iudicas? benignior ſententia illa dicitur quæ pro reo facit: eaque tum publicis tum priuatis in iudiciis obtinere [1] debet, humaniora ſuffragia quæ continendi, quàm quæ diſſoluendi imperii, viam parant: quæq; pacis & tranquillitatis publicæ modum ineunt, quàm quæ diſcordiarum, diſſenſionum, bellorúmque ciuilium occaſionem præbent. Quæ cùm ita ſint, haud ſcio equidē quo pacto hic libri tui titulus veritatem obtineat, ſi de abdicatione iam facta intelligatur. Sin verò de facienda: ingentis profectò temeritatis, & proiectæ audaciæ opus eſſe oſtendit, quod quatuor illis libris complexus es: ob eamque rem tibi, quod valde doleo, cauſam de grauiſſimis criminibus eſſe dicendam, id autem qua ratione fiat dicam equidem paulò pòſt.

[1] l. inter pares. 38. De re iud.

Capvt III.

[2] ad lectorem.

BOVCHER.[2] *Animus erat (ſtudioſe lector) non mortuo Henrico (quis enim diuinaret?) ſed viuo & furente adhuc, imò iugulis noſtris imminente, opus hoc euulgare. Quod niſi ita eſſet, non comminatorius ad eum hic toties ſermo, non præſaga futuri oratio eſſet. Ne id quidem foret, quod iuratiſſimi teſtes affirmare poſſunt, duobus minimum, antequam ille caderet, menſibus excudi hoc cœptum eſſe: vſque eò, vt ad eum libri huius codices perlatos extitiſſe, nonóque in nos furore exarſiſſe grauiſſimorum hominum indiciis ad nos etiam eo viuo pridem delatum ſit*

Adeóne tibi magnifica & glorioſa hæc ſtyli tui libertas viſa eſt, vt de ea lectorem admoneas? ita nimirum te fortem & animoſum eſſe, vt nec regiæ indignationis formido, nec amor & reuerentia Maieſtatis, potuerit te vel tantulùm

pulum ab inſtituto deflectere. Præclara, fateor, & laudabilis conſtantiæ prædicatio, ſi ipſum per ſe propoſitum non eſſet nefarium. At enim tu eam hic rem tractabas, in qua tale quid monuiſſe: non honeſta virtutis prædicatio, ſed probroſa ſimul & periculoſa inconſultæ temeritatis iactatio potius exiſtimanda eſt. Et verò nihil à te dici vel ſcribi potuit, hoc voluntatis tuæ teſtimonio inconſideratius: nihilque quod opus iſtud tuum magis reddat infame. Illaqueatus es verbis oris tui, & propria confeſſione victus: ideóque iuratiſſimos in hanc rem teſtes producere nihil neceſſe eſt: ſat enim tibi etiam iniurato credimus. Etenim profectò ea tunc erant tempora, quibus Regis authoritas, per veſtras ſeditioſas conciones adeò deſpecta & contemnenda populo facta eſt, adeoque inuiſum nomen, vt ne illud quidem efferre quiſquam, ſine aliquo iniurioſo epitheto, & ignominiæ nota, publicè auſus eſſet: quo minus mirari oportet, ſi, quæ in Principem populi tui nimis iracundè & intemperanter, ne dicam petulanter, concionando euomuiſti, ea mox, pari audacia, ſcripto mandaueris.

Animus igitur tibi erat, hoc opus viuo Rege Henrico euulgare? itáne verò? & quo iure, quæſo, quóve nomine id te facturum conſtituiſti? Nam in primis tuus hic toties ad eum comminatorius ſermo, & præſaga futuri oratio, de quibus gloriaris, teſtantur ſatis, ac planum toti mundo faciunt, te non candidum hiſtoriæ ſcriptorem, id eſt ſimplicem rerum geſtarum narratorem his libris egiſſe: ac ne denunciatoris quidem officio functum ex eo patet [1], quod *non ad* Regis tui *correctionem, ſed ad depoſitionem*, omnes ingenii tui neruos in hoc opere contuliſti. Aut ergo, quod ſupereſt, vt accuſator Regis ad populum, aut vt famoſorum libellorum clandeſtinus [2] fabricator hoc quicquid eſt machinatus es: neutrius certè perſonam, ſine fœda exiſtimationis tuæ labe, ſuſcipere potuiſti. Nam clericos quidem ab accuſatione laicorum ſacræ conſtitutiones abercent [3]: & author famoſi carminis præterquam quòd improbus & inteſtabilis efficitur [4], anathematis, atque etiam capitis, pœnam ſubit [5]. Cùm itaque ne priuatam quidem perſonam accuſare tibi per Canones licuerit: qua tandem ratione ipſum Regem non de vno ſolùm crimine, ſed de infinitis grauiſſimis quorum animus meminiſſe horret, publici iudicii reum facere auſus es? & facere quidem contra omnem iuris Pontificii & Ciuilis rationem [6], quòd

1 cap. ſuper his 16. de accuſat.

2 clandeſtinus ideo, quia nomẽ ſuum ſuppreſſit ſed eius tamen id opus eſſe nemo neſciebat.

3 Can. Sicut. 2. 4. 7.

4 Lis cui. 18. §. ſi quis. D. qui teſta. poſt.

5 l. vnica. C. de fam. libell. Can. ſi quis. 5. 9. 1.

6 Can. quiſquis. 2. q. 8. l. qui crimen. Cod. de his qui accuſ. non poſſ.

neque nomen tuum libello inſerueris, neque in crimen ſubſcripſeris, neque, quod caput eſt, obiecta reo ſcelera, vllo, præterquam tuæ vocis, teſtimonio vera eſſe conuiceris. *Qui crimen obiicit, ſcribat ſe probaturum: & qui non probauerit quod obiecit, pœnam, quam intulerit, ipſe patiatur* [1]. *Inſcriptio* igitur *primò ſemper fiat, vt talionem calumniator recipiat* [2].

1 Can. qui crimen. 2 q. 8.
2 Can. Nullus. 4. q. 4.

Quæ, malum, fiducia, imò audacia, & barbara ac diſſoluta calumniæ licentia hæc eſt: vitam & mores, non dico Regum & ſummorum Principum, ſed vel infimorum hominum ſuperſtitum publicè, & impunè, ad libidinem ſugillare? iiſque omnia inferre crimina, quæcunque poſſis vel tenui auditione accipere, vel ex improborum & inuidorum hominum rumuſculis aucupari, & quæ nullis in eam rem certis & idoneis teſtibus, vel teſtimoniis, indiciiſve *ad probationem indubitatis & luce clarioribus* [3] vera eſſe demonſtrantur. Si iſta omnes criminandi libertas & conſuetudo in Republica toleretur, neminem profectò ſua vitæ tuebitur innocentia: nulli non maleuolorum hominum temerariis accuſationibus impetentur: maximè verò Principes, qui, quoniam ante omnium oculos obuerſantur, & cum paucis tantùm arcana communicant, magnam ſermonum & calumniæ materiam, etiam inuiti, dant illis, qui conſilia ex euentu, non ex voluntate, metiuntur. *Nemo eſt Principum*, inquit Iulius Capitolinus [4], *quem non grauis fama perſtringit, vſque adeo vt Marcus* (*qui*, vt idem ſcribit, *ſanctitate vitæ omnibus Principibus antecelluit*) *in ſermonem venerit, quod verum vel veneno ita ſuſtulerit, vt parte cultri veneno lita vuluam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans, & ſibi innoxiam reſeruans: vel certè per medicum Poſidippum, qui ei ſanguinem intempeſtiuè dicitur emiſiſſe*. cùm interea tamen Antoninus nullius ſibi culpæ eſſet conſcius. Gordianum verò Imperatorem, quo meliorem & nobiliorem vix vnquam vidit Roma, Philippus, homo Arabs & humili loco natus, ſed per omnes militiæ gradus ad præfecturam prætorii ab ipſomet Gordiano euectus, ſparſis in exercitu calumniis, & crebra dictorum factorumque ipſius ad milites ſugillatione, ita oppreſſit breui, vt eum tandem & vita & imperio exuerit. Vix vllus Scotorum Regum vel aliarum etiam nationum, doctrina, pietate, iuſtitia, cæteriſque virtutibus verè regiis, inſtructior fuit, quàm Iacobus 1. Attamen, quia nobilium quorundam ſcelera & inſolentiam

3 L. vlt. Cod. de prob.
4 in vita M. Anton. Phil.

acri-

acriter compeſcebat, non defuerunt audaces & mendaces qui eius famam infami dicto conuellere & perſtringere conarentur, vt totius in eum Nobilitatis odium concitarent: fingebant nempe ab eo dictum eſſe vxori, ſe neminem in Scotia nobilem relicturum, niſi qui cum Regina concubaret [1].

Sed nihil neceſſe eſt antiqua vel externa huius rei exempla conquirere, recentia & domeſtica nimis multa ſuppetunt: ex quibus, quod ipſe viderim, vnum præ cæteris inſigne memorabo. Maria Scotiæ Regina, eximiis tum corporis tum animi dotibus ornata fœmina, quamquam ea vitæ integritate vixit, quæ non modò populares & ſubditos, ſed exteras etiam nationes in eius admirationem atque amorem pertraheret: tamen maleuolorum hominum, virtuti ſimul & vitæ ſuæ inſidiantium, calumnias & vituperationem effugere non potuit, quin, falſis tandem criminationibus afflicta & proſtrata innocentia, primùm regno, deinde vita cederet inimicis. Res hoc modo peracta eſt. Erat illi frater nothus, ſi tamen frater, Iacobus nomine, in quem beneficia & officia complura contulit: adeò vt ditiones & dignitates, legitimis Regum filiis concedi ſolitas, ei tribueret. Ex Priore enim monaſterii Canonicorum regularium, Mariæ primùm, deinde Moraniæ Comitem eum creauit, eaque apud ſe authoritate eſſe voluit, vt nullum ferè neque publicum, neque priuatum alicuius momenti negotium, ſine ipſius conſilio & conſenſu perageret: rata nimirum hominem eodem patre, vt fama erat, genitum, partim ſanguinis communione, partim beneficiorum multitudine, adductum iri, vt pari fide & beneuolentia curam de ſalute & Maieſtate ſororis ſuſciperet. At ille non contentus hac fortunæ ſuæ & beneficiorum gloria, vt vidit eo ſe loco conſtitutum, in quo facilè quicquid vellet, Regina permittente, faceret: ſtatim regnum appetere, inſidias parare, clàm omnia moliri, quibus Reginæ inuidiam, ſibi auram popularem venari poſſet. Eòque rem breui perduxit, vt quicquid è Republica ſancitum decretúmve fuit, id Domini Iacobi (ita enim initio vocabatur [2]) opera & conſilio factum eſſe putaretur: quod verò ſecùs, id Reginæ leuitati, & impotentiæ muliebri omnes adſcriberent. Res illi eo magis erat in procliui, quòd hæreſis iam Scotiam paulò antè occupauerat, cuius ipſe & plantandæ, & propagandæ, in illa gente author præcipuus extitit: Regina

1 Ioan. Maior de geſt. Scot. l. 6. ca. 14.

2 Scoticè, Lord Iames.

na verò contrà, auitæ & orthodoxæ religionis tenaciſſima, vt peſtem illam Caluinianam regno expelleret nihil non obnixè conabatur, in eo ferè ſolo peccans, quòd cæca cognationis affectione ducta tanti incendii facem, tunc cùm primum ardere cœpit, non ilicò extinxerat. Datum itaque Miniſtris Caluinianis negotium eſt, vt multitudinem tentet, quo animo ſceptri mutationem ferret, ſimulque Reginæ famam & honorem quanto poſſent artificio depeculentur: id illi, vt ſunt procaces, alacriter ſuſceperũt, atque in ſuis ad populum concionibus, muliebris aulæ luxum, & ficta Reginæ vitia, obſcurè primùm & leuiter carpere: Comitis autem Morauiæ (id enim nomen Reginæ munificentia iam erat adeptus) regiam indolem, dotéſque animi ſingulares & propè diuinas prædicare cœperũt. Deinde verò vbi auditorum flexibiles ad nouitatem animos, & ſuperioribus ſermonibus nonnihil commotos animaduertiſſent, iam in apertam iniuriam prorumpere, & tyrannidem, idololatriam, ſtupra, adulteria, parricidia, nullum denique non flagitii genus Reginæ, optimæ & innocentiſſimæ fœminæ, exprobrare auſi ſunt ita vt relicto Dei verbo, cuius ſe miniſtros oppidò glorioſè mentiebantur, totas ferè conciones ſuas in eiuſmodi vitiis recenſendis & exaggerandis (vt tu olim, aliique Pariſiis Regi Henrico infenſi) conſumerent. Sed nec famoſis etiam libellis abſtentum: ſcripti complures, & in varias terrarum plagas dimiſſi; vt per eos Princeps innocens in omnium odium & offenſionem incurreret, & fœdæ improborum hominum coniurationi aliquis æquitatis fucus prætenderetur: ex quibus vnus quidem mendaciſſimus, magna cum authoris ignominia, ſub hiſtoriæ titulo multorum adhuc manibus circumfertur [1]. Quid multis? trita hæc eſt, & quaſi compendiaria Principes opprimendi via: quam cùm te iniiſſe Rex Henricus ſenſiſſet, non mirum ſi *nouo* vt ſcribis, *in te furore* exarſerit. *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis: qui prouocat eum peccat in animam ſuam* [2]. Non eſt propoſiti quidem mei, nefanda illa quæ Regi tuo crimina intuliſti diluere ac propulſare; quippe pleraque ſunt eiuſmodi, in quibus nullo ei ad victoriam patrono opus eſt (accuſatore enim non probante, reus, etſi nihil præſtiterit, obtinere debet [3].) Sed ea tantùm tractare quæ ad communem Regum cauſam pertinent: quorum illud eſt, haudquaquam tibi licuiſſe Principi populi tui maledicere, vel commina-
ri: mul-

1 Georgii Buchanani libri quatuor poſtremi, quos proditor nefarius & ingratiſſimus ad Dominæ ſuæ inuidiam & ignominiam compoſuit.

2 Prou. 20.

3 l. qui accuſare C. de eden.

ri: multoque minus, non modò famam & exiſtimationem, ſed ſceptrum & vitam conari eripere Sed quoniam tu contrà falsò habes perſuaſum, ſaltem aliis perſuadere cupis, hoc ſcriptionis genus officio & munere tuo non eſſe alienum: operæpreccium eſt, antequam alia attingam, eius te erroris commonere, & vt reſipias adhortari.

CAP. IV.

BOVCHER I. *Quæ in re ſi quid erit quod acerbè nimium & audenter factum à prudenti illo & patriæ vtiliſſimo Theologorum conceſſu primùm, mox à nobis qui ſcribimus, è Politicorum lacunis gratioſiſſimi homines quiritentur, indignumq́; facinus clament contra Henricum ſic mutire, ii ſi clara illa Eccleſiæ lumina apud Græcos, Nazianzenos, Athanaſios, Chryſoſtomos, apud noſtros, Hilarios, Luciferos contra Principes fidei deſertores ac tyrannos fulminantes, tonantes, cælum terræ permiſcentes legerint, habebunt quod vt in illis in re minori incitatum, vehemens, auſterum ac ſeuerum admirari debeant, ſic in noſtris in maiori longè nequitia, imò quantam ſol iſte neque noſtra neq; patrum memoria vidit, remiſſum, tardum, molle ac lene præ illis eſſe conquerantur.* In Præfatione fol. 3.

Imò verò quiſquis antiquorum Patrum ſcripta non oſcitanter perlegerit, tua hæc protinus execrabitur, damnabitque. Nam quamuis illuſtres illi Euangelii præcones, quorum mentionem facis, aliique complures, Principum impietatem, nequitiam, tyrannidem, & cætera quæ in homines cadunt vitia, grauibus & copioſis orationibus, pro ſuo in eos imperio ſpirituali, &, quæ viros ſanctos decet, eccleſiaſtica libertate, acerrimè reprehenderint: tamen nemo eorum rebellia & coniurationes laudare: nemo popularibus factionibus & defectionibus ſtudere: nemo ſubditorum animos ab obſequio & honore Regibus debito auertere: nemo non quæ Cæſaris ſunt Cæſari, & quæ Dei Deo tribuenda eſſe, atque iniquioris imperii iugum ferendum potius, quàm excutiendum prædicauit: nemo denique in eiuſmodi malis, quæ te malè in Reges tuos animatum reddiderunt, non expectandam Dei miſericordiam, qui iuſtè propter iniquitates noſtras, iniuſtos in nobis graſſari Principes facit, quorum ipſe corda regit, & paulo momento format ac transformat pro meritis ſubditorũ: vt vel in vnius Conſtantii perſona patet, qui ante mortem pœnitentia ductus vehementer inge-

S Gregor. Naz. Orat. 18. quæ eſt oratio funebris in Athanaſium & orat. 1. in Iulianum. Theodor. Eccl. hiſt. li. 2. ca. ſi. & li. 3. cap. 1.

muit, quòd à paterna, id eſt, catholica fide deſciuiſſet ? Sed omnes contra Principum mores ea pietate & prudentia carpebant, ne Maieſtatem offenderent; ita ſuâ Regibus vitia exprobrabant, vt perſonæ interea dignitatem, exemplo Samuelis, Nathani, Eliæ, Eliſæi, cæterorúmque veteris teſtamenti prophetarum, comiter obſeruarent, & venerarentur: cauerentque inprimis ne quid turbidè, inſolenter, cōtemptim, vel iniurioſè effutirent, quod populus ſibi ad iuſtam defectionis & rebellii defenſionem iure poſſet arripere. In ſumma vnum id omnibus propoſitum erat, ex hominum mentibus ſcelera, non ex Regum manibus ſceptra euellere. Hunc tibi ſcopum ſi delegiſſes, & poſt Regis tui Henrici à ſceleſtiſſimo monacho perempti cædem, libros tuos velut quædam epinicia, & funebres conciones euulgaſſes: aut eo etiam adhuc ſuperſtite, mores eius, & vitia, quæcunque regno & religioni detrimentum afferre videbantur, ea quæ concionatorem decet modeſtia: vituperaſſes, præſentémve liberius paulò & acrius incuſaſſes: eſſet quod meritò fortaſſis gloriere, te aliquid ſimile iis, quæ priſci illi Patres factitarunt, præſtitiſſe. At cùm totus in his libris ſis, vt Regis tui legitimi vitam omnibus turpitudinis & infamiæ notis conſpurces; vt eum contumeliis, imprecationibus, & maledictis lancines: vt inuiſum atque exoſum populo reddas: vt honore, dignitate, imperio, & vita ſpol es; vt multitudinem recenti ira feruentem, & conſcientiæ repagulis coercitam metu Numinis liberes, atque in plenum pertrahas furorem, ac, Rege cæſo, acephalam conſtituas; non eſt cur iactites te tam peruerſis ſtudiis clariſſima illa Eccleſiæ lumina imitatum.

Hoccine non eſt viris bonis imponere? Sanctos nimirum & antiquos Patres Eccleſiæ, quorum fidem ſequimur, pietatem laudamus, admiramur conſtantiam, vitam, & mores, vt regulam & exemplum actionum noſtrarum, ad imitandum proponimus, in hanc tecum doctrinæ ſocietatem, in hanc, inquam, ſceleris communionem falsò velle pertrahere? & quod illi nunquam cogitarunt, nedum ſcripſerunt, eius te eos habere authores & aſtipulatores aſſerere? Sed audi (cogor enim quod celatum volui ſeueriùs exprimere, ne cùm dignitati & exiſtimationi tuæ nimis conſulo, meam ipſius in diſcrimen coniiciam) audi, inquā, magnam tuam in hac re vel imprudentiā, vel impudentiā. Nam ſi cùm hæc ſcriberes, ea te tenuit opinio, neminem in viuis eſſe, præter te ſolum, qui horum autho-

rum ſcripta legit vnquam, lecturuſue ſit: aut ſi legerit, ita animo vigeat, vt eos non ſolùm non à te ſtare, ſed planè contra te ab aduerſariis ſtare, tuamque damnare ſententiam intelligat: inſigni imprudentia lapſus es. Sin verò & fore qui eos lectitent, & nihil tuis ſimile legendo inueniant, ſed contrà prorſum omnia, præuidiſti: audacter nimis & impudenter eos doctrinæ tuæ autores laudaſti, qui palam & vno omnes ore teſtes ſe tui erroris profitentur.

Quapropter ne vllam hac in re calumniã adhibere videar, percurramus, ſi placet, & cum tuis iſtis componamus eorum ipſorum ſcripta quos cauſæ tuę patronos delegiſti.

D. Gregorius Nazianzenus, B. Hieronymi præceptor, ob ſingularem Scripturarum cognitionem Theologus κατ' ἐξοχὴν nominatus, in ea tempora incidit, quibus Eccleſia Dei, per quatuor Imperatorum ordine ſuccedentium, Conſtantii, Iuliani, Valentis, & Valẽtiniani iunioris, impietatem & nequitiam, maximis, ſi vnquam alias, tempeſtatum & procellarum fluctibus iactata & agitata fuit [1]: at ille tamen cuius ex ore ſermo melle dulcior fluebat, nihil quicquam in vllum eorum viuentem dixit vel ſcripſit iniurioſius. Duas in Iulianum orationes infamatrices cõpoſuit, & alibi etiam in eum acriter inuectus eſt [2], quemadmodum & in Valentem [3]: ſed totum hoc poſt eorum mortem, quo tempore metuendum non fuit, ne iuſtæ illæ ſcelerum vituperationes aliquam in populo ſeditionem concitarent: ſed potius ſperandum Principes præſentes futuroſque, atque adeò totam poſteritatem, tam immanium monſtrorum & flagitiorum recordatione, cautiores fore, & à tam horrenda impietate deterritum iri. Et verò in omnibus Nazianzeni ſcriptis, ne verbum quidem de rebellione ſubditorum, & malo ac perfido Principe exigendo, deue aliqua in eum coniurandi licentia reperies: quin potius ad obedientiam & patientiam compoſitas adhortationes, increpitoſque illos qui Dei iudicium in malis Principibus puniendis præuenire ſtudent [4]: quique nimio feruore, & zelo inconſiderato vt tu, res magnas moliuntur aggrediunturq́; [5]: qua de re libro quarto diximus [6].

Magnum verò Eccleſiæ columen, & flagellum Arianorum, S. Athanaſius Imperatorem Conſtantium, à quo ſæpius in exilium pulſus fuit, vaſtataque Eccleſia, parricidii, hæreſeos, periurii, & aliorum multorum criminum inſimulauit. Sed quomodo & apud quos? propalamne in cõ-

1 Sub his omnibus rexit Eccleſiam, & mortuus eſt imperante Theodoſio Hieron in catal. ſcript.
2 Orat. 18. 22. 24. 25. & 27.
3 Orat. 8. 24. & 27.
4 Orat. 1. in Iulian.
5 Orat. 21.
6 cap. 4.

cionibus apud populum, aut libris ad ignominiam compoſitis & promulgatis? minimè verò. ſed tantùm in epiſtolis quibuſdam ad Serapionem, & Monachos ſolitariam vitam colentes, vt eos conſolaretur, & in fide orthodoxa confirmaret: eaſque ipſas epiſtolas ita occuli & abſcondi voluit ne in aliorum manus peruenirent, vt legi tantùm ab iis ad quos mittebantur, non etiam retineri, tranſcribi, vel publicari pateretur: idque tanta cautione & prouiſione fecit, vt ſuas autographas ad ſe remitti non tranſcriptas aut editas præceperit. *Nemini*, inquit [1], *harum literarum exemplar edas, aut tibi ipſi tranſcribas: nam hoc ipſum monachis quoque iniunxi. Sed pro tuo candore ſi quid ſcriptis deeſt, addas, atque ita ea ad nos quamprimùm remittas. Ex epiſtola mea ad fratres cognoſcere poteris, quid in ſcriptis meis ſum paſſus: quapropter tutum non eſt ſcripta edi idiotæ, præſertim de ſummis & præcipuis dogmatibus: ne ſi quid per imbecillitatem & obſcuritatem ſermonis minus plenè ſit dictum, noxam id lectoribus adferat. Plerique enim non fidem aut intentionem ſcribentis reſpiciunt, ſed aut per inuidiam, aut per contentionem ſua iam antea concepta in animo opinionis, prout volunt, verba accipiunt, & ſcripta pro ſua libidine imputant.* Quod autem huic viro ſancto is animus fuerit, ne quid publicè aduerſus maieſtatem Principis, aut ad eius ignominiam, lingua vel ſcripto effunderet, ſatis præterea ex eo patet, quod & in epiſtolis ad Conſtantium miſſis, & in orationibus ad Epiſcopos, reuerenter & honorificè ſemper de eo Imperatore locutus ſit, etiam poſtquam ſciuit quanto ſe furore ad ſupplicium quæſiiſſet, quantaque impietate eccleſias Arianis χριστομάχοις, vt ille loquitur, tradidiſſet, Liberio, Hoſio, cæteriſque orthodoxis Epiſcopis exulare iuſſis, quòd in Athanaſii condemnationem ſubſcribere noluiſſent. Nihil hæc omnia virum Dei mouere poterant, vt Principis legitimi Maieſtatem deſpiceret, vt imperium minueret, vt dignitatē & exiſtimationē protereret, vt nomē multitudini odioſum redderet, vt in eū hoſtes concitaret, omniaq; mala induceret, quibus aut regno deiici, aut tolli de medio poſſet. Itaque quamuis vera eſſent quæ in occultioribus illis epiſtolis perſcribebat, & multis etiam nota: tamen vt ſubditos in officio contineret, qui exemplo tanti Antiſtitis ab obſequio in omnes facilè iniurias, & ab iniuriis in apertam defectionem prorupiſſent, honorificam de eo mentionem publicè ſemper fecit. teſtis Oratio eius prima ad Epiſcopos Ægypti & Lybiæ contra Aria-

[1] Epiſt. ad Serapionem in fine.

Arianos: *Siquidem illi*, inquit, (de Arianis loquitur) *præter mentem Conſtantii Imperatoris humani & pii, pro libidine, quæ volunt, promulgant, & faciunt ea quæ libet, &c.* teſtis & Apologia ad eundem Imperatorem, in qua ſæpius profitetur ſe eius obſequi imperio, nec vnquam mandatis imperialibus reſtitiſſe: pium eum & optimum Imperatorem vocans, atque amicum Danielis, id eſt, viri boni & oppreſſi calũniis: ſed & religioſiſſimum Imperatorem vocat: deniq; ita ſcribit, vt lamentari vicem Conſtantii, cuius nomine tot mala perpetrata ſunt, non illa ei improperare videatur: & impiis miniſtris, non Imperatori aſcribere.

Veniamus nunc ad decus & lumen Eccleſiæ Gallicanæ D. Hilarium; nam & hic quoque in Conſtantium ſcripſit, ſed in Conſtantium vita functum, vt teſtatur S. Hieronymus [1]; quo in libello ſuam illi impietatem, ac ſi viueret, maxima dicendi libertate exprobrauit: eadem prorſus mente quâ Nazianzenum in Iulianum & Valentẽ mortuos inuectum fuiſſe diximus. Et quamquam ibi de multis plaſphemiis, & atrociſſimis iniuriis Dei filio Domino noſtro factis cum Imperatore expoſtulat: tamen ne minimam quidem de abrogando ei imperio, vel pœnis humanis priuatorum more infligendis mentionem facit, ne id nimirum ad aliorum Principum viuentium iniuriam redundaret: alioqui enim & Valentem, quo imperante obiit, immaniorem multò & capitaliorem Eccleſiæ hoſtem, pati aut certè grauiore reprehenſionis ſtylo perſtrinxiſſet. Quaptopter idem vir ſanctus eundem Conſtantium quamdiu vixit, ſumma in verbis & ſcriptis obſeruantia coluit: didicerat enim Principi populi non eſſe male dicendũ: Cui rei teſtimonio ſunt alii eius libri duo ad eundẽ Imperatorem pro libertate Eccleſiæ, in quibus agnoſcit eum legitimum Principem licet Ariana peſte haud leuiter infectum: ita enim priorem orditur. *Benignifica natura tua, domine beatiſſime Auguſte, cum benigna voluntate concordat*, & paulò poſt, *intelligit ſingularis & admirabilis ſapientia tua*, &c. Et iterum. *Æquum debet videri ſanctitati tuæ, glorioſiſſime Auguſte.* Alterius vero initium eſt. *Non ſum neſcius, piiſſime Imperator*, deinde ſequitur *Hæc autem dignantiſſime Imperator, arbitrio tuo derelinquo* & poſt, *in quantũ ego nũc beatæ religioſæq; volũtatis verè te domine Cõſtanti Imperator admiror.* Deinde vbi magis ſeriò de Chriſtianę fidei dogmatis cũ hoc Ariano Principe ſermonẽ cõferre ſtatuit, ſic infit. *Audi, rogo,*

[1] in catalog. ſcript. eccleſ.

rogo, ea quæ de Chriſto ſunt ſcripta, ne ſub eis ea quæ non ſcripta ſunt prædicentur: locuturus ſum tecum cum honore regni & fidei tuæ, omnia ad Orientis & Occidentis pacem profutura ſimiliter & in libro contra Auxentium, vocat eundem Conſtantiũ *Sanctum Regem:* ſanctum quidem non vitæ & fidei integritate, quippe Arianæ Hæreſis fautorem manifeſtum, ſed inuiolabili muneris dignitate, ob reuerentiam ſcilicet perſonæ quam gerebat in terris: ſciebat enim à Deo conſtitutũ, vt ait Tertullianus, cui dictorum factorumque omnium rationem erat redditurus.

Nec minor Patrum omnium orthodoxorum eius ſeculi erga Imperatorem obſeruantia Nam & magnus ille Hoſius, cùm iam centeſimum annum ageret, & Confeſſoris munus in grauiſſimis perſecutionibus egregiè obiiſſet, ad eundem Conſtantium Epiſcopos Catholicos exiliis inhumaniter vexãtem & multantem ſic ſcribit [1]. *Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiaſtica, concredidit: & quẽadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ Dei Deo. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere: neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes Imperator.* Et patres orthodoxi, qui Arimini conuenerant pluſquam quadringenti, ad eundem Conſtantium ſubmiſsè & reuerenter ſcripſerunt cum viginti Epiſcopis legatis ad eum miſſis [2]. Prætereo quantam D. Baſilius [3] apoſtatæ Iuliano quà Imperatori; & D. Ambroſius [4], Valentiniano Hæretico, etiam tunc cum facilè eũ opprimere & imperio morteque multare poſſit, obedientiam & reuerentiam exhibuit. Adeò nec ſinguli, nec vniuerſi eius ætatis ſancti exemplum nobis vllum reliquerũt, libellos famoſos & accuſatorios in Principem viuentem & regnantem conſcribendi, edendi, publicandi, vulgoque ad dedecus & ignominiam committendi, quod ſuperioribus in Brutum libris latius patefecimus.

Nam quod ad Luciferum attinet, quem tibi imitãdum proponis, fuit ille quidem, vt ex hiſtoriis & rebus ab eo geſtis colligitur, tui haud abſimilis: id eſt feruente & inconſiderato zelo accenſus, cætera moroſus, arrogans, iracundus: quæ illò eum vitia pertraxerunt, vt ab Epiſcoporum Catholicorum communione, *hoc eſt Romanæ Eccleſiæ*, inquit Ambroſius [5] miſerè deceſſerit, & nouam ſua doctrina vipe-

1 Hæc Hoſii epiſtola refertur ab Athanaſio in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes.

2 Athanaſ. de Synodo Ariminenſis. Sozomẽ. li. 4. hiſt. Eccleſ. ca. 17. & 18.

3 in vita Baſilii Magni.

4 D. Ambro. li. 5. epi. 30. 31. 32. 33.

5 in orat. de obitu fratris ſui Satyri.

viperarum progeniē pepererit, Luciferianos ſcilicet Hæreticos, *qui cum ipſo Lucifero auctore ſuo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt* [1]. Hic, fateor, cùm neque dicendi facultate, neque doctrina & ſanctitate vitæ cum diuinis illis, quorum mentionem feci, Eccleſiæ patribus eſſet cōferendus, libellos quoſdam in Conſtantium Imp. valde ſtomachoſos edidit, quib. ſuam ei impietatem aſperrimis verbis exprobrauit, & vltionem diuinam ſeueriſſimè comminatus eſt. Sed in eo tamen mitiorem & meliorem ſe præbuit quā tu: quòd nihil extra Dei cauſam, id eſt Hæreſin Principi ſuo improperarit, nullumque ei conuitium niſi huius ſolius cauſa fecit: nullum ei ſcelus affinxit, nullum obiecit crimen, quod non luce clarius toti orbi innotuiſſet: Denique licet eum iniurioſiſſimis verbis propter hæreſin inſectaretur, & latronem, carnificem, ſacrilegum, homicidā, idololatram & aliis id genus nominibus appellaret: tamen nullas ei inſidias ſtruere vel mortes parare, nullas ſeditiones & rebellia contra eum, quamuis Hæreticum manifeſtum cōcitare, augere, fouere, vel laudare niſus eſt. Tu verò cōtrà, omnes nocendi, addo & mentiendi, artes perueſtigaſti, omnes ingenii neruos contendiſti, omne ſtudium curamque contuliſti, vt Regem Catholicum & Chriſtianiſſimum, nulla Hæreſeos macula notatum, non ſolū Hæreticum eſſe multitudini falsò perſuaderes: ſed infinitis præterea omnis generis flagitiis contaminatum & cōſpurcatum, quæ nec admiſit, nec admittere in animo habuit vnquam: & qui extremus inuidiæ & ſcriptionis tuæ ſcopus eſt, vt omnes in eum impetum faciant, & quo iure quaque iniuria imperium ei vitamque rebellibus armis eripiant, adhortatus es. Quæ cùm ita ſint, licet multa tibi cum Lucifero communia inueniantur, veluti arrogantia, iracundia, moroſitas: tamen haud rectè iactas te illum in hoc ſcriptionis genere eſſe imitatum.

[1] 24. q. 3. can. quidam. Vide Ruff. li. 1. cap. 30. Socrat li 3. c. 9. Sozom. li. 5. c. 13. hiſt. Eccle. S. Auguſt. de hæreſib. ad Quod vult. Deum.

Capvt. V.

Oſtendi iam paucis quid, & qua mente, antiqui illi veritatis propugnatores, ad quorum ſanctitatis exemplum te opus hoc tuum elaboraſſe cōtendis, in Principes Catholicæ Religionis proditores vel deſertores exararunt. Reliquum igitur nūc eſt, vt cum illorum dictis tua componamus: ita enim fiet, vt nihil te illis ſimile effeciſſe, ſed planè ab illorum inſtituto defeciſſe, ac rem ordine tuo

proſus

prorſus indignam egiſſe, cunctis perſpicuè & euidenter appareat.

Nazianzenus & Hilarius in mortuorum tantùm Principum impietatem & tyrannidem inuecti ſunt. quod magno populi, Principumque ſuccedentium commodo, & ſine vlla multitudinis concitatione & ſeditione facere potuerunt. Boucherius verò Regem ſceptra tenentem, & armis, opibus, ingenio, clientela, omnibuſque Maieſtatis copiis florentem, quantis maximis conuiciis, maledictis, opprobriis, generiſque omnis iniuriis contemptim & petulanter lancinat & laceſſit.

Athanaſius viuentem Conſtantium Imperatorem parricidii, hæreſeos, periurii ſeu perfidiæ, & aliorum criminũ incuſauit: ſed apud paucos tantùm Monachos per epiſtolam, & ita occultè, vt neque ab ipſis Monachis id ſcriptum retineri, neque cum vllo alio communicari, ſed ſibi quamprimum remitti voluerit. Boucherius Regem Henricum his omnibus & infinitis aliis ſceleribus inquinatum eſſe publicè vociferatur, edicit, concionatur, ſcriptiſq; famoſis libellis, & ad mille exemplaria in vulgus emanare iuſſis, vt id ad omnium mortalium aures animoſque perueniat, obnixè dat operam.

Hoſius aſſeruit neminem poſſe Conſtantii hæretici imperium malignis oculis carpere, quin diuinæ ordinationi contradicat. Boucherius, neminem poſſe Henrici (quem hæreſeos falſiſſimè inſimulat) imperio parere, quin eo ipſo Maieſtatem diuinam committat. Hoſius regnũ Ariano Principi, qui hæreſi parricidium, & vtrumque periurio cumulauerat non ſine grandi piaculo abrogari poſſe docet. Boucherius, licere cunctis in Regem Chriſtianiſſimum & Catholicum, ob quædam non rectè facta inſurgere, & vt in terram atque horrendam belluam vel monſtrum aliquod, omni impetu irruere, & vitam ei vnà cum imperio eripere: imò qui id non conantur, omnes patriæ hoſtes, & magni ſceleris obnoxios eſſe denunciat.

Baſilius Magnus Iuliano Cæſaream Cappadociæ venienti obuiam proceſſit [r], & pandi ei ciuitatis portas omniaque ſubditorum officia exhiberi ſuaſit: ſed & munera etiam ei obtulit. & vt odium in Chriſtianos conceptum mitigaret ſupplex deprecatus eſt: quamquã poterat ſe vallo & muris ſine vllo periculo continere, cũ ſciret eũ Iuliano exercitũ contra Perſas militare, qui aduerſus Chriſtianos rebelli-

r In vita Baſilii.

rebelles ne gladium quidem pro Imperatore ſtringerent. Boucherius Henrico Regi cum maximo exercitu ad ſeditioſos & rebelles coërcẽdos Lutetiam proficiſcenti portas occludi, milites in præſidiis apponi, ciues cum armis & omnia apparatu bellico qua viribus qua inſidiis, reſiſtere & repugnare iubet. Omnes antiqui Patres quorum iam mentio facta eſt, Principes illos peſſimos ſiue ad ipſos, ſiue de ipſis, aliquid publicè ſcribebant, nunc Reges, nunc Imperatores, honoris gratia nominabant. Boucherius ne ſemel quidem Regis nomine dignatur Henricum III. niſi forte εἰρωνικῶς. Cùm tamen Sixtus Papa V. in ſua de hoc Principe Bulla ſemper eum Regem, honoris cauſa nominet, hoc modo: *Quod Henricus III. Francorum Rex*, & paulò poſt: *Nos dictum Henricum Regem paterna charitate &c.* & iterum *dumque expectabamus quod idem Henricus Rex*, & mox, *pro eiuſdem Henrici Regis anima ſalute & conſeruatione, qua nobis præ rebus omnibus charior & antiquior ſemper fuit*, quid perſequar ſingula? quiſquis diploma illud legerit, horum nominum coniunctorum inflectionem per omnes caſus inueniet. *Henricus Rex, Henrici Regis. Henrico Regi. Henricũ Regẽ, Henrico Rege*, vt nuſquam alterum ſine altero reperiatur: ex qua Põtificis Maximi humanitate & ciuilitate, ſuam Boucherius inſulſitatem, inciuilitatem volui dicere, detur venia verbo, agnoſcere & emendare potuit.

Athanaſius vocat Conſtantium Imperatorem humanum & pium [1], quia etſi talis non eſſet, talis eſſe debebat, adeò vt id nominis etiam minus pio tribuendum ſit (quẽadmodum *Prætor*, vt ait Iuriſconſultus [2], *ius reddere dicitur etiam cùm inique decernit relatione ſcilicet facta non ad id, quod ita Prætor fecit, ſed ad illud, quod Prætorem facere conuenit*) Boucherius Henricum nec humanum, nec hominem, ſed belluã, nec pium ſed impium & prototypon nequitiæ appellat [3]. Ille Conſtantium Arianum, ob reuerentiam Maieſtatis, pium & optimum Imperatorem nominat: hic verò Henricum Catholicum, ad deſpectum & ignominiam regalis dignitatis, magnum & crudelem Draconem in rapinarum & libidinum fluminibus cubantem [4], veteratorem, perfidum, mendacem abiectum, vilem, barbarum aliiſque id genus nominibus (pro linguam ſacerdotis effrænem) paſſim pronunciat.

1 in orat. ad Epiſc. Ægypt. & Lybiæ.
2 Paul. l. pen. D. de iuſt. & iure.
3 li. 2. c. 9.
4 in epiſtola ad vniuerſos toto orbe Chriſt.
5 lib. 4. c. 11.

Hilarius librorũ ſuorũ ad Conſtantiũ initia hiſce mitiſſimis epithetis ornat, *domine beatiſſime Auguſte, glorioſiſſime*

Auguſte piiſſime Imperator. dignãtiſſime Imperator. & ſimilibus Boucherius principium Apoſtrophes ſuæ ad Henricum hocce dedecoro & infami titulo conſpurcat. *At tu prophane, qui peior Cyclopibus &c.*

Nemo iſtorum antiquorum Patrum id egit, vt multitudinem Principi infenſam redderet, & ad rebellionem concitaret, vt inteſtinis odiis & ciuili diſſenſione Rempublicam vexaret, vt ſubditi ſpe & ſpecie melioris regiminis ad arma in Principem legitimum conuolarent, vt ipſum etiam ſi poſſent (facti poteſtatem intelligo) Imperialibus & regalibus ornamentis atque inſignibus ſpoliarent. Boucherio autem vnicus, certè præcipuus ſcopus eſt, Henrico Regi imperium abrogare, inque eum omnes regni ordines infeſtis ſignis commouere, quod vel ſola Boucheriani operis inſcriptio præfatioque demonſtrat. Illi nihil quod famam grauius perſtringeret ad Principes ſcripſerunt: huius libri tam crebris ſcatent infamię notis, vt vnus tantum famoſus libellus eſſe videantur. Illorum libri ad Principis emendationem & regni conſeruationem ſpectant: huius verò, ad Regis abdicationem & Monarchiæ deſtructionē recta tendunt. Illi *cum honore regni* profitentur ſe locuturos cum Principe *omnia ad Orientis & Occidentis pacem profutura:* hic ſine vllo honore regni & Maieſtatis, cum Principe tanquam cum viliſſimo cerdone vel ſcrofipaſco congreditur, & ea loquitur quæ ad diſſidium, & florentiſſimi regni diſſolutionem atque interitum videntur plurimum valitura. Illi acutos ad reuocandum ab errore Principem ſyllogiſmos, piè humaniter, & artificioſè excogitarunt: hic totis ferè duobus libris [1] continenter ſyllogizat, ſeu verius paralogizat, vt imperitis errorem incutiat, Regi verò non errorem, ſed imperium detrahat. Si enim verum eſt quod quidam affirmant, cōcluſionem non eſſe partem ſyllogiſmi, integros ſemper ſyllogiſmos binorū capitum inſcriptione conficit ad hūc modum, *periurus regno indignus eſt* (notā vniuerſi generis veluti, *omnis*, hic ſatis intelligimus) *Henricus eſt periurus. Excutiendi regno ſchiſmatici: Henricus ſchiſmatis reus eſt. Hæretici ſceptro amouendi: Henricus hæreticus eſt, &c.* En ſcitos quidem ſyllogiſmos, ſed parum tamē firmos, quia rei veritate deficiuntur.

[1] lib. 2. & 5.

Nemo illorum quos memoraui reprehendit vnquā eos qui cum Principibus peſſimis manſerunt, & ea illis officia impertiebant, quæ Cæſari, qua Cæſar erat debebantur, alioqui,

lioqui nec Iouianus & Valentinianus viri nobiles, & tribuni militum, qui confeſſorum munia iam obierant: nec Terentius, Traianus, Arintheus, Victor, fortiſſimi Duces exercitus, qui ſuam Imperatori hæreſin & θεομαχίαν in os exprobrabant; aliique complures, vnquam in Conſtantii, Iuliani, Valentis, aut Valentiniani iunioris aula vel caſtris habitaſſent: niſi, quod dictu abſurdum, defuiſſe tunc Catholicis Baſilios, Athanaſios, Gregorios, Ambroſios, qui eos errantes officii admonerent, ſtulta perſuaſione arbitremur. Bouchetius omnes qui Henrico Regi, ſuo aduerſus rebelles opem ferunt, Eccleſiaſticos, Nobiles, Senatores, Patricios, Plebeios, obiurgat, increpat, execratur; anathematizat, atque ad infernum viuos cum Core, Dathan, & Abyron ablegat & amandat [1], niſi ſtatim Rege relicto in cõiuratorum ſocietatem ſe recipiant: idque eo tempore, quo nondum Summus Pontifex de cauſa aliquid erat interlocutus. Nam niſi Boucherius de ſeipſo mentitur [2], quod nõ credo, hoc ipſius opus *duobus minimùm antequam Rex caderet, menſibus excudi captum eſt.* Aliis autẽ duobus minimùm vel tribus, antequam prælo ſubiiceretur, menſibus, quin ei lucubrando tranſcribẽdoque opus fuiſſet, nemini reor obſcurum eſſe, qui alicuius momenti cogitationes literis mãdare ſolet. Sixti autem Papæ bulla commonitoria ſeu mauis comminatoria & citatoria, 3. Nonas Maii data eſt, nõ tribus ante Regis interitum menſibus, Romæ data fuit. Atque ita Boucherius Regem ſpernens, Papam præueniens, ipſe ſibi & Põtifex Maximus, & Princeps ſupremus, diuinas & humanas ſanctiones, tanquam alter Moyſes, in manu tenens, omnibus regni ordinibus multas & mortes arbitratu ſuo minitatur. Heu nouam & diſſimilem antiquorum Patrum doctrinæ diſciplinam! Heu apertiſſimam turbandis imperiis ianuam, viámque facillimam! Heu peſtem regnorum; & ciuilium diſſenſionum diſcordiarúmque ſolum & ſolidum fundamentum!

An ignorabas, Boucheri, cùm talia ſcriberes, ſummos Pontifices, qui patres ſunt & paſtores Chriſtianorum, pro ſua in filios pietate, ſententiam excommunicationis etiam grauiſſimæ ita temperaſſe, vt excommunicato communicate poſſint omnes quotquot ante ſententiam excommunicationis ei ſe ſubdiderunt, aut alioqui naturali lege ſubiecti ſunt [2], quo in genere Vaſalli & Subditi, quorum fides ad obſequium ſanctiſſimo iuriſiurandi vinculo Regib. obſtri-

1 li.4. cã 13. cum ſeptem ſeq.

2 ad lectorem.

3 Can. quoniam multos. 11. q.3. c. inter alia. de ſen. excom. S.Thom. ſupp. q. 23. art. 1.

ſtricta eſt, meritò cenſeri debent: dummodo ne flagitia & ſcelera quæ iram Eccleſiæ commereantur cum excommunicato cõmunicent. Itaque Reuer. Pater Edmũdus Hayus, quem magnum in primis Theologum, & ciuilis etiã moderationis haud mediocriter peritum fuiſſe plurimi ſciũt, margini eius libri quem mihi ad reſpondendum Buchanano tradidit, hoc ſua manu adſcripſerat. *Eccleſiæ ſententia eſt vt excommunicatorum ſubditi non ſolùm in eos nõn inſurgant, ſed eis pareant*. Et verò ſancti illi cymbæ Petri Nauarchi, regnis & imperiis hac prouiſione diligenter cauerunt: quib. alioqui malum ingens & frequens magno cum Eccleſiæ detrimento impenderet, ſi Principe nimirum in excõmunicationẽ incurrẽte, decedere ab eo ac deficere illicò ſubditi omnes tenerentur, cùm vix vllus Principum tam perditus ſit, cuius defenſionem quantùmuis iniquam non plurimi ſuſcipiant: & maior ſæpe pars meliorem vincat. Quapropter ipſi Põtifices huius rei notionem declarationémque ſibi ſolis reſeruant, vt cauſa cognita quid ſubditis faciendum ſit pronuncient. Cur ergo tu omnes, quorum obligatio ſubiectioque legitima Bullam Sixti publicatam antecesſit, hoc ipſo excommunicatos denuncias, quod Regi ſuo aduerſus rebelles opem ferant? túne ſummi Pontificis partes, atque in omnes Gallicanæ Eccleſiæ Prælatos imperium tibi arrogaſti? Quæſiui à multis, & perſcrutatus ſum tantæ præſumptionis, ne dicam temeritatis, cauſam. Alii in odio tibi fuiſſe Regem: alii animũ tuum flauis pharmacis Indicis, malum ingens mortalibus, corruptum & deprauatum fuiſſe retulerunt. *Cæca* quidem res *eſt inuidia, nec quicquam aliud ſcit, quàm detrectare virtutes, corrumpere*
1 Liu. li. 31. *honores*, & præmia earum [1]. Sed cur Regi tuo inuideres non video: flaua autem illa Orientis pharmaca ad quiduis audendum mortalia pectora cogunt, ſed an eius veneni mali poculum tibi porrectum fuerit, quamuis id multi pro certo habeant, non audeo affirmare. Alii, quorum probabilis opinio eſt, niſi tute nobis aliud ſuadeas, zelum inconſideratum tibi hos errores peperiſſe: qui certè periculoſus eſt, & multis malorum cauſa fuit. Moyſes zelo occidit Ægy-
2 Exod. 2. epiſt. Iudæ ptium, & peccauit [2], Oſa arcam Domini nutantem zelo tetigit, & interiit [3]: Petrus zelo percuſſit Malchum, & repre-
3 2. Reg. 6. henſus eſt. Iudæi zelum habebant, ſed non ſecundum ſcie-
4 ad Rom. 10. Antipophora. tiam [4]: zelus plurimùm ſine ſcientia in ſcelus conuertitur. Sed mitto hæc alias commodius pertractanda. Videre nã-

quẽ

que mihi videor te hoc modo reponentem: Quod dixi ſtātes ab Henrico eſſe excommunicatos, id ab eo tempore intelligendum eſt, quo ipſe Henricus Apoſtolico de emittendis è carcere perſonis Eccleſiaſticis, mandato non paruit, hoc eſt, vno ante mortem menſe: vt eſt in ipſo illo Pontificis Diplomate comprehenſum. Admitterem libenter reſponſionem, ſi non idem ſemper à Blæſenſi cæde in pulpitis & compitis, in circulis, & cōuiuiis, in Academiæ ſcholis & vrbis palatio, in omnibus deniq; locis publicis & priuatis. ſumma contentione, docendo, diſſerendo, concionando, colloquendo. tam clara voce intonuiſſes, vt rē tam apertam & manifeſtam, neque tibi negare honeſtum, neq; mihi probare neceſſum ſit.

CAP. VI.

EX relatione rerum geſtarum ab antiquis Patribus aduerſus malos Principes, & eorum quæ ab illis, quæq; à te ſcripta ſunt, collatione, perſpicuum iam eſt re neq; verbis, neque ſententiis, neque inſtituto & fine, cum magnis illis Eccleſiæ luminibus conuenire, quod facit vt dubitem, iſtiſne viris ſanctis maiorem iniuriam feceris, cùm te illos imitari & tam prauæ opinionis authores habere indicares: an multis libri tui lectoribus, quos falſa hac perſuaſione decepiſti. Et verò doctrinæ tuę apud varios homines opinio te plurimū in hac re onerat, & propè eſt vt condemnet. Quandoquidem non ēſt veriſimile hominē Theologiæ profeſſione clarum non iſtos ad vnguem Doctores calluiſſe. Scire autem quid ſenſerint, & nihilominus eorum mentem aliò detorquere, id certè exiſtimationem pulſat. Nulla ſubtilior & ad capiendos imbecilles animos fraus aptior eſt, quàm quæ in ementitis ſanctorum virorum ſuffragiis latet: Ringas vſque licet, veritatem tamen dicam & liberè loquar, cauſa enim cogit, nempe te non rarò Authorum teſtimonia ad ſententiæ tuæ confirmationem, vel inſcienter, vel mala fide nobis obtrudere: ex multis vnum tātùm in hunc locum transducam: cætera, vt quodque occurret, annotabo. In tractatu de tyranno, quem re vera tyrannicè explicas [1], Regem legitimum, ſi tyrannicum animum induerit, *à Republica iuſtè eiici* poſſe doces: ad cuius firmamentum, poſt concordem Proteſtantium Hæreticorū ſententiam (quorum opinionem laudas, & ad illos accedis, non illi ad te) & graue ſcilicet boni Buchanani teſtimo-

[1] Lib. 3. cap. 13. & ſex ſequentib.

nani teſtimonium, Bodini etiam authoritatem, viri certè in Politicis acuti, his verbis adcumulas.

Nec longè diſcrepat Bodini opinio, cùm ait in Tyrannum qui præſidia, arces, & munita loca occuparit; apertumq; ſe hoſtem præbuerit, lege Valeria vtendum eſſe, quæ Tyrannum vel indicta cauſa cædi iubet. Sin minus, & tyrannidis ita ſuſpectus ſit, vt à vi tamen manifeſta abſtineat. Solonis potius legem audiendum eſſe, vt iure primùm in eum agatur, at deinde pœna irrogetur. Quid enim eſt aliud indicta cauſa Tyrannum, quàm à priuato quouis, cùm dabitur, interfici poſſe? Nam ſi id in inuaſorē principatus licet tanto magis in religionis & patriæ oppreſſorem, quantumuis alioqui legitimum Principem, licere debet, quanto deterius eſt, malum in eo videre præſens, quod in altero tantùm futurum timebatur.

Bodinum igitur tecum conſentire doces; licere nimirum cuilibet de populo Principem quantumuis legitimum interficere, ſi tyrannicis moribus ſe coinquinet: ac ne quid lector de ea re dubitet, citati teſtimonii locum in Bodini

lib.2.cap.5. de Repub. libris deſignas[1]. At author ille in eodem capite verbis adeo diſertis tibi contradicit, vt, quæ Francis maxima iniuria eſt duelloq; decernitur, de eius te iudicio apertè mentiri ipſa illa verba denuntient. Nam poſtquam de verè Tyrannis diſſeruit, id eſt de iis qui in libera ciuitate, liberoque populo, ſummum in omnes dominatum inuadūt & occupant, quos ſemper cuilibet occidere licuit, ſemperque licebit; cuius iuris exēpla ſacra & profana paſſim ſuppetunt: ad alterum genus Tyrannorum accedit, hoc eſt, ad eos qui vel ſucceſſionis iure, vel electionis beneficio, regna & monarchias adepti tyrannicè imperant; de quibus ſic

2 eod.cap.5.li.2. ſcribit[2]. *Mais ſi le Prince eſt abſolument ſouuerain, comme ſont les vrais Monarques de France, d'Eſpagne, d'Angleterre, d'Eſcoſſe, d'Ethiopie, de Turquie, de Moſchouie; deſquels la puiſſance n'eſt point reuoquee en doute, ny la ſouueraineté meſpartie auec les ſubiects: en ce cas il n'appartient à pas vn des ſubiects en particulier, ny à tous en general d'attenter à l'honneur, ny à la vie du Monarque, ſoit par voye de faict, ſoit par voye de iuſtice. ores qu'il euſt commis toutes les meſchancetez, impietez, & cruautez qu'on pourroit dire: car quant à la voye de Iuſtice, le ſubiect n'a point de iuriſdiction ſur ſon Prince duquel depend toute puiſſance & authorité de commander, & qui peut non ſeulement reuoquer tout le pouuoir de ſes Magiſtrats, ains auſſi en preſence duquel ceſſe toute la puiſſance & iuriſdiction de tous les Magiſtrats, corps & colleges, eſtats & communautez, comme nous auons dit & dirons encores plus amplement*

ment en ſon lieu. Id eſt (reddam enim vt potero Latinè, eorùm cauſa qui Gallicè neſciunt,) *At ſi Princeps abſolutè ſupremus eſt, vt ſunt Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Scotiæ, Æthiopiæ, Turciæ, Perſiæ, Moſchouiæ veri Monarchæ, quorum nec poteſtas in dubium vocatur, nec ſummum imperium cum ſubditis partitum eſt: hoc caſu, neque ſingulis ſeparatim, neque omnibus vniuerſè fas eſt contra Principis ſeu Monarchæ honorem, vel vitam, ſiue de facto, ſiue iuris ordine aliquid tentare, etiamſi omne quod lingua nuncupari poſſit, impietatis, flagitii, & crudelitatis genus perpetrauerit. Nam quod ad iuris ordinem attinet, ſubditi nullam habent iuriſdictionem in Principem, à quo pendet omnis iubendi poteſtas atque authoritas: quique non ſolùm Magiſtratib. ſuis mandatam iudicandi facultatem omnem renunciare poteſt, ſed etiam quo præſente, omnium Magiſtratuum, Corporum, Collegiorum, ordinum & Communitatum poteſtas & iuriſdictio ceſſat, quemadmodum diximus, & adhuc ſuo loco dicemus vberius* [1]. Nempe li.1.c.8. & lib.3.cap.6.

Quis, malum, hic modus eſt tractandi authores, vt quæ aliquis de vna ſpecie ſcripſerit, ſenſeritque, id ad aliam longè diuerſam & diſſimilem authore repugnante & contradicente, palàm, accommodes? Bodinus primi generis Tyrannum, qui propriè Tyrannus eſt, optimo iure à quolibet de populo interfici poſſe verè & prudenter iudicat: eam tu ſententiam arripis, quaſi de legitimo Principe in tyrannidem lapſo dictam, & coniicis inter alia eiuſdem planè generis, id eſt falſa & friuola argumenta, vt doceas ex Bodini ſententia, Heuricum III. Franciæ Regem interficiendi ius cuilibet priuato competere, quòd ſit, te iudice, Tyrannus: cùm tamen Bodinus, neque ſingulis neque vniuerſis aliquid contra eius honorem vitamque licere, quantumuis tyrannicè regnet, ſuperiore ſententia concludat. Eſtne hoc viros bonos circunſcribere? eſtne, inquam lectori imponere fallacia falaciſſima? Nonne ſatius multò fuiſſet Bodini contrariam tibi ſententiam propoſuiſſe ac refutaſſe, ſi id aliqua ratione potuiſti, aut eum penitus ſilentio præteriiſſe, cùm ſcires illius ſententię veritate tuarum rationum vanitatem argui: quàm tam euidentem & manifeſtam calumniam adhibere? Quid in veterum ſcriptis facere potes, qui in recentis & viuentis ſcriptoris atque etiam popularis tui libris tantùm tibi licere putas? Cùm hanc olim captionem viro docto, & à tuis ſtudiis non abhorrenti oſtenderem, iſque eam aliquandiu perpendiſſet, ſubſtitit nõnihil, moxque velut è ſomno excitatus ſe vbi eſſet neſcire, & mi-

rari plurimùm tantam in libris tuis impoſturam inueniri, ſeque antea magnam tibi in laudandis authoribus fidem tribuiſſe, quam ne in poſterum adhibeat ſe huius tam apertæ calumniæ recordatione impeditum iri dicebat. At neſciebas hanc apud Bodinum ſententiam extare, quòd eius fortè opus non legeras, ſed à ſciolo quodam particulam illam tranſcriptam accepiſti, credo equidem; nam ita te à multis adiutum in opere illo conſarcinando tradis [1]: *Quæ cùm non vnius hominum generis, ſed omnino omnium cauſa communis ſit*, inquis, *mirum profectò eſſe non debet, ſi quæ à ſingulis de ea re didicimus, hæc in vnum compacta ſimul coniungamus. Multa hic nos Theologi, multa Iuriſperiti, multa rationum publicarum magiſtri, multa vel aulici ipſi, multa & alii ex quouis ordine homines docuerunt.* Sed perperam docuerunt, & te deceperunt, ſi hoc illis acceptum fers. Et verò vt demus ſuperiorem errorem, alioſque multos, quos infrà ſuis locis indicabimus ab iſtorum nonnullis fuiſſe ſuggeſtos, id licet malitiam malam abeſſe à te declaret, eòque notam calumniæ inducat & abſtergat, tamen expreſſa vanitatis, incuriæ, & temeritatis tuæ veſtigia omnibus intuēda proponit: quòd leuem ſcilicet auditionem pro re cōperta habueris: quodque non ex Scriptorum fontibus, ſed ex flexuoſis incilibus falſo & fallaci ſepto concluſis haurire voluiſti: quòd denique in cauſæ omnium grauiſſimæ diſquiſitione, quorumlibet hominum ſuſurros, rumuſculos, calumnias, criminationes, dicteria, & quicquid omnino ad aures peruenit, tāquam in ludis ſcenicis vel Bacchanalibus, intermiſcere auſus es. Sed iſta hic admonuiſſe ſat eſt.

[1] in Præfat.

Decederem hinc, niſi illud me iterum reuocaret, quod ſcribis: *ſi quid erit quod acerbè nimium & audenter factum à prudenti ille & patriæ vtiliſſimo Theologorum conceſſu primùm, mox à nobis qui ſcribimus è Politicorum lacunis gratiſſimi homines quirìtentur.* Conceſſum illum Theologorum intelligis nimirum, quos in quarto tui operis libro [2] tradis *rogatos priuatim ſæpius, tum publicè à populo, Procuratoris vrbis voce, obſignatoq; publico ſigillo libello, vt dicerent. Num Franci propter ea quæ ab Henrico publicâ fide violata Bleſis acta erant, ſecurè ab eo deficere, atque armis in eum contendere, ob idq; pecunias colligere poſſent.* qui, vt vno verbo dicam, reſponderunt *poſſe*. O vtilem ſcilicet patriæ conceſſum. An non rubore ſuffunderis, & totus ſudore manas, quoties huius tui dicti venit tibi in mentem? Si compages & neruos omnes Reipubli-

[2] cap. 17.

cæ

tæ diſſolui: ſi cædibus, incendiis, & direptionibus patriam repleri: ſi religionem catholicam & cultum diuinum ab aliis negligi, ab aliis proteri & conculcari: ſi conciues & ſocios, cognatos & affines, parentes & liberos armis & animis hoſtilibus inter ſe dimicare: ſi ampliſſimas regni ciuitates obſideri, & ferro, fame, flammaque vaſtari: ſi denique regnum ipſum externis hoſtibus prodi, ac ne ampliusp oſthac regnum eſſet in diſcrimen vocari (nam de Galliæ prouinciis ad Regulos deferendis, vulgò, *de Cantoner la France*, crebrior inter multos ſermo auditus eſt) ſi inquam hæc omnia, quibus ille primùm conuentus, mox tua ſcripta & ſeditioſæ conciones cauſam dederunt, Galliæ laboranti fuerunt vtilia, quin vtiliſſimus fuerit ille conceſſus non equidem inficiar. Sed quoniam de hoc Theologorum cætu ſcholæ Sorbonicæ, quam honoris cauſa nomino, mentio mihi incidit, dicam apertè, non fuiſſe hanc omnium eius ſcholæ Doctorum noxam, ſed paucorum quorundam in quibus tu primas tenuiſti: alii quia in ſummo vitæ diſcrimine verſabantur ſi repugnaſſent, furente iam vt alibi ais, & graſſante multitudine in omnes quos tenuiſſima ſuſpicio erat in fide Regis manſuros, vel minimo eum verbo adiuturos, inuiti planè & coacti, vt præſente periculo defungerentur (nam non quilibet ſemper ad Martyrium paratus eſt) aſſenſionem adhibuerunt. neque enim alicui tunc ad vitæ præſidium & ſecuritatem Pariſiis ſat erat Regem non laudare, vel alienatum ab eo animum tacito aliquo ſigno indicare: ſed hoc amplius neceſſarium, proſcindere eum conuitiis, figere maledictis, petulantiſſimis verborum contumeliis lacerare, ſuppliciis & diris omnibus deuouere: vſqueadeo nimirum exarſit plebs iracundia, vt qui non talia ſtomachoſiùs profunderet, is omnium iudicio hæreticus eſſet & politicus (id enim nomen pro Atheo tunc vſurpabant) dignuſque cuius membra in crucem, bona in fiſcum illico raperentur. At huic furibundæ animorum cæcitati lucem aliquam obtulit tandem ſolers illa ſtultorum Magiſtra, Experientia, licet ſeriùs multò quàm oportuit. Vtiliſſimus igitur ille Theologorum conceſſus, tantarum cladum & calamitatum parens: vtiliſſimæ illæ tuæ conciones & ſcriptiones, diſcordiarum & rebellionum peſtilentiſſimæ nutrices. Vtiliſſima denique ſeditio illa quæ Monarchiam omnium in Europa pulcherrimam ad interitum ferè traxit. Audax,

Boucheri, & nimium audax, ſceleris & perfidiæ facinus id fuit, contra Henricum Regem ſic *mutire*: & hoc tibi dictum accipe ab homine non ex *Politicorum lacunis*, vel ex *Cyclopicis aulicorum antris* [1] prodeunte, ſi politicos peruersè tuo ſenſu explices: ſed ex eorum hominum conſortio, qui diuina humanis, fidem ſaluti, religionem rebus omnibus anteponunt. ab eo, inquam, homine, qui nullis vnquam vel factionibus addictus, vel affectionibus abductus, ad dicendum, ſcribendúmve acceſſit; quique nunquam temporis opportunitatem & hominum fortunam ſecutus eſt vt mutaret aut moderaretur ſententiam, & quod poſtremum eſt, qui nulla Principum largitione & munificentia corruptus fuit, vt illis in mala cauſa adeſſet. Idem itaque mihi de hoc negotio ſemper iudicium fuit, quod nunc eſt, idque à patre, Nobiliſſimo & ſapientiſſimo viro, & multis qui ad eum frequenter conueniebant ſummis Theologis (erat enim non ſolùm doctus, ſed doctorum, & præcipuè eccleſiaſticorum hominum adeò amans, vt à vicinis Nobilibus religioſorum mendicantium pater diceretur) re ſæpius in diſceptationem vocata accepi, ea ætate quæ tenaciſſimam omnium ad ſe perductorum memoriam habet. Quæ res profectò effecit, ſimulque multa Scripturæ & ſcriptorum eccleſiaſticorum, atque adeò omnis generis authorum lectio vt veſtras in Regem coniurationes ſemper ſim execratus. Et quamquam pleroſque in iſtis turbarum initiis videbam ita animo ſiue à natura, ſiue malo more, & ſeditioſorum hominum ſuaſu doctrinaque, compoſitos, vt toti ab hominum potentia penderent, & rebellionem religionis cauſa, pulcher enim prætextus, magnis encomiis celebrarent: exiſtimantes nimirum fidem catholicam in Gallia, vt dicebant, nutantem ſuſtentari, in Scotia verò & Anglia collabefactam reſtaurari bellica virtute poſſe: ſanctamque Dei Eccleſiam, tantis claſſibus, tot equeſtribus & pedeſtribus copiis, tot militum armis dextríſque ſatis defenſum iri: aliis theſauros & opes Pontificias, aliis Hiſpani potentiam & gentis eius corpora atque ingenia in rebus bellicis exercitatiſſima, aliis ciuitatū Galliæ vnionem & fœderis firmitatem, aliis hæc omnia, aliaq; humanæ prouiſionis multa, iunctim iactantibus & conſiderantibus: tamen in mea ſemper ratione fui conſtās. Deum ſcilicet religioni per rebellionem non proſpecturum, quòd mala ab hominibus fieri nō vult, vt bona conſequā-

[1] Alludit ad id quod Boucherius dicit: Aulicorum vitam Cyclopicā eſſe. li. 2. c. 33.

tur [1]: fidem in nationibus prædicatione & patientia, non armis fuiſſe plantatam: & Eccleſiam, quamuis armis ſæpe ad ſui defenſionem egeat, ſæpeque armis aucta ſit & protecta, non à rebellibus & coniuratis ſolere opem petere, ſed à Principibus & Magiſtratibus legitimis, quos Deus ei nutritios dedit [2], quique belli indicendi ius, & gladii poteſtatem habent. Quapropter quod vulgo tunc pleriique inſignem rei gerendæ prudentiam vocabant, id ego ſummam rei perdēdæ dementiam iudicabam: & multis in ſua illa ſpe ſitis, imò defixis, ſpes ſuas fallaces, & cogitationes inanes futuras manifeſtò prædixi: atque id ſemper egi in hunc diem, vt ipſorum mihi rationes diſplicere vel apertis contradictionibus, vel mœſto ſilentio demōſtrarem. Neque enim ſemper tutum fuit verbis verba obiicere, & currenti furori occurrere, præſertim vbi torrentis inſtar præceps delatus, obuia quæque, armis & metu, ſecum rapiebat. Sed his relictis ad te reuertor.

[1] ad Rom. 1.

[2] Eſaiæ 49.

Caput VII.

IAm libri tui limen, inferum ſuperumque, ſalutaui: liceat tectum ſubire vt intus te audiam quid ergo primùm dices?

BOVCHERIVS [3]. *Dicturis de iuſta Henrici III. à Francorum ſceptro abdicatione tria omnino exponenda videntur, Primū an iuſta omnino cauſa eſſe poſſit, maximè autem in Gallia, Reges abdicandi. Deinde, an cauſa legitima in Henrico III. ſubſit, propter quam abdicetur, Poſtremò an premente negocio iudiciorum formulam hic expectari oporteat, vt non protinus abdicetur, aut ad arma conuoletur. Quæ tria eo diligentius explicanda ſunt, quod triplex hic à certis hominibus dubitatio occurrit, vel quòd dicant ſolius Dei non hominum iudicio Reges ſubiacere, populo non aliud quàm vt oret & patienter ferat relictum eſſe: vel quòd Henrici acta nonnulli excuſent: vel quòd denique iudiciorum formulam hic expectari velint, antequam quid decernatur.*

[3] lib. 1. c. 1.

Ex tribus iſtis à te propoſitis ſatis fuiſſet expoſuiſſe primùm, ſi modò catholicè, & orthodoxè, ad normam ſcilicet Scripturæ, & doctrinam Patrum atque etiam noſtri ſeculi ſanctiſſimorum hominum & inſignium Theologorū modum id explicuiſſes. Nam poſito ſemel & idoneis rationibus ſtabilito ac fixo. *Nullam iuſtā cauſam eſſe poſſe, maximè autem in Gallia Reges abdicandi* (quæ Catholicorum

omnium concors eſt & conſpirans ſententia, vt iam ſuperius oſtenſum eſt, quò te ſi vacat [1], remittimus) conſequens profectò eſt fruſtra quæri, *an cauſa legitima in Henrico III. ſubſit, propter quam abdicetur*, vel an protinus contra eum *ad arma conuoletur*, id eſt, ſeditioſè, tumultuoſè, procaciter, crudeliter, & perfidioſè de interficiendo Rege coniuretur: hæc enim ſola via ſupereſt ſubditis Regem abdicare conantibus quòd iuſta nimirum cauſa, & iuris auxilio deficiũtur. Sed cùm ab hac antiqua Patrum inſtitutione deſciueris, & ad Buchanani, Brutique, hominum hæreticorum & Regibus infenſiſſimorum, diſciplinam in hoc negotio adhæreſcere peſſimo exemplo volueris, minimè quidem mirũ eſt, te quæſtiones iſtas ordine propoſuiſſe, atque ita primam definiiſſe, vt poſt illam tuo iudicio deciſam, integra de reliquis duabus diſceptãdi materia ſupereſſet: alioqui ſtomachus tuus, ſeu flauis illis pharmacis Indicis, quorum meminimus, ſeu atra bili, ſeu quo alio veneno iactatus & nauſeans, non habuiſſet in quem tot ſordidas & virulentas iniurias euomuiſſet. Vt igitur pulchram aliquam exonerando ſtomacho peluim nanciſcereris, primam quæſtionem ita explicas [2],

qui ſecus faciat, id eſt, *qui non iuſtè & legitimè imperet atque agat, maximè vero qui religionis aut populi oppreſſionem ſiue interitum meditetur, hunc coerceri primùm omni honeſta ratione oportere, & ſi aliter res ſuccedere non valeat, ſceptro amouendum eſſe ſine controuerſia profitemur.*

Hic duplex erratum tuum eſt, alterum quidẽ in eo quòd parem Regis populum opprimentis, aut non iuſtè & legitimè imperantis, & eius qui populi interitum meditatur, conditionem facis: cùm tamen hic quidem eo ipſo quòd populi perdendi animum habet, ex Rege non Regem ſe faciat, omnique regali honore & dignitate, atque in ſubditos poteſtate priuet, vt tutemet alibi fateris [3] & pluribus libro tertio admonui [4]: ille verò quamuis durè & ſæuiter imperet, Regis interea & nomine & dignitate fruitur, vel teipſo iudice, qui eum primum coercendum, *& ſi aliter res ſuccedere non valeat, ſceptro amouendum eſſe ſine controuerſia profiteris.* Alterum autem in eo eſt, quod populo Regem non iuſtè & legitimè imperantem, coercendi & abdicandi ius tribuis, cuius contrarium verum eſſe, tum naturali ratione & iure gentium communi, tum Scripturæ authoritate & exemplis, tum veterum & recentiorum Theologorum ac Iuriſconſultorum doctri-

1 lib. 1.
2 cap. 2.
3 lib. 3 cap. 16.
4 cap. vltim lib.

na & teſtimoniis planè & perſpicuè iam oſtendimus [1]. Itaque plures noſtra ætate magni nominis Theologi, in terminis (vt dicitur) tibi contradicunt. Nam Cunerus Epiſcopus Leouardienſis [2], *Scriptura nobis ſemper & vbique eſſinxit*, inquit, *Regibus licet peccent, per nullam vim vel arma repugnandum eſſe: peccant enim grauiſſimè ſi poteſtatis hac amplitudine abutantur & vel iuramenta prouinciis præſtita non ſeruent, vel nimium cupiditatibus indulgeant. Sed pro his criminibus vindicabit eos, quæ Regibus omnib. maior eſt veritas & Sapientia* [3], *quæ ad impios Reges clamans ait* [4] *Audite Reges & intelligite, &c.* & rurſus [5], *Cum quidem poteſtatis*, de regia loquitur, *licet ex lege Dei ſimul & ex iuramentis & pactis ſint in exercitio limites & cancelli: nulla tamen pacta vel contractus diuina ordinatione, qua Rex poteſtatem ſuam habet, præiudicare poſſunt, vt populus aliquando contra Regem ſuum ad arma conuolare queat.* Epiſcopo Abbatem iungamus. Ninianum VVinzetum, qui inter alia aduerſus Buchananum & Brutum quibus in hac re præceptoribus vſus es, *Audis* [6], inquit, *verom Dei veri Prophetæ theologiam: Regem videlicet quantumuis impium ipſius Dei iudicio & caſtigationi relinquendum eſſe*, & alibi, *Sed quod tandem de gladio aſſeris.* nempe, *Si veritatem gladio Princeps perſequatur, eodem gladio populũ veritatem defendere oportet. Libenter*, inquit, *cuperem iſtud expreſſo Dei mandato (ſine quo alias crebro docetis nihil in religione tentandum) à vobis oſtendi. Videor enim mihi animali ſaltem ſpiritu concitato aliquid tale probari poſſe. ſummopere velle. Sed occurrit mihi ſtatim illa Domini ſententia, ſufficit diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Multa ſunt eiuſmodi, quæ vt cum Chriſto propter iuſtitiam patiamur, vt illius crucem ferendo tollamus, vtque poſtremo Euangelicam gratiã Chriſtique virtutes liberius confeſſione ad mortem vſque conſtanter annunciemus: ſed vt pro Chriſto gladium aduerſus Magiſtratum cum Petro tollamus, non lego.* Nec his contentus vir iſte ſanctus & religioſus, inque libris ſacris diu multumque verſatus. addit *Porrò fingamus ita eſſe, quod deliri iſti iam ſomniant, Chriſtianum aliquem Regem in nonnullam idololatriam, adde etiam in apoſtaſiam delabi: & ſubditos quoque pro virili in ea ſcelera ſecum pertrahere ſtudere: licet ne continuò ſubditis bello talẽ Regem aggredi, regno eiicere aut morti tradere? licet profectò ſi Dei verbo præcipitur: licet ſi idem ius populo in Regem hoc caſu concedi probetur à Deo, quod Regi in populum: licet poſtremò, mea quidem ſententia, ſi aliquo probato exemplo, vel inuertere, vel in*

noua

[1] lib. 3.
[2] li... Princ... ni... 5.
[3] Eſdr. ...
[4] Sapi. 6.
[5] ...
[6] in libr. qui inſcribitur, velitatio in Georg. Buchan. Pag. 18. & in altero qui inſcribitur. flagellum ſectariorum pa. 79. & 93.

noua lege, oſtenditur hoc fœliciter & cum laude factum aliquando fuiſſe. Sed cum nihil horum, ni fallor, oſtendi poſſit, quid obſtat quo minus tutiorem & propinquiorem viam ſaluti & noſtræ & patriæ potius inquiramus, quàm cædibus & ſanguine omnia funeſtemus, quàm direptionibus & ſpoliis terram in ſolitudinem redigamus? Si populo poteſtas eſt caſtigandi Regis à Deo conceſſa, è qua Scriptura? Taceo ego, quod repugnet naturæ & ordini rerum, vt corpus dominetur in caput, vt pedes oculo monſtrent viam. Hæc patres iſti: & alia multa quæ libro tertio à nobis relata ſunt, & tuæ definitioni ex diametro opponuntur. Cum illis igitur negotium tibi eſt, quos & ſcientia Scripturarũ, & vitæ ſanctitas, & multarum rerum experientia poſteritati commendarunt: & quorum libri, antequam vulgarentur, ab aliis multis Theologis recogniti ſunt & approbati, &, vbi in lucem prodierunt, magnum Catholicis hominibus adiumentum aduerſus inſana hæreticorum deliria afferre crediti. Et verò illi eam ipſam hæreticorum opinionem oppugnant, quam tu hic, cõtrà quàm par eſt, magno totius Eccleſiæ ſcandalo propugnas. At mihi quidem, & multis, certò perſuaſum eſt, hoſce Theologos Scripturam ſanctam, ſcriptaque Patrum longè clarius quàm te inſpexiſſe: de intellectu loquor, non de aſpectu, ne in re ſeria cauillam mihi culpæ des: quaſi naturæ vitium caſúmve in contumeliam vertens ἑτερόφθαλμον & luſcum te vocem: id nec facere me, nec arbitrari te æquum eſt: quippe qui non coclites modò, vt Paphnutium, Maximum, & alios à Galerio eluſcatos: ſed etiam cæcos, vt Didimum, in ſciẽtia Scripturarum excelluiſſe ſciam.

Quoniam igitur ſententiæ noſtræ veritatem, *Populo* ſcilicet *non aliud quàm vt oret & patienter ferat*, Deique iudicium expectet, *relictum eſſe* pluribus iam libris ſumus proſequuti: ſupereſt tantum vt refutatis primum argutiis, imò ineptiis, quas ad contraria quædam argumenta diſſoluẽda adhibes: tuę mox ſententię fundamenta perſcrutemur, & quàm ſint tanto oneri ferendo imparia, infirma, friuola, & ſubleſta demonſtremus. Atque interim admonere libet te nimis fidenter & apertè Regum omnium ſceptris illudere, in eo quod ſcribis, *nihil bonis & catholicis Regibus à te metuendum eſſe*! . Nam, ſi verum eſt, vt eſt veriſſimum, honorem & dignitatem generoſis animis, viris bonis, inquã, & bene natis; ſummæ in primis curæ eſſe: quis non videt maximam vel optimis Regibus metuendi ſibi à te cauſam

dict. ca. 2. lib. 4.

libris

bris hiſce tuis eſſe oblatam. quòd eos nimirum & populo ſubiicere [1], & regni Maieſtate priuare [2], & capitalium criminum reos, pœniſque priuatorum more obnoxios [3], facere conaris. Si boni Reges ab eiuſmodi homine metuendum ſibi non rentur, propriæ ſalutis nimis prodigi, & dignitatis à Deo ſibi collatæ negligẽtes ſunt. Quod ſi forſè dixeris, metuendum illis à te non eſſe, ne populum in eos ſeditioſis cõcionibus ad rebellium excites: neue fanatico ſeu phrenetico cuidam monacho vt eos iugulet perſuadeas reſpondeo ne hoc quidem certum eſſe propter incertum tuum & fallax de bono Rege iudicium, vt ex funeſta defuncti Regis cæde appatet: cùm tamen virum bonũ ſimul neci dedere, & ſuo Rempub. ſponſo optimo viduare, nefarii prorſus & ſupra modum ſcelerati hominis profeſtò ſit. Sed cùm honor vita charior Magnatibus eſſe ſoleat: adeo vt Regina Fraciæ, Crotildis nepotum ſuorum capita quàm comas amputati maluerit [4], vt vitæ nimirum ſuæ interitu, honoris amittendi ignominiam redimerent, cur ſibi à te non timeant Reges, qui ipſis libertatem, maieſtatem, & quicquid verè regium eſt niſu vehementi & furibundo extorquere atque eripere conaris? Neque enim verum eſt quod quidam putant, nullum in bonos Principes periculum à populo intendi, vt à me ſuprà libro primo vberius oſtenſum eſt, idque vtinam ætas noſtra non tam euidenter in optimæ Principis perſona aſpexiſſet.

1 cap. 9. & ſequentib. vſque ad finem li. 1.
2 l. 3 c. 8. & 9.
3 paſsim. li. 2. & 3.
4 Gregor. Turon. lib. 3. c. 18. Aimoin. lib. 2. cap. 12.

CAPVT VIII.

BOVCHER[5]. *Neque verò nos illa mouent quæ à multis in contrariam partem afferuntur, Cuiuſmodi illud eſt quod B. Petrus [6] dominis non tantum bonis & modeſtis, verum etiã dyſcolis obedire iubet, quod aliud ſit δύσκολοὺ ſiue, vt in Græco exemplari eſt σκόλιον (quod durum, præfractum, difficilem, moroſum, modeſto denique contrarium ſignificat) aliud apertum iuſtitiæ aut pietatis oppreſſorem eſſe. Aliud etiam non modeſtum aut commodum aliud impium & iniquum eſſe.*

5 cap. 3.
6 1. Pet. 2.

At certè plurimum te mouere debent: tum quod à multis (vt ipſe ais) afferuntur, quorum ſententiâ antiqua, certa, & communi potius, quàm noua & nutante hac opinione tua, ſtandum eſt: tum etiam quia nihil dignum Theólogo ad eorum diſſolutionem adducis: tum denique quod ne centeſimam quidem partem eorum quæ in contrarium afferri poſſunt, in tuos libros tranſtuliſti, cùm ſint tamen

ſciebas libros tuos non eo loco fore, quo tu ipſe eras cùm iſta ad populum concionareris? ibi vox tua, velut hominis bracula fundentis, omnibus intonabat: contradicere, reſpondere, vel replicare auſus eſt nemo: ſed Pythagoricum ſilentium, & illud *αὐτὸς ἔφα*, ſcilicet, *Noſtre Maieſtre Monſieur Bouchier l'adit*, ſatis erat ad credendum. At non eadem fortuna & conditio, neque idem genius librorum eſt: examinantur, agitantur, approbantur vel impugnantur, vt quidque in illis rectè vel ſecus comprehenſum eſt & concluſum, ad ſtrictam denique rationis & iuſtitiæ normā exiguntur, & totidem ſortiuntur iudices, quot inuenerint lectores: ſed pergamus.

Boucherius [1]. *Multo etiam minùs* nos mouet *Politicorum deteſtabilis illa vox, Regem nullis legibus ſubiici, ſed ſupra legem eſſe. Quod vt de poſitiuis legibus priuatoque iure apud Iuriſconſultos aliquandò dicitur, ita qui de iure communi, aut omnino de omni lege intelligat, quia nihil aliud quam recta ratio eſt, non hominem nobis ſed teterrimam quandam belluam fingat. Adde quòd ne diuinæ quidem legi ſit pariturus, qui omnem legem excutiat. Quod in Principe qui admittat, omni ſceleri ac nequitiæ contra Deum & omne ius feneſtram ſit aperturus.* — 1 Eod. cap.

Hui, quid audio? deteſtabiliſne poteſt eſſe vox illa, quæ tot iam retro ſeculis à tam multis ſapientiſſimis hominibus, Græcis & Latinis, in ſcholis, in roſtris, in ſenatu, in curia, in foro & iudiciis toties decantata, celebrata, approbata, laudataque fuerit: nemine interim excellentium virorum eam damnante vel vituperante, ſed potiùs contrà omnibus eam vt præclaram, piam, & catholicis hominibus dignam amplectentibus? Si deteſtabilis vox eſt, cur ea vtitur B. Auguſtinus? ſcribit enim Imperatorem non eſſe ſubiectum legibus, qui habet in poteſtate alias leges ferre. Si deteſtabilis vox eſt, cur de Dauide dixit D. Ambroſius [2], *Quod erubeſcunt facere priuati, Rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus audent ſuum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis tenebatur legibus humanis.* & paulò poſt [3], ad illud, *tibi ſoli peccaui Rex vtiq; erat*, inquit, *nullis ipſe legib. tenebatur: quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorū. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus tuti imperii poteſtate homini ergo non peccauit, cui nō tenebatur obnoxius.* Si deteſtabilis vox eſt, cur eam nemo ante te talem eſſe denunciauit? an quia id neſciebāt, an verò quia quod ſcirent eloqui non audebāt? doctus es, — 2 in Apolog. Dauid. capite 4 — 3 cap. 10.

fateor,

fateor, at multos multo te doctiores præceſſiſſe non dubito. forti etiam animo es, ſed, vt videtur, ad rebellium quàm ad martyrium paratiore, & proinde non conferendo cum illorum conſtantia, quibus vox iſta, quam reprehendis, grata & rata ſemper fuit. Quæ res facit vt improbus & inteſtabilis cenſendus ſit quiſquis tam gratam & acceptam Maioribus noſtris vocem, tuo more, deteſtatur.

Sed vt liberè dicam, aut non ſatis aſſequutus es quo ſēſu viri boni vocem illam, quam deteſtabilem vocas, pronunciant, aut eam peruersè nimis & calumniosè aliò detorques. Sciendum igitur eſt, eos qui ſolutum legib. Principem aſſerunt, non intelligere de vi directrice ſiue directiua, vt loquuntur [1], qua lex ſuæ oſeruationis vinculum omnibus hominibus iniicit: nam eo modo Rex non minus quàm priuatus quilibet legi ſubiicitur. Sed de vi cogente ſeu coactiua, quæ in Regem ideò non cadit, quòd neque à ſeipſo cogi poſſit, cùm nihil ſit ſeipſo ſuperius, ſemperque voluntas libera, neque ab alio, cùm non habeat in temporalibus ſuperiorem [2]. Qua ratione legem illam, *Princeps legibus ſolutus eſt* [3]. Conſtantinus Harmenopolus [4], ita exponit. ὁ Βασιλεὺς νόμοις οὐχ ὑπόκειται, ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται id eſt, *Rex legib. non ſubiicitur, videlicet ſi delinquat non punitur.* Atque hanc quidem diſtinctionē, cum omnes & Theologi & Iuriſconſulti hactenus probarint, tum ex recentioribus clariſſimus Theologus Robertus Bellarminus tanquam ſolidum cuiuſdam reſponſionis ſuæ fundamentum amplectitur [5], Quod cùm ita ſit, næ tu in viros pios & eruditos iniurioſus es, quos voce hac, quām deteſtabilem nominas, vſos eſſe conſtat. Hæc ego iudicandi erroris tui cauſa velut in tranſcurſu adnoto. Nam locum iſtū ſuprà copiosè tractaui [6]: eo igitur nunc, ne actum agam, ſuperſedebo. Tantùm illud admonere libet, te ineptè & ridicule ius commune à iure priuato diſtinxiſſe, cum ſcribis,

Quod vt de poſitiuis legibus priuatoque iure apud iuriſconſultos aliquando dicitur, ita qui de iure communi, aut omnino de omni lege intelligat. &c.

Quaſi verò aliud ſit ius priuatum, aliud ius commune. Voluiſti nimirū nouæ tuę Theologię nouam Iuriſprudentiam annectere: ſed neutram admittimus. Ius commune eſt illud ipſum ius priuatum quo ciues omnes vtuntur, quod & commune auxilium & ius merum [7] vocatur & oppo-

1 Rebuff. in prooem. comment. in conſt. reg. nu. 54.

2 cap. per venerabilem. qui fil. ſunt legit.

3 l. Princeps. D. de leg.

4 l. 1. epit. tit. 1.

5 tom. 1. Contr. 5. li. 2. c. 27. ad 3. obiect.

6 li. 3. c. 14. & 15.

7 in cauſa 16. D. de minor.

ponitur

ponitur iuri ſingulari, priuilegio, vel extraordinario auxilio [1]: nunquam autem iuri priuato. Ius publicum ſi dixiſſes, in ſermone quidem non peccaſſes, quippe in Sacris, Sacerdotibus, & Magiſtratibus conſiſtit [2], & priuato iuri opponitur: in ſententia tamen nihilominus error reſediſſet. Sed parum, credo, aut nihil de bono brodio iuris guſtaſti, vt eiuſmodi ſalſa & inſulſa diſcernas. Reliqua nunc videamus.

1 l. Centurio 15. D. de vul. & pup. ſub. l. ius ſingulare. D. de legib.
2 l. 1. §. D. de iuſt. & iur.

BOVCHER. *Neque etiam quod dicunt ſolius Dei iudicio, praterea nullius, ſubiectum Regem eſſe. Quod vt nullo ſcriptura teſtimonio probatur, ita ab eadem manifeſtiſſimè refellitur, qua ait [3] omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe, & [4], quodcunque ſuper terram Eccleſia ligauerit (nulla enim hîc Regis exceptio qui & terra nomine continetur) in cœlo quoque ligatum eſſe.*

3 Rom. 13.
4 Matth. 16. & 18.

Regem ſolius Dei iudicio relictum eſſe, & ſoli cælo debere innocentiæ rationem, ſuperioribus libris abundè & variè demonſtratum eſt, quorũ [5] repetitione non eſt quod hic lectorem diſtineam. Ea res ſiquidem apud maiores noſtros, ab ipſis Chriſtianæ Eccleſiæ cunabulis, nulli vnquam orthodoxo dubia fuit, *nec ſunt mutanda quæ interpretationem certam ſemper habuerunt.* Nam & Tertullianus author [6] eſt ſui ſeculi Chriſtianos omnes ſenſiſſe *Reges in ſolius Dei poteſtate eſſe, ſolo. Deo ſecundos ſolo Deo minores, & poſt Deum primos.* Et Otto Epiſcopus Friſingenſis ad Imperatorem Fredericum Oenobarbum [7]. *Cùm nulla inueniatur perſona mundialis qua mundi legibus non ſubiaceat, ſubiacendo coerceatur, ſoli Reges, vtpote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſeculi legibus non cohibentur. Vnde eſt illud tam Regis quàm propheta teſtimonium. Tibi ſoli peccaui. Decet ergo Regem non ſolùm animi magnanimitate nobilitatum, ſed & ad cognoſcendum creatorem ſuum diuinā gratia illuminatum, Regem Regum, Dominum dominantium Deum pra mente habere, & ne in manus eius incidat, quantum poteſt modis omnibus pracauere. Cùm enim iuxta Apoſtolum, omni mortali horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis: Regibus tamen, qui nullum prater ipſum ſupra ſe habent quem metuant, eo erit horribilius, quo ipſi cateris poſſunt peccare liberius.* Quare miror te ſententiam perpetuò in Eccleſia laudatam, probatam, & retentam, nõ modò vt ancipitem, dubiam, & controuerſam agitare, ſed vt planè falſam & vitioſam, ſine vlla, non dico vera & firma, ſed ne leui quidem & probabili aliqua ratione vel au-

5 lib. 3. & 4.
6 in Apologet. & ad Scapulam vide ſup. li. 3. c. 11.
7 in epiſt. præfixa Chronic. ſup. li. 3. c. 11.

thoritate, reiicere & condemnare. Nam quod ex Scripturis affers, id adeò eſt ab inſtituto alienum, vt omnino ſententiam de qua agitur neque oppugnet neque propugnet. Nobis de ciuili & temporali ſubiectione quæſtio eſt, quam non cadere in Regem ideò aſſerimus, quia ſuperiorem in temporalibus non habet: tu argumentum de ſpirituali & eccleſiaſtica poteſtate ingeris: quid ad rem? aliud hoc eſt poteſtatis genus. Iam diximus [1], Reges omnes ſummo Pōtifici, qui Chriſti vicarius & D. Petri ſucceſſor eſt, non minus ſpirituali iuriſdictione ſubiectos eſſe, quàm cæteros quoſque Chriſtianos. At argumentum inde deductum ad probandum temporalem ſubiectionem Regis, perinde concludit, ac ſi diceres, falſum eſſe lunam noctu ſplendere, quia ſole lucente non cernitur. vt enim hoc argumentum vitioſum eſt, quia ſolis & lunæ tempora confundit [2]: ita & tuum illud, quia diſtinctas poteſtatis ſpecies ineptiſſimè permiſcet. Quid enim? ſi filium Dictatorem haberes, is omnibus, & tibi inter cæteros, qua Dictator eſt, imperaret, neminique eſſet ſubiectus. At qua filius eſt in ſacris patris conſtitutus (nam olim [3] nulla dignitas filium nexu patriæ poteſtatis ſoluebat) tibi perinde ſubditus eſſet atque alii quos habes in poteſtate, liberi. Apage ergo eiuſmodi fallacem & captioſam rationem, quæ res diſpariles & diuerſas in vnius naturæ ſimilitudinem, ipſa repugnante natura, cogit. *non oportet ius ciuile calumniari, neque verba captari* [4], non oportet, inquam, ſententias veterum de vna re dictas, ad aliam planè diſſimilem transferri: *ſed qua mente quid diceretur animaduertere conuenit.* Quod dicunt Regem ſolius Dei iudicio ſubiectum eſſe, id ita intelligunt, ſi inter illum & populum res agatur: nam quibus ciuiliter præeſt, iiſdem vt ciuiliter ſimul ſubſit per rerum naturam fieri non poteſt: & nemo, vt tu ipſe fateris, iudicari vel puniri niſi per ſuperiorem poteſt. Quod igitur tu de Eccleſiaſtica poteſtate profers ad hanc ſententiam nihil pertinet.

1 li.4. cap.4.
2 Gen.1. Pſal.135.
3 Dionyſ. Halicarn. li.2. antiq.
4 leg. pen. D. ad exhib.

CAP. IX.

EIuſdem generis, id eſt, fallax & captioſum, eſt quod ſubiicis. *Et mortem quidem pro ſeruanda fidei integritate toleratam ac tolerādam eſſe didicimus, pro ſeruanda autem Tyranni aut perſecutoris vitā & obedientiā nondum didicimus.* Non enim in exercitu alicuius tyranni militant eius ſubditi vi-

ſi viri boni, pro ipſius vita ſeruanda, ſed pro ſua ipſorum ſalute, & vita æterna obtinenda. Id eſt, non is illis ſcopus eſt vt tyrannidem foueant, vel vitam tyranni, quatenus tyrannus eſt, tueantur & conſeruent: ſed vt poteſtati à Deo conſtitutæ propter Deum obtemperent in iis quæ diuino iuſſui contraria non ſunt. Hoc autem facere eos debere ſi *nondum didiciſti*, diſce nunc tandem: non à me quidem, ſed à magnis illis Magiſtris, Petro, Paulo, Hieronymo, Auguſtino, & aliis. Ac B. Petri quidem ſententiam proximo ſuprà capite, & alibi [1] vberius expoſui. D. Paulus verò *Admone illos*, inquit [2], *Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* En vt Apoſtolus non Principis imperantis, ſed operis imperati qualitatem diſtinguit: bonum ſit opus an malum. Quapropter neque ſi Princeps, cæteroquin optimus, malum imperauerit faciendum, eius iuſſum capeſcere: neque ſi peſſimus bonum præceperit, eius imperium detrectare vllo modo licet. Sub bono autem, in hac ſpecie, ἀδιάφορα ſiue indifferentes, vt Cicero vocat, comprehendimus: id enim, quia malum non eſt, boni rationem induit, quatenus à ſuperiore præcipitur. Itaque D. Hieronymus ſuperiorem Apoſtoli ſententiam, & illud item præceptum [3]. *Serui dominis ſuis ſubditi ſint in omnibus*, ita interpretatur. *Subditi ſint dominis ſuis in omnibus quæ non ſunt contraria Deo: vt ſi dominus ea iubeat, quæ non ſunt aduerſa Scripturis ſanctis, ſubiiciatur ſeruus domino.* Quod ſi dominus ſeruis, vel Princeps ſubditis ea imperet quæ Dei mandatis aduerſantur: *reſpondeant illud de actibus Apoſtolorum. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus* [4]. non dicit, conuolent ad arma, impetum in iubentem faciant, ſceleſtum è medio tollant, & ſimilia nouæ tuæ Theologiæ decreta, quæ nemo non execrandus ante te docuit. *Imperatores*, inquit D. Auguſtinus [5], *ſi in errore eſſent (quod abſit) pro errore ſuo contra veritatem leges darent, per quas iuſti & probarentur, & coronarentur, non faciendo quod illi iuberent, quia Deus prohiberet.* non dicit, probarentur & coronarentur, icendo fœdus, & coniurando aduerſus eiuſmodi Imperatores impios, & leges contra veritatem condentes, quemadmodum tu his libris, qui iuſtitiæ Francorum probationem in eo ſolo ſtatuiſti, ſi caſtra Regis deſererent, & arma quæ pro eo aduerſus rebelles ferebant in ipſum converterent. Tibi bonus, tibi iuſtus, tibi pius, & vir Dei tunc videbatur, quiſquis manum extendere in Chri-

1 li. 3 cap. 6.
2 ad Tit. c. 3.
3 ad Tit. c. 2.
4 idem in com. c. 3. ad Tit. & refertur can. Si dominus 11. q. 4.
5 epiſt. 166. can. Imperatores 11. q. 3.

ſtum Domini, & non ſolùm chlamydem, ſed caput ei præcidere, nec clàm dormienti haſtam auferre, ſed ſicam vigilanti palam in latus inferre, paratus erat, id autem vnde didiceris, niſi fortè à Buchanano & Bruto, haud equidẽ coniectura aſſequi poſſum. Nam D Auguſtinus [1]. *Iulianus extitit infidelis Imperator*, inquit, *Nonne extitit apoſtata, iniquus, idololatra? Milites Chriſtiani ſeruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebat ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant dominum æternum à domino temporali: & tamen ſubditi erant propter dominum æternum etiam domino temporali.* Hinc ego didici, obtemperandum eſſe Regi quantumuis impio & iniquo (qualis fuit Iulianus) in omnibus quæ legi diuinæ non repugnant: & ſubditos, ni id faciant, Maieſtatis reos eſſe, grauiterque in Deum peccare à quo Regi poteſtas eſt: ac proinde illos, qui in Regis Henrici exercitu militabant, quorumque miniſteriis vſus eſt, dum ciuitates à ſceptro deficientes in ditionem reduceret, improbo ſtyli naſo iniuſtè & immerenter, à te eſſe perſtrictos. Sed hunc locum iam antè longius ſum proſequutus [2].

[1] in pſalmũ 124. & refertur dict. can. Imperatores 11. q. 3.

[2] li. 3. cap. 8. cum ſequentib. & lib. 4. c. 5. & ſequentib.

[3] Matt. 17.

BOVCHER. *Non etiam id nos mouet quod dicunt Chriſtum tributa Cæſari pendiſſe* [3] *cùm magnum ſit diſcrimẽ inter ius regium, quod Romanis in Iudæos vel ipſorum iam conſenſu quæſitum erat, atque inter tyrannidem, quæ inuitis obtruditur, qualis hodie omnis illa poteſtas eſt, quæ religioni ac pietati aduerſatur vt nec illud omittatur, quòd Chriſtus in ea repriuati hominis exemplum, non regni ac populi videtur præbuiſſe.*

Eſtne tibi cerebrum, Boucheri? Multas equidem de cauſis differentibus rationes à multis traditas legi, audiui, didici, percepi: at, Deum teſtor, tam ineptam, abſonam, & abſurdam, ab homine erudito proditam, nunquam ex quo natus ſum memini me aſpexiſſe. Niſi fortè abſtruſa quædam in reſponſo tuo myſteria inſunt, ad quæ mens mea penetrare non poteſt. Nam quod ad obiectionem attinet, eius quidem hic ſenſus eſt. Principes etiam impios & iniuſtos honorandos eſſe, hoc ipſo quod Principes ſunt, iiſque tributa pendenda, & cætera regii iuris impertiẽda, eò quod Chriſtus, cuius actio omnis eſt noſtra inſtructio, tributum Cæſari perſoluit. Tu vt huius argumenti vim eleues & elidas, diſcrimen nobis proponis inter ius regium quod Ro-

ma-

manis in Iudæos quæſitum erat, & ius regium quod Rex Galliæ, cæterique per orbem Chriſtiani Principes in ſuos ſubditos habent: quaſi maius & potentius fuerit ius illud Romanorum in Iudæos, quàm Regum Chriſtianorum in populos ſibi ſubiectos: ita vt Iudæis quidem fas non eſſet reſiſtere, vel tributum denegare Regi ſuo Cæſari (ſic enim eum appellabant [1]) quantuuis improbo & peruerſo: Chriſtianis verò Reges ſuos in ordinem cogere, vel abdicare, & (vt tecum loquar [2], quamuis ineptè) exauthorare, atque etiam occidere liceat. Hoc illud nimirum eſt quod mihi videris hac reſponſione velle: vt ius regium ſcilicet cum iure regio vel tyrannidem cum tyrannide componas. Nam ius regium conſenſu populi acquiſitum, cum tyrannide inuitis obtruſa, vel contrà, comparare: non eſt obiectionem propoſitam diſſoluere, ſed eam inani & contorto ſophiſmate penitus inuoluere, & nobis illudere. Nemo neſcit longè aliud eſſe ius regium conſenſu populi acquiſitum, aliud tyrannidem in reluctantes & inuitos occupatam: iam enim diximus, & poſt dicemus, eum qui per vim & ſcelus, ſine populi conſenſu, imperium occupat à ſingulis quoquo modo iuſtè interfici poſſe: eum verò quem populus ſibi Regem præfecit neque à ſingulis neque ab vniuerſis impeti occidive, quamlibet flagitiosè vixerit, ſine flagitio poſſe. Si igitur diuerſitatis rationem in hac ſpecie reddis, quòd aliud ſit ius regium conſenſu multitudinis acquiſitum aliud tyrannis *quæ inuitis obtruditur*. abſurda planè & ab inſtituto aliena ratio eſt: quippe Reges Chriſtiani ius regium quod habent, non ab inuitis expreſſerunt, ſed à ſcientibus & volentibus ſummo omnium conſenſu oblatum acceperunt. Quo fit, vt ſi Dominus & Saluator, Tiberium, hominem periurio, cædibus, & varia libidine turpificatum, dignatus eſt tributo, propter ius regium quod in Iudæos obtinebat: tanto magis Chriſtiani Regibus ſuis, pari vel maiore nequitia præditis, vectigalia & tributa penſitare teneantur, quanto arctioribus obedientiæ vinculis aſtringuntur, quantoque omnes homines Chriſto, ſine comparatione, minores ſunt. Ille enim Regis Regum filius immunis erat, & indebitum tamen voluit ſoluere, vt nos ad debiti ſolutionem hoc illuſtri exemplo erudiret.

Sin verò diſcrimen in eo ponis, quòd ius regium Imperatoribus in Iudæos quæſitum firmius & potentius fuerit,

[1] Ioan. 19.

[2] in Præfatione.

quàm ius regium quo nunc Principes in populos ſibi ſubiectos potiuntur: non dubium quidem quin illa ſanę mentis hominibus inſaniſſima ratio videatur. Nam conſtat inter omnes Iudæam bello domitam & ſubactam in ditionē atque imperium populi Romani cecidiſſe: eoque non ſua ſponte Regem ſibi Cæſarem elegiſſe, ſed tantùm metu & coactu dominatoris in verba & leges Imperii Romani iuraſſe [1]. Reges verò Chriſtianos, ſiue hæreditario iure, ſiue electionis beneficio, ad ſceptrum vocantur, libero & libenti populorum conſenſu regna inire. Deinde & illud etiam conſtat, obligationem vi aut metu contractam non tam efficacem eſſe ad præſtationis neceſſitatem, atque illam quæ libero contrahentium conſenſu inita eſt. licet enim voluntas coacta voluntas ſit [2], tamen quia iniquum eſt quemquam adigi in alterius verba, iuris authores in integrum reſtitutionem ex bono & ęquo, aduerſus conſenſum vi & metu extortum compararunt. An non igitur veſani hominis eſt exiſtimare ius regium Tiberii in Iudæos excellentius & ſanctius fuiſſe, quàm ius regium Henrici III. in Francos? quandoquidem eo ipſo argumento concluderetur Iudæos arctioribus parendi vinculis Tiberio, qui eos domitos & compreſſos tenebat, quàm Sauli, Dauidi, Salomoni, cæteriſque Hebræis, quos ſponte ſua ſibi Reges conſtituerant, fuiſſe obſtrictos: quo nihil aut excogitari falſius, aut dici abſurdius poteſt. Sed, vt illud etiam abs te petam, dic mihi per Deum, Boucheri: Si Galliam exhauſtam & penè confectam ſuperiore bello ciuili à te tuique ſimilibus excitato, Hiſpanus exercitus in Regis ſui ditionem redegiſſet: Francique in eum quà minis & metu, quà largitionibus & promiſſis conſenſiſſent, magíſne illi fuiſſent deuincti, quàm Regi ſuo Henrico, quem ſumma animorum conſenſione ſuper ſe conſtituerunt? Certè id rationi tuæ conſequens eſt. Neſcio an tam ſiniſtrum & funeſtum tunc patriæ tuæ caſum augurabas (ſunt enim qui id opinantur) atque ita vt ab illo Rege gratiam tempeſtiuè inires, hoc fœderatis tuis conſcientiæ frænum iniiciebas: ne ſcilicet, qui à Rege proprio ſine iuſta cauſa defecerant, Regis externi imperium quoquo modo detrectarent. Vides igitur vt nihil reſponſione tua vanius & ineptius ſit, ſiue iuri regio, ſiue tyrannidi ius regium Romanorum conferas, quandoquidem vtroque modo Henricum non pari tantùm, ſed etiam meliore apud Francos conditione, quàm

[1] Ioſeph. lib. 17. antiq. cap. 3.

[2] l. Si mulier 21. § ſi metu. D. quod met. cauſa.

quam Tiberium apud Iudæos fuiſſe conſtat.

Quod autem prętereà adiicis, Chriſtum videri in hac re *priuati hominis exemplum, non regni ac populi præbuiſſe*. id alio Scripturæ loco refellitur, in quo Dominus idipſum Principibus ſacerdotum, Scribis, & Phariſæis, qui totum populum repræſentabant, faciendum præcepit: de quo alibi fuſius dictum eſt [1]. Quæ cùm ita ſe habeant, alia profectò tibi aduerſus has & ſimiles Scripturæ oppugnationes munimenta quærenda ſunt, aut, caſtris relictis, maturiùs fuga conſulendum. [1] li.3.c.8.ſup.

CAPVT X.

At te nihilominus tanta opinionis tuæ fiducia tenuit, vt horum omnium ſecurus & negligens, quaſi nihil contra te poſſint, relictis iis ad alia inſtituti tui capita pertranſieris, ais enim [2], *Quæ* (obiectiones, & argumenta ſuperius propoſita) *cùm ſint eiuſmodi, vt aduerſus illud quod quærimus ius Reges abdicandi nihil efficiant, id quale ſit ſequitur vt probemus.* [2] cap.4.

At vides nunc, vt opinor, ſi rem totam planè & plenè intuearis, magnam eorum efficientiam eſſe ad illud quod quæris ius Reges abdicandi, tanquam ſummam iniuriam & nequitiam, tollendum, & è regno ac Republica explodendum. Sed aptè tu quidem, *quærimus*, dixiſti, quia ius illud nondum a quoquam inuentum eſt, nec etiam à te, quantumuis omnia percurrendo perluſtrandoque anheles, ſudes, algeas, vnquam inuenietur. Deinde ius iſtud duplex eſſe ſtatuis.

Ius porro illud cùm duplex ſit, inquis, *Eccleſiæ vnum quod peculiare eſt Chriſtianorum: populi ſeu Reip. alterum, quod eſt cõmune omnium gentium, populorum ac religionum &c.*

Propoſitum mihi non eſt de iure & poteſtate Eccleſię in ſuos filios Principes, ſed tantùm de iure Regũ in populos, his libris differere: atque illa errorum portenta, quæ non ita pridẽ ex hæreticis procreata, & à te alta ac defenſa ſunt, pro meo erga omnes Principes & populos Chriſtianos ſtudio & amore, ne in perniciem Reip. creſcant, refutare, extinguere, ſuffocare. Quapropter de priore iſto iure quod proponis, nihil mihi tecum controuerſiæ erit; niſi in iis tãtùm, quæ, dum Eccleſiæ dignitatem poteſtatemque tueri conaris, partim contra communem ac receptam in Eccleſia doctrinam, partim contra ſacræ hiſtoriæ veritatem,

partim à re de qua agitur planè remota & aliena perperam ad eius confirmationem adfers: ea ego breuiter obitérque adnotabo.

Sed operæ-precium eſt tamen prius quàm ad id aggrediar, admonere magnam tibi ab omnis generis hæreticis, magnam etiam à Turcis, atque adeo à barbaris & ethnicis omnibus nationibus, propter hoc tuum ſcriptum, gratiam deberi. Quod enim tradis alterum ius abdicandi Reges eſſe *commune omnium gentium, populorum ac religionum*, an non idem eſt ac ſi diceres, vnamquamque gentem & nationem, religionis ſuæ ſartæ tectæ ſeruandæ cauſa, Regem ab ea deficientem, vel eam euertere conantem, abdicare iure poſſe? profectò latinè ſcientibus res clara eſt & expedita. Si enim, quod iam paulò antè docuiſti [1], Regem *qui religionis aut populi oppreſſionem ſiue interitum meditetur, ſi aliter res ſuccedere non valeat, ſceptro amouendum eſſe ſine controuerſia profiteris:* & *hoc ius commune omnium populorum ac religionum eſt*, vt hîc aſtruis: conſequitur neceſſariò in bona dialectica, quemlibet Regem à quouis populo cuiuslibet religionis auitæ tuendæ cauſa, *ſi aliter res ſuccedere non valeat, ſceptro amouendum eſſe ſine controuerſia.* quæ doctrina quantum Reipublicæ Chriſtianæ incommodet, quantumque Eccleſiam Catholicam, non modò non defendat, ſed offendat & lædat grauiter, aliis æſtimandum (neque enim res factu difficilis eſt) relinquo. Quid enim? ſi Muſtapha Solymani filius, quem pater anno Dom. 1555. crudeliter interfecit, quòd nimium Chriſtianis fauere videbatur, quódq; in ſuſpicionem affectati regni callidis nouercæ conſiliis eſſet perductus, ad Turcicum imperium patre mortuo perueniſſet, atq; religionem Chriſtianam, à qua non valde abhorrebat, apertè fuiſſet amplexus, ſubditoſq; in eam omni conatu pertraxiſſet, iuſténe ob iuſtiſſimum illud factum ſceptro Turcico fuiſſet amouendus? iuſténe in eum Turcæ omnes, Mahumetanæ religionis tuendæ cauſa, impetum facere, & vltimo ſupplicio animaduertere potuiſſent? Ergóne Conſtantinum Magnum Romani, Clodouæum Franci, Donaldum 1. Scoti, quia Chriſto nomina dederant, & auitæ religionis cultum reliquerant, atq; extinguere conabantur, regnis & imperiis exigere, ac morte etiam multare, pro ſua in eos poteſtate iure optimo potuerunt? Nam tu ius hoc abdicandi Reges omnium populorum & religionum vis eſſe commune: & alibi ſcribis, *licere auitæ religionis defendendæ cauſa principi cuiuis reſiſtere* [2]. Itaq; in hac re tuo

in

[1] cap. 2.

[2] li. 1. cap. 26.

in te argumento vtemur [1]. Nulla hic religionis exceptio à te propoſita eſt (& de pluribus te religionibus loqui, imò de cunctis, nota illa vniuerſi generis, *omnium* demonſtrat) ergo ſiue vera religio ſit, ſiue falſa, cuiuſmodi erat ethnicorum, & nunc Mahumetana, atque hæretica omnis, iuſtam cauſam populo præbet Regem abdicandi, ſi eam opprimere conatur. Quid n. aliud eſt, ius Regem abdicãdi eſſe commune omnium nationum & religionum, niſi omnes nationes, propter ſuam quaſque, Regem religionis cauſa poſſe abdicare? Quid ergo? ſi (quod aliquando futurum ſperamus) in Scotia, Dania, Saxonia, Anglia, Principes hęreſin, in qua educati ſunt & edocti, diuina gratia abiurauerint, adque Eccleſiam Catholicam, in qua ſola ſalus eſt, ſe receperint: eritne tuæ ſententiæ locus? erit profectò, ſi vera eſt. Nam quod inferius paulò huic vulneri emplaſtrum adhibes [2], id eius ſanandi vim nullam habet: nempe, *Hic primum Euangelicos nouatores monitos volumus, ne vel ſuã cauſam agi, vel commune quid illis ac nobis dici putent, quippe qui vt ſenſu atque fide, ita cauſa merito toto cælo diſcrepamus. Liceat, quita religionis defendendæ cauſa Principi e ciuis reſiſtere: nouitatis vero ſtudioſis vna ſit merces, vt quos vtraque maieſtas reos tenet, iis vita vt æquum eſt, iudicio adimatur*, Quandoquidem harum regionum hæreticis in promptu ex tua doctrina & ratione reſponſio eſt. Si fidei ſcilicet & religionis diſcrepantiam, cauſæque meritum ſpectes, nulla cauſa eſt cur eos hoc iure abdicandi Reges religionis ergo magis excludas, quàm Turcas, & reliquos populos aliarum religionũ cauſa, quæ ſi non peiores, ſaltem meliores non ſunt (nam re vera nulla bona eſt) præſertim cùm ipſe fatearis ius illud commune eſſe omnium populorum & religionum. Sin verò nouitatem obiicias, diſcrimenque in eo ponas quòd nouatores ſunt: reponent illicò, ſe ſtabilita iam & firmata in ſuis religionibus regna habere, nec amplius dici poſſe nouatores, cùm eas à parentibus religiones acceperint, in quibus & nati & nutriti ſunt (primorum enim huius ſeculi hæreticorum pauci ſuperſunt: pœnas perfidiæ iam apud Plutonẽ dant) quin potius nos eſſe nouatores & maieſtatis reos, vt falsò quotidie affirmant, qui hæreſes illas turbare, perdere, & peſſundare conamur, ac proinde eodem ſe iure cenſendos, quo reliquæ per orbem gentes, quibus religionis retinendæ cura eſt.

Vides igitur vt harum nationum cauſam iniuſtiſſimã,

 ma-

[1] quo[illegible] propo- n[illegible]3. ibi ([illegible]la enim hic Regis exceptio.)

[2] cap. 16. li. 1.

magno cum Eccleſiæ Catholicæ detrimento & iniuria, ſeu volens ſeu nolens agis oráſque. Quanto meliùs alii pii & eruditi nullũ ius populo in Regem à vita ſacra deferentẽ eſſe voluerunt. Sed eò nunc vnde digreſſi ſumus reuertamur.

C A P. XI.

Lib. 1. cap. 6. *BOVCHERIVS*[1]. *Ac primum occurrent illa quæ è veteri inſtrumento deprompta ius illud Eccleſiæ in Reges iam ab illo tempore extitiſſe docuerunt. Sic Samuel Saulem Regem à ſe inſtitutum prius, quia ſpiritualem functionem vſurpaſſet, quia mandata Dei tranſgreſſus eſſet, quaſi excommunicatum regni iure priuauit, & in Dauidem illud transtulit. Prorſus vt ab eo tẽpore quicquid Saul geſſit, vt quod ſacerdotes Nobe numero octoginta,* imò octoginta quinque, *per Doeg Idumæũ interfecit, quod Samueli ac Dauidi vitam adimere conatus eſt, tyrannum non Regẽ ſe præbuerit, manifeſtaq́; adempta regalis gratiæ ſigna oſtenderit. Sic Hieroboam cùm vitulos aureos poſuiſſet, contra eum & domũ eius totam propheta diuinum iudicium pronunciauit, & ne mingentẽ quidem ad parietẽ de ea reliquum futurũ eſſe prædixit. Sic Oziam Azarias ſacerdos de templo primùm, mox etiam de regno eiecit. Sic Athaliã Ioiada ſacerdos regno ſimul & vita priuauit.*

Nõ ignoro ius eſſe Eccleſiæ in Reges & Principes Chriſtianos, nec quale ius ſit ignoro: ſed id tam alienis argumẽtis oſtendi prorſus ignoro, imò non oſtendi planè ſcio. Nã vt ab vltimo primùm ordiar, & ὕστερον πρότερον, ad primum perueniam: quid, quæſo, crudeliſſimæ mulieris Athaliç interitus, quæ regnum per ſcelus & cædem regiæ ſobolis immani tyrannide occuparat, cõmune habet cum legitimorum Principum iure atque imperio? Athalia quidem in ea cauſa fuit, vt etiã iniuſſu Ioiadæ ſacerdotis à quolibet priuato iuſtè interfici potuiſſet, quemadmodum de verè tyranno ſupra diximus: ſed quia tale quid & tẽtare periculoſum, & perficere arduum ac difficile erat, contra illam quæ defuncti Regis Ochoſiæ mater fuit, ideo Ioiadæ Pontificis ope fuit opus, aut certè alterius alicuius, qui tũ ſimiliter authoritatis pondere, tum ſanctitatis opinione, milites ad id facinus egregium inducere & impellere potuiſſet.

Quod autem de Ozia ſcribis, qui & Azarias & Zacharias dictus eſt, id ipſa in primis biblia, hiſtorici etiam atque interpretes, falſitatis arguũnt. Nunquam enim de regno eiectus fuit Ozias, ſed tamdiu regnauit quamdiu vixit, nempe totos quinquaginta duos annos, ex quo regnum ætatis

anno

anno decimo ſexto inierat. Ait enim Scriptura [1]. *Anno vi-* 1 4.Reg.15.2. Parali,26.
geſimo ſeptimo Ieroboam Regis Iſrael regnauit Azarias filius A-
maſiæ Regis Iuda. Sedecim annorum erat cum regnare cœpiſſet,
& quinquaginta duobus annis regnauit in Ieruſalem: & iterum
eodem capite. *Anno quinquageſimo ſecundo Azariæ Regis Iu-*
da regnauit Phacee filius Romeliæ ſuper Iſrael in Samaria. Mor-
tuus eſt autem Azarias, ſiue Ozias anno ætatis ſexageſimo
octauo, regni verò ſui quinquageſimo ſecundo, inquit Io-
ſephus [2], Si ergo decimum ſextum annum agebat cum re- 2 li.9.antiq.cap. 11.
gnare cœpit, & quinquaginta duos annos regnauit, Scri-
ptura teſte, obiitq; annum agens ſexageſimum octauum:
oſtende, ſi potes, quo & quanto tempore eiectus de regno
fuerit. Magna certè imprudentia vel impudentia eſt ea
ſcriptis mãdare, quæ manifeſtis Scripturæ teſtimoniis re-
darguuntur. Videris non ſatis attentè Oziæ hiſtoriam le-
giſſe (malo enim te negligentiæ quàm nequitiæ reum fa-
cere.) Nã quod Rex ille, poſtquàm lepra percuſſus à Do-
mino fuit, *in domo libera ſeorſum habitabat*. id quid ad iuris
regni ademptionem? morbi qualitas & natura vt ex legis
diuinæ præſcripto id faceret eum coegit [3]. Sed vt ſciamus 3 Leuit.13.Nũ. 5.
ſeparationem illam nihil iuri regni quod habebat præiu-
dicaſſe, nihil, inquã impediiſſe quò minus penes eũ ius re-
gni & regalis dignitas remanerent, ſcriptum eſt. *Ioathã fili-*
us Regis gubernabat interea *Palatiũ & rexit domũ Regis, & iu-*
dicabat populũ terræ. En vt Ioathã viuente & ægrotãte patre
filius Regis vocatur, & gubernator ac rector domus Regis,
& iudex populi, quia iudicia ad Regem non poterant veni-
re propter vim morbi & ſeparationẽ, vt docet Lyranus [4]. 4 in 4.Reg. cap.15.
Denique Ozian de regno nunquam fuiſſe eiectum, eoque
viuo filium regni tantum adminiſtratorem ſeu curatorem
egiſſe, vt in Regum infantia vel nimia ſenectute, animi e-
tiam vel corporis morbo grauiore fieri ſolet (nam filius pa-
tri curator dari poteſt, dominio rerum interea penes patrẽ
manente [5]) teſtatur ibidem Scriptura, cum ait *Dormiuitq;* 5 l.his qui 12. D.de tutor. & curat.dat.l.1.2 & 4.D.de curat.furioſi.
Ozias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in agro regaliũ ſepul-
chrorum, eo quod eſſet leproſus: regnauitque Ioatham filius eius
pro eo. Falſiſſimum ergo eſt quod ſcribis Oziam ab Azaria
ſacerdote de regno fuiſſe deiectum.

De Hieroboam verò exemplum à te propoſitum quor-
ſum ſpectat? adeone quemquam ratiocinandi peritum
tam hebetis ingenii eſſe reris, vt nõ ſtatim percipiat id eſſe
alienũ prorſus ab eo quod probandũ ſuſceperas? Deus pro-

phetam

Digitized by Google

1 3. Reg. 13. phetam ad Hieroboam miſit [1], (cuius nomen in ſcriptura
2 li. 8. antiq. c. 3. ſupprimitur, ſed Ioſephus [2]. Iadon appellatum fuiſſe ſcribit) vt ſuam ei impietatem & idololatriam exprobraret;
3 3. Reg. 14. & alium quoque *durum nuncium* Ahiam prophetam [3], qui euerſionem atque interitum totius domus & ſtirpis Hieroboam ei ſignificaret. Sed quæ iſtæc, bone Deus, conſequentia? *propheta diuinum iudicium pronunciauit contra Hieroboam & domum eius, & ne mingentem quidem ad parietem de ea reliquum futurum eſſe prædixit*. Ergo Eccleſia habet ius in Reges: nil inſcitius. Haud equidem inficior Eccleſiam habere iús in Reges: ſed id hoc argumento & ſimilibus rectè oſtendi nêgo: & verò ſuperior hæc collectio duobus manifeſtis vitiis laborat. Nam primùm nemo in Scripturis exercitatus neſcit multos prophetarum nulla Eccleſiaſtica dignitate præditos, ac ne ſacerdotes quidem fuiſſe: quoſdā etiam non Leuitici generis extitiſſe. Deus enim ſacerdotium, non donum prophetiæ in Aaronis familia concluſerat. Itaq; Samuel ipſe non ſacerdos, ſed tantùm leuita fu-
4 F. Hiero. lib. 1. aduer. Iou. it [4], licet ſacerdotis munere per diſpenſationem functus ſit (ob quod antiquorum Patrum nonnulli ſacerdotem eū
5 D. Cyprianus. lib. 3. epiſt. 9. vocant [5],) quemadmodum & Gedeon qui ex tribu Manaſſe ortum traxit: vt doctè & eleganter declarat eruditiſ-
6 in Pſal. 28. ſimus Genebrardus [6]. Deinde licet verū eſſet omnes prophetas fuiſſe ſacerdotes, imò pontifices, tamen quia nudū tantùm denūciandi miniſterium in his caſibus præbebāt, miſſi nimirum à Deo extraordinaria legatione, vt Samuel, Ahias, Nathan, & alii, argumentum ab illorum prædictionibus deriuatum, à delegata, inquam, illis ad certam ſpeciem poteſtate, ad probandum ordinariam in Reges iuriſdictionem nulla conſecutionis neceſſitate concludit. Superiori itaque collectioni tuæ hanc ſimilimam ſubiiciam. Pediſſequus Regis denunciauit Coneſtablo & aliis quibuſdam de prima nobilitate, Regē illis eſſe infenſum, & fore breui vt irato Regi pœnas dent: ergo regii pediſſequi habent ius in Coneſtablum & totam nobilitatē. Confero autem hic non perſonas prophetarum, & pediſſequorum, ſed conſequentias inter ſe. an non ridiculus eſſet qui ita ratiocinaretur? quid ergo tibi in mentem venit, vt tam remota & aliena, ne dicam inepta, corrogares? Sed chartā aliquo replere oportuit.

Venio nunc ad Saulem: de quo exemplum quod proponis eadem, qua ſuperius, ratione alienum ab inſtituto

eſſe oſtenditur. Nam nec ſacerdos fuit Samuel, vt dictum
eſt, nec ordinariæ iuriſdictionis poteſtate quicquam con-
tra Saulem fecit: à quo vt meritam vindictam auerteret,
Dei iram diu multumque deprecatus eſt, donec audiit Do-
minum dicentem. *vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim
eum ne regnet ſuper Iſrael* [1] ? Samuel ergo, tanquam grauius [1] 1. Reg. 16.
diuini iudicii nuncius, ſpeciale Dei mandatum hoc caſu
exequitur: ſcriptum eſt enim [2]. *Ait autem Samuel ad Saul:* [2] 1. Reg. 15.
*Sine me, & indicabo tibi quæ locutus ſit Dominus ad me nocte,
&c.* Nec ad rem pertinet quod adiicis *prorſus vt ab eo tempo-
re quicquid Saul geſſit. &c.* id enim perinde eſt ac ſi dixiſſes:
Saul ex quo Deus illum abiecit, & gratia ſua priuauit, *ma-
nifeſta ademptæ regalis gratiæ ſigna oſtendit.* quis dubitat, aut
cui id mirum eſſe poteſt? quin potius permirum videretur
ſi ſe res aliter habuiſſet: id eſt, ſi nullum ablatæ gratiæ di-
uinæ indicium dediſſet: Sed hoc quid ad rem? Deus ipſe
eſt qui diſertè & nominatim iuſſu ſuo id faciendũ Samueli
mandat. Nemo ſanæ mẽtis, vt arbitror, tam ſtupidus eſt,
vt neſciat aliud eſſe extraordinariã legationem obire, lõgè
aliud ordinariam iuriſdictionem exercere. Cæterum ver-
ba illa tua, *prorſus vt ab eo tempore quicquid Saul geſſit, Tyran-
num non Regem ſe præbuerit*, ambiguitatem ex duplici intel-
lectu lectori afferunt, dum neſcit quo tu ea ſenſu protule-
ris, an vt de appoſitis à te exemplis & ſimilibus tantùm in-
telligantur: an verò vniuersè & generaliter, quaſi ab eo tẽ-
pore Saul deſierit eſſe Rex. Priore modo ſi intelligas, parũ
aut nihil illa inſtituto tuo ſententia patrocinatur: quòd
facta eiuſmodi natura ſua talia ſunt, vt ea Rex nullus niſi
per tyrannidem, perpetrare poſſit: eoque Saul talia com-
mittendo ſe tyrannum præbuiſſet, etiam ſi illud Dei iudi-
cium per prophetam non audiiſſet. Quemadmodum Da-
uid in occidendo Vria tyrannum præſtitit non Regem: ſed
interea tamen Rex erat: ſicut & Saul re vera Rex erat, quã-
do per ſummam iniuriam Dei ſacerdotes occidebat. Sæpe
Reges multa crudeliter, auarè, libidinosè, iracundè faci-
unt, quæ nemo tyrannicè fieri negabit, licet à Regibus fi-
ant, quorum omnium ſcelerum acerbiſſimas iudici ſuo
Deo Opt. Max. pœnas luent. Sin poſterior tibi intellectus
placet: ſi ea, inquam, tibi mens eſt, vt iis verbis ſignificare
velis Saulem ab eo tempore nõ amplius fuiſſe Regem: fal-
ſum eſt quòd ſcribis, & cõtra receptam in Eccleſia doctri-
nam. Nam primùm ipſemet Dauid Saulem quandiu vixit
Re-

Regem ſuum & dominum agnouit [1]. Deinde Apoſtolus Paulus teſtatur Deum dediſſe Hæbræis Saulem Regẽ quadraginta annis. *Et exinde poſtulauerunt Regem*, inquit [2], *& dedit illis Deus Saul filiũ Cis virum de tribu Beniamin annis quadraginta.* Hinc Optatus Afer [3]. *Oleum ſacerdoti à Deo collatum, nõ debuiſſe vos tangere, à puero Dei Dauid diſcere debuiſtis; qui ſic per Samuel vngitur vt Sauli quod iamdudum datum fuerat minimè tolleretur.* Quid multis? communis Catholicorum omnium ſententia eſt Saulem poſt illam transferendi regni denuntiationem, quę licet nominatim in ipſius perſonam concepta fuerit, in ſtirpe tamen effectum ſortita eſt [4], verum, vnicum, & legitimum Regem toto vitæ tempore manſiſſe in Iſrael [5]. Idq; vir pius in primis, & præclarus Theologus, atque hæreticæ prauitatis inquiſitor, Ioannes Bunderius à Gandauo, tanquam firmiſſimum orthodoxæ religionis aſſerendæ argumentum arripit in eo libro, qui ab vniuerſa Theologorum Pariſienſium ſchola ante annos quinquaginta lectus & laudatus eſt [6]. Illud poſtremò hic ſcire velim, quo tu teſtimonio didiciſti Saulem Samueli vitã adimere conatum: certè nullum eius rei veſtigiũ in Scripturis extat: nec veriſimile eſt eum in Samuelis necem aliquid fuiſſe molitum, cuius non ſolùm viuentis perſonam, ſed defuncti etiam manes veneratus eſt: quẽque ex omnibus prophetis, vt amantiſſimum, ſuſcitari ſibi à Pythoniſſa poſtulauit. Sed hoc vtro ſe modo habeat nihil moror: neque enim mea intereſt, cùm noſtræ cauſæ æquitatem nec iuuet nec lædat.

Hac itaque breui errorum & incutiæ tuæ annotatione, in pauculis illis quæ de iure Eccleſiæ propoſuiſti, in præſẽtia contentus, ad id quod inſtituti noſtri proprium eſt tũc accedam: nempe ad argutias tuas indicandas (quamuis ſint magna ex parte in libris contra Buchananum & Brutum ſuprà refutatæ) quibus ius populi in Regem per ſummam iniuriam ſtabilire conaris.

CAPVT XII.

IN primis igitur vt firmum aliquod, opinione tua, fallaciis & ſophiſmatis tuis fundamentum ſubſterneres, duplicem initio præmunitionem, ſeu magis præmonitionem, adhibuiſti [7]. Alteram quidem hoc modo *Quod antequam exponimus, intelligendum populi nomine iſto loco non inconditam & confuſam turbam, quæ bellua multorum capitum eſt, ſed procerum, ſenatorum ac præcipuæ virtutis, probitatis iu-*

dicitque

1 1. Reg. 24. 2. Reg. 1. & 2.

2 Act. 12.

3 lib. 1. aduerſ. Parmenianum.

4 gloſ. ordin. ad verb. Scidit. 1. Reg. 15.

5 vt docet Abbas VVinzetus contra Buchan. pag. 176.

6 Compendiũ concertationis contra Lutheranos. tit. 9. art. 12.

7 libr. 1. cap. 9.

dici:que ac dignitatis authoritate hominum prudentem ac iure coactam multitudinem ſumi. Quæ publicam regni poteſtatem refert. Alteram verò his verbis *ita eo ſenſu cùm de iure populi in Regem dicemus, vſurpaturi populi nomen perpetuò ſumus, vt populum ac Remp: ſeu regnum (quod idem eſſe conſtet) propterea cõiunctim proferamus.*

Prioris quidem authores habes Buchananum [1]. & Brutum [2], quos iam ſuperioribus libris ſatis ſuperque redarguimus. Sed an non animaduertis naturam regni & monarchiæ id non pati, vt penes multos ſumma rerum ſit & poteſtas? an non vides te vnà cum illis tuis præceptoribus regnum hac ſententia abolere & ſuper iniecta ſeu democratia, ſeu ariſtocratia, penitus extinguere? Multa profectò ſententiam tuam abſurda neceſſariò conſequuntur, quæ vnuſquiſque mediocriter peritus & ingenioſus facilè ſine vllo indice deprehendet. Nam, vt alia omittam, qua ratione cœtus ille procerum & ſenatorum ad publica regni negocia coeuntium, Rege, vt tu definis, ſuperior eſt; eadem ratione turba illa confuſa, quam tu vt monſtroſam, abiectam belluam à regni gubernatione excludis, ſuperior & authoritate potior illis ipſis proceribus eſſe conuincitur. Agantur, exempli gratia, in Gallia comitia, mittanturque eò vt moris eſt, ex ſingulis vel ciuitatibus, vel prouinciis, legati; qui Cleri, qui Nobilitatis, qui plebis querelas ad concilium deferant, cauſas agant, vtilitati & ſaluti communi proſpiciant, denique omnia quæcunque in deliberationem ceciderint, vt quodque è regno & Republica eſſe videtur, ſuffragiis ſcitiſque ſuis definiant & concludant. Hi ſunt, vt opinor, quos hac fictitia tua populi deſcriptione complexus es. At vnde illi tantam de rebus publicis ſtatuendi poteſtatem accipiunt. nonne à ſuis ſinguli ciuitatibus, ab illa ipſa, inquam, ciuium turba quam belluam multorum capitum vocas? quæ, quòd ipſi toti in comitium per hominum multitudinem, per expenſas, per fatigationem, per curam & cuſtodiam ciuitatum, aliaque impedimenta proficiſci non licet, quoſdam ſelectos cùm mandatis mittit, qui ea totius ciuitatis, aut prouinciæ nomine exequantur, quæ vel nominatim illis ante profectionem imperata ſunt, vel generali mãdato ad quaſcunq; res neceſſarias obeundas, eorum fidei commendata ſunt & cõcredita. Fingamus itaq; neq; n. eſt impoſſibile, legatos hoſce, quos vulgò triũ ordinum

[1] pag.32.
[2] Quæſt. 2

num deputatos vocant, quoſque tu *publicam regni poteſtatẽ referre* ais, vel maiorem ipſorum partẽ, largitionibus, gratia, odio vel inuidia corruptam, magno populi diſpendio & detrimento aliquid ſciuiſſe: peto abs te num id ſcitum multitudinem, populum, inquam, vniuerſum, velit nolit, obligabit? An non liceat ei quod ita perperam geſtum eſt ab iis quibus talem regni diſpenſationem mandauit, ratũ non habere, & eis qui ſcitum fecerint, tanquam proditoribus potius quàm procuratoribus, contrario imperio poteſtatem abrogare, & mandati iudicio reos facere? Hic Labyrinthus pluſquam Creticus te excipiet, vnde exitũ inuenire nullo artificio queas. Si enim infinitam illam Nobilium, Eccleſiaſticorum, & plebeiorum hominum multitudinem, quæ domi remanſit, & ſuas pauculis iſtis partes cõmiſit, impoſitum ab iis onus poſſe recuſare, & alios Reip. curatores in priorum locum nouis ſuffragiis deligere concedis; negare nõ poteris ſummam ſemper in multitudine, ſeu turba illa quantumuis incondita & confuſa, de qua loqueris, poteſtatem reſidere, & popularem Reipublicæ formam, quæ à regni ſpecie multum abeſt, prorſus obtinere. Sin verò vniuerſum populum inferiorem eſſe, ac ſcitis & ſententiis iſtorum procerum & ſenatorum, quibus Reipublicæ tutela mandata eſt, ita vinctum & obſtrictum dicis, vt illorum defugere authoritatẽ nullo ei pacto liceat; tuo te mucrone iugulas, tuis, inquam argumentis, quæ aduerſus Reges adfers, ſententiæ illius iugulum petis, & eius veritatem euertis. Nam, ne longius abeas, in proximo capite ſequenti hoc doctrinæ tuæ axioma proponis. *Potiores ſemper ſunt conſtituentis quàm conſtituti partes. Et vt minor ſine contradictione à maiori benedicitur, ſic & conſtituitur.* vnde Regem populo inferiorem colligis quod à populo conſtituatur: id autem ſi verum eſt, nonne eodem planè argumento rectè concluditur, proceres & ſenatores reliquoſq; de quibus loqueris, multitudine ſemper inferiores & minores eſſe, quoniam ab ea ad id muneris eliguntur, conſtituuntur, & cum mandatis mittuntur? Enitere, elaborã, quantũ poteris, nunquam hac te difficultate expedies, quæ tuos in hac diſciplina magiſtros vſqueadeò torſit, vt alterum [1], quidem coegerit fateri prudentem illam & iure coactam multitudinem, de qua ſcribis, neceſſe habere πρόβουλευμα à ſe factum ad populi iudicium deferre antequã legis vim obtineat. Populum autem latinè & propriè, vt patritios ſimul

[1] Buchanan. pag. 12.

mul & plebeios contineat [1], non, vt tu, ineptè & impropriè intelligit. Alterum [2] verò ita vacillare, vt ſæpius mutet ſententiam, & dum fallere lectorem ſtudet, vtri potius accedat eum reddat incertum, quæ ſi minus tibi nota ſunt noſtra in illos ſcripta excutito [3]. Ita nimirum natura comparatum eſt, vt quem vnus aliquis error delectat, is eius tuendi ergò in alios infinitos incurrat: & vt primum mendacium reddat probabile, alia ſubinde atque alia comminiſcatur.

Poſterior autem præmunitio tua perquam ſanè inepta eſt & vana, nec ſcio equidem an vllus tibi vnquam in ea re aſtipulator extiterit. Quod enim ais te populi nomen perpetuò vſurpaturum pro hominum prudenti & iure coacta multitudine, id quo Latini authoris exemplo facis? An tãtum tibi iuris in latium arrogas, vt vſitatas & proprias vocabulorum ſignificationes arbitratu tuo mutes, cõtrahas, vel dilates? certum eſt populi nomine omnes qui in eadem Republica communi ciuium iure inter ſe ſociantur, cuiuſcunque tandem aut ordinis, aut ætatis, aut prudentiæ, vitæque dignitatis fuerint, intelligi: tu ad paucos tantùm id nomen vis pertinere: quo id iure? An vlla te vt hoc faceres coegit & compulit neceſſitas? quaſi verò in tam diuite & fœcundo verborum idiomate propria nulla ſuppeterent, quibus collectum illum hominum prudentium cœtum ſignificares. Deinde quod ſcribis,

Conſtare, populum ac Rempubl. ſeu regnum idem eſſe.

id tam perſpicuè falſum eſt, vt ab homine in bonorum authorum lectione verſato ſine magna malitia, vel non mediocri inſcitia proponi nequeat. Si conſtat, populum, regnum & Rempublicam idem eſſe, vbicunque populus aliquis, ibi & regnum eſſe neceſſe eſt. Si regnum, ergo & Rex: nam Rege extincto, res ad interregnum recidit, vt hiſtorici & politici omnes aſſerunt, tantiſper dum alius in demortui locum ſufficiatur. At huic penitus contrarium eſt quod tutemet fateris [4], populos multos Regibus carere, & vel Ariſtocratia vel Democratia delectari. non idem igitur populus & regnum. Et verò regnũ nihil aliud eſt niſi Monarchica populi gubernatio, ſiue Monarchicus dominatus, quod licet ſine populo eſſe nequeat, tamen populus & eſſe poteſt, & eſt frequenter ſine regno. Omnis igitur Monarchia regnũ eſt, quocunque nomine apud alias & alias gentes cẽſeatur. Hinc Appianus Alexandrinus [5] ſcitiſſimè nos admonet, omnes, qui Romanum Imperium poſt Cæſarem

1 Inſtit. de iure nat. gent. & ciuil. §. conſtat.

2 Brutum q. 3.

3 li. 1. & li. 4. c. 21.

4 lib. 1. c. 11.

5 in præfat. hiſtoriar.

tenuerunt; re vera Reges fuiſſe licet Imperatoris nomen quo belli duces olim cohoneſtabantur, ſibi tantùm aſſumpſerint: cuius rei ſuprà libro ſecundo meminimus. Iam verò Rempublicam & regnum nõ idem eſſe notius eſt quàm cui probando incumbatur. An putas Romanos nullã poſt Tarquinios exactos vſque ad Auguſtum Rempu. habuiſſe? At iidem, teſte Liuio [1], negabant ſe regnum habere, ſiue in regno degere. Quid quòd Cicero [2] teſtatur, *ex compoſitione magiſtratuum, quod cuiuſq; Reip. genus ſit, intelligi.* Non igitur Reſp. omnis vnius generis eſt, nec idem omnino regnum & Reſp. Sed an adeo iniquus es, vt Ariſtocratias & Democratias a Reip. notione excludas? quod certè neceſſe eſt, ſi idẽ ſimpliciter Regnum & Reſp. ſtatuatur. Quod enim alterutri eorum quæ ſunt idem inter ſe conuenit aut remouetur, id alteri ſimiliter conuenire vel remoueri, in Philoſophorũ ſcholis iam pridem didicimus.

1 lib. 2.
2 lib. 3. de Legib.

Regnum autem in Repub. eſſe fateor, latiſſimè ſumpto vocabulo, ſicut ſpeciem in genere: ſed quemadmodum nõ idem eſſe homo & eſſe animal, licèt in animali homo inſit; ita non idem eſt eſſe regnum & eſſe Rempublicam quamtis verè dici poſſit, regnum eſt Reſpublica, vt homo eſt animal. At verò quoties Reipublicæ verbum ſtrictiùs pro ciuilis gubernationis ſpecie, vt fit plerumque, accipitur: neque in Republica regnum, neque idem quod Reſpublica, ſed diſtinctum prorſus & diuerſum atque oppoſitum politici regiminis genus eſt. Inepta igitur & vana eſt, vt dixi, hæc tua præmunitio ſiue præmonitio: & non minus te ridiculum reddit, quàm ſi præfatus eſſes tè perpetuò in libris tuis equum pro aſino, lanionem pro lictore, coclitem pro Cyclope, luſcum pro cæco, ſuperſtitioſum pro religioſo, ſeditioſum pro ſedato, & reliqua id genus ſeu ſono, ſeu ſenſu, leuem aliquam ſimilitudinem referentia vſurpaturum. At enim res tanti non eſt, dices, vt tam curioſam & acrem obſeruationem animaduerſionemque mereatur. Imò verò multo grauiore digna: nec aliud ferè quicquam lectori librorum tuorum ſcitu magis neceſſarium: quippe multas huic falſo tuo fundamento ſuperſtruis captiones, quæ illo euerſo vnà corruunt. Nam quoties ad populi ius atq; imperium in Reges legitimos demonſtrandum argumentis tibi opus eſſe perſpicis (cùm neque verum ſit neque veriſimile membra in caput, ſubditos in Principem dominari) leges, facta & res geſtas populorum in Democratia degen-

tium

tium paſſim ad tuæ ſententiæ confirmationem producis: quæ quamquam re vera ſunt à Regni natura & ratione penitus remota & aliena, tamen poſitis & conceſſis tuis principiis, falſo ſcilicet iſto fundamento, quod populum, Rempublicam, & regnum idem eſſe ſtatuit, negari non poteſt ea omnia ad poteſtatem populi in Regem vel confirmandam vel infirmandam rectiſſimè accommodari. Non leuis itaque momenti neque mediocris malitiæ res eſt eam præfationem adhibuiſſe, quæ ordinem & differentias Rerump. quibus notius & illuſtrius nihil eſt, fraudulenter cõfundit, tollitque de medio, vt errores ad impugnandam Monarchiam & Reges opprimendos facilius obiicias imperitis.

Sed ſingula nunc tua argumenta, imò captiones & ſophiſmata videamus, quibus ius ac maieſtatẽ populi (vt ais) in Reges eſſe contendis. Sequitur ergo primum, ex eo deductum quòd Reges à populis conſtituantur.

CAP. XIII.

BOVCHER[1]. *Potiores ſemper ſunt conſtituentis, quàm conſtituti partes. Et vt minor ſine contradictione à maiori benedicitur, ſic & conſtituitur. Sic enim Putiphar Ægyptius Ioſephum ſupra domum ſuam conſtituit. Et Danielem Nabuchodonoſor ſuper Babylonem. Et Darius centum & viginti optimates ſuper regnum. Omninoq; ſerui à dominis & miniſtri à Regibus conſtituuntur.* 1 li.1.c.12.

Admonui iam ſæpius pauca te in hoc opere argumenta & rationes aduerſus Reges proferre, quæ non ex Bruto & Buchanano tranſcripſeris: eoque redarguendi tui laborem mihi minui, quòd ſint iam ſatis in noſtris cõtrà illos libris refutata. Id prima hæc ratio tua teſtatur, quam integram, & ferè ad verbum, à Bruto[2] mutuatus in hunc locum tranſtuliſti quæ quàm ſit fallax & captioſa ex noſtris ad eum ſcriptis[3] quilibet facilè intelliget. Eò igitur oculum ſi cõuertas manifeſtum huius rationis vitium primo aſpectu videre poteris. Illud certè miror, quòd licet omnia præcipua tua argumenta ex Bruto nõ obſcurè deſumpſeris, nulla tamen librorum tuorum parte eum vnquã laudaris authorẽ. Si is tibi diẽ dicere, & plagii vel ſuppillati fœtus crimen intendere voluerit, aut quod mitius eſt, tecũ de ingratitudine tãtum expoſtulare, quia non profeſſus es per quem profeciſti, quo te iure defendes? An quia Catholicus hæreticũ imitari & laudare palã erubeſcebas? At tantò certè nequior es, qui adulterinæ doctrinæ indicium ſuppreſſione nominis

2 q.3.pag.113.
3 li.4.c.10.

Digitized by Google

authoris occuluiſti, & hæreticos errores ſpecie Catholicæ veſtitos populo propoſuiſti. Sed pergamus.

1 li.1.cap.11. *BOVCHER* [1]. *Populus ſine Rege, non Rex ſine populo ſeu Repub. eſſe poteſt.*

Hoc quoque, & magnam partem totius capitis ex Bruto [2] penè ad verbum deſcripſiſti, quorum refutationem ſuperius lib. 4. inuenies [3] Quæ autem cap. 12. & 13. ſcribis, nihil ſunt. Nam nec conceſſa Regum ius lædunt, nec quiſquam ciuilis diſciplinæ peritus leuia & friuola illa vnquam opponeret, quæ tutemet tibi obiectas, vt in contrariis diſſoluendis aliquid egiſſe videaris.

2 q.3.pag.85.& 87.

3 cap.10.

4 li.1.cap.14. *BOVCHER* [4]. *Adeo quippe penes populum Regis conſtitutio eſt, vt tametſi Rex Iſrael à Deo delectus eſſet, à populo tamen conſtitui iubeatur, &c.*

Et hæc ſimiliter ex miſomonarcha Bruto deprompta ſunt [5], eſtque totum hoc caput tuum nihil aliud niſi partis diſputationis Brutinæ compendium: quod noſtræ minimum ſententiæ aduerſatur. Superfluus igitur & inanis tibi Brutoque labor eſt, quem in eo probando conſumpſiſtis quod non grauatè concedimus.

5 q.3.pag.77.78. 79 & 80.

Fatemur, neque enim negari poteſt, conſtituendi Reges facultatem omnibus nationibus eſſe tributam, eligendi verò pauciſſimis: quòd hæc plurimùm hæreditariæ ſucceſſionis iure, quo ſceptrum in familia ſtabilitum ad poſteros tranſmittitur, adimi populo in omnibus ferè regnis ſoleat: qua de re ſuperius copioſè diſſerui [6]. Quod ſi fortè aliquãdo populus ſemel atque iterum, poſthabito legitimo regni ſucceſſore, alium ſibi elegerit conſtitueritque: id non tam ius poteſtatis populi in Principe eligendo, quàm facti iniuriam & effrænatam violentiam in legitimo regni hærede reiiciendo demonſtrat. Nos autem de iure non de facto contendimus: legibus enim non exemplis eſt iudicandum [7]. Itaque Philippus Cominæus, vir prudens, & ſyncerus ſi quis vnquam in Gallia extitit hiſtoriæ ſcriptor, atque ab aulica aſſentatione alieniſſimus, negat planè id iuris populo eſſe, vt Regem ſibi arbitratu ſuo eligat, ſuperſtite eo qui naſcendi ſorte & iure ſanguinis ad regnum vocatus eſt, verba eius ſunt [8]. *En ce Royaume tant foible & tant oppreſsé en mainte ſorte, apres la mort de noſtre Roy, il y euſt diuiſion du peuple contre celuy qui regne. Les Princes & les ſubiects ſe mirent en armes contre leur ieune Roy, & en voulurent faire vn autre. Ils luy voulurent oſter ſon authorité, & le voulurent brider qu'il*

6 li.3.ca.2.& 3.

7 l.nemo C.de ſentent & interloc. 1.cap. de reb. geſt.

8 Ludo.11.c.110.

qu'il ne peuſt vſer d'authorité de Roy. Et comment: le pouuoient-ils faire? Certes nõ. Si en y a-il eu d'aſſez glorieux pour dire qu'ouy. Toutesfois ils feirent l'oppoſite de tout ce que ie demande: car tous vindrent deuers luy, tant les Princes & les Seigneurs, que ceux des bonnes villes: tous le recogneurent pour le Roy, & luy feirent fermẽt & hommage. Et feirent les Princes & Seigneurs leur foy humblement les genoux à terre, en baillant par requeſte ce qu'ils demandoient, dreſſerent conſeil, où ils y feirent compagnie de douze qui y furent nommez, deslors de Roy commandoit qui n'auoit que treze ans, à la relation de ce dict Conſeil.

Quapropter quæ de electione & conſtitutione Regum totis ſeptem primi tui libri capitibus, quaſi magnum cauſæ tuæ firmamentum, complexus es [1], parum ponderis & momenti in hac controuerſia obtinent, eoque tacita mihi hoc loco, ne operam in re parum neceſſaria collocem, prętereunda ſunt: vno excepto quod de Curia obiter intertexis, ais enim [2].

[1] ab initio ca.11. vſque ad cap.18.

[2] cap.17.

Falluntur omnino, qui quòd Rege mortuo Curia Regis nomine agere non deſinit, de ſucceſſore intelligi volunt, quaſi aut ſine ſucceſſore Reſp. eſſe ne momentum quidem poſſit, aut non potius de regno & corona intelligi id debeat quæ tantiſper ſola regnat, donec ſucceſſor à populo admiſſus atq; probatus ſit.

De ampliſſimæ Curiæ authoritate dignitateque & in rebus gerendis modo ac ratione, iam ſuprà in Bruti erroribus refellendis, quantum inſtituto noſtro ſat eſt, fusè lateq; tractaui [3]. Quod autem hic de ea ſcribis, id mihi adeò perplexum eſt, vt quamquam latinè intelligo, non ſatis tamen animi tui ſenſum intelligam. Nam ſi Reipublicæ nomen hic pro regno vſurpas, quod te facturum paulò antè præmonueras, falſum eſt quod indicas: Rempub. ſcilicet, id eſt regnum, ſine ſucceſſore, ſine Rege dico, eſſe poſſe: quippe regnum ſine Rege ne cogitari quidem & concipi animo poterit. Vnde fit vt id temporis interſtitium, quod inter Regis defuncti mortem & ſucceſſoris creationem intercedit, Latinis authoribus Interregnum: & qui interea Rempublicam gubernant Interreges nominentur: quòd nimirum ſine Rege regnum non niſi καταχρηστικῶς dici poſſit. Sin verò Rempublicam hic generaliter accipi velis pro qualibet politicæ gubernationis forma: verum quidem eſt Rempub. poſſe non ſolùm momentum, vt tu dicis, ſed mille annos eſſe ſine ſucceſſore regni, quia poteſt eſſe ſine ipſo regno: veluti Democratia aut Ariſtocratia, quo caſu ineptiſſi-

[3] li.4.cap.14.& ſequen.

ptiſſimè loquitur quiſquis Reip. attribuit ſucceſſorem. Id itaque non magis ad hanc diſputationem noſtram pertinet, quàm maritima negotiatio ad agriculturam. Curia igitur inter alia multa, illud etiam prudentiæ ſuæ documẽtum inſigne dedit, quòd cùm olim dubitaretur, an poſt Regis exceſſum vſque ad ſucceſſoris inaugurationem, rebus agendis tanquam acephala abſtineret, quoniam omnis ei à Rege authoritas eſt (vt ſuprà ad Brutum libro 4. oſtendimus) ſapienter decreuit, progrediendum interea, ſub Regis nomine defuncti, cuius mandata morte non extingui propter publicam vtilitatem receptum eſt, ſeu nomine ſucceſſoris, licet nondum regio diademate coronati, dummodo is ſit cui nemo iure ſanguinis controuerſiam de regno mouere poteſt, & qui propediem inaugurandus eſt [1]: id nimirum vtroque caſu obnixè ſatagens ne regnum pulcherrimum ad interregnũ corruat, ſed fictione aliqua ciuili potius ſuſtentetur, vt aut nondum obiiſſe qui defunctus eſt, aut regnum perfectè adeptus qui nondum more maiorum ſacris ritè peractis illud obtinuit, ad ſubditorum commodũ & Monarchiæ conſeruationem, intelligatur. Quo pertinet quod Comminæus, in eo quem citauimus loco, Carolum VIII. adhuc impuberem, & nondum regalibus inſulis ornatum, iuuenem Regem vocat, quòd paternum ei regnum iure hæreditario debebatur. Sed nos de ratione, vi, & ordine ſuccedendi in regnis multa libro tertio conſcripſimus [2]: ex quo, ſi quid eius rei amplius deſideres, plura poteſ decerpere.

[1] Vide Papon li. 4. tit. 2. de Areſt.

[2] cap. 4.

His igitur relictis, ad cap. 18. accedamus, in quo temerè admodum probare niſus es Reip. id eſt populo, vt tu ais, ius, poteſtatem, & maieſtatem ſupra Regem conſtitutum remanere, quo nec falſius, nec regnis etiam pernicioſius, quicquam dici vel excogitari poteſt.

CAP. XIV.

[3] cap. 4.

BOVCHER [3]. *Iam quia parum eſt inſtitutos eſſe à populis Reges, niſi ſuam Reipub.* (id eſt populo) *ſupra eos vel conſtitutos poteſtatem ac maieſtatem remanere conſtet (non enim deſunt qui dicant populum Rege conſtituto maieſtate ſe omni priuare atque exuere) quale id ſit, ſcripturâ, legibus, exemplis comprobemus.*

Artis hoc fuit adiicere, non enim deſunt &c. quaſi paucorum tantùm ac non potius communis Theologorũ & Iu-

Iuriſprudentium ſententia eſſet, quam vellicas: id enim illis verbis, non deſunt, & ſimilibus indicari ſolet. Cùm tamen contrà, neque ex Ethnicis, neque ex Chriſtianis Catholicis vlli, quod ſciam, ante te, non iſtam quam reiicis ſententiam tenuerint, populum nempe in Regem legitimè conſtitutũ ius omne ſuum ac poteſtatem trãsferre, nullum vt ſibi amplius imperium reſeruet. Huſſitis autem, VVicleffianis, & Caluiniſtis illis quos imitatus es, atque id genus peſtib. dogma iſtud tuum dignum cenſebatur. Videndum igitur eſt num fidem tuam in eius veritate, Scriptura, legibus, exemplis, aſſerenda egregiè liberaris; an verò alienis & inanibus tantùm nec neceſſariò concludẽtibus argumentis, incautum lectorem potius circumſcripſeris:

BOVCHER.[1] *Atq; id primùm quidem docet ſacrificiorum ordo qui in Leuitico deſcribitur, pro ſacerdote, pro populo, pro Principe, pro priuato ciue: addito etiam, quod inæqualitatem magis exprimat, victimarum diſcrimine. Ita vt pro Sacerdotis peccato vitulus immaculatus, pro omni turba filiorum Iſrael vitulus, pro Principe hircus immaculatus (qui minor vtique vitulo eſt) pro anima denique id eſt priuato ſiue idiota quouis capra offeratur. Ex quo conſtat vt populo Sacerdotem & priuato Principem, ſic Principe populum ſeu regnum priore loco eſſe.* 1 cap. 18.

Nihil minus docet hic ſacrificiorum ordo, victimarumque diſcrimen, quam quod iis doceri falsò nobis perſuades: populo videlicet in Regem legitimè conſtitutum poteſtatem & maieſtatem remanere. Quinimo nihil prorſum locus ille neque ad popularem, neque ad regalem poteſtatem confirmandam pertinet.

Sciendum igitur eſt ordinem illic deſcriptum & hoſtiarum differentias non tam perſonæ in Dei legem committentis dignitatem, quàm ſceleris expiãdi indignitatem reſpicere. Ob eamque cauſam ſacerdotis peccatum primo loco ponitur, & pro eo hoſtiæ pretioſioris oblatio: quia cùm ipſe grauiſſimo ſcelere contaminetur, quòd non per ignorantiam, ſed ſciens prudens Domini voluntatem legemque tranſgrediatur, atque ideò vapulare debeat plagis multis, meritò quidem ad eius expiationẽ maximo ſacrificio opus eſt. Hinc antiqui[2] Patres ſubtiliter animaduertunt Moyſen, licet initio deſcriptionis harum oblationum dixerat, *anima quæ peccauerit per ignorantiam*, omiſiſſe poſtea particulã *per ignorantiam*, vbi de peccato ſacerdotis ſine Põtificis egit, quòd *ignorantia in eum cadere non poteſt*: (vnde

2 Orig. hom. 2. in Leuit. in prin. Eſichius li. 2. c. 4. in Leuit.

ſcilicet excuſationem trahat) *qui vt doceret cæteros prouectus eſt:* quemadmodum nec illud ſacerdoti adſcripſit Moyſes, *& poſtea intellexerit peccatum ſuum.* quamuis id multitudini, principi, vel priuato peccanti adiecerit: quod ſacerdos nimirum non potuit non ſatis ſuum peccatum intelligere tunc cùm deliquit. Non mirum igitur ſi & primo loco & præſtantiſſima hoſtia pro ſacerdotis peccato, quod grauiſſimum eſt, offerri iuſſa ſit. Eadem planè ordinis & expiationis cæterorum ratio eſt. Nam cùm delictum omne aut multitudinis ſit aut ſingulorum: multitudinis autem maius & grauius, eoque præſtantioris ſacrificii indigeat, ipſius primo loco, ſecundum ſacerdotis expurgationem, ſit mētio. Deinde quia vt publicæ quàm priuatæ perſonæ delictum pernicioſius eſt, propter exemplum: ita maioris hoſtiæ ſacrificio diluitur. Atque hæc quidem ratio ordinis & differentiæ victimarum eſt eo loco haudquaquam difficilis & perplexa.

Illud præterea argumentum iſtud tuum penitus eneruat atque elidit, quòd Principis nomine in illo Leuitici loco, non Rex, ſed ſinguli Procerum magnatumque intelliguntur: quos Moyſes paulò antè ex Iethronis ſoceri ſui cōſilio principes populi conſtituit: ſcriptum eſt enim [1]. *Quibus auditis, Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat. Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos Principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos:* ex quibus iterum ſeptuaginta electi ſunt, in quos Deus, Moyſe id enixius poſcente, partem curæ & ſolicitudinis, atq; adeo ſpiritus Moſaici transfudit [2]. Hi ſunt Principes populi, de quib. Moyſes ibi loquitur: qui etiam ſub Regibus nomen illud ſemper retinuerunt, non quòd ſumma poteſtate præditi, ſed quòd præcipui in populo eſſent, *& populi onus ſuſtentarent,* id eſt, Rempublicam in partibus ſibi creditam gubernarēt. Nam & Moyſem hic, & multos poſtea duces, & tandē Reges ſuperiores habebant. Horum itaque Principum ſi omnes per ignorantiam peccaſſent, multitudinis holocauſto opus erat, quia ipſi totum populum repræſentabant. Si verò vnus tantum peccati reus eſſet, tunc, quia Princeps erat & malo cæteris exemplo præibat, ſuum hirci victima piaculum reſoluebat.

Quod ergo dicit Moyſes, *ſi peccauerit Princeps,* idem eſt, ac ſi dixiſſet, Si peccauerit Tribunus vel Centurio, &c. qui iam Principes populi erant conſtituti, alioqui fatendū eſt

præ-

1 Exod. 18. Deuter. 1.

2 Num. 11.

præceptum illud ad præſentem tunc populi ſtatum nihil pertinuiſſe: eiuſque per totos trecentos quinquaginta annos, quibus Hebræi poſt Moyſen ſine legitimo Rege vixerunt [1], nullum vſum praximque fuiſſe.

Denique vt concederetur tibi quod falſum eſt, de Rege ſcilicet Moyſen loqui, tamen cùm de peccatorum expiatione illic tantum agatur, aliud nihil inde colligi poterit, niſi populi totius delictum grauius, ſalutem verò pluris eſſe apud Deum quàm ſolius Regis, quod & nos fatemur: nõ autem illius quàm huius maiorem eſſe authoritatem. Salus ab authoritate diſtinguenda eſt: ſæpe enim contingit vt multo pluris interſit pupillum quàm tutorem incolumem eſſe licet huius in illum authoritas ſit [2], ſine qua nihil de bonis propriis, quorum Dominus eſt, diſponere poteſt. Quæ cum ita ſint, primæ huius tuæ rationis, atque adeo concluſionis, vanitas doctis pariter & indoctis cognita & perſpecta eſſe poteſt: vt inde facilè ominari liceat, reliquas parum firmas fore, & ἀρχῆς κακῆς τέλος κακόν [3], vt eſt in Prouerbio. Sed eas ego, ne prætermiſſas & neglectas eſſe queraris, in medium producam. adeſt ergo ſecunda.

BOVCHER. Eiuſmodi eſt illud quod pepigit Ioiada fœdus inter ſe, vniuerſumque populum & Regem, vt eſſet populus Domini [4]. Nam tibi idem ordo ſeruatur: vt Sacerdos populum præcedat, & populus Regem. Imò, quod amplius eſt, populi nomine Rex etiã comprehenditur, cum dicitur vt eſſet populus Domini. Vt ex eo intelligas in populo Regem, non in Rege populum eſſe: nec ſeparatim à Rege & populo, ſed ſimul, ab vtroque factum fœdus cum Deo eſſe. Et quod ait Samuel ad populum. Si timueritis Dominum, & ſeruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exaſperaueritis os Domini, eritis & vos & rex qui imperat vobis ſequentes Dominũ Deum veſtrum. Et rurſum, Quod ſi perſeueraueritis in malitia, & vos & Rex veſter pariter peribitis. Vtrobique enim hìc populus ante Regem nominatur.

Quid iuuat, quæſo Boucheri, tam friuolis argumentis, tamque leuibus & longè petitis indiciis & coniecturis, ad tantæ rei probationem abuti? Leges ciuiles rem mediocrẽ euinci ſine clara probatione non patiuntur [6]: & tu non vereris ſummam à Rege authoritatem, qua non maius quicquam aut excellentius in rebus humanis reperitur, puerilibus quibuſdam, atque incertis, & fallacibus indiciis vindicare. Sed eſto quod optas, ordinem ſcilicet nominandi in Scripturis ad ordinem dignitatis & excellentiæ pertine-

1 Dixit legitimo Rege, propter Abimelech filium Ierobaal qui regium nomen vſurpauit. Iudic. 9.

2 ad Gal. 4.

3 id eſt mali Principii malum finem.

4 2. Paral. 23.

5 1. Reg. 12.

6 l. teſtium 16. C. de Prob.

re(licet id vtrique perpetuò verum non ſit) certius profectò & multo firmius argumentum pro Regibus ex eodem illo nominandi ordine ſuppetit. Nam primùm Eccleſia Chriſtiana, quæ ſpiritu Dei regitur, hunc in ſuis litaniis & ſupplicationibus ordinem ſeruat, vt primo loco Dominum Apoſtolicum, id eſt, ſummum Pontificem, qui Chriſtianorũ omnium pater eſt, deinde Reges & Principes: ac poſtremò populos nominet. Sed & Scriptura veteris teſtamenti, cuius tu hic teſtimonio abuteris, Regem populo præponit ſæpius multò quàm poſtponit; vt mirum ſit hominem in Bibliorum lectione verſatum id non animaduertiſſe, aut ſi animaduerterit, non maluiſſe potius honori & exiſtimationi ſuæ conſulere, quàm ea proponere ex quibus in manifeſtam fraudis vel inſcitiæ (alterum enim neceſſe eſt) ſuſpicionem incurrat. Quid enim? An non in Paralipomenis [1] iubentur ſacerdotes orare pro Rege, *& pro Reliquiis Iſrael & Iuda*; & alibi [2], *Ite & conſulite Dominum ſuper me, & ſuper populo.* & alio in loco [3], *Azarias facto in ſe ſpiritu Dei dixit* Regi Aſæ: *Audite me Aſa, & omnis Iuda & Beniamin.* ſic etiam, *Dauid autem & omnis Iſrael* [4], & alibi. *Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael* [5]. Sed & Dauid ipſe, omnium qui vnquam imperarunt Regem humilimus, Reges ante populos nominat [6]. *Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes iudices terræ.* Ex his igitur perſpicuum eſt, argumentum iſtud tuum in te optimo iure poſſe retorqueri, vt vniuerſum populum Rege inferiorem ex nominandi ordine concludamus. Nam quod tu de fœdere icto à Ioiade profers ex libro ſecundo Paralipomenon, id vim nullam habere oſtenditur ex eodem fœdere in libris Regum [7] relato, vbi Rex ante populum nominatur, his verbis. *Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum, & inter Regem, & inter populum, vt eſſet populus Domini, & inter Regem & populum.* En vt in hoc ipſo fœdere pangendo Rex bis ante populum nominatur. Nunquid libri Regum non adeò Authentici ſunt atque Paralipomenon? Nunquid diſcordes & contrarii? Si vtrorumque par fides eſt & authoritas: & illi non minus mihi ſuffragantur, quàm hi tibi, nonne æquum videtur qua ratione Regem populo inferiorem ex iſtis colligas, eadem ego ratione Regem populo ſuperiorem ex illis concludam? Sed non eſt, vt dixi, ordo dignitatis ex ordine denominationis vbiq; in Scripturis petendus. Alioqui filium patre ſuperiorem & digniorem eſſe

[1] li. 2. c. 34.
[2] 4. Reg. 22.
[3] 2. Paralip. 15.
[4] 2. Reg. 6.
[5] 3. Reg. 8.
[6] Pſal. 148.
[7] 4. Reg. 11.

eſſe ſimili Scripturæ teſtimonio conuinceretur. Scriptum eſt enim ¹, *Reſponderunt filii Iacob Sichem & patri eius.* ¹ Geneſ. 34.
Cur autem Samuel in loco à te citato populum ante Regem nominauit, ratio eſt, quia ipſe ad populum, & de cauſa populi loquebatur: quod locus ille ſatis per ſe demonſtrat. Harum ego duarum rationum, duorum, inquam, ſophiſmatum tuorum enodationem vberiùs paulò & fuſiùs ſum proſequutus, quòd tuum vtrumq; inuentum eſt. Cæterorum verò argumentorum quæ ſequuntur inuentionem Brutino cerebro debes: vt vetus illud in te conueniat, *mutaſſe ſtylum eſt feciſſe librum.* Eorum igitur vitia leuiter attingere, & quibus in locis ad Brutum refutata ſunt indicare ſat eſt.

CAPVT XV.

BOVCHER ². *Sed & in ſuperioribus quòd populus ad paciſcendum fœduſque cum Deo ineundum inuitatur, cum illud ſuam populi Maieſtatem notat (non enim aliter pactum cum eo factum valeret, niſi aliquid per ſe ſuapte authoritate poſſet) tum illud ſignificat potiores populi quàm Regis in pacto eſſe partes, quanto ſcilicet ſecurius multitudini vniuerſæ, quàm vni alicui ſeruāda fidei integritas committitur. Id enim propterea factum, vt quod in contractibus de mutuo data pecunia & in emptionibus cenſuum fit, vt plures in ſolidum vades ſecuritatis cauſa obligentur, qui alii alios ad ſoluendum debiti ſummam cogant, id quoque hic accideret, vt eſſet qui Rege à fide diſcedēte pactum impleret nihilominus, & vel Regem ipſum ad id præſtandum adigeret, aut pœnas debitas repoſceret. Scilicet vt quod Rex in priuatos poteſt, vt eos cogat fidem ſeruare Deo & proximo, pœniſque ad id eos adigat, idem quoque populus in Regem poſſit.* ² Eodem ca. 18.

Hoc totum ex Bruto eſt ³, quem ſi vt ſententia ita verbis fuiſſes imitatus, magis propriè, ſuccinctè, & eleganter hic fuiſſes loquutus. Ille enim. *Videtur ergo Deus feciſſe,* inquit, *quod in dubiis nominibus creditores facere ſolent, vt plures in eādem ſummam obligentur, vt eiuſdem rei duo plures rei promittendi conſtituantur, à quorum vnoquoque, tanquam principali reo ſolidum peti poſſit.* Hoc propriè quidem & more Iuriſconſultorum; quam tu ſententiam, cùm Brutini ſtudii æmulus & imitator videri nolles, in opus hoc tuū verbis hiſce minus aptis tranſtuliſti. *Id enim propterea factum, vt q in cōtractib. de mutuo data pecunia & in emptionib. cēſuum fit, vt plures in ſolidū vades ſecuritatis cauſa obligētur, q alii alios* ³ Quæſt. 2. pag. 56.

ad ſol-

ad ſoluendam debiti ſummam cogant. Nam nec vades propriè pro rebus dantur, ſed tantùm pro perſonis iudicio ſiſtendi cauſa: nec in emptionib. cenſuum fideiuſſoribus opus eſt, cum cenſus ex ſolo pendatur, (cenſualis quippe contractus prædium obligat ad quemcumq; tranſeat poſſeſſorē) nec deniq; conſponſores alii alios propria authoritate ad ſolutionē cogere poſſunt. Sed mitto λογομαχίαν: ſentētiis enim non verbis pugnandum. Quoniam igitur Bruti argumentum eſt quod hic pro tuo vſurpaſti, & paulò quidē ſubtilius quàm ſunt tua illa inuenta quę reſolui, eius in ſuperiore ad Brutum libro ſolutionem inuenies [1].

[1] li. 4. ca. 8.

[2] eodem ca. 18.

[3] lib. 2. cap. 15.

BOVCHER [2]. *Nam id populo vt liceat, imò etiam imperetur, ac propterea Rege ſit ſuperior, id vel maximè indicat, quod in fœdere cum populo ſub Aſa Rege diuinitus facto in libris Paralipomenon* [3], *dixit Deus* (imò Aſa Rex) *Si quis* (inquit) *non quæſierit Dominum Deum Iſrael, moriatur à minimo vſque ad maximum. Nam cùm maximus ille proculdubio ſit Rex, & mori iubeatur ſi à Dei cultu receſſerit, nec verò puniri morte niſi per populum & proceres regni poſſit, nec fas ſit puniri rurſum niſi per ſuperiorem, quid ſequitur, niſi populum ſupra Regem vel ex eo conſtitui, qui pœnas ſumere vel iubente Deo de impio Rege poſſit?*

[4] Quæſt. 2. pag. 89.

Nihil hic niſi Brutinæ doctrinæ paraphraſtem agis. Nā ita ille [4], de fœdere iſto ſub Aſa Rege icto. *Tum verò ſacrificiis rite peractis, ſancitur fœdus, his tanquam conceptis verbis: quicunque nō inuocauerit Dominum Deum Iſrael, ſeu minimus, ſeu maximus, morte moriatur. Cum maximum dicit, ne Regem quidem ipſum huic pœnæ eximi vides. Quis vero hanc à Rege pœnam repoſcere poſſit, niſi vniuerſus populus, cui ipſe iurat non ſecus ac populus ipſi?* Hanc igitur fraudem & fallaciam in iiſdem noſtris ad Brutum libris excuſſam, detectam, & retuſam habes [5], vt de ea nihil hic amplius diſputare neceſſe ſit. Illud certè malè me habet quod homo Theologus vel tam indiligenter & oſcitanter Scripturas lectitarit, vel tāta eum lectionis ipſarum ceperit obliuio, vt quod Rex, Dei purè colendi zelo commotus, dixit & præcepit, id Deū dixiſſe & præcepiſſe ſimpliciter aſſerat. Verba enim quæ ex libris Paralipomenon recitaſti, Aſæ Regis ſunt, non Dei per prophetam loquentis: qua in re tamen incautū lectorem capis: falſum eſt itaque quod ſcribis *dixit Deus. &c, qui pœnas ſumere vel iubente Deo &c.*

[5] dict. cap. 8.

[6] dict. cap. 12.

BOVCHER [6]. *Sic olim populus Iſrael cum Saule occiderat, quod eius furias in Dauidem & ſacerdotes ſequi, quàm ei reſiſtere legem Dei violanti maluiſſet.*

Non

Non opus fuit authoris tui verba mutare: nam ipſe non minus eleganter & ſignificanter hoc ipſum expreſſit, ita enim Brutus. *Cur, quaſo, fuſum deletumque Iſraelis exercitum, vna cum Saule Rege putemus? an non, quia populus Sauli legem Dei violanti non reſiſtebat, & pios impiè perſequenti, Dauidem ſcilicet & ſacerdotes Domini, applaudebat.* Quid multis? tuum ferè nihil eſt neque in ſuperiore hoc argumento, neque in ſequẽtibus à te prolatis illo libri tui capite. Omnia ex Bruti fontibus hauſta ſunt [1], cuius furias & fallacias ad Reges inique opprimendos ſequi & imitari, quàm ſanam, ſynceram, & exquiſitam Scripturæ ſacræ & ſanctorum Patrum doctrinam contra hominis aſtuti inſidias tueri & propugnare maluiſti. Cuiuſmodi ſunt captiunculæ illæ omnes, quas ad populorum in ſuos Reges imperium & poteſtatem probandam ex pœnis à populo Hebræo, Rege delinquente perſolutis, ab eodem Bruto mutuatus es: addita etiam ipſius ratione, ſeu verius techna Brutino quidem genio digna, ſed homine Catholico & Theologo prorſus indigniſſima: nempe, 1 Quæſt. 2. pag. 42. 43. 44. & 45.

Cur enim populus Pharaonis, Saulis, Dauidis, Achabi, Manaſſis, denique ſacerdotum pœna ſocius eſſet, niſi eſſet & ſceleris? Cùm ſcriptum ſit [2], anima quæ peccauerit ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii. 2 Ezech. 18.

Nam ſatis conſtat inter omnes qui ſacris literis legendis operam nauarunt, liberos nõ rarò pœna temporali ob parentum ſcelera plexos eſſe, & locum hunc prophetæ, quem citas, de pœna ſpirituali, vel corporali æterna, eſſe intelligendum, ne aliis Scripturæ locis [3], in ſpeciem contrariis, re vera repugnet: imo verò (quòd Iſraelitidum fuit peculiare) propter vnius priuati hominis noxam, alios pœnæ factos fuiſſe obnoxios. Alioqui enim, ſi vitia parẽtũ nõ vindicentur hoc modo in liberos, cur tot infantes, qui paternorum ſcelerum participes per ætatem fieri non poterant, & tot animati in vtero fœtus cataclyſmo perierunt? Cur inter primogenitos Ægyptiorum, infantes etiam ab Angelo ſunt percuſſi? Cur dictum eſt Dauidi, *quoniam blaſphemare feciſti inimicos, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi morte morietur* [4]? Cur ſcribit ſummus Pontifex, bona hæreticorum condemnatorum liberis etiam catholicis eſſe auferenda, ea ratione quòd *in multis caſibus etiam ſecũdum diuinũ iudicium, filii pro patribus temporaliter puniantur* [5]? Quid an non ſcriptũ eſt [6], *Nonne Achan filius zare præteriit man-* 3 Exod. 20. Deut. 5. 4 2. Reg. 12. 5 c. vergentis. 10. de hæret. 6 Ioſue. 22.

mandatum Domini, & ſuper omnem populum Iſrael ira eius incubuit? Quo pertinet illa Apoſtolorum interrogatio, *Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur* [1]? Non eſt igitur tua hæc bona ratio, ſed aperta ludificatio: cuius vberiorem refutationem, ſimul & aliarum ſequentium, quas ex Bruto in tuum illud caput tranſtuliſti, libet quartus noſter cõtinet [2]. quò te lectoremque remittimus: Nos interea vltimum tuum ex Scripturis argumentum excutiemus.

[1] Ioan. 9.

[2] cap. 6. & ca. 9.

BOVCHER. Sed id clarius maieſtatem illam populi ſuprà Regem notat, quod non aliter prophetia Iacob (non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus [3] *eſt) intelligi poteſt, quàm ſi ſceptrum non de Regis perſona, ſed publico regni Senatu atque Concilio ſumatur, cùm ſcilicet anno trigeſimo occupatæ ab Herode tyrannidis natus ſit Chriſtus, quo toto tempore ablatum de Iuda ſceptrum non fuit, donec ſenatus ille ſeptuaginta duorum à Moſe conſtitutus, qui Synedrium dicebatur, & de tribu Iuda totus aut magnam partem erat, omnibus, vno Sameo excepto, interfectis ab Herode ſublatus eſt. Quod ab eo propterea factum eſt, quod ſenatu iſto ſuperſtite agere ei pro arbitratu non liceret, & in eius ſæpe reprehenſionem incurreret. Sed neque etiam illud fortaſſe minus, quod cùm à Sedechia, qui captiuus in Babylonem abductus eſt, vſque ad Ariſtobulum Ioannis Hircani principis, filii Simonis Machabæi filium (qui primus ſe poſt tranſmigrationem Regem nominauit) Reges in Iudæa annis circiter quadringentis & ſexaginta non fuerint, ſceptrum nihilominus minimè auferendum Iacob vaticinatur, prorſus vt ſceptrum alibi quàm in Rege eſſe intelligas. Adeo ſcilicet maieſtas in regno ac populo potiùs quàm in Regis perſona eſt, vt eo extincto vel ſublato eam non deſinere eſſe vel ex Scriptura ipſa conſtet.*

[3] Geneſ. 49.

Cedo per Deum, Boucheri; quæ iſtæc eſt conſequentia? Quando Rex nullus eſt, ſceptrum ſeu maieſtas & poteſtas omnis Imperii eſt penes populum, vel publicum concilium, ſiue, vt nunc loquuntur, regni ordines & ſtatus; ergo populus eſt ſupra Regem? An non eodem paralogiſmo colliges, domus imperium habet vxor mortuo marito, ergo mulier eſt ſupra virum? Piget me tuas iſtas refellere ineptias, te quantum pudeat eas propoſuiſſe.

Verùm ne quid præſidii aduerſus Reges in illa Iacobi prophetia tibi amplius ſupereſſe videatur, reſpondemus breuiter cum doctiſſimo Lyrano, Iacobum nõ dixiſſe ſim-

pliciter, *nõ auferetur ſceptrum de Iuda*, ſed dixiſſe cõiunctim, *non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius*: vt ſit ſenſus, vtrumque non auferetur, & regnum ſcilicet & ducatus. Atque ita licet interfecto Sedechia in captiuitate Babylonica regnum vtique defecerit vſque ad Ariſtobulum Hyrcani filium [1], tamen quia gens illa à Ducibus & Pontificibus interea gubernabatur, qui erant de tribu Iuda, quique, vt ſcribit Dio Caſſius [2], Regis ſimul & Pontificis nomen obtinebant, cõſtabat veritas prophetiæ Iacob: quippe Duces de fœmore Iudæ manſerunt vſque ad Herodem alienigenam Idumæum, quo rerum potiente venit in mundum qui mittendus erat, Chriſtus Saluator noſter benedictus in ſecula.

1 Ioſeph. li. 13. antiq. cap. 15.
2 Lib. 37.

Videmus iam primam exercitus tui aciem totam planè à te iniuſtum bellum inferẽte ad hoſtes defeciſſe: primam, inquam, probationis tuæ ſpeciem, quam ad iniquæ cauſæ firmamentum ex Scripturis attuliſti, ſuum tibi apud bonos & peritos iudices teſtimonium denegare. Videamus deinceps quem partes reliquæ tuarum copiarum auxiliis ſociorum nudatæ, exitum ſint habituræ.

CAPVT XVI.

BOVCHER [3]. *Iuris populi in Regem ex ciuili iure ſeu legib. inductio.*

3 Cap. 16

Id Vero nec præter ius aut æquum eſſe lex ipſa ciuilis (nam hoc tertium probationis genus erat) docet. Eſt enim hæc velut αὐτόχθων indigenaq; lex regnorum innataq; ſceptris (ait Ariſtoteles) vt ea ipſa Rempub. ac populi ſui iura Rex labefactans publicis ſceleribus, tyrannicaque adminiſtratione, corona mulctetur. Cur enim ſi Romanis legibus tutor qui in re pupilli graſſatur, officioq; abutitur, remoueri poteſt accuſatione ſuſpecti, Rex qui regni populique tutor publicus eſt, ſi malè in officio verſetur, eo ipſo tutelari regimine regnoq; non abdicetur? Cur ſi lege. 12. tabularum patronus qui clienti fraudem fecerit ſacer eſſe iubetur, non id tantò firmius in Rege obtineat, quantò verius ille patroni locũ gerit, & priuata totius populi cauſa præſtat? Iam feudiſtica lege cõſtat quibus cauſis feudum à vaſallo amittitur, iiſdem de cauſis amitti à patrono, quod clientela feudalis ſcilicet pari vtrinque fide & beneuolentia nitatur, dominuſque in omnibus vicem ſuo fideli reddere debeat, ne ſi non fecerit cenſeatur malefidus. Et ſi Claudii Imperatoris reſcripto peræq; ius patronatus amittitur, denegatis à patrono alimentis liberto, vt libertus iniuria facta patrono in ſeruitutem

tutem reuocatur, cur non pari iure hæc in Rege locum habeant, quem iuramenti ſacramentum, vt ei populum, ſic viciſſim populo obligauit Quodſi ita eſt, & lege teneri Regem conſtat, neque verò lege coerceri quiſquam niſi per ſuperiorem poteſtatem valet, & poteſtas quæ lege agat alia non eſt quàm populi atque regni, id profectò ſequitur lege ſubiici populi ac regni maieſtati Regẽ, huius vt ſubire decreta, non modò ſi quid publicè agendum ſit, ſed & ſi quid deliquerit, contraue Remp. commiſerit, eundem oporteat.

Hæc ſola ſunt quæ ex iure ciuili & legibus ad populi imperium ſtabiliendum profers, quib. nihil partim mendoſius, partim puerilius in re ſeria dici vel fingi poteſt. Ea ego integra hic retuli, non quòd accurata & ſubtili tractatione egeant, ſed quòd librorum tuorum lectores vnicus iſte locus admonere poſſit, ab argumentis & rationibus tuis, vt omnino captioſis & fallacibus, aſſenſum eſſe cohibendum. An hęc ſunt quæ te Iuriſperiti, vt ais [1], docuerunt? nõ equidem arbitror: nam id non docere eſt, ſed decipere: quo modo Iuriſperiti quidam Romani Ferdinando Daualo reſponderunt [2], eum iuſſu Pontificis ſine Maieſtatis crimine arma in Carolum. V. Imperatorem ferre poſſe. Iuris enim valde impetitus eſt, qui non primo quoque aſpectu cernat ponderis & momẽti nihil ad opinionis tuæ defenſionem habere illa iuris & legum capita quæ produxeris. Nam quod ad Ariſtotelem, è cuius libro. V. Politicorum (ita enim in margine annotaſti) indigenam quandam legem & ſceptris innatam, & de Regib. corona mulctandis, inueniſſe te indicas, is quidẽ nihil tale vel eo libro, vel alibi, quod ſciam, tradit: tantum commemorat inſidias & coniurationes per quas Monarchia diſſoluitur, variis ex cauſis ſeu principiis oriri, veluti ex faſtu, iniuſtitia, atq; iniuriis, vel etiam ignauia Principum; & ex contemptu Optimatum eorum qui potentes & gratioſi apud multitudinẽ ſperant ſe poſſe, deiectis Regibus, principatum obtinere: & id genus aliis. Quæ omnia quidem veriſſima eſſe, vſus rerũ & experientia docet. Admonet itaque talia interdum euenire, legis autem nullius meminit, per quam ſubditi talia in Regem iuſtè commoliantur. De facto igitur tantùm illic, nõ de iure facti tractat Ariſtoteles, vt inde nihil quod cauſæ tuæ patrocinetur, niſi per calumniam, poſſis elicere.

De tutore autem & ſuſpecti accuſatione quod ſcribis, id eiuſmodi eſt cuius mentionem nullam, ſi iuris ciuilis diſcipli-

[1] in præfat.

[2] Arnoldus Ferronus li. 8. rer. Gallic.

ſciplinam calluiſſes, in hoc negotio vnquam feciſſes: quippe nihil tibi magis aduerſarium leges continent, & quod te premat vehementius, quàm illud ipſum ex tutoris & Regis, pupilli & populi ſimilitudine depromptum argumentum. Tu ita ratiocinaris. *Si Romanis legibus tutor qui in re pupilli graſſatur, officioq; abutitur, remoueri poteſt accuſatione ſuſpecti, Cur non ſimiliter Rex qui regni populiq; tutor publicus eſt, ſi male in officio verſetur, eo ipſo tutelari regimine regnoque abdicetur?* Scire in primis hic cupio quid iſtis verbis *eo ipſo*, ſignificari velis? an vt idem ſonent quod, *ipſo facto* ſiue *ipſo iure*, quaſi Rex hoc ipſo quod malè regnum adminiſtrat, ipſo iure, inquam, ſine vlla aduerſus eum querela abdicetur, ſeu Rex eſſe deſinat: id certè cùm in tutorem non cadat, Regi ex tutoris ſimilitudine tribui non poteſt. An verò vt cauſam deſignent propter quam Rex exigatur, ſitque ſenſus *hoc ipſo*, id eſt, propter hanc ipſam malam regni adminiſtrationem dignus eſt, qui tutelari regimine regnoque priuetur. Quòd ſi poſterior hic tibi intellectus placet, admitto libenter quod colligis, ea tamen lege, vt tu mihi viciſſim non deneges quòd ex iiſdem legibus Romanis, eademque ſimilitudine, ad Regum præſidium & defenſionem: non minus firma & neceſſaria conſequutione protulero, æquiſſimam tibi conditionem fero, quam non, niſi valde iniquus, repudiare poſſis. Sic igitur ex Romanis legibus & principiis à te conceſſis colligo, Rex tutori, populus pupillo ſimilis eſt: Quemadmodum ergo non permittitur pupillo legibus Romanis vt tutorem ſuum ſuſpectum faciat, licet graſſetur in tutela, & ſordidè, vel pernicioſè pupillo egerit, facultateſque eius depeculetur: [1] ita nec populo permittendum eſt vt tutorem ſuum, id eſt Regem, ſuſpectum poſtulet. Deinde quemadmodum ſuſpecti accuſatio pro tribunali tantùm examinari poteſt, & apud eum iudicem, qui in tutorem pariter & pupillum imperium habet [2]: ita Regis accuſatio non niſi ad eius iudicis tribunal inſtitui debet, qui vtroque, Rege ſcilicet & populo, ſuperior eſt. is autem ſolus eſt Deus Opt. Maxim. qui populum Principis nequitia nunc opprimi & in miſeriis morari ſinit, nunc oppreſſos reficit & recreat, prout peccatis eorum expiandis vtile viſum ei ſit & conducibile. Præclarè D. Irenæus [3]. *Cuius iuſſu homines naſcuntur, huius iuſſu & Reges conſtituuntur aptius qui in illo tempore ab ipſis regnantur. Quidam enim illorum ad correctionem & vtilitatem ſubditorum*

1 l. Impuberem. 7. D. de ſu[ſp]ect. tutor. l. [illegible] is 6. in fi. C. eod. § Impuberes. [illegible] ſ[illegible] eod.

2 l. 1. § ſuſpecti. D. ad Sc. T[e]rpill. 3. § damus. D. de ſuſp. tut.

3 li. 5. aduerſ. hæreſ. Valentini. & ſimil.

dantur, & conſeruationem iuſtitiæ. Quidam autem ad tumorem, & pœnam, & increpationem. Quidam autem ad illuſionem & contumeliam, & ſuperbiam, quemadmodum & digni ſunt Dei iuſto iudicio (ſicut prædiximus) in omnibus ſuperuenientis. Denique cùm totus populus, te iudice, pupilli loco inque tutela Regis ſit, conſequens ei eſt ex legibus Romanis, vt ſicut pupillus tutorem, quantumuis ſuſpectum, remouere propria authoritate nequit: ita nec populus Regem, quamlibet nequiter & proteruè imperantem, regno expellere, regali, inquam, officio & munere priuare poſſit. Alioqui eundem & accuſatoris, & teſtis, & iudicis partes agere poſſe fateamur neceſſe eſt: à quo non humani ſolùm, verùm etiam diuini iudicii ratio ordoque vehementer abhorret [1]. En vt tuo te ludo lamberamus, vt iſta, inquam tutoris & Regis ſimilitudo, in qua victoriæ ſpem magnam collocaſti, ſuū omne tibi patrocinium abnuit, totaque a nobis ſtat ad irruptionem in tua caſtra multis machinis faciendam paratiſſima. Argumenti tui diſſolutionem igitur ſic habeto: fatemur quidem Regem, æquè ac tutorem, officio ſuo abutentem indignum eſſe qui tanto munere fungatur, & iure meritoque remoueri ab adminiſtratione poſſe: ſed vt tutor niſi per iudicem remoueri non poteſt, ita nec Regem niſi per iudicem, quem ſolum Deum habet, publica regni tutela, & regali ſolio ſceptroque priuari poſſe pari æquitatis ratione concluditur. Et ſicut Prætor vel Præſes ſuſpectum tutorem ſine vlla accuſatione repellere poteſt, ſi ei *liquet ex apertiſſimis rerum argumentis ſuſpectum eum eſſe* [2]. Ita Deus cui omnia nuda ſunt & aperta, Regem in ſuos proteruius dominantem, populo id iugum æquanimiter tolerante, & quieſcente, non rarò priuare ſceptro ſimul & vita ſolet.

Illud autem quis non rideat, quod ex feudiſtica, vt ais, lege colligis. Quaſi verò ius Monarchiæ, quod ferè cum ipſo genere humano ortum traxit, ad incertas Langobardorum feudales conſuetudines, à Iuriſconſultis quibuſdam Mediolanenſibus collectas, quæ apud alias gentes partim incognitæ, & partim aliter atq; aliter obſeruatæ ſunt, exigatur contrahaturque. Quis neſcit Feudorum ius & cōſuetudinem non valde antiquam eſſe, & omnia primùm feuda precariò concedi ſolita, vt vbi dominis viſum eſſet, reuocarentur. Deinde vſu obtinuiſſe vt ea domini non intra annum, ex quo conceſſerant repetere poſſent. Poſt verò vt be-

[1] Ioan. 8. & 1. Ioan. 3. 2. ad Corint. 2. Val. Max. li. 4. c. 1. exemp. 10

[2] l. 3. §. Præterea. ff. de ſuſpect.

vt beneficia eiuſmodi ad totum vitæ tempus clientis beneficiarii protenderentur. Mox etiam vt vnus ex beneficiarii filiis, quem dominus nominaret, patri in beneficio ſuccederet. Tandem denique moribus inoleuit, vt feuda eſſent perpetua & ad poſteros in infinitum tranſmitterentur. Nihil itaque iniquius, imò ineptius, quam Regum ius & libertatem dubia Langobardorum de feudis conſuetudine velle metiri. Nam ipſemet Obertus de Orto teſtatur illud ipſum ius de feudi dominio amittendo, quod allegas, multis dubium & controuerſum fuiſſe [1] *Quidam dicunt*, inquit, *ex omni felonia qua vaſallus feudo priuatur, & dominus proprietate priuetur. Alii non niſi ex magna felonia. Alii ex nulla.* Quid quod ſi ad mores & conſuetudines feudales ius regni pertraxeris, & Regem exemplo domini proprietate feudi propter feloniam amittentis coerceri ſtatuas, illud conſequetur abſurdiſſimum, vt ſcilicet quemadmodum vaſallus cui dominus notam, quam feloniam vocant, fecerit, veluti vxoris filiæve pudicitiam attentarit, omni clientelari obſequio, & homagii ſiue hominii præſtatione liberatur, ſibiq; ius totum quòd habuit dominus in illo feudo acquirit: ita etiam Rex ſi nobilis alicuius aut etiam plebeii hominis filiæ pudicitiam ſollicitarit, regio in patrem puellæ eiuſque hæredes imperio ſpoliabitur, idque imperium pleno iure ad illos tranſibit, ita vt ipſi neminem poſteà ſuperiorem agnoſcant, cùm Regis in locum iuſque ſucceſſerint.

[1] li. 2. feud. c. 47.

Denique quod de iure patronatus adfers, id æquè ridiculum eſt: tum quia ex Principis conſtitutione pendet, qui neque ſibi ipſi, neque Principibus aliis in quos non dominabatur, legem imponere potuit: tum etiam quia de eo iure apud iudicem patrono libertoque ſuperiorem diſceptatur, vt de tutela diximus, qualis nemo Rege populoque ciuili iudicio contendentibus inter mortales reperitur. Cæterùm obiter admonendus es, errare te in eo quod Alexandri Seueri Imperatoris reſcriptum Claudio Imperatori attribuis. Error autem tibi, vel certè illi ſciolo qui iſta te docuit, ex legis principio vnde illud ſumptum eſt [2], obiectus eſſe videtur, initio enim illius capitis ſic ſcriptum eſt, *Diuus Claudius libertum &c.* deinde in §. primo, *Imperatoris noſtri reſcripto cauetur, vt ſi patronus libertum ſuum non aluerit, ius patroni perdat.* Atqui caput illud Marciani Iuriſconſulti eſt, qui Alexandro Seuero fuit à conſiliis [3]: cùm ergo ait, *Imperatoris noſtri*, non de Claudio cuius

[2] l. Diuus Claudius, D. de iur. patro.

[3] Lamprid. in vita Alex.

initio mentionem fecerat, ſed de Alexandro intelligit.

Ex his, arbitror, perſpicuum eſt leuem quidem, & ad probandum valde infirmam, nugatoriamque eſſe hanc tuam *ex ciuili iure ſeu legibus inductionem.*

Quod cùm ita ſit, ſupereſt tantùm ad plenam victoriam, vt poſtremam exercitus tui aciem profligemus, quæ cùm tota ex gregariis militibus conſtet, exemplis inquam hinc illinc corraſis, ne primum quidem impetum ſuſtinere poterit, ſed ſola ſociorum aduerſa fortuna ſe protinus in deſperationem fugamque coniiciet. Illud igitur in primis tenere oportet, in omni iuris quæſtione non quid factum, ſed quid faciendum ſit, eſſe inquirendum. Exempla autem quoniam facta tantùm continent, non iuris æquitatem, ſed rerum geſtarum veritatem ſeriemque declarant. Etenim profectò nihil ferè tam impium tamque iniquum & abſurdum proponi poteſt, cuius non exempla quædam ex gentium nationumque monimentis erui poſſe certum ſit. Quin etiam ſi quis res geſtas populorum diligentiùs perſcrutetur, crebriora vitiorum quàm virtutum exempla ex deprauatis hominum moribus nata, in hiſtoriis inueniet. Quę res fecit vt facilem inde occaſionem, vberioremq; decipiendis lectoribus materiam traxeris. nam cùm iuris diuini & humani teſtimonia omnia, quæcunque ad aſſertionis tuæ probationem valere videbantur, duobus capitibus à te comprehenſa ſint & concluſa: exēpla tamen adeò fuſè lateque proſequutus es, vt tota nouem capita, atque adeò maximam primi tui libri partem occuparint. Quæ omnia, quoniam non ius, vt dixi, ſed factum explicant, percurram celeriter, & tectiores tantùm fraudes annotabo.

Capvt XVII.

1 li. 1. cap. 20. BOVCHER [1]. *Poſtremum eſt vt exemplis iſtud tum ſacris, tum profanis declaretur. Ac primùm illa occurrent quæ ſua vetuſtate ius meritò honorandum ac firmum eſſe præferunt. Eiuſmodi illud eſt quod Hephron* (rectius Ephron) *Hethæorum Rex petenti Abrahæ locum ſepulturæ, dare non auſus eſt iniuſſu populi* [2]. *Sed neque Hemor Rex Sichem paciſci cum filiis Iacob potuit, niſi populus vniuerſus conſenſiſſet* [3].

2 Geneſ. 23.
3 Geneſ. 34.

Nugas nugaris. Bruti hæc ſunt deliria, cuius æmulari vanitatem & mendacia, quàm Scripturæ ſacræ veritatem, & ſanctorū Patrum teſtimonia maluiſti, Ita enim Brutus [4]

4 Quæſt. 3. p. 89.

Pri

Primorum ferè Regum quàm lata poteſtas fuerit, ex eo ſatis appa-ret, quod Ephron Rex Hethæorum, ius ſepulchri Abrahamo, incō-ſulto populo, concedere non audet: neque Hemor Heuius Rex Si-chem, fœdus cum Iacobo ferire. En magiſtri verba, quæ licet paulum à re mutata ſint, tamen cùm nihil ad ſenſum adie-ceris, vt aliquam anthori tuo gratiam referres, & ne vide-rere alterius lucubrationes ſuppilaſſe (quamquam eiuſmo-di furta non merentur furcam) humanius fuiſſet addere, *vt ait Brutus*, vel quid ſimile. Quoniam igitur hęc tua nō ſunt, ſed Bruti, ſicut & reliqua quæ tuo iſto capite continentur, eorum omnium refutationem in ſuperiore contra Brutū libro reperies [1]. Li.4.c.7. in fi.c. 9.& c.11.

Illud tantum animaduerſione prætereà dignum eſt quod in fine capitis de tua tuique ſimilium pietate & con-ſtantia cum Eliæ laudibus comparanda iactanter & falsò prædicas.

Nam & propterea, inquis, ipſi Eliæ Achab exprobrauit contur-bari ab eo Iſraël: quòd ſcilicet eo prædicante & cauſam Dei agente, populus, vt fit, Dei verbo incitatus acta Regis impii improbaret. Quod perinde prædicatoribus in Gallia accidit, vt quia zelum Dei præ ſe ferrent, quæque impiè gerebantur ſtrenuè reprehendendo po-pulum eodem zelo inflammarent, propterea turbare Iſraël, ab iis ſcilicet, à quibus verè turbatus eſt, dicerentur.

Intelligo: Ciuilium ſcilicet bellorum in Gallia, & cala-mitatum quæ inde ſecutæ ſunt cauſas, hoc pietatis officio & eccleſiaſtici muneris neceſſitate à ſeditioſis conciona-toribus quibuſdam remouere, & in ipſum Regem, exemplo Eliæ reiicere conaris. At neque Rex ille, quem tantis flagi-tiis calumnioſè oneras, Achabi nequitiæ quid ſimile fecit: neque vos, qui ſpecie officii vitæ eius inſidias paraſtis, Eli-am in eo eſtis imitati. Achab enim relicta vera Dei veri re-ligione ad apertum idolorum cultum defecit, ſacerdotes & prophetas Domini eiecit, afflixit, interfecit, ſubditóſ-que palam à Deo ad idola pertrahere modis & mediis o-mnibus conabatur. Rex verò Henricus ad auitam, id eſt, catholicam & orthodoxam religionem in toto regno re-tinendam, Deique ſacerdotes ſummiſsè venerandos, po-pulum ſuæ fidei commiſſum non modò ſeueris Edictorum ſanctionibus adegit, ſed ſingulari quodam viuendi exem-plo præter cæteros magnopere hortatus eſt: vt nemini du-bium eſſe poſſit, maximam te illi calumniam ſtruere, cùm inter cæteras falſas criminationes, hæreſeos etiam, à qua

Lib.c.20. longiſſimè aberat, impietatem ei affingis [1]. Iam verò Elias Regem & populum ab idololatria tantùm reuocare, inque vera religione confirmare ſtuduit: nec animos imperitorum, quos non monitis ſolùm ſed etiam miraculis morigeros fecerat, aliquo religionis conſeruandæ prætextu excitare & inflammare in illius ipſius ſceleati Regis perniciem, vllo aut verbo aut facto voluit. Sed neque Abdiam virum bonum, Achabi diſpenſatorem, neque alium vllum ſubditorum, vt Regis conſortio & communione abſtineret, vnquam admonuit. At tu cum quibuſdam ſynagoniſtis contra religionem parum, rebellionē plurimum promouiſtis. Vidi ego tempus in Gallia cùm prædicatores liberrimè vitia carperent, nec eos quiſquam eo nomine reprehenderet, ſed potius vno omnes ore laudarent, quod rem ordine & officio ſuo dignam Eliæ inſtar exequerentur. At vbi nonnulli inter quos tu primas tenuiſti, ira, odio, amore, vel muneribus occæcati & corrupti, concionibus ad ſeditionem compoſitis vti, virtutes per inuidiam detrectare, mores, & facta Regum ſugillare, & rectè vel ſecus pro libidine ad populum concionando interpretari, funeſtas defectionis & coniurationis faces accendere, Principi denique ſuo infeſta omnia parare, necemque moliri cæperant: tum demum hi quidem viris bonis, præter conſuetudinem præterque officium agere, & pacatum ſub legitimo Rege imperium æſtuoſis ſeditionum ac rebellionum turbinibus agitare & concutere, non iniuria viſi ſunt. Non igitur quòd Eliæ exemplo Dei zelum præ ſe ferebant, & ſtrenuè reprehendebant quæ impiè gerebantur, populumque eodem zelo inflammabant, ſed quòd inconſiderato ſeu feruore ſeu furore, contra quàm Elias, membra in caput, populum, inquam, in Principem armare, totumque inteſtino bello regnum vaſtare, & ciuitates cæde ac ſanguine complere nitebantur, in tam graues reprehenſiones incurrerunt. Nec tamen deerant tunc ex aduerſo pii & patriæ amantes concionatores, qui ſe perditis iſtorum conatibus opponebant, atque omnia ad pacem & tranquillitatem populo perſuadentes, in priſtinam concordiam reducere, quos iſti iniquè diſtraxerant, ſummo ſtudio maximoque labore nitebantur: vnde non mediocrem ſunt laudem conſequuti.

Atque hoc quidem inſigni mortalibus documento eſſe poteſt, quod quemadmodum nihil eſt regnis & Rebuplicæ

Chri-

Chriſtianæ doctis & modeſtis prædicatoribus vtilius & magis neceſſarium, ita nihil inquietis, ſeditioſis, ac turbulentis calamitoſius & magis exitiabile poſſit exiſtere. vt quod de bono & malo vicino Heſiodus [1], in iſtos optimo iure conueniat.

πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

Nam qui dicendi facultate pollent, vt ait Ariſtoteles [2], plebeculam quocunque illis libitum eſt ducunt, & seducunt: maximè verò ſi tales ſunt, quorum aut non vulgaris prudentia, aut vitæ inſtitutum, aut ſanctitatis opinio, authoritatem & fidem orationi afferat, atque aliquam ſecũdioris fortunæ ſpem inclinatis ad nouitatem animis iniiciat. Inter quos primus ſemper locus apud omnes gentes meritò tributus eſt iis qui rebus diuinis præſident, quòd hominum vtilitati & poſſe facilius propter ſcientiam, & velle libentius propter ſanctitatem proſpicere & prouidere iudicentur. Hi ergo in vtramque partem plurimùm poſſunt, ſeu mitigandis & ſedandis, ſeu excitandis & commouendis hominum mentibus incubuerint. Ad cuius rei fidem, quanquam neque argumentis, neque teſtimoniis, rerumque geſtarum exemplis, cuiuſmodi multa ſunt ſacra & profana, ſed noſtri tantùm ſeculi experientia opus eſt, tamen operęprecium me facturum arbitror ſi vnum lectori exemplum proponam, quo non aliud, ni fallor, in hoc genere illuſtrius & memorabilius vllis in hiſtoriis vel annalibus continetur. Iannæus Alexander Rex, frater & ſucceſſor illius Ariſtobuli, qui primus à captiuitate Babylonica poſt quadringentos circiter annos regium in Hebræos imperium ſuſcepit, odium populi ſui acerbiſſimum in ſe concitauit, cum quo & bellum geſſit, & non minus quàm quinquaginta millia Iudæorum ſexennio interfecit. Ita vt *Cùm eos tandem hortaretur ad reconciliationem, adhuc magis accenderit eorum odia: dum roganti quid ſe vellent facere, ore vno reſponſum eſt, vt ſe ipſum interficiat*; quos ille tandem victos & domitos vt pro tanta pertinacia & obſtinatione vlciſceretur, ex pręcipuis & potentiſſimis octingẽtos crucibus ſuffigi iuſſit, vxoribus eorum & liberis prius in parentum & maritorum præſentia iugulatis: ipſo interea cum pallacis epulante in loco editiore, vnde tam inhumanum & crudele ſpectaculum intueri poterat. Exinde annos plures per vim regnauit tanto in odio cùm ſacerdotum & Phariſæorum, tum multitudinis totiu s, vt Thracidæ no-

1 in li. ἔργων καὶ ἡμέρων.

2 li.5.Polit.c.5.

men propter crudelitatem inuenerit. Ad hunc autem, cùm caſtellum quoddam Ragaba nomine vltra Iordanem ſi[illegible] obſideret, ac morbo graui & mortifero laboraret, accedẽſ Regina Alexandra magno fletu ſeipſam plangebat, *ſuámque ſimul & liberorum deſolationem lamentabatur. Cui me[illegible]nquit. & hos filios relinquis, alieno indigentes auxilio? præcipuè cùm non ignores quàm infenſus ſit tibi totus populus. Tum ille con[illegible]ulit ei vt ſuis monitis pareat, ſi velit ſecurè cum filiis regnum obtinere. Primùm vt apud milites celet ſuam mortem, tantiſper dum caſtellum illud capiat. Deinde poſtquam victrix magnific[illegible] Hieroſolyma reuerſa fuerit, Phariſæis nonnihil licentiæ permittat: ho[illegible] enim pro habito ſibi honore laudaturos eam & commendaturos apud populum: poſſe enim plurimùm apud Iudæos. ſiue exoſum aliquem cupiant lædere, ſiue amicum iuuare. Valde en[illegible] h[illegible] fidem habere vulgus, etiamſi per inuidiam de quopiam male lo[illegible]uãtur: nec ſe ob aliam cauſam incurriſſe totius gentis odium, qua[illegible]n quia hoc genus offenderit. Ergo, inquit, vbi Hieroſolyma perueneris, accerſitis eorum primoribus, oſtende illis meum corpus, & verbis quàm proximè veritatem ſimulatu permitte vt eo vtantur arbitratu ſuo, ſiue inſepulto & proiecto cadaueri velint illudere propter antiquas iniurias; ſiue alio quolibet modo in id ſæuire: & pollicere nihil te niſi ex illorum ſententia geſturam in adminiſtrando imperio.* Alexandra verò, poſt mortem Regis, *capto caſtello, iuxta mariti monita Phariſæos allocuta eſt, & omnia illorum arbitrii faciens, quæ ad cadauer vel ad regnum pertinerent, ex infenſis beneuolos eos ſibi reddidit. Tum illi progreſſi ad plebem concionabantur, res geſtas Alexandri celebrantes, & Regem iuſtum ſe amiſiſſe conquerentes, populum ad eum luctum & mæſtitiam prouocauerunt, vt nullum antehac Regẽ funerauerint ſumptuoſius.* Hæc Flauius Ioſephus [a], quæ ego in hũc locum idcirco tranſtuli, quòd nemo gnarus cauſarũ ſuperioris belli ciuilis in Gallia, cùm iſta legerit non ſtatim cernat eas te in illa rebellione partes egiſſe, quas in exẽplo propoſito Phariſæi, niſi quod non, vt illi, Regem, quem viuum per ora hominum calumnioſè traduxeras, defunctum poſtea o[illegible]i laudum genere apud populum celebrare, ſed probr[illegible]uitiis, & maledictis omnibus proſcindere & infam[illegible]e magis magiſque conatus es. Id igitur in poſterũ ſci[illegible] omnes (verũ enim loquor) non tam res geſtas ab Hen[illegible]co III quã tuas in illũ ſeditioſas conciones, quib. populo miſere impoſuiſti, exoſum cũ Pariſienſib. & aliis vrbium quarund[illegible]m

[a] Li. 13. antiq. ca. 22. 23. & 24.

ciui-

ciuibus reddidiſſe: te autem cùm dico, ſynagoniſtas tuos omnes intelligo. Quod ſi poſt extinctos crudeli funere generoſiſſimos Principes Guyſios (quorū cædem ſemper dolui) cùm nulla iā ope humana reuocari ad vitā potuiſſent, commotam facinoris atrocitate multitudinē pacare voluiſſes ac non potius admotis iracundiæ flabris in tam effrænatum & præcipitem furorem coniicere, vt poſt præclara illa membra amputata, in caput Reipublicæ inuadere & ſæuire auſa fuerit: ſtetiſſet regnum non tot ciuitatum ruinis deformatū, neque tantis agrorū depopulationibus exhauſtum, nec tam frequentibus latrociniis vexatum, & luctuoſa optimorum ciuium cæde & ſanguine funeſtatū, cæteris denique miſeriis & malis omnibus repletum, quæ inteſtinas ſeditiones & bellum ciuile diuturnum conſequi & comitari ſolent. Quæ cùm ita ſe habeant, cumq; vt (tradunt philoſophi) cauſa cauſæ, cauſati cauſa ſit, horum tu omnium malorum cauſa iure cenſendus es. Quis igitur tot cædes, incendia, direptiones in Gallia fecit? Boucherius, dicet aliquis: quia prædicauit multitudinem poſſe & debere arma in Regem capere, atque ita bellum ciuile cōcitauit. Quis Regem Henricum Manibus dedit? Boucherius: quia docuit & ſcripſit eum merito eiici de ſolio, & non ſolùm poſſe, ſed etiam debere à quolibet, vt publicum regni hoſtem, occidi. Quis florentiſſimam vrbem fame atq; inedia prope confecit? Boucherius, quòd ciues omnes in illas anguſtias, per rebellionem quam initio ſuaſerat, imprudenter, ne dicam impiè compulit. Quis hæreſin ſemimortuam & penè extinctam in Gallia reuiuiſcere nonnihil & reſpirare fecit? Boucherius: quia Regem illum vexari primùm ſeditionibus, deinde tolli de medio curauit, quo viuo honores, dignitates, officia, beneficia, manifeſtis hæreticis omnino denegabantur: & qui externo viuendi exemplo omnes ad Catholicam religionē inuitauit. Quid perſequar ſingula? omnium ærumnarum & calamitatum, quas Gallia proximis bellis perpeſſa eſt, cauſam Boucherianæ linguæ tribuendam meritò iudicabunt. Si hoc non eſt conturbare Iſrael, quid ſit conturbare non ſatis intelligo: Sed ad alia nunc pergendum.

CAPVT XVIII.

BOVCHERI. *Hic non abſimilia ſunt quæ inter gentiles moderatæ per publicum concilium Regum poteſtatis exem-* lib. 1. cap. 25.

pla extiterunt. Sic enim Perſarum Reges Magorum qui pari Regibus dignitate erant: Regumq́; aures & oculi dicebantur, iudicio ſæpe ſubiacuerunt. Sic Lacedæmonii Reges Ephororum à quibus etiam Reges iudicatos fuiſſe Ariſtoteles refert. Et Seneca in epiſtolis teſtatur legiſſe ſe in Ciceronis de Repub. libris à Regum ſententia ad populi iudicium prouocari ſolitum fuiſſe.

Et hæc quoq; exempla ex Bruto [1] & Buchanano [2] ſunt, atque in noſtris ad eos libris redarguta & refutata [3], excepto eo quod de prouocatione à Regibus ad populum ſcribis: de quo ſic habeto: Ciceronem libros de Repub. compoſuiſſe, in quibus nouam Reipublicæ formam arbitratu ſuo, vt olim Plato, conſtituit: eique leges quàm poterat cõuenientiſſimas, eundem Platonem imitatus, alibi perſcripſiſſe [4]: cuius rei ipſemet nobis locuples teſtimonium tribuit. Ita enim ad eum Atticus [5], *Si quæres ego quid expectem. quoniam ſcriptum eſt à te ſatis de optimo Reipu. ſtatu, conſequens eſſe videtur, ut ſcribas tu idẽ de legibus. ſic enim feciſſe video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maximè diligis.* cui Cicero, *Viſne igitur ut ille Cretæ cum Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æſtiuo, quemadmodum deſcribit, die in cupreſſetis Cnoſſiorum & ſpatiis ſylueſtribus, crebrò inſiſtens, interdum acquieſcens, de inſtitutis Rerumpublicarum, ac de optimis legibus diſputat: ſic nos inter has proceriſſimas populos, in viridi, opacaq́; ripa inambulantes, tum autem reſidẽtes, quæramus iiſdem de reb. aliquid uberius, quàm forenſis uſus deſiderat.*

Reip. igitur ſtatum deſcribit Cicero, non eum quidem qui in vſu tunc erat populorum, ſed qui omnium optimus, & victrice ciuitate maximoque imperio dignus ſibi videbatur: eum autem popularem eſſe voluit, vt perſpicuum eſt ex iis ipſis libris de legibus, vbi ſic ſcribit [6]. *Nos autem quoniam leges damus liberis populis: quæq; de optima Republica ſentiremus, in ſex libris antè diximus: accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, ciuitatis ſtatum.* deinde primam ferè hanc legem ponit. *Magiſtratus nec-obedientem, & noxium ciuem multa, vinculis, verberibusq́; coercento, ni par, maiórve poteſtas, populúſq; prohibeſſit, ad quem prouocatio eſto.* item hanc, *Cùm magiſtratus iudicaſſit, inrogaſſit ve per populum multa pœna certatio eſto.* & paulò pòſt, *Plebes quos pro ſe contra vim, auxilii ergo decem creaſſit, tribuni eius ſunto, quodque ii prohibeſſint, quodq; plebem rogaſſint, ratum eſto.* aliaſque multas ad popularem Rempublicam ſeu democratiam pertinentes.

Quod igitur in illis de Republic. libris ſcripſit Cicero

pro-

1 q. 3. p. 92. & 93.
2 pag. 59.
3 li. 2. & li. 3. c. 5. & 4. c. 13. & 21.
4 In libris de legibus.
5 li. 1 de leg.
6 lib. 3.

prouocationem ad populum à Regibus fuiſſe, id præter fidem hiſtoriæ & antiquitatis obſeruationem, ad cõſtitutæ & compoſitæ à ſe Reipublicæ rationem ſuo more accõmodauit. Nemo enim vel mediocriter in ipſius ſcriptis verſatus neſcit eum ſemper negotio à ſe ſuſcepto inſeruiſſe, & falſa pro veris aſſerere ſolitum, vt malas cauſas obtineret: vnde & gloriatus eſt aliquando ſe tribunalibus iudicum tenebras offudiſſe [1]. Ex libris itaque Ciceronis non vt latini ſermonis elegantiam, puritatem, eloquentiam, ſic etiam rerum geſtarum hiſtoricam fidem haurire licet; præſens id locus demonſtrat: prouocationem quippe à Regibus nullam fuiſſe, tot luculentis aliorum authorum teſtimoniis, quibus hiſtoriæ veritas curæ fuit, euidentiſſimè comprobatur, vt Ciceronẽ aliter aſſerentẽ fides narrationis planè deficiat.

Nam primùm T. Liuius author eſt [2], P. Valerium Publicolam Conſulem, cùm poſt Reges exactos in affectati regni ſuſpicionem veniſſet, leges tuliſſe, *non ſolùm qua regni ſuſpicione eum abſoluerent, ſed quæ adeo in contrarium verterent, vt popularem etiam facerent*, ex quibus prima & præcipua fuit *de prouocatione aduerſus magiſtratus* (id eſt, Conſules) *ad populum*. Quòd idem ſcribit Plutarchus in vita Publicolæ. At lex illa quid Valeriũ ad remouendam à ſe regni ſuſpicionem iuuiſſet, aut qua ratione eum feciſſet popularem, ſi idem populo ius antea ſub Regibus fuiſſet? Deinde idem Liuius [3], teſtatur nullam à Dictatore prouocationẽ fuiſſe. *Creato Dictatore primùm Romæ*, inquit, *poſtquam præferri ſecures viderunt, magnus plebem metus inceſſit, vt intentiores eſſent ad dicto parendum; neque enim, vt in Coſſ. qui pari poteſtate eſſent alterius auxilium, neque prouocatio erat: neque vllum vſquam niſi in cura parendi auxilium*, & rurſus eodem libro vbi ſeditionem plebis aduerſus Conſules, & Patrum de ea ſedanda ſententias deſcribit. *Appius Claudius, & natura immitis, & efferatus hinc plebis odio, illinc Patrum laudibus, nõ miſeriis ait ſed licentia tantùm concitum turbarum & laſciuire magis plebem quàm ſæuire, id adeò malum ex prouocatione natum: quippe minas eſſe conſulum, non imperium, vbi ad eos, qui vna prouocauerint prouocare liceat. Agedum, inquit, Dictatorem, à quo prouocatio non eſt, creemus: iam hic, quo nunc omnia ardent, conticeſcet furor. Pulſet tũc nihil lictorem, qui ſciet de tergo vitaq́ſ ſua penes vnũ illũ eſſe, cuius maieſtatẽ violauit*, & alibi [4], *tũ T. Quintius, Conſules immeritò increpari ait: qui conſtricti legib. de prouocatione ad diſſoluẽdũ imperiũ latis nequaquã*

1 Plutarc. in vita Cicer.
2 Lib. 2.
3 Lib. 2.
4 Lib. 4.

tantum virium in magiſtratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent: opus eſſe non forti ſolum viro, ſed etiam libero exſolutoque legum vinculis. Itaque ſe Dictatorē L. Quintium dicturum. Quo pertinet quod Plutarchus [1]. Dictatori licuiſſe in carcerem condere, & morte multare, indicta cauſa, tradit: Hæc quamquam antè à me ſcripta ſunt de Dictatore [2], quoniam huic etiam controuerſiæ lucem adferunt, haud abs re viſum eſt hic repetere: à Dictatore enim idcirco prouocari non potuit, quòd ipſe monarchica & planè regia poteſtate præeſſet, nomine tantum, & circumſcripto ad imperandum ſpacio, à Rege differens.

1 in vita Fabii Max.

2 lib. 3. cap. 5.

Sunt quidem hæc clara & aperta erroris tui, ſeu Bruti potius & Buchanani, quos ſecutus es, teſtimonia: quibus vnum adhuc omni exceptione maius adiungam, & celebri illa Pomponii hiſtoria, iuris Romani originem atq; proceſſum demonſtrātis [3]. *Exactis deinde Regibus*, inquit, *Conſules conſtituti ſunt duo penes quos ſummum ius vti eſſet, lege rogatum eſt dicti ſunt ab eo, quod plurimum Reipublicæ conſulerent, qui tamen ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, vt ab eis prouocatio eſſet: néue poſſent in caput ciuis Romani animaduertere iniuſſu populi.* Rex ergo & ſine prouocatione omnia facere, & iniuſſu populi animaduertere in caput ciuis Romani poterat. At Horatius ſororicida, dicis, à regiis iudicibus condemnatus ad populum prouocauit [4]. Quid tum poſtea? id rege ipſo authore factum eſt, prudenter quidem, & eo conſilio, vt tam inſolentis iudicii inuidiam in feroce & rudi adhuc populo declinaret: ne vel noxæ eximendo parricidii reum, iniuſtitiæ, vel liberatorem ciuitatis capitale ſupplicium irrogando crudelitatis opinione premeretur. Fuit itaque ſingulare hoc Tulli Hoſtilii factum, nulla neque antè neque pòſt lege vel exemplo comprobatum: eſtque tale, ſi rectè ſubtiliterque animaduertis, quo regiæ poteſtatis amplitudo dilatari potius quā coarctari videatur.

3 l. 2 §. quod ad Magiſtratus D. de orig. iur.

4 Liuius lib. 1.

Quid igitur eſt, quòd Seneca monet id in Ciceronis de Rep. libris eſſe notandum? nimirum Ciceronem reprehēdit, & arguit tum iniuſtitiæ, tum mendacii in iis libris. *Philoſophus*, inquit, *vbi ad eorum librorum lectionem acceſſerit admiratur, contra iuſtitiam dici tam multa potuiſſe. Cum ad hanc eandem lectionem philologus acceſſit, notat prouocationem ad populū etiam à Regibus fuiſſe.* At cur id notat philologus? quia eſt contra veritatem hiſtoriæ, nec vllum eius rei Cicero au-

ro authorem laudare poteſt: neque enim ſi aperta eius rei teſtimonia in hiſtoriis extitiſſent, id apud Ciceronem, ac non potius apud ipſos hiſtoriæ ſcriptores à quibus id Cicero deſumpſit annotaſſet. Nam ipſemet Seneca hic lectori intelligendus eſt, Philoſophus ſimul & philologus, æquitatis & veritatis acer & diligens ſeruator, qui, vt ipſemet aſſerit [1], Ciceronem audire potuit. Quod ergo Seneca tanquam philologus id in libris illis notat, ſatis oſtendit Ciceronem illud præter fidem hiſtoriæ, præterq; communem hominum opinionem, ad Reip. ſuæ formam & rationem confirmandam, in ſuos illos libros conieciſſe. [1] in proœm. controuerſ.

Quæ cùm ita ſint, nihil hoc Ciceronis teſtimonium neque tibi neque Bruto [2], ad victoriam prodeſt. [2] quæſt. 3. pag. 93.

BOVCHER [3]. *Quin à Romulo ipſo cùm Reip. formam deſcriberet, nihil aliud Regi præter ſacrorum ac legum cuſtodiam mandatum fuiſſe refert Halicarnaſſæus* [4]*, ita vt penes populum, id eſt corpus Reip. vniuerſum ordinibus, videlicet patritio, equeſtri, & plebeio conſtans, magiſtratus creandi, leges condendi, bellum decernendi, poteſtas ſumma eſſet.* [3] eodem. ca. 21. [4] lib. 2.

Hoc ſplendidum mendacium eſt non tuum tamen inuentum, ſed Bruti, qui id bis malitioſè inculcat [5]. Verum nimis tu quidem facilis, ne quid grauius dicam, qui homini hæretico fidem in re maxima ſæpius mentienti tam temerè & leuiter adhibuiſti. Falſitatem autem huius tuæ, ſeu potius Brutinæ ſententiæ, libro ſuperiore ad Brutum patefecimus [6]. [5] Quæſt. 3. pag. 120. & 161. [6] lib. 4. cap. 25.

BOVCHER [7]. *Quod apud Medos & Perſas perinde fuiſſe ex hiſtoria Danielis colligi poteſt, cùm ibi decretum à Rege ex magiſtratuum & ſeniorum conſilio factum memoretur, cui Rex vel inuitus parere coactus eſt, vt Danielē in lacum Leonum mitti permitteret* [8]. [7] ibidem. [8] Daniel. 6.

Falleris: non ideò Danielem permiſit Darius voluntati inimicorum quòd legum neceſſitate coactus non potuerit eum, ſi voluiſſet, pro poteſtate imperii liberare: quandoquidem nullibi liberius quàm apud Medos & Perſas regnatum eſt, vt vel ex vnico Xerxis dicto ſæpius iam relato perſpicuum eſt. Sed quia Darius & cæteri ferè omnes Perſarum Reges, moris & legum patriarum adeò natura ſua obſeruantes erāt, vt extrema ferè omnia pati, quàm leges antiquas & inſtituta maiorum violare maluiſſent. Qua de cauſa Cabades Perſarum Rex hominem ſibi amiciſſimum ſummeque dilectum, & cui vitam ſimul & regnū debebat,

Seoſem

Seoſem nomine, calumniis oppreſſum & damnatum maluit amittere, quam de Perſicarum legum obſeruatione aliquit remittere [1], quo nihil Danielis hiſtoriæ ſimilius. Verùm hoc etiam in Pacurio Rege manifeſtius apparet, qui quoniam propter conſtantiam promiſſi neceſſe habuit antiq̃ regni legem tollere, magno mœrore affectus eſt [2], ſuſtulit tamen & propria authoritate ſuſtulit, vt promiſſi fidem exolueret. Falſum igitur quod colligis, ex hac ſcilicet Danielis hiſtoria *ſole clarius apparere legi regni Regem ipſũ ſubiici*. Neſcio quẽ tu ſolem mihi narras: vnum ſcio, id non magis ex tuis ſcriptis, quàm in Cimmeriis tenebris nigros lapillos appparere: eoque Danielem non conſilio publico vt tu putas, ſed regis ſolius benignitate, inuitis regni Satrapis & Principibus, fuiſſe liberatum.

BOVCHER [3]. *Ius idem apud veteres Gallos Reges fuiſſe ex Cæſare conſtat. Apud quem Ambiorix Eburonum ſeu Leodioriũ Rex teſtatur tum populo non minus in Regem quàm Regi in populum poteſtatis extitiſſe.*

Ex Bruto [4], & in ſuperiore ad illum libro refutatum [5].

Cætera ſimiliter quæ huic capiti exempla inſeruiſti, a Bruto ferè ad verbum mutuatus [6]: quib. refellẽdis omnino hic ſuperſedendum quod ſingillatim de vnoquoque iã actum ſit, & nullam eorum aduerſus Reges efficacitatem eſſe demonſtratum [7].

CAPVT XIX.

QVod primi tui libri reliquum eſt, totum in exemplis verſatur, quæ ego ne minutatim perſequar duo me impediunt: Alterum, quòd parùm in exemplis virtuti ſit, ſiue confirmandi ſiue infirmandi propoſiti tui cauſa pducantur: alterum, ne dũ redarguam ea quæ ex Bruti vindiciis deſcripſiſti, quæque in noſtris ad illum libris refutata ſunt, tempus in non neceſſaria repetitione conſumam. quod itaque de regni Galliæ conſtitutione, & eius officiariis, ſcribis [8], totum à Bruto accepiſti [9]: cuius in ea re imposturarum fontes & frontes, vt oculis omnium cernantur, iam clarè & perſpicuè apertuimus [10].

Haud maioris momenti eſt quod capite 23 & 24. libri tui tractas de Regibus aliquot à populo eiectis vel neglectis. Exempla enim cùm ſint, rei geſtæ tantùm veritatem, non etiam facti æquitatem (vt paulò antè dixi) demonſtrant, nec quia populus aliquid fecit, ideò iure factum eſſe faten-

1 Procop. li. 1. de bello Perſico.
2 Procop. ibid.
3 dicto capite.
4 Quæſt. 3. pag. 200.
5 lib. 4. cap. 19.
6 Quæſt. 3. pag. 93. 94. 95. & 100.
7 li. 4. c. 13. & 19.
8 cap. 22.
9 Quæſt. 3. pag. 81. in fi. 96. 124. & 129.
10 lib. 4. c. 14. 15. 16. 17. 18. & 19.

fatendum eſt. Sæpe multitudo per vim & iniuriam multa patrat, quæ nõ ad imitationem, ſed ad cautionem proponi debeant. Populus Romanus in Fabium Maximum Dictatorem imperium vſurpauit [1], quamuis id ei nullo modo licuiſſet, vnde Liuius ſcribit Fabium, *qua grauitate animi criminantes ſe ad multitudinem inimicos tulerat, eadem & populi ni ſe ſæuientis iniuriã taliſſe*. Populus ſępe occæcatur, ægrotat, inſanit, fas ac nefas iuxta æſtimat. An nõ ſcribis i ſe [2], populum Pariſienſem furore percitum, ciuitate ſua Regẽ expuliſſe atque occidere etiam voluiſſe, niſi Guyſius obſtitiſſet? in quo certè haud benè de conciuibus tuis meritus es, qui iſtam illis populo alioqui placido & Regum ſuorũ peramanti, notam inuſſiſti: cùm tuæ præſertim conciones ad eam illos inſaniam adegerint. Quid ergo ſi, quod Deus auertat, poſteri noſtri, aliquot abhinc ſeculis, tale facinus auſi, ad iuris ſui & æquitatis cauſæ defenſionem confugiant, atque ſuperioris iſtius facti exemplo id ſibi licere contenderint: nunquid erit cur cauſam obtineant? nónne tuus iſte liber, ſi opus tam fœdum & execrabile tam diu durare poterit, iſtam illis defenſionem præripiet? quòd nõ hominum prudẽtium, ſed furentium, id factum fuiſſe trades. Noli ergo nos ad exempla vocare, niſi talia ſint quæ extra omnem reprehenſionis aleam poſita, religioſum aliquod imitandi ſtudium animis ingenerent.

[1] Liuius lib. 22. Polyb. lib. 3. Plutarch. in Fabio.

[2] lib. 2. ca. 7.

Præterea quæ capite 25. & 26. congeſſiſti, quòd falſis collectionibus, & manifeſtis in Regem calumniis, iniurioſis etiam comparationibus, atque id genus ineptiis atram tuam bilem redolentibus, magna ex parte conſtent, quorum omnium commodiorem tractationem in ſequẽtem librum reiicio. Nã quod præterea de Hebræis adfers, qui externorum Regum, à quibus iniquè premebantur, iugum ſæpe excuſſerunt, quaſi eorum exemplo cæteris etiam populis liceat in Principes ſuos legitimos & naturales inſurgere, id vno verbo reſoluitur. Illius nempe populi diſſimilem omnibus aliis nationibus cauſam fuiſſe: quòd ei Deus per Iacob Reges & Duces de ſua gente, donec Chriſtus naſceretur, nunquam defuturos promiſit: atque ita nulli alii parere tenebantur (cùm ſcirent ſe ſuos ſemper aut Reges aut Duces habere legitimos) niſi fortè ipſemet eos Deus vt Principi alii inſeruirẽt aliquo modo cõmouiſſet. Quãuis ergo Iudæi frequẽter, ob ſua Principũq; ſuorũ ſcelera, in vicinorum populorum ditionem & ſeruitutem

Dei

Dei permiſſu, fuerint redacti: tamen nemo extraneus: antè Meſſiæ aduentum, legitimum in eos imperium vlla temporis præſcriptione potuit acquirere, aut iure ſuo impedire, quo minus, vbi vires illis & voluntates ſuppeterent, ſeſe in libertatem, ſiue religionis, ſiue Reip. cauſa, vindicarent. Nō eſt igitur cur illuſtria illa Macchabæorum facta in præſentis negotii diſceptationem transſducas.

Venio ad libri tui caput 27. in quo duo homine Theologo indigni errores ne dicā manifeſta mendacia, continentur. Nam vt belli iuſti in proprios Reges exempla confingeres (vera enim nuſquam extant) ſic ſcribis,

BOVCHER. Hic ergo occurret primum ſanctus Dauid, qui cum bellum contra Saul, Regem vtique ſuum ac de populo ſuo natum, ſed tyrannum & pietatis hoſtem, ſic gereret, vt priuatum capitis ſui negotium potius, quàm Reip. agere videretur, à prudenti tamen & diuinitus inſpirata Abigail, prælia Domini præliari cum laude & commendatione eſt dictus [1].

[1] 1. Reg. 25.

Cedo, Boucheri, ex quo Scripturæ loco, quáue ex hiſtoria didiciſti Dauidem cum Saule bellum geſſiſſe? nuſquam certè in Bibliis aliquid apparet, ex quo id, non dicam oculis cerni, ſed ne coniiciendo quidem erui & colligi poſſe credatur. Nonne ſacra nos hiſtoria docet Dauidem ſemper Sauli ſe ſupplicem præbuiſſe, eumque perpetuò dum vixit & dominum, & patrem, & Principem agnouiſſe, nunquam ſe illi oppoſuiſſe, nunquam reſtitiſſe, ne tunc quidē cum deſperaret ſe poſſe euadere à facie Saul [2]? Quid ergo eſt quòd tu nobis Dauidem cum Saule belligerantem proponis? Cur Regi Prophetæ tantam facis iniuriam, vt eum ex humilitatis, patientiæ, & pietatis quodam veluti prototypo, in ſuperbiæ, rebellionis, & impietatis pernicioſum exemplar transformes? Id inter Dauidis laudes præcipuum numerari ſolet, quòd multis à malo Rege iniuriis affectus, multiſque inſidiis appetitus, nullam ei vnquam, quæ vel optimo Regi debetur, reuerentiam officiumue ſubtraxit, nedum in eius necem aliquid molitus eſt: quod cum luce clarius ſit, qua tu fronte eum cum Rege ſuo bellum geſſiſſe ſcribis? bellum ſemper ab hoſte & cum hoſte geritur: ſi ergo Dauid bellum contra Saulem geſſit, Sauli hoſtem ſe præbuit & profeſſus eſt, quo nihil excogitari falſius, vel dici ineptius à Theologo poſſit. Nam quod adiicis de Abigail, quæ Dauidem *prælia Domini præliari* dixit, id ne minimum quidem ſententiæ tuæ patrocinatur, ſed indicat te

[2] 1. Reg. 23.

non

non ſatis negotio tuo fuiſſe attentum, atque à Bruto decepTū qui illud tibi obiter ſuppeditauit [1]. Abigail enim cùm 1 q.3.pag.61.
diceret, *quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris*, nō de prælijs cum Saule commiſſis ſenſit, quippe non laudaſſet hoc ſermone Dauidem, ſed luſiſſet, quòd nullum vnquam cum Saule prælium inierat: ſed de illis prælijs Domini, de quib. antè in eadem hiſtoria ſcriptum eſt [2]. *Dixitq́ Saul ad Dauid:* 2 1.Reg.18.
Ecce filia mea maior Merob ipſam dabo tibi vxorem: tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini. Et hæc ad prioris mendacii redargutionem ſatis. Non addam te tibi contrarium hoc loco eſſe, cum ais Dauidem *bellum contra Saul, Regem vtiq́ ſuum*, geſſiſſe, quò enim affirmandi illud, *vtiq́*, niſi vt Saulem verè Regem Dauidis fuiſſe intelligamus? At antè, eodem libro [3], diſertè ſcribis Saulem à Samuele Re- 3 cap.6.
gni iure fuiſſe priuatum, ita vt poſtea Rex non eſſet: quo tēpore nullum adhuc ei cum Dauide diſſidium, imò nulla notitia interceſſerat. Si igitur Rex non erat poſt illam Samuelis denunciationem, falſum eſt quod hic aſſeris Dauidem bellum contra Saulem *Regem vtiq́ ſuum geſſiſſe.* Quòd ſi verum hìc narras, falsò doces regno illum multò antè excidiſſe. Sed hæc leuiora ſunt: ad alterum itaque, quod manifeſtius mendacium eſt accedo:

BOVCHER. Sed & Achimelech, aliique Sacerdotes Nobe, quæ vrbs ſacerdotalis erat, opem fugienti Dauidi à facie Saul vel capitis ſui periculo tulerunt.

Vis nimirum hoc exemplo probare, Sacerdotum & Prophetarum (vt ais) *iuſſu atq́ conſilio arma in domeſticos, tum Reges, tum alios propter impietatem eorum ſumpta, ſcrupulum conſcientiæ abundè iampridem abſtuliſſe.* In mala cauſa veraces teſtes nihil valent: cautè igitur tu iſtuc: ad falſam ſententiā confirmandam, falſum teſtimonium produxiſti. Nihil enim clariùs, nihil expreſſiùs in Scripturis narratur, quàm Achimelech, cæteroſque Nobe ſacerdotes, ignoraſſe Dauidem à facie Saulis fugiſſe, quod ipſemet arcani cauſa ſe miſſum à Rege dixerit, eoque omnem illi & operam & opē, tanquam Regis genero, familiari, & amico impertiiſſe: vt nullum inde ſibi non capitis ſolùm, ſed ne vel minimæ rei periculum à Rege metuerint. Ait enim hiſtoria [4]. *Reſpon-* 4 1.Reg.22.
denſq́ Achimelech Regi, ait. Et quis in omnibus ſeruis tuis, ſicut Dauid fidelis, & gener Regis, & pergens ad imperium tuum (id eſt tibi obſequens in omnibus quæ imperas) *& glorioſus in domo tua? Num hodie cœpi pro eo conſulere Deum? abſit hoc à me: ne*

 ſuſpi-

ſuſpicetur Rex aduerſus ſeruum ſuum rem huiuſcemodi, in vniuerſa domo patris mei: non enim ſciuit ſeruus tuus quicquam ſuper hoc negotio, vel modicum, vel grande. Et vt negat ſe vllum Dauidi auxilium vel cōſilium aduerſus Regem dediſſe, ſed planè ignoraſſe id ingratum Sauli fore quod Dauidi ſubminiſtrauerat. Hoc & Ioſephus vberius paulò fuſiúſque declarat [1]. *Pontifex,* inquit *nihil horum inficiatus, liberè feſſus eſt hæc ſe non tam Dauidi præſtitiſſe quam ipſi Regi. Excepi,* inquit, *non vt inimicum tuum, ſed vt fidiſſimum miniſtrum & tribunū, &, quod maius eſt, generum ac propinqua neceſſitudine coniunctum, quis enim putaret eum, qui hoc honore à te dignatus ſit, inimicum eſſe, ac non potius cum primis beneuolum? Cumq; ſe diceret à te miſſum ad arduum negotium properare, non ſuppeditare quæ requirebat ad tuam potius quàm ad illius iniuriam pertinere iudicabam. Quare non eſt quod de me malè ſuſpiceris, aut ſi quid noui nunc Dauidem moliri audiuiſti, ob exhibitam à me humanitatem, fauere me illi aduerſum te cogites, in amicū enim ac generū & tribunum tuū tum collatum volui: quicquid officii in illū contuli.*

1 li. 6. antiq. c. 14

Hæc cùm ita ſint, perſpicuum eſt magnum te multitudini errorem hic obieciſſe, tuámque ipſius exiſtimationem tanto grauius læſiſſe, quanto aſſertionis tuæ falſitas clariore veritatis teſtimonio conuincitur.

Quod à Lobna ſacerdotum ciuitate argumentum trahis, ſuperiore libro [2] diſſolutum eſt, quódque de populi Hebræi à Roboamo defectione affers, infrà commodiore loco diſſoluetur. Denique falſum eſſe quod ibidem de Ozia repetis, iam ſuprà hoc libro oſtendimus [3], vbi etiam te cauſam hæreticorum, in qua tractanda diu multúmque ſudarunt, non minus quàm Catholicorum, magno Reip. Chriſtianæ malo, agere probatum eſt [4].

2 cap. 7.
3 li. 6. c. 20.
4 cap. 11.

Capvt XX.

Longum eſſet, nec neceſſarium, ſingulas tuas rationes & exempla perſequi: quapropter ſatis mihi viſum eſt eorum vitia detexiſſe, quorum captioſa probabilitas incautos, vel imperitos librorum tuorum lectores in iſtum de Regibus errorem rapuerunt.

Quo in genere illa ſunt, quæ poſtremis primi tui libri capitibus continentur: in quorum altero, Regum imperia cum rebellantium impetu, & bella legitimorum Principū authoritate decreta, ſuſcepta, geſtáque, cum temerariis, inconſultis, & furibundis coniuratorum inſultationibus

con-

confundis & conturbas; quaſi par omnium cauſa, & æqualis conditio ſit. Nam vt Eccleſiam armis protegendam & conſeruandam eſſe probes (quod tamen nemo ſanus & ſobrius vnquam negauit, dummodo id ordine & ratione fiat ab illis penes quos armorum bellorumque imperium eſt) & vt illuſtribus exemplis doceas licere ſubditis arma ad Eccleſiæ defenſionem capere iniuſſu Principis, imò inuito Principe, & aduerſus Principem (qui tamen non minus quàm illi Eccleſiæ partes tuebatur) proponis nobis bella à Ioſue & Machabæis apud Hebræos geſta: apud Chriſtianos verò Conſtantini, Theodoſii, Clodouæi, Martelli, Caroli Magni, proſperos armorum ſucceſſus, contra Dei hoſtes, hæreticoſque (magni certè momenti exempla, ſi ea Regibus, non rebellibus propoſuiſſes.) At quis rectæ rationis lumine adeò deſtitutus eſt, quis, inquam, tam amens & idiota, tamve praua animi affectione occæcatus, vt non ſtatim cernat nihil hæc omnia tuæ cauſæ patrocinari? Bella geſta à Principibus authoritatem habentibus aduerſus hoſtes, in argumentum trahis belli ciuilis, & coniurationis illicitæ contra Regem Chriſtianiſſimum ſuſcitandæ: quod hic vinculum ſimilitudinis? Quæ harum rerum conuenientia & coniunctio? quæ, inquam, iuſti belli, & nefariæ coniurationis ſocietas eſſe poteſt? Iam dixi Eccleſiam Principibus Chriſtianis, tanquam ipſius nutritiis & patronis, tuendam & protegendam committi [1]. At illa à legitimis tantùm Principibus defendi vult, rebellium opem reſpuit, ipſóſque ſemper execratur. Qua de cauſa Diuus Ambroſius ab Ariano, ſed legitimo Principe, grauiter oppreſſus, oblatum ſibi à Maximo rebellante auxilium non admiſit; quamuis ſciret eum cum magno & forti exercitu ex Gallia & Britannia in Italiam celeriter contendere, ſuamque ei opem [2] vltrò polliceri: nec vllos aduerſus infeſtiſſimum illum Catholicis Imperatorem, vel verbo, vel ſcripto vnquã armauit: quamquam id factu ei facillimum, & cauſa longè quàm tibi grauior foret vt libro tertio oſtendimus [3]. Debuiſti ergo, vt quos ad ſeditionem excitaſti in rebellione confirmares, laudabile aliquod Eccleſiæ à rebellibus & coniuratis adiutæ & defenſæ exemplum proponere: quod cum non feceris, imò nec facere potueris, neſcio quò iſta exempla in hoc negotio, niſi vt illis faciles & nimis credulos lectores decipias.

In altero verò, in vltimo, inquã, libri tui capite, ſanctiſ-

1 Sup. hoc li. c. 6.

2 Theodoret. li. 5. c. 14. Hiſt. Eccl.

3 cap. 7.

ſimi & religioſiſſimi Eccleſiæ Doctoris Bernardi teſtimonio, licenter nimis & intemperanter, abuteris: dum quibus ille verbis Templi milites legitima authoritate armatos, vt fortiter pro fide aduerſus infideles decertent, piè, grauiter, & copiosè adhortatur: iis tu populo contra omnẽ iuris diuini & humani rationem, vt arma aduerſus ſuum Regem capiant, & ſub pietatis fuco maximum impietatis ſcelus admittant, niteris perſuadere. Nec mediocrem ſancto illi viro iniuriam facis, quòd eum, ſi inter vos mortalis tunc vixiſſet, ſocium, ſeu potius authorem, ſeditionis veſtræ ſe præbiturum fuiſſe exclamas. librum enim tuum hac peroratione concludis.

Hac & plura in hanc ſententiam vir beatiſſimus, quæ tanto pluris facienda, atque altius figenda ſunt, quanto, vt credibile eſt, ſi nunc in terris degeret, ſi tempora in quæ decidimus mortalis, vt olim fuit, in carne perſpiceret, in eos qui nunc ſunt perſecutores Eccleſiæ, ac Politicos ac perfidos præcipuè, cæleſtis illa tuba fortius intonaret.

Nemo neſcit quid his verbis intelligas: D. Bernardum nempe ſi tunc in viuis egiſſet cùm iſta ſcriberes, omnẽ coniurationi veſtræ operam ſtudiumque nauare, atque iiſdem, quibus tu, concionibus multitudinem contra Regem ſuũ Henricum armare voluiſſe. At quàm longè diuini illius viri animus à tam ſceleratis conatibus abfuiſſet, teſtãtur etiamnum mitiſſima illa ingenii ipſius monimenta, quibus rebellionem, vt decimum & ferè vltimum ſuperbiæ gradũ, deteſtatur [1], & Reges quamuis peruerſos & impios, Dei iudicio relinquendos eſſe docet.

Habeo igitur gratias quòd huius me Doctoris memorẽ reddidiſti; parum enim abſuit quin eum alioqui immemoria præteriiſſem: cuius tamen & vitæ exemplum, & doctrinæ conſideratio, magnum cauſæ noſtræ adiumentum adferunt. Quid ergo ille? *Si totus orbis aduerſum me coniuraret* [2] inquit, *vt quippiam molirer aduerſus regiam Maieſtatem: ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem. Nec enim ignoro vbi legerim: qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* & alibi, vt ſummam Regis libertatem nullis hominum vinculis reſtringendam eſſe moneat, laudat Regis cuiuſdam magnanimitatem, qui ne læſus quidẽ ligari ſibi corpus ad faciliorem vulneris curationem paſſus ſit, quòd Regem ſemper liberum & ſolutum eſſe deceat, *Bene quidam Rex*, inquit [3], *cùm percuſſus humana ſagitta peteretur*

1 Tom. 1. tract. de gradib. humilit.

2 tom. 2. ep. 170.

3 tom. 1. tract. de Paſſione Dom. cap. 4.

retur vt ſe ligari permitteret, donec excideretur, quia leuiſſimo motu mortem poſſet incurrere. Non decet, inquit vinciri Regem. Libera ſit Regis & ſemper ſalua poteſtas. Erat tamen ei negotium cum Rege ſuperbo, temerario, atque illa in Deum & homines flagitia perpetrante, quæ illi vir ſanctus in ſua ad eum epiſtola exprobrat his verbis [1]. *Ego aſſiduis veſtris quæ innouare quotidie non ceſſatis, exceſſibus prouocatus, dico vobis, incipio pœnitere ſuper inſipientia mea priori: quia plus iuſto veſtræ adoleſcentiæ hucuſque faui: & de cætero pro mea exiguitate non deero veritati. Non tacebo quòd cum excommunicatis iteratò fœdus & ſocietatem inire ſatagitis: quòd in necem hominum, combuſtionem domorum, deſtructionem eccleſiarum, diſperſionem pauperum, raptoribus & prædonibus (ſicut dicitur) adhæretis. Non ſilebo quòd illicitum illud maledictumq́; iuramentum inconſultiſſimè vſurpatum à vobis contra Bituricenſem eccleſiam non ita tandem corrigitis, vt Chriſti ouibus apud Cathaunum paſtorem præfici nō ſinatis; inſuper & fratri veſtro, eiusq; militibus ſagittariis baliſtariiſque domos epiſcopales contra ius & fas inhabitandas, & res Eccleſiæ in huiuſmodi nefarios vſus profligandas, audacter nimium exponitis.* tom. 1. ep. 221. ad Lud. Craſſum.

Quid tu hic feciſſes, Boucheri? ſatíſne magnæ tibi hæ cauſæ viſæ fuiſſent cunctos in Regem Ludouicum Regni ordines concitandi? non tuliſſes, opinor, diu iſtas Eccleſiæ iniurias, ſed ſtatim claſſicum ceciniſſes, vt omnes ad vltionem concurrerent. neque enim tam graues in Rege Henrico cauſæ extiterunt. At vir ille beatus nihil niſi vindictam diuinam Regi per epiſtolam minatur, ſeque fortiter, vt Domini Sacerdotes decet, pro matre Eccleſia precibus & lachrymis pugnaturum indicat. *Dico vobis*, inquit, *non erit diu inultum, ſi hæc ita facere pergitis. Et ideo, domine mi Rex, amicabiliter moneo vos, & fideliter conſulo vobis, vt citius ab hac malitia deſiſtatis, ſi forte iam ferire paratis manum, Niniuitæ Regis exemplo, pœnitentia & humilitate præuenire poſſitis.* Et paulò ſuperius in eadem epiſtola, *Ac quicquid vobis de regno veſtro, de anima & corona veſtra facere placeat; nos Eccleſiæ filii, matris iniurias, contemptum, & conculcationem omnino diſſimulare non poſſumus: quæ illi præter illa quæ in eam iam præceſſiſſe miſerabiliter plangimus, iterum de nouo partim inferri, partim imminere ſentimus. Profectò ſtabimus & pugnabimus vſque ad mortem, ſi ita oportuerit, pro matre noſtra, armis quibus licet: non ſcutis & gladiis, ſed precibus fletibuſq; ad Deum.*

En D. Bernardi de Regibus ſententiam: en eius erga ma-

by Google

los Reges modeſtiam: en eccleſiaſticam in admonendo libertatem, en Chriſtianam in tolerando patientiam. Tu igitur qui ſanctum hunc Doctorem, & Eccleſiæ Patres te imitatum in hoc negotio magnificè iactas, oſtende, ſi potes, qua in re S. Bernardi veſtigiis inſtiteris. Vbi monitoriæ tuæ ad Regem Henricum epiſtolæ? vbi obſeruantiæ & reuerentiæ Maieſtatis, non dico certum teſtimonium, ſed leuiſſimum aliquod ſignum atque indicium? numquã ad eũ in ſcriptis tuis epiſtola honeſta reperitur? an non execrabiles vbique in eum libelli famoſi, non eccleſiaſticam loquẽdi libertatem, ſed effrænem linguæ rabiem & pluſquã ſcenicam diſſolutionem redolentes? D. Bernardus, etiam ſi totus mundus in eum cõiuraſſet, adduci nequiiſſet vt aliquid aduerſus regiam maieſtatem moliretur, Regémve offenderet. tu nemine cogente vel hortante, ſponte tua, vt totus mundus in Regis necem regnique perniciem cõiuret, modis omnibus conabaris. Quid multis? neque tu, ſi in Ludouici tempora incidiſſes, tuum iſtum rebellionis ſpiritũ depoſuiſſes: neque D. Bernardus, ſi ad Henrici III. regnum fuiſſet reſeruatus, tales in eum tragœdias vnquam excitaſſet, ſed tu quidem in Ludouicum ſeditionis tubam acriter inflaſſes, & ille rebelles atque infenſos Henrico animos omni ſtudio mitigaſſet: ex quibus quanta inter vos & morum & doctrinæ diſſimilitudo ſit, perſpicuum eſſe arbitror.

❧ Hæc ego licet breuius fortè quàm res poſtulat, tamen ita candidè ſimpliciterque expoſui, vt nullius æqui æſtimatoris iudicium pertimeſcam. Cætera verò primi tui libri argumenta atque exempla, quæ ego ſeu caſu ſeu conſilio præteriui, quoniam neque ponderis aut momenti, neque obſcuritatis multum habent, illis relinquo qui magis otio abundant excutienda.

LIBRI QVINTI FINIS.

GVIL.

GVIL. BARCLAII I.C. DE REGNO ET REGALI POTESTATE contra Monarchomachos liber ſextus: in Boucherium alter.

CAPVT I.

QVod incenſarum ædium dominis atque etiam vicinis vſu venire ſolet, vt nõ antè à periculo ſecuros ſe arbitrentur, quàm, repreſſa & reſtincta penitus flãma, omnes vndique domus partes, & propinqua coniunctaque incendio loca fuerint perſcrutati: & non ſolùm trabes titioneſque, ſed ipſos etiam cineres diſcuſſerint, ne vlla vſquam fauilla lateat nouis incendiis materiam cauſamque præbitura: idem mihi in hoc tecum negotio, Boucheri, in hoc, inquam, communi regnorum incendio extinguendo accidit. Nam quamquam videre mihi videor voraces illas ſeditionis & rebellii flammas, quas variis primi tui libri captionibus & impoſturis, velut tædis quibuſdam ardentibus in tecta Reipublicæ conieciſti, copioſo rectarum rationum, & victricis veritatis flumine ita ſuffocatas iam eſſe & ſubmerſas, vt nullum inde communi Regum cauſæ præiudicium periculúmve oboriri poſſit: tamen ita me ſuperioris incendii memoria terret, & ſolicitum reddit, vt in omnes me vertam partes, vicinaque omnia contingam & contrectem, vnde aliqua excuti ſcintilla poſſit. Quapropter licet ex quatuor illis libris, quos de Regis Hẽrici abdicatione falsò inſcripſiſti, primus tantũ ad regna vniuersè ſubuertenda cõparatus ſit, cæteri verò inſidioſis querelis & calumniis, atq; adeò omnis generis in Regem petulantiſſimis conuitiis men-

mendaciiſque deſtinati: eoque ſuffoſſis illis ſeditionũ fundamentis, ſuccisis, inquam, argumentorum primi tui libri neruis omnibus, perorata & probata ſatis Regum cauſa videatur, minimeque neceſſarium fœdas illas & fœtidas iniuriarum centurias recenſere, quas tribus reliquis famoſis libellis conſcripſiſti; tamen vt in eas etiam inquiram duabus potiſſimum rebus ſum adductus: altera, quod permiſtos ad communem Regum cauſam labefactandam elenchos aliquot continent: altera, ne mendax & inuidioſa vitæ illius Regis ab inimico homine facta deſcriptio ignorantibus errorem creet, totamque fallat poſteritatem. Non quod plenam & perfectam pro eo apologiam texturum me hic conſtitui, ſed quod lectores monitos velim tanto te in illum odio flagraſſe, tantaque inuidia fuiſſe occæcatum, vt non ſolùm omnia quæcunque poteras ſcelera & flagitia excogitare, falsò ei affingeres, ſed artes etiam regias, & rectè facta per calumnioſam voluntatis interpretationem, quo nihil deteſtabilius, ad eius ignominiam & reprehenſionem transferre conatus ſis. Verebaris, credo, ne ſi Regem illum, quem *prototypon nequitiæ* in operis tui initio [1] vocaueras, non omnium vitiorum, quæ in hominem cadere poſſunt, velut cumulo quodam oneratum conſpurcatumque poſtea depinxiſſes, videri poſſis vel minus verè id ei prius epitheton tribuiſſe, vel minus integrè perfecteque vitam eius poſtea mandaſſe literis. Etenim profectò ſi vel media pars eorum quæ de illo ſcribis vera eſſent, non haberet quiſquam cur Caligulas, Nerones, Commodos, Heliogabalos, cæteraque id genus monſtra meditaretur miraretur que, cùm in illius Regis perſona quicquid eſt monſtruoſarum libidinum, ſcelerumque cõcluſum & comprehenſum eſſe cerneret. At non ita eſt: quiſquis enim aliorum Regum mores, facta, res geſtas æquiore animo perluſtrauerit, in mediis quidem hunc conſiſtere, optimos inter peſſimoſq;, &, ſi cum præcedentibus omnibus conferatur, plures illo deteriores quàm meliores inueniri haud dubiè comperiet. Sed quoniam neq; Regis illius, neque cuiuslibet alterius perſonę ſingularis innocentiæ defenſionem, ſed tantum cauſæ Regum communis æquitatem demonſtrandam præcipuè ſuſcepi, abſcedã hinc ad cauſas huius fictæ tuæ abdicationis, quatenus Reges omnes contingunt, explorandas. quarum tu exordium elatior & inflatior quàm antea, tanquam terrenus aliquis Iu-

[1] In 1. epiſt.

piter

piter hoc verborum fulmine procudis.

BOVCHERIVS [1]. *Hic iam ſe veluti ruptis obſtaculis, torrentis inſtar, effundet iuſtus dolor: & vt clauſus dudum ignis, fracta cum ſtrepitu nube erumpens, probabit in iuſtiſſima cauſa, quàm verum ſit illud quod nobis Tyrãnus obiecit in iniuſtiſſima, furor fit læſa ſæpius patientia. Siquidem quæ paſſi toties, tam multis locis, tam diu, tam durè atquè indignè ſumus, ad hunc nos vehementis ac iuſtæ querelæ locum, ac neceſſarii conſilii portum appellere coegerunt, Vt quia de iure tum Eccleſiæ tum Regni ac populi ſeu Reip. Reges abdicandi in genere diximus, nunc de cauſſis in ſpecie, propter quas abdicari in vtroque tribunali debeant, vtque veræ illæ in Henrico Valeſio ſint, ſceptroque eum propterea amoueri oporteat, differamus.* 1 Lib.2.ca.1.

Hic iam ſe veluti ruptis modeſtiæ, humanitatis, patientiæ, omnibuſque regalis obſeruantię repagulis *torrentis inſtar* effundit impotens & iniuriarum plenus animus tuus, atque fulmen illud rebellionis quod ad Regum omnium terrorem ſuperiore libro fabricauerat, nunc tandem velut *facta cum ſtrepitu nube*, in Regis Henrici caput iniuſtè intemperanterque eiaculatur; neque id mirari oportet, cùm tuam hic patientiam, qua nihil à Chriſto & Apoſtolis magis commendatum, in furorem fateris eſſe conuerſam. Ais enim ignem illum tuum, cuius flamma Henrici Regis famam comburis, *fracta cum ſtrepitu nube erumpentem probare quam ſit verũ in iuſtiſſima cauſa, furor fit læſa ſæpius patientia.* quod ſi verum eſt, nonne ei cõſequens videtur hæc omnia furentis animi impetu à te ſcripta eſſe, eoque nullam illis fidem eſſe habendam. Nec tamen legis illius te beneficio vſurum, quæ iactum in Maieſtatem Principis maledictum ſi ex inſania procedit non pœna ſed miſeratione dignum eſſe cenſet [2], nam & plus hic eſt quàm maledictum, intolerabilis nempe inſultatio, famæque & exiſtimationis Principis immenſa & propè inaudita expilatio depeculatioq; : & tu, vt arbitror, non ea defenſione vſurus es, quæ planè inſaniiſſe te cùm iſta exarares indicet. 2 l. vnic. C. ſi quis Imp. maledixerit.

Eſto igitur ſano te cerebro ſed iracundiæ calore nonnihil commoto hæc euomuiſſe: peto abs te in primis, vtrum cauſas omnes à te allatas concurrere vis in eo Rege quem exigi abdicatique debere ſtatuis (multas enim recenſes, atque ad numerum digitorum, vt Plautinus ille Stichus ſuos cyathos [3], reuocas) an verò ſingulas ſufficere vt ob earum quamlibet Rex ſolio ſceptroque priuari debeat. Si prius il- 3 Plaut. in Sticho.act.5.ſcen.2.

Vu 5 lud

lud tibi placet neque Rex Henricus profectò qui illa quæ ei affingis crimina omnia minimè commiſſa, nec vllus, vt arbitror, Principum Chriſtianorum aut noſtra aut patrum memoria abdicatione dignus repertus eſt. Sin poſterius cordi eſt, vereor vt pauci Principes non exigendi veniant. Sed vero modo ſtatuas, iam ſatis tibi reſponſum eſt, & conuulſis tuis principiis, nullum prorſus abdicandi Reges ius populo eſſe firmiſſimè comprobatum. Quinimò & ſi id illis poteſtatis eſſet, vt Regem certis de cauſis ab imperio remouere poſſent, non vtique regno expediret id eos per vim & arma ob quædam etiam grauiſſima perſonæ vitia, & qualia tu quædam hic memoras, experiri: ſi modò nullas de iis committendis leges ferret. Quandoquidem fieri poteſt vt Princeps multis ſceleribus inquinatus, bonarum legum conditor ſit & cuſtos: teſtimonio nobis eſt L. Corn. Sylla, qui cùm ipſe tyrannicè, libidinosè, & auarè viueret, ciues ad frugalitatem, modeſtiam, & honeſtatem optimis & vtiliſſimis legibus, quarum etiam hodie magnus eſt vſus, egregiè compoſuit [1]. Faciunt ſæpe Principes quod interdũ concionatores, ea nempe cõmittũt à quibus magno diuinarum humanarumque pœnarum metu deterrent multitudinem. Idem vir malus & bonus Rex, idem vir malus & bonus concionator eſſe poteſt. At vbi leges quas Rex iſte in quem debaccharis aduerſus Dei præcepta tulit? vbi edicta? Ipſe tamen aduerſus ea commiſit, dices. Quid tum? hominis hæc erant non Regis peccata, ſed in homine tamẽ propter Regem diſſimulanda: & ferenda quidem, non imitanda. Phariſæi in eam ipſam legem committebãt quam prædicabant, nec id illis officium vel authoritatem detrahebat [2]. Qua tu igitur fronte Regem hunc *infeſtum Eccleſiæ hoſtem* pronuncias [3]? nimius te fractæ patientiæ furor in hanc mentis ad omnia cæcitatem perduxit. Sed hac de re inferius plura.

1 Plut. in cõpar. Syllæ & Lyſandri.
2 Math. 23.
3 li. 2. cap. 1.

CAPVT II.

PRimam igitur abdicandorum Regum cauſam in periurio conſtituis: inque ea amplificanda & exaggeranda totis quatuor capitibus es occupatus. Sed neque operę eſt, neque per ocium mihi licet, inanes illas & parũ ad rem pertinentes rationes omnes ſingillatim perſequi. Summã complecti ſat eſt: ea te authore ſic ſe habet.

Periurus regno indignus eſt, Henricus eſt periurus: ergo;

At ego tibi aliquid amplius largiar. Quiſquis Deum quo-

uis

unis grauiore ſcelere offendit, quod mortale peccatum vocant, non regno ſolùm ſed & vita indignus eſt: quia in vitæ authorem & Regem Regum velut Maieſtatis crimen committit. Sed quid inde? Deus, quæ ſua eſt bonitas, clementia, & longanimitas, talem diu aliquando dignatur vita, dignatur imperio: & prout ei viſum eſt, ſcelus vlciſcitur vel condonat. Manent igitur Reges quamuis mali, quamuis regno indigni, donec id eis Dominus imperium permittit, quem ſolum ſupra ſe habent, vt ait Tertullianus [1], & à quo ſolo in temporalibus iudicari poſſunt quique vt ait D. Ambroſius [2], *nullis tenentur legibus humanis, ſed liberi ſunt à vinculis delictorum. Nec vllis ad pœnam vocantur legibus imperii poteſtate.* Sed nec firmum omnino iſtud fundamentum eſt, quod tu in harum cauſarum explicatione perpetuò ſubſternis, *indignus regno eſt, ergo abdicandus.* Quid enim? qui ſordidè & auarè viuunt, & neque ad pauperum, neque ad amicorum, neque ad ſuos proprios vſus quicquam ferè de congeſtis à ſe auri & argenti cumulis impendunt, nonne tantis diuitiis indignos cenſes? At eos tamen ſuis illis opibus hac de cauſa ſpoliati, nulla vel æquitatis naturalis vel iuris ſcripti ratione permittitur. Rex itaque licet regno indignus ſit reſpectu diuinæ Maieſtatis à qua regnum omne & imperium pendet, tamen reſpectu ſubditorum quibus ipſe ſemper ſuperior eſt, quamdiu Rex eſt, nulla de cauſa ab iis remoueri ſceptro vel in iudicium vocari poteſt: omnium enim commiſſorum ex parte Regis hæc vna depulſio ſatis eſt, *Reges nullis tenentur legibus humanis: nullis ad pœnam vocantur legibus tuti imperii poteſtate.*

An non vir ille ſanctus, ꝙ de homicidio & adulterio Regis reſpondit, de periurio ſimiliter & aliis vitiis interrogatus reſpondiſſet? Non enim fracta & in furorem acta eius fuit patientia. Graue quidem crimen periurium, ſed eius tamen nulla pœna ſi per Deum iuretur, excepto vno caſu, legibus eſt conſtituta: vt vberius alibi oſtendemus [3]. qua de re cùm iuriſconſultum, ſeu potius leguleium agere conaris, iuris authorum differentias denominationesq; cōfundis. *Nam quod à iuriſconſulto dicitur,* inquis [4], *C l. 2. de rebus cred. & iureiu. Periurium Deum ſatis habere vltorem.* dicendum fuit, ab Imperatore, Alexandro nempe: Codex enim non Iuriſconſultorum reſponſa, ſed Imperatorum reſcripta & conſtitutiones complectitur. ſed exiguum hoc erra-

1 ad Scapulam.
2 in apolog. Dauidis c. 4. & 10.
3 ad l. Si duo §. vl. D. de iureiur.
4 lib. 2. ca. 1.

erratum, eſt hominis tamen in iure parum verſati indiciũ. Sed eſto, ſupplicium in periuros legibus eſſe decretum. qui illud ad Reges produxeris, qui ſupra leges ſunt, quiq; nullis humanis legibus tenentur, vt prioribus libris iam ſatis ſuperque eſt demonſtratum? Diuinam iuriſiurandi violati vltionem effugere nemo poteſt, eoque excarnificatæ conſcientiæ pœna aliæque à Deo cælitus immiſſæ, vel ab hoſtibus expetitæ, referri debent. Eſt tamen cur tuam in hac re vel magnam inſcitiam vel malitiam malam incuſemus. Nam vt Reges propter periurium abdicandos eſſe probes, argumentum à Saule his verbis profers [1].

[1] d. c. 3. lib. 2.

Cur viro ſi ad priuationem regni, tum ipſis tum poſteris, hæc etiam cauſa fuit, quòd fidem Gabaonitis, iiſdemque alienigenis, à Ioſue multis antè ſeculis iuratam violaſſet, vt eo iam occiſo, non prius ceſſaret triennalis fames, quàm affixis crucibus ſeptem eius filiis, ſtirps eius tota, ſic volente Deo, deleretur.

Iuris errorem iuris imperito iam facile condonaui, at huius delicti quod ficto falſoque ex Scripturis argumento contraxiſti, quoniam maius inde malum eſt gratiam facere non poſſum, quin prius ſuperiorum alterum tibi exprobrem, quippe hac vna ſententia duo falſiſſima complexus es. Nam primùm ſatis conſtat Gabaonitarum cædem in nullam partem cauſæ adimendi regnum Sauli fuiſſe vocatam: cùm cædes illa poſt Saulem à Domino reiectum, & ſententiam de regni priuatione à Deo per Samuelem pronunciatam multo tempore contigerit. tunc nimirum cùm cæſo Pontifice Achimelech cæteriſque Nobe ſacerdotibus, in Gabaonitas etiam qui in miniſterio altaris Domini erant [2], atque adeò in omnes vrbis Nobe tam inhumaniter crudeliterque delæuiit, vt non viros ſolùm & mulieres, ſed pueros etiam & infantes atque pecora quoque gladio interficeret [3]. Deinde pluſquam manifeſtum eſt totam Saulis ſtirpem illa deditione & internecione ſeptem filiorum eius non fuiſſe deletam: ſcriptum enim eſt. *Pepercit Rex Miphiboſeth filio Ionathæ filii Saul propter iuſiurandum Domini, quod fuerat inter Dauid & inter Ionathan filium Saul.* Hic igitur præcipuus de ſtirpe Saulis reſeruatus fuit, & ad quem regnum naſcendi ſorte perueniſſet, ſi nõ expreſſa Dei ſententia fuiſſet ablatum.

[2] Ioſue. 9. ca.

[3] 1. Reg. 22.

Sed ecce, talibus commentis, etiamſi falſa in verum cõuerterentur, parum proficere in hoc negotio potes. Eſto enim periurium non partem cauſæ ſolùm, ſed totam cauſã

abdi-

abdicandi Saulis præbuiſſe quid aliud inde potes colligere, quàm periurium idoneã & ſatis magnam cauſam Deo eſſe priuandi Reges ſceptro atque imperio omni quod & nos fatemur, & hoc amplius, omne peccatum mortale eius generis eſſe, vt Deus ob id iuſtiſſimè non regno ſolùm & principatu, ſed lucis huius vſura, atque etiam vita æterna aliquem priuare poſſit. At hoc quid ad populi poteſtatem? an quibus ex cauſis Deus ſceptra Regibus auferre poteſt, iiſdem etiam ex cauſis ſubditi? Quid? an vnquã fando audiſti imperium Regi propter periurium à Deo vel populo fuiſſe abrogatum? nihil illo verius, quod vir bonus & in rebus diuinis pariter & humanis exercitatus refert [1]. *Id enim*, inquit, *pleriſque Principibus vſu venit, dum ſuis rebus timent, iureiurando multa polliceri: mox verò tergiuerſari, ſi arridentiore fortuna iuuentur.* Quoties fidem publicam pactis iuratis dãtam acceptamque leui de cauſa à Principib. violatam accepimus? non vnus ille Lyſander extitit, qui pueros talis, viros periurio fallendos eſſe cenſuit [2]. Eſt enim neſcio quo malo more & falſa perſuaſione comparatum, vt plerique eorum qui regnis & Rebuſp. præſunt ius omne ad vtilitatem referant, & id demum iuſtum cenſeant, quod ſummæ rei prodeſſe arbitrantur vt ne periuriis etiam abſtineant, dum iis Rempub. iuuare poſſe falsò perſuadetur. Qua ratione Chæronenſes Damonem quendam agros vrbi propinquos latrociniis & incurſionibus deprædantẽ cùm non poſſent comprimere, eum fide data verſutis legationibus & decretis in ciuitatem pellexerunt, ibique nihil tale metuentem contra fidem & promiſſum occiderunt [3]. Sic Cleomenes Anaxandridæ filius Spartæ Rex pactas cum Argiuis inducias vt eos imparatos & nec opinãtes adoriretur, violauit [4]: cùq; ei periuriũ exprobraretur, callida & malitioſa interpretatione obiectũ facinus eludebat: hoc addito, *quocunq; quis hoſtes modo læderet, & apud Deos & apud homines ſummo iure factũ videri.* Theodoricus Clodouæi filius, Mediomatricum Rex cùm non poſſet Mundericum rebellantem vi capere, eum, iureiurando interpoſito de reconciliatione, ad ſe vocatum interfici curauit [5]. Iacobus. II. Rex Scotiæ, Princeps alioqui laudatiſſimus, & qui moriens maximum ſui deſiderium apud omnes regni ordines reliquit, cùm Duglaſii potentiam inſolentiamque aperto Marte confringere & comprimere nequiiſſet, hominem ad ſe accerſuit, fidemque ei ſuam de libero acceſſu deceſ-

1 Gaguin. in vita Caroli Calui.

2 Plutar. in vita Lyſandri.

3 Plutar. in vita Cimonis.

4 Plutarc. in apophth. lacon.

5 Greg. Turon. lib. 3. cap. 14.

deceſſuque publico diplomate & ſacramento ſolemni obſtrinxit, quem mox vbi in aulam venerat, propria manu interfecit. Poſſum infinita id genus exempla proferre, violati inquam iuriſiurandi, quod licet numinis vindictam commeretur, nunquam tamen ſubditis legitimam rebellandi cauſam præbet.

Supereſt vt illud quàm vanum ſit, quod de infamia ex Ciuilis & Pontificii iuris penu ad hanc rem depromis, breuiter indicemus. Quod vt facilius intelligatur, ſciendum eſt infamiam duplicem eſſe vulgò tradi, vnam iuris, alteram facti [1]: illa nominatim ex aliquo iuris ſcripti capite propter turpem cauſam perſonis, ſtatim atque aliquid fecerunt, vel per ſententiam, irrogatur, totaque ex legum & iuris diſpoſitione pendet [2], quæ certas tantùm cauſas annotat in quibus periurium non eſt: hæc verò in ſola hominum opinione poſita eſt, & non ſolùm ex periurio, ſed omni alio ex facto naſcitur, quòd apud bonos & graues viros pudorem onerat, & aliquem malè audire facit [3]. Illa delicti pœna ciuilis, legitima, & temporalis eſt, quæ idcirco à Principe per ſpecialem indulgentiam remitti vel tolli poteſt [4]. hæc verò naturalis & perpetua quæ in mentibus hominum vſque adeo inhæreſcit, vt eam nulla Principis indulgentia inde diuellere & abolere poſſit. hac Principes laborant ſæpe, illa nunquam: cùm enim ſupra leges ſint, & legibus ſoluti, vt eſt iam ſuprà fuſiſſimè demonſtratum [5], legum pœnas ſubire niſi volentes non tenentur: cùmque ſolo verbo omnem iuris infamiam ipſi quibuſcunque volunt remittere ſoleant, quin illam à ſe ipſis remouere velint non eſt dubium. Quicquid igitur ex legibus & iure ciuili adfers hac vna reſponſione diluitur: nec magis difficiliter præſidium illud expugnatur quod in Eccleſiaſtico iure collocat [6]. Infamiam enim iuris, cùm ſit pœna merè temporalis, Pontifex ob delictum irrogare ſua conſtitutione non poteſt niſi ſuæ iuriſdictionis hominibus, id eſt vel Eccleſiaſticis perſonis quibus per totum orbem imperat, vel iis qui eius temporali ditioni ſubſunt. Alioqui enim temporalem Regum & Principum Chriſtianorum iuriſdictionem inuaderet, quod nec velle eum nec poſſe credendum eſt [7]: Neque ad rem pertinet quod ex Innocent. III. reſcripto profers [8]: ibi enim de electione Regis Romanorum in Imperatorem promouendi agitur, cuius perſonam examinandi, approbandi, conſe-

-crandi,

1 Bart. ad l.1.D. de his qui not. infa. Iaſon ad l. cunctos populos. in 2. lect. nu. 44. C. de ſumma Trinit.

2 l.1. D. de his qui not. infam.

3 l. ob. hæc verba 20. D. de his qui not. inf. l. 2. D. de obſeq. parent. & patron.

4 l.1. l. generalis & l. cum indulgentia 6. de ſent. paſ.

5 Lib. 3.

6 6. q. 2. can. Infames. ex. quere-lam de iureiur.

7 cap. per venerabilem. iuncta gloſ. in verb certis cauſis qui fil. ſunt legit.

8 cap. venerabilem de elect.

crandi, & coronandi ius & facultatẽ ad ſe ſpectare Papa aſſerit, imò quod maius eſt *ſuperioritatem ad imperium ſe habere, & poteſtatem in qua vacante imperio Imperatori ſuccedit:* ſibique ab Imperatore fidelitatis iuramentum deberi [1]: vt mirum non ſit ſi ſummus Pontifex, quantum ad ius ſuum de examinanda & approbanda perſona attinet, ſecundum Eccleſiaſticas conſtitutiones numerarit periurium inter notoria impedimenta approbationis, conſecrationis, & promotionis ad imperiũ. At hoc q̃d ad Reges & Principes alios qui faſces ſuos temporali Pontificis ditioni non ſummiſerunt? quibuſque nulla ad electionis & inaugurationis ſuæ confirmationem Pontificia authoritate & approbatione opus eſt? his accedit quòd in illo Innoc. III. reſcripto, de creando, non de abdicando Imperatore agitur: eſtque illud peruulgare, multa impedire facienda quæ facta non diſſoluunt. Neque enim vnquam ab hominum memoria auditum eſt, Regem propter ſolum periurium ſolio fuiſſe deiectum. Itaque quod de Sedechia ſcribis luſorium planè & ridiculum eſt: quaſi verò propter periurium, ac non propter rebellium potius à Nabuchodonoſore punitus ſit. Nam etſi ſine iureiurando obedientiam promiſiſſet, rebellaſſetque, non dubium quin eum vltus fuiſſet Babilonius: & contrà ſi decies millies aliis in rebus peieraſſet, in Chaldæorum autem fide & obſequio manſiſſet, non hoſtis ſed amicus Nabuchodonoſoris fuiſſet iudicatus. Quæ cùm ita ſint, valeant quæ de periurio ſcribis, vt quæ ad Regis abdicationem nihil valent.

[1] Clemen. Romani. de iureiur. Clem paſtoralis. de ſent. & re-iud.

CAPVT. III.

SEquitur nunc altera fictæ abdicationis tuæ cauſa non minus prolixè quam illa ſuperior à te propoſita [2]: quæ quanquam rei luctuoſę memoriam mihi refricat, Guyſianorum nempe Principum cædis recordationem (quos ego & viuos amabam, & tam ſubita atque acerba morte extinctos non parum dolebam mærebamque) tamen quà ius regium vniuersè ſpectat, cùm facta infecta fieri nequeant, tractanda paucis hoc loco atque examinanda eſt. Regem igitur triplicis criminis reum vno facto conſtituris, homicidii nempe, parricidii, & aſſaſſinii ſiue aſſaſſinatus (neq; enim quod ei nomẽ detur ſatis cõſtat) vt his veluti triplici fune colligatuſ conſtrictuſq; extrahatur

[2] Lib. 1. ca. 6. 7. 8. 9.

de

de ſolio, exigatur de regno, deque cætu & ſocietate hominum, vt lapis è funda protrudatur, ita enim tu:

[1] Lib. 2. ca. 6.

BOVCHER [1]. *Sequitur homicidii crimen & ipſum periurio, vt facto ab Henrico connexum, ſic grauitate comparandum. Quod ne non vndique execrandum in Henrico eſſet triplex in vno ſcelere crimen facit. Quod innoxii Principes caſi, quod propinqui, quod per Aſſaſſinos. vt cùm homicidam, parricidam, & aſſaſſinum ſimul eſſe conſtet, habeat iſto nomine amplius, & quod animaduertere Eccleſia, & quod iſte* (magna Regis deſignandi contemptio) *luere debeat atque poſſit.* deinde ſic tandem cõcludis: *Ex quibus intelligitur, quàm iuſtè hoc nomine Henricum pelli regno cõueniat, qui ſe vno tempore triplici iſto ſcelere, homicidii, parricidii, aſſaſſinatus tanquam funiculo triplici, qui difficilè rumpitur, obſtrinxerit.*

Ordiar ab vltimo, vt tua in hac re calumnia euidens & perſpicua omnibus appareat. Quod igitur Regem Aſſaſſinum dicis, & per Aſſaſſinos necem Guyſiis Principibus intuliſſe, id nec verum eſt nec eſſe poteſt. Aſſaſſini enim homines quidam erant Sarraceni & infideles montana loca quà Romam itur ſub domino itidem pagano incolentes, qui quoſcunque prætereuntes & quocunque modo interficere ſuſque deque ferebant, ſi id ipſorum domino placuiſſet: ita enim perſuaſum habebant, æternam ſibi ſalutem ſe poſſe comparare occidẽdo quemcumque dominus occidi iuſſiſſet. Ac de his quidem tantùm eſt decretalis illa conſtitutio Innoc. IIII. [2]. quam tu aut non plenè lectam, aut perperam intellectam in medium adducis, vt Regem tuum Aſſaſinum eſſe probes quod vtique non feciſſes, vt arbitror, ſi decretalem illam diligentius paulo atque attẽtius conſideraſſes: ipſa enim te gloſſa [3], monuiſſet conſtitutionem localem eſſe, id eſt ad ea tantùm loca pertinere in quibus Aſſaſini illi Sarraceni habitabant. cui conſequẽs eſt, quod cùm genus id hominum iam extinctum ſit, nulli amplius reuera ſint Aſſaſini; quamuis Itali illo adhuc nomine abutantur, & ex vulgaribus iuris interpretibus nonnulli. Atque ita doctiſſimi Theologi & Canoniſtæ [4], aſſerunt neminem nunc ob homicidium, etiamſi pecunia ad id conductos & addictos habeat, incidere in pœnam illius conſtitutionis. *Non incurrunt hanc*, inquit Nauarrus [5], *qui faciunt interficere ob pecuniam, quamuis huiuſmodi interfectores vulgus Italicum appellet aſſaſinos, quia non ſunt propriè tales.* An non igitur te pudeat id Regi tuo potentiſſimo Chriſtianiſſi-

[2] ca. 1. de homicid. in 6.

[3] in princ. & in verb. formidantes.

[4] gloſ. Ioan. And. Archi. in d. c. 1. de homicid.

[5] in Enchiridio Confeſſ. ca. 27. num. 135.

ſtianiſſimoque ſceleris nomen affingere, quod ne priuato quidem, ſi quid ſimile perpetraret, propriè poſſit conuenire? Naturæ humanæ conditio & imbecillitas ſuadet, vt pœnæ per interpretationem molliantur potius quàm aſperētur, idque vel ethnicis legislatoribus viſum eſt [1]: tu verò contrà omni ſtudio contendis, omnemque ingenii tui facultatem ad id enixè confers, vt criminis magnitudinem falſi nominis indignitate, & ſuppliciorum multitudinem confiĉto ſcelerum numero augeas. *Nunquam* enim *plura delicta concurrentia facient vt vllius impunitas detur* [2].

Illud præterea inter omnes conſtat non eſſe eos Aſſaſſinos, ſiue propriè ſiue impropriè id verbum accipiatur, nec etiam homicidas, imò ne peccare quidem, quos Princeps aliquo iuſtitiæ vel vtilitatis publicæ prætextu cogit pro poteſtate imperii aliquem inuadere & neci dedere, ſi modo ipſi non prætextum ſed veram cauſam eſſe arbitrentur. *ita vt fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem*, ſiue ſubditum *oſtendat ordo ſeruiendi* [3]. *Miles* enim *cùm obediens poteſtati ſub qua legitimè conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla ciuitatis ſua lege reus eſt homicidii, imò, niſi fecerit, reus eſt imperii deſerti atque contempti. Quod ſi ſua ſponte atque authoritate feciſſet, in crimen effuſi humani ſanguinis incidiſſet. Itaque vnde punitur, ſi fecerit iniuſſus, inde punietur niſi fecerit iuſſus* [4]. Nullus igitur in illorum Principum cæde Aſſaſſinatus fuit, aut eſſe potuit. ac proinde parum tu quidem fidus es reſtiarius, qui duplicatos tantùm funiculos pro triplicatis populo exhibes.

1 l. pen. D. de pœn.

2 l. 2. D. de priua. delict.

3 S. Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. Manich. c. 25. & refertur can. quid culpatur. 23. q. 1.

4 Idem lib. 1. de ciuit. Dei c. 26. & refertur. 23. q. 5. can. miles.

CAP. IV.

IAm verò de homicidio & parricidio quod proponis, nihil aliud dici poteſt, etiam ſi inter omnes conſtaret, generoſos illos Principes fuiſſe innocētiſſimos, quàm peccaſſe grauiter & ſceleratè feciſſe Regem, qui illos eo modo iniuſtè ſuſtulit: regno autem ob id ſpoliari abdicarique poſſe Regem legitimum, nulla lex diuina vel humana, nullum ius aut conſuetudo vnquam permiſit. Pone iſtos turbati animi tui motus, & cogita tecum quàm eſſet res periculi plena, & non minus regnis ipſis quàm Regibus exitioſa, ſubditos ob ſolum homicidium vel parricidium aliquod in Principem poſſe inſurgere, atque (vt tu alibi falsò & nequiter affirmas) pari in eum atque in fures & latrones poteſtate animaduertere: certè nemo, vt arbitror, niſi a-

mens rem tam perſpicuam & euidentem non animaduertit. Tu verò nulla aut ratione aut lege contendis, ſed tantùm exemplis quibuſdam, quæ, vt ſæpius iam dictum eſt, facta tantùm, non ius & æquitatem facti, nobis demonſtrant. nihil enim tam vanum, tamque iniquum reperitur, cuius non aliqua ex hiſtoriis exempla peti poſſint.

Regum ferè proprium eſt ſuſpicionibus facilè commoueri: quòd quemadmodum omnium oculis, ita multorum etiam odiis exponantur, vt tragicus non male Polynicem dixiſſe finxerit [1].

Simul iſta mundi conditor poſuit Deus,
Odium atque regnum.

Et magnorum virorum rebus præclarè geſtis inuidere, præſertim eorum quos aut generis claritas, aut opes & aliqua animi magnitudo atque elatio, aut virtutis apud populū opinio commendatioq; in regni occupandi ſpē, imò vel appetendi ſuſpicionem, adducere poſſe creditur. Nam Regibus boni, quàm mali ſuſpectiores ſunt: ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt [2], quòd nihil regni potiundi deſiderio ad quiduis audendum tentandumque homines magis impellat: vſque eò vt cum eodem illo dicant [3],

pro regno velim
Patriam, penates, coniugem flammis dare.
Imperia pretio quolibet conſtant bene.

Hęc res multorū malorum cauſa, multiſq; illuſtribus viris exitio fuit, nam *— Dubia pro certis ſolent*
Timere Reges [4]

& omnem magnam potentiam ſuſpectam habere, ſi cùm acri ingenio & gloriæ cupido coniuncta ſit. Ingens adeò monſtrum eſt ambitio & regnandi cupiditas, vt etiam coniunctiſſimos inter ſe committat, & fas ac nefas iuxta æſtimari faciat, dum vel occupandi Principatus deſiderium & ſpes quamlibet fallax, vel eius amittendi ſeu verus ſeu vanus & inanis timor aliquem inceſſit. Hæc illa eſt, quæ hominem in quoſuis animi habitus format & transformat, vt ſuprà iam fusè oſtendimus [5]. Quò fit, vt nihil factu tam arduum & difficile, quod non tentet: nihil tam crudele, ignominioſum, & immane perpetratu, quod non exequatur is in quem tetra dominandi libido virus aliquod peſtilens per ſpem aut metum exhalauit. Sæuus iſte & cæcus animi furor Abſalonem Dauidi [6], Adromelechem & Saraſarem Sennacheribi [7], Phraatem Orodi ſiue Hyrodi [8], Pruſiæ

[1] Seneca in Thebaide. in fi.
[2] Sal. in coniur. Catil.
[3] Seneca, vbi ſuprà.
[4] Senec. in Oedip. act. 3.
[5] lib. 5.
[6] 2. Reg. 15.
[7] 4. Reg. 19.
[8] Appian. de bello Parth. Plutar. in vit. Craſſi.

Pruſię Nicomedem [1], Mithridati Pharnacem [2], Ptolomęo Euergeti Ptolomæum Philopatorem [3], Sigiberto Chlodericum [4], Clothario Chramnum, alioſque patribus filios impiè, & crudeliter regna tollere, & mortem machinari nō raró coegit: parque in filios patribus odium contra naturam inſæuit. Mithridates namque filium ſuum Mithridatem, quòd regnum eum ambire ſuſpicaretur, cathenis aureis primùm vinxit, mox occidit [5]. Sigiſmundus verò Burgundiorum Rex Sygiricum filium innocentem ac dormientem, falſa affectati regni ſuſpicione, ſtrangulauit [6]. Omitto & veteres & recentes fratrum cognatorūque inter ſe diſcordias, inſidias, & cędes nullis non cognitas, quæ, quoniam ſunt propè numero infinitæ, nec ſcribi ſine tædio & non neceſſario labore, nec legi ſine faſtidio poſſunt. Illud enim, vt arbitror, inter omnes cōſtat, imperia ſumma homines plerumque ſuperbos & ſuſpicioſos reddere: eoque fieri vt paruos contemnant, magnos metuant, mediocribus delectentur. Itaque Regum fauorem atque amorem perq̃ lubricum & periculoſum eſſe vulgò traditur: vnde apud Scotos prouerbii loco iactatur, *The narrar the king the narrar the VVyddê*, id eſt, *quo quiſque Regi propinquior, eo propinquior patibulo.* eſt adeò nimirum inconſtans atque incerta regalis beneuolentiæ fides. Solent enim perſæpe Reges homines paulò antè amiciſſimos, & maximis à ſe honoribus opibuſque cumulatos, ob leuem & interdum falſam ambitionis vel coniurationis ſuſpicionem de ſtatu præcipites dare, inque maximas miſerias conîicere. Nunc Aman ab Aſſuero exaltatur, poniturque *ſolium eius ſuper omnes Principes* qui ſub Rege ſunt: nunc pauperi Mardochæo, quem Aman ad ſupplicium rapere cupiebat, iidem illi honores decernuntur: Amanque in ea ipſa trabe altiſſima quam Mardochæo parauerat Rege iubente ſuſpenditur [7]. Nunc Surenam Orodes regiæ menſæ participem facit; nunc, propter nimiam eius potentiam ſolicitus, indemnatum mandat interfici [8]. Adrianus Tarianum & Similem, quibus debebat Imperium, à præfectura remouit, & parum abfuit etiam quin occideret, hac ſola de cauſa, quod eorum potentiam ferre non poterat [9]. Qua de cauſa Orontes Regis Artaxerxis gener cùm à Rege irato magna affectus ignominia ac damnatus eſſet, dixiſſe fertur Regum amicos ſimiles eſſe digitis hominum ſuas rationes ſupputantium: quòd quemadmo-

1 Iuſtin. lib. 35. Appian. de bell. Mith.
2 Dio li. 37. Appian. bell. Mithr. 9.
3 Iuſt li 2.
4 Greg. Tur. li. 2 c 40.
5 Appian. de bell. Mithr.
6 Greg. Tur. lib. 3. cap. 5.
7 Eſter 3. & 7.
8 Plut in Craſſo. Appian. in bell. Parth.
9 Spart. in Adr.

dum vnus idemque digitus nunc myriadem nunc vnitatẽ pro arbitrio ſupputantis repræſentat: ita Regum amici nunc ſummo nunc infimo, vt Regibus viſum eſt, loco habeantur [1]. Vix vllus in hiſtoriis reperitur qui magis egregiam Principi ſuo operam nauarit, aut plura bella confecerit, pluréſque victorias & triumphos pepererit, quàm Iuſtiniano Imperatori Belliſſarius: cui & vitam inſuper atque imperium, in maxima omnium ſeditione, triginta millibus de populo cæſis, magna & fortitudine & prudentia cõſeruauit [2]: at eum tamen idem Imperator, propter leuem affectati regni ſuſpicionem à gloriæ ſuæ æmulis ſuſcitatã, non ſolùm cunctis dignitatibus & facultatibus exuit, ſed vtroque etiam lumine orbauit, eóque calamitatis reduxit vt ſtipem ſibi è tuguriolo mendicare coactus ſit: date, inquit, obolum Belliſſario, quem inuidia non culpa occæcauit: ignominia certè magnanimo Duci, vt ille erat, quauis morte acerbior. Artaxerxes Tiſſaphernem illuſtri primùm apud ſe gratia habitum, & paulò pòſt calumnioſè delatum protinus occidi fecit [3]. Facile eſſet ſed nimis longum infinita eiuſmodi è veterum ſcriptorum monimentis exempla proferre. nuſquam enim non obuia ſunt, quæ vt quorundam Regum impietatem, malitiam, & ingratitudinem aliquando, ita omnium ſupremam & liberam ab omnibus humanarum legum pœnis poteſtatem demonſtrant. Horum ego & aliorum multorum recordatione commonefactus atque edoctus, Guyſio ſemper à Rege timui, quòd id ei commune cum Regibus omnibus vitium eſſe ſcirem, vt quem ſemel inimicum ſibi atque infenſum reputauerat, eum tanto inuiſiorem & ſuſpectiorem haberet, quanto eius maiore in gratia & gloria apud multitudinem nomen celebraretur. idque & ſæpe & palàm me multis edictaſſe memini. Cuius rei teſtem citabo integerrimũ Ioannem Porceletum Maillanæum, quẽ honoris gratia nomino, virum vtique & antiqua nobilitate, & doctrina ac pietate illuſtrem: qui cùm paulò poſt Pariſienſem tumultum, mihi in ſuo ſecum horto inambulanti narraſſet, agi cœptum de reconciliatione gratiæ Regis & Guyſii: ego ei ſtatim, hei vereor ne illa concordiæ reconciliatio præſens Guyſio pariat exitium: tum ille, quid ita? quia videor mihi, inquam, videre Regem eo Guyſium artificio deludentem, quo alii ante eum Reges ſubditos ſibi Principes ſæpe circumſcripſerunt. Nihil illi non concedet, nihil non ſanctè pol-

1 Plutar. in Apophtheg.

2 Procop. li. 1. de bell. Perſ.

3 Pauſan. in Lacon. ſiue lib. 3. Plut. in Ageſilao.

pollicebitur, dum eum in ſuam poteſtatem pertraxerit: quē vbi fidentem & nihil metuentem aula ſemel concluſerit, celeri mox ruina eſt oppreſſurus. Id ego tunc verius quàm voluimus augurabar, & poſtea citius quàm vllus noſtrum opinatus eſt eueniſſe magno cum mœrore accepimus. qua de cauſa Illuſtris ille vir, audita Guyſii cæde, memorem ſe mei abſentis redditum fuiſſe dixit.

Nequiter profectò agunt Reges & peccant grauiſſimè, cùm homines quos innocentes eſſe ſciunt, vt olim Dauid Vriam, trucidandos curant: minus autem quando falſa ſed veriſimili, vt illis videtur, ſuſpicione ducti in viros bonos temerè, inconſideratè, immeritoque deſæuiunt: quo in genere Guyſiorum Principū cædem vitio verti Henrico Regi poſſe dicendum eſt quòd graues & odioſæ in eos ſuſpiciones ex Pariſienſi tumultu, aliiſque rebus geſtis ortæ Regis animum vehementer exulcerarent. Nihil denique omnino ſi certa & indubitata facinoris indicia extent: nullumque eo caſu iudiciarium ordinem in meritis debitiſq; ſupplicijs exigendis neceſſarium eſſe, Salomonis illud in fratre ſuo Adonia condemnando perimendoque factum Deo atque hominibus gratum declarat. At neque ob illud primi generis homicidium, quamuis per ſe quidem turpiſſimum, neque ob aliud vllum, Regi, vt criminis reo, ad hominum tribunal cauſa dicenda eſt: multoque minus Imperii maieſtas dignitaſque regalis adimenda. quia, vt ex Ambroſio [1] identidem iam recitauimus, *Reges nullis tenentur legibus humanis: neque vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperij poteſtate.* Sed quid? homicidium ne eccleſiaſticam quidem dignitatem, officium ſcilicet vel beneficium ipſo iure adimit clerico, ſed tantùm per ſententiam, vt docet Panormitanus [2]. poterítque ſummus Pontifex ei facilè indulgere, vt & de facto ſæpe indulget: quanto minus Regi, cùm ſupra omne ius humanum poſitus ſit, nullumque in temporalibus iudicem habeat, auferri hac de cauſa imperium poſſe credendum eſt. Malè actum cum Dauide fuiſſet, ſi tibi tunc vita atque authoritas aliqua apud Hebræos ſuppetiſſet: peius verò cum Theodoſio, ſi Mediolanenſis eccleſia te antiſtitem tunc temporis pro Ambroſio habuiſſet. Peſſimè autem cum Seuero, ſi illo imperante aliqua in Senatu gratia valuiſſes. Nam hic quidem vbi primùm in vrbem venit, ſolemni iureiurando in Senatu facto, promiſit nullum ſuo iuſſu ſenatorem interfectum iri:

1 in Apolog. Dauid. cap. 4. & 10. Intellige, coactiuè: nam directiuè, vt loquūtur, legibus ſubiecti ſunt.

2 Ad cap. 6. de conceſſ. Præb.

eaque de re ſenatuſconſultum fieri curauit, quo comprehendebatur *non licere Imperatori inconſulto Senatu occidere ſenatorem & Imperatorem quidem, ſi ſenatori mortem afferret, tamque cuius opera ad eam rem vteretur, liberoſq; ipſorum, hoſtes Reipub. futuros.* Verùm is primus omnium contra hanc legem fecit, quod ea minimè obſeruata multos ſuſtulerit: in quibus fuit Iulius Solon, qui ſuperius decretum iuſſu Imperatoris ſcripſerat, quem paulò pòſt occidit[a]. Quid tu hic feciſſes Boucheri? quæ tuam in illum tubam terrarum plaga non audiiſſet? At erat vtilis tamen Reip. Princeps, & qui quod concuſſum & turbatum valde imperium reperit, tranquillum & ſedatum reddidit.

a Xiphil. ex Dione & Æli Spart. in vita Seueri.

Quæ cùm ita ſint, tuam illam nouam & ſeditioſam hac de re ſententiam nec ratio, aut lex (nullam enim adfers) nec exempla, quorum vis omnis contrariis exemplis retunditur, quicquam iuuant. Miſeret me tui, & ob id moneo vt quò fugiſti, vbiue conſiſtas, perpensè cogites. memento te ſub Monarcha degere, & non in Republica. Noli tam ingratam hoſpiti tuo gratiam referre: noli ei, quod precioſiſſimum eſt, antiquam regnandi libertatem auferre. Noli ſecuritatem imperii ſecuribus popularibus ſubiicere conari. Noli homicidium idoneam & legitimam abdicādi Regis cauſam prædicare, iniuſtam valde, & ingratam meritò Principibus omnibus ſententiam. Eſt ſanè cur tibi ab omnibus Monarchis timeas, quibus tam ingens creas periculum, quos, inquam, in tam lubrico loco conſtituis, tamque fragili & infirma conditione ſceptra tenere aſſeris, vt homicidii pœnas regnorum amiſſione luant. Talia licet ab Hollandis, cæteriſque quos vocant Status (qui partim ob duorum Comitum cædem, partim religionis cauſa rebellarunt) aliquam tibi fortè gratiam conciliarent, non poſſunt non maxima Principum Chriſtianorum odia in te concitare. Communis enim & par omnium cauſa agitur, & veritas ſemper vna eſt.

CAP. V.

a li. 2. c. 30.

BOVCHER[a]. *Quod percuſſor Cardinalis Archiepiſ. Rhemenſis crimen tertium. Creſcit videlicet cum numero ſceleris genus. Et quod furoris impetu in principe ſeculari factum videri poterat, idem poſtridie in Sacerdote, Epiſcopo, Cardinali, ac patre ſpirituali admiſſum, contemptum Eccleſiæ atq; Dei inſigni probat atque manifeſtat.*

Gran-

Grande quidem crimen, & ſceleratum ac nefarium facinus eſt, atque Pontificia notione & animaduerſione dignum, occidere Cardinalem, multùm tamen intereſt, cædéſne ex priuata iniuria vel repentino animi motu, an verò ex publico in totum ordinem Purpuratorum odio, communique totius Eccleſiæ contemptu proficiſcatur. Cum illis enim quos vlciſcendæ aut propulſandæ iniuriæ cogitatio ad id ſceleris impellit, mitius pro rei qualitate agi ſolet, adeò vt excommunicationis & cenſuræ Eccleſiaſticæ nexu, cauſa cognita, à ſummo Pontifice liberentur. Cum his verò ſeueriùs, quòd vni facta iniuria in omnium redūdet ignominiam. Et quoniam exemplis plurimùm delectaris, ac nihil ferè niſi exempla adfers, en huius rei exempla quoque ſubiiciam. Nondum viginti ſupra centum anni ſunt, ex quo Laurentius Medices Raphaelem Cardinalem Sixti IV. tunc Pontificis Maximi ex ſorore nepotem, vna cum Franciſco Saluiato Archiepiſcopo Piſano, & multis aliis eos comitantibus, ſine vlla iudicii forma patibulis affixit[1]. Quod quamuis ſummus Pontifex cùm ob inſitum arctioris cognationis amorem, tum ob debitum publici muneris ſui officium ægerrimè tulerit, re tamen diligentius examinata, noxam Laurentio remiſit, & omnia cenſuræ eccleſiaſticæ vincula relaxauit. Deinde ſub id ferè temporis Ludouicus XI. Cardinalem Baluam de perfidia & proditione delatum, ſtatim in carcerem coniecit, totamque eius precioſiſſimam & planè regiam ſupellectilem, & cæteras facultates omnes publica auctione venditas in fiſcum tranſtulit; cui Regi tantùm abfuit vt idem Sixtus IV. regnū abrogarit, vt vitam ei atque imperium diutiſſimè conſeruare ſtuduerit. Noſtra verò ætate in Scotia Normanus Leſlæus Rothani ſiue Rothenſis Comitis filius, Iacobum Betonium Cardinalem & Archiepiſcopum priuato odio cōcitatus turpiter nequiterque interemit. At quia non in deſpectum Eccleſiæ, verùm ex priuato tantùm odio nex fuit allata, mitius cum percuſſore actum eſt: ita vt diu pòſt apud Henricum II. Francorum Regem illuſtri loco fuerit, eique præclaram in rebus bellicis operam nauarit. Quod ſi Henricus VIII. Anglus, cuius tu mentionem facis, non aliis multis ſceleribus fuiſſet coopertus, atque in apertam totius Eccleſiæ Catholicæ iniuriam nō prorupiſſet, haud dubium quin gratiam ei tandem de Roffenſis epiſcopi cæde, ne maius inde malum oriretur, ſummus Pontifex feciſſet;

[1] Hiſtoria addita Platinæ, in vita Sixti 4.

nullamq; de regno adimendo ſententiam pronunciaſſet.

Sed quoniam de Regis & populi iure hic tantùm agimus, cedo, ſi potes, ex ſacris vel profanis hiſtoriis ab omni memoria exemplum aliquod, quo ſubditi in Regem legitimum id ſibi poteſtatis arrogarint, vt eum ob necem vlli aut Epiſcopo aut Cardinali allatam, propria authoritate & velut iure ſuo, condemnare, abdicare vel caſtigare auſi ſint: nullum, ni fallor, ex tot retrò ſeculorum curſibus proferre potes. Eſt enim ille ſemper ratus & conſtans in puniendis flagitiis ordo, vt nemo niſi à ſuperiore iudicetur: par enim in parem, multóque minus inferior in ſuperiorem, non habet imperium [1]: populum autem Rege ſemper inferiorem eſſe, vel non eſſe Regnum & Monarchiam fateamur neceſſe eſt. abſurdum vtique & ridiculum eſſe quod ſcripſiſti [2], *Rege conſtituto ſuum Reipub.* (id eſt populo vt tu interpretaris) *ſupra eum ius remanere* in priore huius anacriſis libro, & alibi ſuprà, iam palàm oſtendimus. Deinde verò cùm diuinarum & eccleſiaſticarum legum populus arbiter & cuſtos non ſit: humanarum autem legum ſanctionibus & vinculis non teneantur Reges (vt eſt nunc ſæpiſſime ex antiquorum Eccleſiæ patrum ſententiis perſpicuè demonſtratum) conſequitur neceſſariò Regem à populo non poſſe iudicari. Quod ſi non iudicari, nec abdicari quidem poſſe conuincitur, cùm ſit tritiſſimum certiſſimúmque, genera ſuis ſemper formis adhærere, in ſuis formis eſſe, tantáque & certitudine & neceſſitate de illis dici, vt à quocunque remouetur genus, ab eo remoueri omnes eius ſpecies, nemo tam rudis & ignarus rerum eſt, modò non ſenſu communi caſſus, qui non animaduertat. nulláque lex aut ratio patitur vt ab executione aliquis initium ducat [3].

Sed age, Boucheri, & perpende mecum exempla illa quæ proponis [4], de Henrico VIII. Anglo, & Bolislao II. Polono: nihil in iis reperies quod populorum in Reges poteſtatem vel indicet vel confirmet: tota ad ſummi Pontificis tantùm authoritatem probandam pertinent. quin potius contrariũ ex iis colligitur, vt aliquo in te modo retorqueri poſſint. cùm ſuus alteri populus poſt excommunicationem totos quatuordecim annos ſubmiſsè paruerit: alteri verò duos. Ille regno, licet excommunicatus, toto vitæ tẽpore potitus eſt, illúdq; moriens ad ſobolẽ tranſmiſit: Hic verò quouſque ſceleris ſui conſcientia excruciatus de regno

1 l.4. D. de recept. l. ille à quo §. tempeſtiuum. D. ad Sc. Trebel.
2 li.1.c.18. ibid. c.9.
3 l.1. & l. vl. C. de execut. rei iud.
4 li.2.c.11.

gno aufugit, & agitantibus atque inſectantibus eum furiis, nullibique vt conſiſteret patientibus, in Monaſterium quoddam procul natali ſolo, vt ſcelus fœdiſſimum perpetua pœnitētia expiaret, errabundus atque ignotus ingreſſus eſt. Et verò Bolislai tam horrendum & immane facinus extitit, vt ei ſimile nullus nec noſtra patrum memoria oculus vnquam viderit; ac niſi tam præclaris, grauibus, & publicis monimentis commendatum conſignatumque fuiſſet, & nobis profectò & toti poſteritati incredibile videretur. Stanislaum enim ſanctum Dei ſacerdotem & Præſulem, qui ad innocentiæ ſuæ teſtimonium hominem vita pridem functum paulò antè à mortuis excitauerat, cùm interimere decreuiſſet, immiſit ex ſtipatoribus qui illum ſacra facientem in S. Michaelis templo necarent: at illi fanum ingreſſi retrorſus ſtatim omnes inſoliti luminis fulgore perterriti corruerunt, & genibus cubitiſque nixi vt inde extra ædem reperent diuinitus ſunt coacti: quibus alii ſubinde atque alii ſatellites iuſſu nefarii hominis ſuccedentes eandem planè fortunam experiebantur. Ac tandem ipſemet furēs odio, & ſcelus omni crudelitate maius anhelans templum gladio ſtricto intrauit, atque ſanctum Epiſcopum, vulnere in caput inflicto, propria manu trucidauit [1].

Et hanc quidem Bolislai in Stanislaum pluſquam feram & barbaram immanitatem impietatemque dum recolo, in mentem mihi venit eius quod obiter, ſed valde ſignificāter, de Henrico Rege tuo ibidem ſcribis [2]. Poſtquam enim oſtendiſti Gregorium VII. Pontificem, *quotquot* Bolislaū *auxilio vel conſilio iuuerant, cum tota eorum domo & nepotibus, ad beneficia Eccleſiaſtica habita vel habenda, & ad dignitates omnes atque honores, vſque ad quartam generationem inhabiles feciſſe*, addis. *Non erit fortaſſe Henrico Valeſio vel prima generatio.* Audax certè dictum, & ſuſpicionis plenum, ſi cum effectu qui mox ſubſecutus eſt conferatur. Nam licet iſta per ſe ſententia nihil mali contineat, quoniam talium ſemper rerum dubius atque incertus euentus eſt: tamen cùm eſſet Regi formoſa, pudica, & florens ætate coniunx, ipſeq; nec effæta ſenectute nec morbo impeditus quo minus liberis operam dare poſſet, haud æquum fuiſſe videtur de eo tam malè ominari. Quæ res facit vt nonnullis in ſuſpicionem communicati cum monacho conſilii veneris: quaſi inde illud tuum *fortaſſe* pependiſſet, vt ſi ille deſtinatum animo

1 Ioan. Herburt. lib. 3. hiſt. Polon. cap. 8.

2 lib. 3. ca. 11.

facinus exitu votis veſtris conueniente non perficeret, res vt antè, ſpe omni ſobolis nondum præciſa, in incerto remaneret: horum ego coniecturam haud facile fuiſſem ſequutus (mentes quippe ſcribentium benignius interpretandæ) niſi non coniecturam, ſed rem certam & manifeſtã id eſſe tutemet alibi non obſcurè indicaſſes [1]. quod vbi eò ventum fuerit, faxo omnibus innoteſcat.

[1] Li. 4. cap. penul.

CAPVT VI.

QVæ reliquæ ſunt apud te Regum exigendorum cauſæ, eas ego leuius percurrere decreui, quòd quatenus ad ius Principum vniuersè ſpectant, vnam illis rationem oppoſuiſſe iam ſat eſt. *Regem videlicet nullo humano iudicio ſubiectum eſſe.* quà verò ad Henrici III. Regis perſonam referuntur, non niſi miras meraſque calumnias eſſe pleriſque notius eſt, quàm in quo refutando magnopere ſit elaborandum. Nam nec hæreticum eum fuiſſe, nec fautorem hæreticorum, quamuis & eos tolerare & neceſſaria ipſorum opera vt hominum ſibi iure gentium ſubditorum vti interdum volens nolens, vt dicitur, coactus ſit, multo pluribus & certioribus argumentis colligi poteſt, quàm ſunt illa, quibus in contrarium niteris, obſcura, falſa, fallacia, & longè petita indicia. Fuit mihi cũ Patre Claudio Mattheo antiqua olim amicitia & intima familiaritas: qui Regem illum, ſi quis alius, intus, vt aiunt, & in cute nouerat: quippe cuius conſuetudine Rex aliquandiu plurimũ delectabatur, ita vt ei in Lupara in ad ſe vocato cellulã prope ſuum cimeliarchium componi fecerit, quo facilius die noctéque eius, vbi libitum eſſet, opera & conſilio vteretur. Is mihi de Regis & religione & moribus familiarius percõtanti (ſolebat enim mentem mihi planius aperire, atque arcana etiam committere, quæ propter condictum nulli vnquam illo viuo reuelaui) reſpondit, nihil illo melius, ſi ingenium ab aulicis quibuſdam non corrumperetur: eſt enim ad voluptates, quas ei otium & opes regiæ ſubminiſtrant, paulò procliuior, ſed mox commiſſi pœnitens magno deuotionis feruore ad ſe reuertitur: itaque quod ego ædificare in eo nitor, id illi eius aulici conantur deſtruere: vis dicam? vir bonus mihi videtur, ſed non æquè Rex: quia cùm nimium religioſus eſſe ſtudet, totuſque deuotioni & precibus incumbit, hoc ipſo regni procurationem & curam, quæ non monachali contemplatione, ſed Principis magnanimi & rebus agendis dediti ſoli-

ſolicitudine abſoluitur, nonnihil negligere videtur: eoque fit vt ipſo in ſpiritualibus occupato Reſp. ex iis quæ in ea peccantur detrimentum capiat. Hæc ille, qui ſi aut hæreticum eum, aut hæreticorum fautorem eſſe vel minima ſuſpicione ſuboluiſſet, ne id quidem eo tempore, multus quippe inter nos de hæreſi & hæreticis ſermo erat, vnquã reticuiſſet.

Sed ingentis profectò temeritatis, vel potius extremæ dementiæ fuiſſe videtur, te ad tantorum criminum in tanto Rege accuſationem procedere nullis certis & indubitatis teſtimoniis inſtructum, nullaque alia re adiutum, præterquam coniecturis, & dubiæ fidei indiciis quibuſdã, quæ ad victoriam in eiuſmodi negotio nihil valent. Neq; enim ſatis eſt in ea τὸ αὐτὸς ἔφα ſiue *Noſtre Maiſtre Monſieur Bouchere l'a dit. Nam ſi accuſare tantum ſufficit quis innocens erit?* eoque prudenter cautum eſt ne quis per ſcriptum accuſare vel accuſari, niſi præſens ſit, poſſit [1]. Sed quoniam, vt præmonui iam ſæpius, inſtituti mei non eſt integram pro hoc Rege apologiam contexere, quem totus vitæ curſus atque exitus hæreſeos ſuſpicione liberat, ſat habeo ruam in eo infamando malignitatem ex indiciis aliquot à te productis breuiter demonſtrare.

1 3. quæſt. 9 can. abſente & can. qui accuſare.

CAPVT VII.

BOVCHER [2]. *Sed apertiſſimè id docuit*, ſcilicet Henricũ hæreticis fauere, *toties hæreticis, cũ propè exanimes eſſent, & facile vinci poſſent, facta pax, dataque induciæ, vt fortiores ſcilicet exurgere, ac religioni Catholicæ negotium faceſſere validiùs poſſent.*

2 Lib. 3. ca. 16.

Hæc illa cæca inuidia eſt, quæ, vt ait Liuius [3], nihil aliud ſcit *quàm detrectare virtutes, corrumpere honores & præmia earum:* hæc inquam illa eſt, quæ te omnes huius Regis actiones tam bonas quàm malas ad eius ignominiam conuertere & pertrahere calumnioſa interpretatione facit. Neque enim hæ pacis induciarumque conuentiones cum hæreticis factæ, apertiſſimè, vt tu dicis, imò ne apertè quidem docent Regem illum fautorem hæreticorum fuiſſe: ſed potius eum tunc fuiſſe regni & Reipublicæ ſtatum, vt ferre amplius tam diuturnum, atrox & cruentum ciuile bellum non poſſet: atque ita cum tempore neceſſario pacem cum hæreticis, non tam illis quam Catholicis, atq; adeò toti regno vtilem & accõmodam feciſſe. An non

3 Lib. 38.

Carolus

Digitized by Google

Carolus IX. huius frater, hæreticis ſemper infenſiſſimus, magis noxia regno & religioni Catholicæ pacta cum illis inire aliquando coactus eſt? An non Carolus. V. Imperator, vt turbatam in Germania religionis ergo Rempub. ſedaret iniquiores pacis conditiones cum hæreticis pepigit, quam vnquam Henricus. III. in Gallia [1]? Quod Cæſaris factum licet multis viris Catholicis diſpliceret, nemo id tamen, vt tu nunc facis, in eius vituperium interpretatus eſt: vel gratiæ & fauori hæreticorum potius quàm Imperiali prudentiæ, & curæ de ſtatu Reipub. id tribuit. Et verò tu Dei legē licenter nimis & intemperanter violare videris, qui cogitationes hominum in deteriorem partem interpretaris: & cùm à pluribus regni curis conſiliiſque remotus ſis, de geſtis à Rege quo animo facta ſint, quaſi conſilii eius particeps & cogitationum omnium conſcius, iudicium profers. Nam tuum illud, *vt*: propoſiti & voluntatis regiæ ſcopum & finem vltimum deſignat. An neſcis *ea facta quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem eſſe interpretanda* [2]. Multi priuati homines, dum conſilia ex euētu æſtimant, facta Principum calumniantur, quibus ſi ſtatus Reipub. æquè ac ipſis Principibus cognitus eſſet eorūque intentio, laudarent profectò facta potius quàm vituperarent. Sed vt valenti & bene ſano nullum eſt ouo melius nutrimentum, & contrà nihil quod ſtomacho malè affecto citius corrumpatur: ita laudes Principum licet viris bene moratis & pacis amantibus ſuauiſſimæ & ſaluberrimæ ſint, in liuidis tamen & ſeditioſis animis fœtent ſtatim & obſordeſcunt.

1 Surius in Comment. anni. 1548.

2 cap. 2. de reg. iur. lib. 5. Decret. l. ſemper in dubiis D. de reg. iur.

BOVCHER [3]. *Apertius illud rurſum, quod libertinis, hæreticis, imò atheis honoratiſſima quaque officia, præfecturæ, dignitates in militia, in Senatu, in interiori ac ſecretiori Regis conſilio conceſſa ſunt.*

3 ibidem.

Hoc nihil niſi manifeſtam calumniam eſſe, non ſolùm Franci omnes ſed exteræ etiam nationes probè norunt. Id enim vel inimici ipſius fatentur, obſeruaſſe eum ſemper ne vlli apertè hæreſeos notato officia & dignitates, ſiue publica regni negotia domi, foriſue, pace, inquam, vel bello adminiſtranda committeret. Sed tibi nimirum hęretici, libertini, politici, athei, imò monſtra & tetræ belluæ erant Epiſcopi, prædicatores, ſacerdotes, ſeculares, & generaliter omnes qui in debita Regi ſuo fide, obſequioque permanebant. Hic tibi perpetuus in ſcribendo mos eſt, vt vi-

ros probos infamibus maledictis proſcindas: quo neſcio an vllum in Christiano pectore vitium maius. Nemo neſcit illuſtriſſimum Ducem Spernonium,& viuo & mortuo Rege Henrico fidem ſemper Catholicam eſſe profeſſum, vt & etiamnum conſtanter & egregiè profitetur eſſeque Principem magnis animi dotibus ornatum,& pace belloque vtiliſſimum. Id eius in rebus aduerſis iuxtà ac ſecundis præclara animi moderatio, magnanimitas, & prudentia toti Galliæ adeò teſtatum & probatum iam fecit.vt ipſimet olim eius inimici, qui non vt tu maledicè mendaces ſunt meritis eum nunc laudibus efferant,&amiciſſimè complectantur.At quãtа illa à te iniuria? pudet proloqui: tã eſt infame mendacium,& ſacerdote in illuſtriſſimũ virũ indigna exprobratio. At dicere oportet, ais ergo [1], *Sed & legatio Spernonii, qua bellua nihil terra vidit impurius*. Bellua tibi Dux Spernonius eſt,quia tecum belluina voce alios ad ſeditionem & rebellionem concitante non conſenſit. Par quoque in eo imprudentia eſt, quod de venerando & verè Catholico Antiſtite Cænomanenſi mendaciſſimè confinxiſti [2]. Sed enim malus hic tibi mos eſt, omnes illuſtres familias, quæ furibundis tuis conatibus non fauerunt, venenato linguæ ſtimulo compungere, omniaq; de illis mala,odio magis quam ex fide,prædicare. Ex his lector periculum facere poteſt, quantum linguæ rabie in alios valeas ac planè intelligere nullam tibi fidem habẽdam eſſe in iis quæ de Rege defuncto ſcribis: quiſquis enim manifeſtis mẽdaciis viuẽtes infamat, is virus acerbitatis ſuæ in mortuos pari impudentia euomere non verebitur. Quod ſi regnante Henrico nonnulli hæreſis contagione infecti muneris publici partes aliquas capeſſebant, id non Regi, ſed hominum illorum impietati & perfidiæ imputandum,qui *aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habebant* [3]: & fidem fronte,ſeu verius perfidiam ſimulando diſſimulãdoque contegebant.

1 ibidem.

2 lib.2.ca.16.

3 Saluſt. in Catil.

BOVCHER [4]. *Bibliopolas, qui Catholicos libros vendebant, flagris per ſuos illos ad quiduis paratos iudices cæcidit, Anglũ Catholicum, qui perſecutiones Anglicanas excuderat, in vincula coniecit. Qui autem libros contra Papam ſcripſerant, & eos vendebant, fouit, aluit, & protexit.*

4 ibidem.

Iſtis more tuo,id eſt calumnioſè,Regem exagitas. Nemo vnquam ab illo Rege, quòd Catholicos libros venderet,per vllos iudices aut miniſtros vapulauit,niſi forte Ca-

tholicos

tholicos libros intelligas tuis iſtis ſimiles, famoſos ſcilicet libellos, quorum plures tūc ſpargi in vulgus à nefariis quibuſdam Reipub. buſtis & incendiariis, ac typis clàm mandari cœperant, Regis partim religioni, partim moribus ac dignitati detrahentes: horum neque authores vllo ſatis digno ſupplicio affici, neque venditores ſatis graui mulcta coerceri potuiſſe certum eſt: & hi quidem ſi pecuniariam pœnam inopia eluſerant, virgarum vel fuſtium ictib. meritò ſecundum leges caſtigabantur.

De Anglo illo Catholico, qui Richardus Verſtegan appellatur, eſt cur gratias tibi habeam, quod eius mihi memoriam refricaſti. Ille enim non indicium nobis præbet occulti fauoris Henrici Regis in hæreticos, ſed planè in contrarium certo & indubitato teſtimonio eſſe poteſt. Nā licet, conquerente apud Regem legato Angliæ atrocem dominæ ſuæ iniuriam atque ignominiam à quodam ſuo ſubdito Pariſiis factam, atque enixius poſtulante vt capi eum ac dedi ſibi iuberet in Angliam remittendum, Anglus ille, dum de cauſa cognoſceretur in carcerem coniectus fuerit: nunquam tamen efficere potuit Regina Angliæ, vel per literas vel per legatos vt eum ſibi à Rege traditū in ſuam ditionem ac poteſtatem reciperet. Quinimò Rex vbi cauſæ merita didicerat, & nouorum præterea atque horrendorum ſuppliciorum varia genera ex typis ad ſe allatis conſpexiſſet, ſolui hominem carcere, & quo vellet abire iuſſit: adeo vt liber lætuſque in quotidiano Anglicani legati conſpectu Pariſiis diu verſaretur: quemadmodum eius gentis vir pius & Eccleſiaſticus, qui aderat cùm altet caperetur, & egregiam ei liberando operam nauauit, cùm ſæpe mihi alias, tum eo ipſo die quo hæc ſcripſi, retulit: addiditque Regem, dum ſingulas varii generis tormentorum effigies oculis & animo colluſtraret, barbaram illam crudelitatem execratum dixiſſe ſæpius, *Voila vene mauuaiſe femme, voyla vne cruelle femme. ô la grande cruaulte.* Si hæreticis fauebat, vt tu ſcribis, quid ei impedimēto fuit quo minus hunc priuatum & obſcurum hominem laicum religionis ergo exuantem, Reginæ Angliæ id ſæpius per legatum flagitanti non dediderit? an non per illos ipſos iudices (quos tu ad quiduis paratos fuiſſe ais) eum vel clàm tradere potuiſſet, per quos, ſi vera narras, bibliopolas ob Catholicos libros venditos palàm flagellauit? præſertim cùm te authore, tantus ei erga Reginam illam amor fuerit,

Id eſt, ecce malam mulierem, ecce mulierem crudelem, ô magnam ſæuitiam.

rit, vt eam *bonam ſuam ſororem vocaret.* At vereor vt *bonam* de tuo ſit: ſororem quidem ſi publicis fœderis vel induciarum inſtrumentis eam appellauit, nihil mirum: fratris enim aut ſororis commune Principum inter ſe, quà Principes ſunt, nomen eſt. Nihil itaque hoc argumento efficacius ad remouendam ab illo Rege omnem occulti fauoris in hæreticos ſuſpicionem, quib. ſi vel minimum benè cupiiſſet, miſer ille Verſtegan è carcere ad carnifices fuiſſet traductus.

Quod de iis qui libros contra Papam ſcripſerunt tradis, id omni caret veriſimilitudine: tum propter magnam eius erga Dei vicarium obſeruantiam, tum etiam ob priuatam cum ſummo Pontifice Sixto V. amicitiam: quarum alterutra per ſe calumniam illam refutare potis eſt.

Denique non fauiſſe illum hæreticis id indicat, quòd vbi reſciuit Metenſes hæreticos templum peſtilenti ſuæ ſynagogæ conſtruxiſſe, & (vt eſt ſemper id genus hominū audax, inuidum, & arrogans) ei nomen indidiſſe *Creuecaur*, id eſt Cordolium, ſubaudiebant enim Catholicorum; ſtatim publico decreto inhibuit ne vlla ibi ab hæreticis concio conuentioue fieret, claudique & obſerari domus illius ianuas fecit, ne aut ingredi quiſquam aut egredi inde poſſet. Quæ res tanto Catholicos gaudio affecit, tantumque hæreticis mærorem & luctum attulit, vt exinde nomen illud, *Creuecaur* quaſi diuinitus initiò impoſitum, ad ludibrium & irriſionem Hugonotorum cōuerſum ſit: ab eo enim tempore procul extra vrbem in loco qui ab omni memoria *La foſſe aux ſerpents*, id eſt, foſſa ſerpentum, nomine rebus in eo geſtis conuenientiſſimo, eſt appellatus, diabolica ſua cōuenticula celebrarunt. Quid multis? tantùm ille hæreticis fauebat, vt ſi in hūc diem vixiſſet, vix vllum nunc Gallia haberet hæreticum.

CAP. VIII.

Leuiora ſunt quibus eū hæreticūm fuiſſe contendis [1], & magna ex parte vſque adeo friuola, inepta, ridicula & abſurda, vt ea referre nonnihil pigeat: cuiuſmodi illa ſunt quæ de eius coronatione & vnctione ſcribis, quod interea puellis aulicis arriſit, quod, *Caroli Magni corona, capiti eius impoſita, parum firmiter haſit, & quin caderet parum abfuit.* Quod *è pulpito deſcendenti* (*quo Regem veſtimentis regalibus indutum aſcēdere moris eſt*) *tres vel quatuor*

[1] Lib. 2. cap. 26.

quatuor gradus vna prolapſione deſilire, ac prope omnino corruere contigerit. Quod *vetuſtum Chriſtianiſsimorum Regum, nouendialis poſt conſecrationem ad ſanctum Marculphum deuotionis (vbi creditur virtus ſcropharum*, dicendum ſcrofularum, *morbum ſanandi Regibus noſtris inſigni priuilegio dari) morem ipſe neglexit, poſtridie ſcilicet vnctionis matrimonio iũctus, tripudiiſque ac deliciis omnis generis intẽtus. Vnde factum, vt ſcrophas ab eo non curari, & qui ab eo tanguntur, minimè ſanari paſſim dicantur.*

Digna ſcilicet homine docto ad conuincendum hæreſeos Regem Chriſtianiſsimum indicia. ecquis mortalium iſtas ſine riſu ineptias exciperet? Corona Caroli Magni nõ ſatis firmiter hæſit capiti Henrici. III. ergo ſignum eſt eum fuiſſe hæreticum. mala conſequentia. ſignum quidem eſt non fuiſſe eum tam grandi capite atque Carolum: nam hunc quidem non ſolùm virtute & rebus geſtis, ſed etiam mole & ſtatura corporis magnum fuiſſe tradunt [1]. Riſiſſe autem præ gaudio quid mirum, cùm ſe in tam pulchri & florentis imperii faſtigio collocatum & confirmatum ſenſerit? humanum id eſt, & omnium ferè commune, aduentantem fortunam ſecundam cum lætitia & aliqua animi effuſione complecti. Qua de cauſa prudentibus viſum eſt, donationes à Rege tempore coronationis, vel ſignaturas à Papa recens creato factas non valere [2] quòd ſint tũc velut nimio gaudio inebriati & extra mentem conſtituti: atque ita quicquid eo tempore concedunt, id non tam impetratum ab illis quam extortum eſſe cenſetur. Regẽ Henricum de pulpito deſcendentem labi contigit: proptereàne hæreticus? apage iſtas aniles & pluſquam ethnicas ſuperſtitiones. Si tibi de ſuggeſto deſcendẽti par lapſus acciderit, protinùſue aut hæreſin te iam docuiſſe, aut breui docturum colligetur? Si antiquis temporibus vixiſſes, omnes vt arbitror, in augurio & haruſpicina ſuperaſſes: multoque magis ſuperſtitioſus ominator fuiſſes, quã qui Flaminio Magiſtro Equitum quòd ſtridor ſoricis auditus erat, magiſtratum, vel Q. Sulpitio quòd immolanti apex quem Flamen geſtare ſolet de capite deciderat, ſacerdotium abrogarunt [4], talium profectò, omnium obſeruationes cum omnibus Chriſtianis, tum ordinis & profeſsionis tuæ hominibus ſunt indigniſsimæ. Quod autẽ ad ſtrumas ſiue ſcrofulas attinet, quas perperam ſcrophas vocas, ſatis conſtat multos eo morbo laborantes ab illo Rege fuiſſe ſana-

1 Eginhartus in eius vita.

2 gloſ. in proœm. reg. Cancel. Neuiſa in ſylu. nupt. vide Rebuf. to. 2. tract. vt benefic. ante vacat. num. 9. & 10.

4 Plutarc. in Marcel.

ſanatos: & egomet ipſe vidi, cùm eſſem in Gallia, puellam Bituricenſem ex honeſtiſſimâ eius ciuitatis familia, cui morbus ille grauiter inſederat, Regis contactu liberatam.

Sunt quidem tua hæc valde ridicula, nec minus etiam quæ ſequuntur, licet maiori malitiæ adiuncta.

Amplius eſt, inquis, *quod ſe omnino lege ſuperiorem facit, nec ſe lege teneri putat.*

Si Henricus ob eam rem hæreticus eſt, hæreticus etiam D. Ambroſius qui idipſum non vno in loco diſertè tradit: hæretici & omnes antiqui Patres Theologi, Iuriſconſulti, cæterique prudentes, quia hoc idem cum Henrico putarunt: & verò nihil hac Regis Henrici ſententia verius rectiúſque dici poteſt, vt luce iam clarius probatum eſt. Deſine verba captare, id enim in re ſeria impium eſt & inciuile, ac quo quidque ſenſu dictum eſt perpende. Tu prædicatores alios qui in tua iurati verba non erant, *verborum aucupes, & ad gratiam loqui paratos* vocas [1], at neminem ego vnquam vidi tam aucupem & captatorem verborum, atque in ſiniſtrum ſenſum detortorem, ac te. Quod ne quis me per calumniam tibi affingere ſuſpicetur, ex innumeris quæ ſparſim operi tuo inſunt, paucula quædam loca ad id quod agimus pertinentia recitabo. [1] dict. li. 2. c. 2.

BOVCHER [2]. *Simile & id* ſcilicet hæreſeos ſignum *quod Eccleſiaſtici miniſterii iugum à ſe excutit, ac plenam ſibi in eum* (non video quo iſta relatio, ſi bona latinitas eſt) *eiúſque bona poteſtatem vſurpat. Denique ſe Cleri caput manifeſtè in eo conſtituit, quòd Clerum ſuum* (*Clerum enim Gallicanum, vel regni dicere debuerat*) *iis verbis, vos Clerus meus, publica in comitiis Bleſenſibus oratione, quæ & typis mandata proſtat, iterum & ſæpius dicere non erubuit. Quem errorem quòd ei augeret, pileum ab eo Cardinalibus* (*quod ab Eccleſia ſola fieri debuerat*) *imponi, ceremonias Eccleſiæ, vt ab altero Ozia, inſtitui, iudices eccleſiaſticos commutari, aliáque eiuſmodi & inuiti vidimus, & ſanè indoluimus.* [2] Ibidem.

O præclarum commentum, & gloſſam Aurelianam, vt dicitur. An hoc non eſt captare & aucupari verba? Sed vnde tibi, quæſo, iſta interpretatio? quia dixit, Clerus meus, inquis. Ergo verba hæc per ſe illam nobis animi notionem manifeſtè repræſentant, quod ſi ita eſt, Daniel ſe totius gentis Hebræorum caput in eo manifeſtè conſtituit, quod eam gentem ſuam ſiue populum ſuum vocauit: *cùm confiterer*, inquit, *peccata mea & populi mei* [3]. & Boos conſtituit ſe [3] Daniel. 9.

 mani-

manifeſtè caput omnium Bethlehemitarum, quia dixit, *coram cunctis ſedentibus, & maioribus natu de populo meo* [1]. Non minus verum eſt quàm vetus & vulgare, verba ſecundum materiæ ſubiectæ rationem debere intelligi: duáſq; habere anſas, vt ait Epictetus, vnam integram qua & apprehendi & retineri ſine periculo poſſunt: alteram verò attritam & ruptam, qua quicquid comprehenſum eſt decidit diſrumpiturque. Hac tu perpetuò Henrici Regis ſermones excipis: licuit illi dicere, vel te ipſo formulam præeunte, *Clerum Gallicanum, vel regni Galliæ.* Cur ergo, cùm Rex ſit regni caput & maritus Reip. vt docet Lucas de Penna, non licuit ei dicere, *Vos Clerus meus,* quod ſi, vt debet, hoc modo intelligatur, *Clerus regni mei*, optimus ſenſus & ſolida atque integra anſa eſt: ſin malitioſam interpretationem, vt hoc loco, adhibeas, nihil niſi fractam anſam apprehendes.

Quod de pileo Cardinalibus impoſito refers, id nihil quicquam Regis illius vel famæ & exiſtimationi, vel dignitati detrahit: quin planè contrà integritatis, fidei, religionis, & pietatis locuples teſtimonium præbet, quòd tanto ſpiritualis miniſterii officio dignus fuerit habitus. Atque hic quidem non in Regem, qui volente Papa id fecit, ſed in ipſum Papam, qui id muneris Regi commiſit, inueheris. Notum eſt Papam talia laicis mandare poſſe [2]. Quid ſi Epiſcopum aliquem vidiſſes purgationem canonicam mandatu Papæ coram Rege iudice facientem? Nam & id quoque laico mandari poteſt, cùm ſit iuriſdictionis, quanto te eius rei aſpectus dolore cruciaſſet? Dixiſſes, credo, quod olim gloſſator deceptus [3], *nimium papaliter eſſe diſpenſatum.* Antiqua hæc eſt calumniandi aſtutia, vt docet Polybius [4] ea hominibus facta vitio vertere, quæ laudi & honori tribuenda ſunt, & famæ ac commodis hominum laudando inſidiari. Deſine ergo vel delegationem illam à ſummo Pōtifice factam ſugillare, vel geſta Regis in ſuſcepto mandato calumniari. Nam ſi inde tibi opimum aliquod cum galero Cardinalitio beneficium, Rege tribuente, obueniſſet, nó amplius quidem indoluiſſes: & totus ille feruor, imò furor, quo Regem hunc inſectaris protinus conticuiſſet, ſed quia nigra erant noluiſti: ſi tamen famæ fides eſt, nihil enim præter auditum habeo, Epiſcopatus ſæpe ambiiſti, ſępéque repulſam paſſus es. Atque ex hoc vno quidem quantum in ſtruendis calumniis valeas, tanquam leo ex vnguibus, deprehendi poteſt.

1 Ruth. 4.
2 Can. præter. §. verum vbi gl. 32. diſt. gl. in can. bene. in verb. laico. 96. diſt.
3 in can. Memn. 2. q. 4.
4 lib. 4.

C A P. IX.

ABeuntem hinc me atque aliò feſtinantem tuæ quædam adhuc eiuſdem generis calumniæ retraxerunt, ac ne ſe iniuſtè præteritas iure conquererentur, ſiſtere nonnihil coegerunt.

BOVCHER[1] *His aſſine eſt quod ſe dominum non rerum cuiuſq; tantùm, ſed & perſonarum eſſe credit. Quippe hominibus exprobrans quod viuunt, quodq; aliquid poſſident, quaſi id eius beneficio ſingulis conceſſum ſit. Homines etiam calculis ſimiles eſſe dicens, quos vt qui computat nunc mille nunc decem millia valere facit, ita penes Regem eſſe, vt quemcunq; voluerit de alieno ditet, vel pauperem faciat, & ſibi perſuaſum & omnibus eſſe cupit. Quatuor videlicet in vno ſimul peccans. Primum quod nos veluti mancipia in Regis poſſeſſione eſſe, non verò liberos natos eſſe putat; quod planè Turcicum eſt. Alterum quod nihil à quoquam vult vt proprium poſſideri, quod eſt etiam Valdeſianum. Tertiũ quod ſe Christo æqualem, qui Dominus in Scriptura & Symbolo κατ' ἐξοχὴν ſiue vt exponit Eccleſia, ſolus Dominus eſt facit. Quartum denique, quod nulla meriti cuiuſquam habita ratione, prout affectus ſine iudicio, ſine ratione impulerit, honores, diuitias, principatus diſtribuere ſe poſſe credit, quod nec Chriſtus qui omnium Dominus eſt, facit, qui dat vnicuique ſecundum opera ſua.* 1 Ibid. c. 10.

Qui in aliorum peccatis diiudicandis tam lynceus es, vide ne illud Saluatoris in te conueniat[2]. Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucã de oculo fratris tui. Nam dum quadruplex, vt tibi videtur, in vna huius Regis ſententiá erratum cernis: quinquies vel ſexies à te peccatum in illa eadem ſententia recitanda & interpretanda non animaduertis. En iſtas igitur oculis tuis trabes euellam, efficiamque vt, niſi planè cæcus ſis, Regem peccati immunem in hac re cernas. Sed primùm abs te peto, qui ſciſti eum credere ſe eſſe dominum non rerum cuiuſque tantùm ſed & perſonarum? quis hoc tibi dixit? an ipſemet tibi narrauit, annè aliunde colligis? An tantam intelligẽtiæ vim nactus es, vt ex habitu cuiuſq; ſtatim quid animi habeat cognoſcas: aut ſimiliſne factus es Doctoris Nelli de Gabrielis de Eugubio q̃ intelligebat ad motũ labiorum licet nõ audiebat omnino, vt ait Bartholus[3]. Si ipſe aut alius tibi dixit, cur nõ laudas authorẽ? Nam αὐτὸς ἔφα iam exploſimus. Nec .n. ſatis firma conſequentia, Boucherius id ſcribit, ergo eſt verũ. Vnius teſtimoniũ ne in

2 Matth. 7.

3 in l. 1. nu. 7. D. de ver. oblig.

l. iuriſiurandi. C. de teſtib.

leuioribus quidem cauſis fidem facit [1], quanto minus in tanti momenti controuerſia? Poſſum vno verbo reſpondere, hoc quicquid eſt non ab illo dictum, ſed à te confictum eſſe. Sed quia res in longum abiret ſi coniecturis, argumentis, teſtimoniiſque, in ſtatu inficiali digladiaremur, concedam tibi libenter principium iſtud, à quo tanquam ex fonte cœnoſos tuos riuulos perperam deriuaſti. Concedam tibi, inquam, Regem credidiſſe *ſe dominum non rerum cuiuſque tantum, ſed & perſonarum*, ac verè illum rectéque in eo ſenſiſſe certiſſima ratione patefaciam: téque adeò malitioſa interpretatione, verborum aucupio, & captioſis ac vitioſis collectionibus, quatuor iſta peccata quæ ſubiicis inde deducere. Quod vt lector diſtinctius planiúſque intelligat, ſuperiora iſta rurſus à capite ſingillatim arceſſenda & excutienda ſunt.

Rex Henricus. *Credit ſe eſſe dominum non rerum cuiúſque tantum, ſed & perſonarum,*

rectè quidem, eſt enim veriſſimum, & ita omnes Reges credere debent, eo enim fit vt in maiorem curam & cogitationem regni conſeruandi incumbant, quòd ſe rerum in eo & perſonarum dominos eſſe norunt. Huic Regis ſententiæ tu ſubiicis,

Quippe hominibus exprobrans quod viuant, quodq́ aliquid poſſideant, quaſi id eius beneficio ſingulis conceſſum ſit.

Nihil minus: vitioſa hæc tua interpretatio eſt, & attrita anſa qua Regis ſermonem excepiſti: apprehende bonam, & bonum ſenſum inuenies. Eſſe dominum vel eſſe ſeruum ambiguæ orationes ſunt, ac proinde in illis ſignificatio accipienda eſt quæ vitio caret, ſemperque benignius interpretandæ, ne vitioſus inde aliquis reſultet intellectus, tu autem hæc Regis Henrici verba nimis peruersè aucuparis: incertum malitiáne an ignorantia in iſtum te errorem cõpulit. Scito igitur ſeruitutis tria eſſe genera (vt Stoici teſte Diogene Laertio rectè definierunt) Vnum quo homines alieno dominio contra naturam ſubiiciuntur, vt mancipia & vernæ, quam Stoici ſeruitutem ἐν κτήσει dixerunt. Alterum, quo adimitur alicui libertas viuendi vt velit, quod στέρησιν αὐτοπραγίας vocant, veluti cùm liber homo carcere concluditur. Tertium denique ſeruitutis genus, quod conſiſtit ἐν ὑποτάξει, quo continentur mercenarii, vaſſalli, cliẽtes, & omnes omnino quos communi nomine ſubditos ſiue ſubiectos vocamus. Totidem ergo cùm ſint ſignificati-

ones

ones & ſpecies dominationis & dominorum quot ſeruitutis & ſeruorum, cùm ſint relata, cur tu illam domini ſignificationem quæ nec Regis (vt veriſimile eſt) intentioni, nec regiæ dominationis rationi conuenit, contra iuris præceptum contraque æquitatis normam, vt proferenti calumniam ſtruas, tam temerè & audacter amplexus es? Si verũ eſt, vt eſt veriſſimum, Vaſſallos, clientes, & omnes omnino regnicolas Regis ſeruos aliqua ratione d ci poſſe, nónne verum eſt eorum dominum Regem eſſe? & ſi eſt, cur nõ debet credere ſe talem eſſe? Certè cùm hanc Regis tui ſententiam reprehendiſti inſcitia vt dixi, vel malitia te comitatũ fuiſſe neceſſe eſt. Sequitur,

Homines etiam calculis ſimiles eſſe dicens, quos vt qui computat nunc mille nunc decem millia valere facit, ita penes Regem eſſe, vt quemcunq; voluerit de alieno ditet, vel pauperem faciat, & ſibi perſuaſum & omnibus eſſe cupit.

Verbum, *de alieno*, à te profectum adiectumque eſſe apparet, eoque expuncto nihil inerit vitii: Rex quem vult, attollit, vel deprimit, ac de ſuo non de alieno ditat vel depauperat: totumque hoc non Henrici Regis ſententia, ſed antiquum apophthegma eſt, vt ſupra hoc libro oſtendimus [1], ipſumq; veriſſimum eſſe tam ſacra Hiſtoria quàm regnorum omniũ annales vſu rerum & experientia demonſtrant. Aman ſummus à Rege coactus eſt pauperem Mardochæũ induere veſtibus regiis, atque in equo; *qui de ſella Regis erat*, ſedentem præcedere per plateas ciuitatis & clamare, *hoc honore condignus eſt, quemcunq; Rex voluerit honorare* [2]. Tempus me deficeret ſi omnium ſeculorum exempla, quæ ſunt prope infinita recenſerem, itaque pergamus.

1 cap. 4.

2 Eſter c. 6.

Quatuor videlicet in vno ſimul peccans.

Imò ne vnum quidem.

Primum quod nos veluti mancipia in Regis poſſeſſione eſſe, non verò liberos natos eſſe putat.

Quis te hoc docuit? neque enim ex verbis & ſermone Regis id rectè colligitur, neque ipſemet aliàs vt arbitror id tibi ſecretò indicauit. Iam oſtendi ſeruitutem de qua ille loquitur nõ *ἐν κτήσει*, & poſſeſſione, ſed in hypotaxi ſiue ſubordinatione quadam conſiſtere: quo modo non ſolum Reges & Principes qui alienam dominationẽ non agnoſcũt, ſed etiam Duces, Comites, Barones, & alii quotquot feudi dandi ius habent, Vaſſallorum & Clientum ſuorum domini & ſunt & dicuntur [3]. Præcipuè verò Reges, qui ob ſupre-

3 *Paſſim in libris feudorum.*

mum in omnes imperium vocatur ſemper domini in Scripturis, quoties ex ſubditis eos aliquis alloquitur, ipſique ſubditi quantacunque præditi poteſtate, ſe Regis ſeruos eſſe paſſim in ſacra hiſtoria, ingenuè agnoſcunt & palam ac ſponte profitentur. Qua ratione Achimelech ſacerdos ſeipſum ac Dauidem Regis Saulis ſeruos non ſemel atque iterum vocat [r]. Sic de Hanone Rege filiorum Ammon ſcriptum eſt. *Dixerunt Principes filiorum Ammon ad Hanon dominum ſuum* [s]. Plena ſunt exemplorũ ſacra monumenta, quibus perſpicuè docemur, Domini nomen aptiſſimè Regib. conuenire; adeò vt nec humillimus Rex Dauid id vnquam nominis recuſaſſe legatur, ſeruóſque Regis eſſe omnes qui eius ditioni atque imperio ſubiiciuntur: ſed ea tamen ſeruitute quam nos tertio loco propoſuimus. Atque hic loquendi modus quo Rex dominus, vaſſalli ſerui dicuntur, Francis quidem nec recens nec inſolens eſt. Itaque VVillermus Aquitaniæ Dux Ludouicum Craſſum per legatos ſic fertur alloquutus *Dux tuus Aquitaniæ, domine Rex, multa te ſalute omniáque optat potiri honore: non dedignetur regia maieſtatis celſitudo, Ducis Aquitaniæ ſeruitium ſuſcipere, ius ſuum ei cõſeruare: quia ſicut iuſtitia exigit ſeruitium; ſic & iuſtũ exigit dominium* [t]. Quid multis? Gerardus Niger, Obertus de Orto, & alii iuris feudorũ collectores atq; interpretes, ſeruire vaſſallũ domino debere vbiq; teſtatur. Sed reliqua videamus.

r 1. Reg. 22.

s 2. Reg. 10.

t Hiſtoria ad Aimoinum addita l. 5. c. 49.

Alterum quod nihil à quoquam vult vt proprium poſſideri.

Hoc in ſuperioris calumniæ refutatione iam ſatis eneruatum eſt, regia enim dominatio nihil prohibet quo minus ſuum quiſque vt proprium poſſideat: cùm Rex ſubditis nõ vt mancipiis, ſed vt vaſſallis, dominetur, quicquid tamen ſubditi poſſident, à Rege poſſident: quoniam per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones, teſte Auguſtino [u].

Hinc eſt apud Scotos, quo populo nullus vnquam in clientela Regum vixit liberius, quæ ſequitur vetuſtiſſima regni lex [x].

u Tract. 6. in c. 1. Ioan. & refertur diſt. 8. can. quo iure.

x Hect. Boet. li. 12. hiſt. Scot.

Nemo fundum, prædium, agrum, alia quàm Regis authoritate poſſideto.

Et tamen quique interea illic, Principes, Comites, Barones, cæteríque & Nobiles & Plebeii, agros & res alias, vt ſuas proprias, iure Dominii ſub Rege poſſident.

Tertium quod ſe Chriſto æqualem, qui Dominus in Scripturis & Symbolo κατ' ἐξοχὴν ſiue vt exponit Eccleſia, ſolus Dominus eſt, facit. Magno vtique errore & intolerabili, cùm ex quatuor quæ

Chri-

Chriſto conueniunt, quod Deus, quod Dominus, quod Pontifex, quod Rex, vt duorum poſtremorum functionem ſolam hominibus communicat, ita duorum priorum, quod Deus Dominus, ne atomum concedit quidem.

Quid agis, Boucheri, vigiláſne an dormis? vbi tuum iudicium, vbi Theologia? Si nemo niſi Chriſtus appellari dominus poteſt, cur ſanctus Dauid ſe toties dominum vocari paſſus eſt? cur tu dominum te in congreſſionibus & ſalutationibus vocari finis? Si Chriſtus Dei nomen cum hominibus non communicat, quid eſt quod dicitur [1], *Vos dii eſtis & filii excelſi omnes*, & iterum, *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*, & alibi, *ecce conſtitui te Deum Pharaonis* [2]? Quin eodem pacto colliges, *ſolus Deus bonus eſt*. ergo iniuriam Deo facit qui hominem aliquem dicit eſſe bonum. Chriſtus dicitur eſſe *ſolus ſanctus*: ergo tota errat Eccleſia quæ Petrum, Paulum & cæteros Dei ſeruos ſanctos vocat. Solus Deus eſt, *Ego ſum qui ſum*, inquit [3], ergo magnus & intolerabilis error eſt dicere ligna, lapides aut quid aliud in toto mundo eſſe: & tamen ita quotidie loquimur, vt & eſſe homines, & bonos ac ſanctos eſſe, & Dominos eſſe dicamus: totus itaque mundus, excepto ſolo Boucherio, in magno & intolerabili errore verſatur. At dices, non ita ſunt vt Deus, nec domini & ſancti vocantur vt Chriſtus, ſed per ſimilitudinem, propter quandam communicationem & participationem earum rerum immenſa Dei omnipotentis beneficentia & largitate factam. hoc ipſum & ego dico, atque inde colligo Reges nullam Chriſto iniuriam facere, nullóque errore duci, dum humano more dominos & rerum & perſonarum ſe eſſe dicunt. Nam vt ait D. Hieronymus [4], Domini nomen omnibus ſuperioribus tribui ſolet. Sed tu qui magnus Catholicæ religionis aſſertor videri cupis, vide ſis quæſo ne tuum te argumentum in hæreticorum naſſam, velis nolis, pertrahat. Nam ſi vlla argumenti tui vis eſt, Regem ſcilicet æqualem ſe Chriſto facere cùm ſe dominum eſſe ait, quòd Chriſtus in Scripturis & Symbolo ſolus dominus eſſe dicatur: effugere non potes, quin eadē ratiocinandi forma cōcludas, Catholicos æquare ſanctos omnes Chriſto, cū eos interceſſores & mediatores pro nobis apud Deū eſſe dicūt, quia disertè ſcriptū eſt ab Apoſtolo [5]. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Si vnus homo mediator, non plures homines, non ſancti. Sed vt hoc illorū argumentū de mediatore fallax & captioſū eſt, ita & il-

[1] Pſal. 81.
[2] Exod. 7.
[3] Exod. 3.
[4] In Ezech. c. 6.
[5] 1. ad Tim. 2.

illud tuum de domino. An non putas hæreticos *magnum feſtum facturos* (vt Bartolus noſter loquitur) de iſto tuo argumento, & ſibi cumulatè ſatisfactum dicturos pro innumeris ſuis rationibus, quas ad huius noui dogmatis firmamentum in hoc infami opere tuo ab illis mutuatus es?

Quartum deniq. quod nulla meriti cuiuſquam habitâ ratione, prout affectus ſine iudicio, ſine ratione, impulerit, honores diuitias, principatus diſtribuere ſe poſſe credit, quod nec Chriſtus, qui omnium Dominus eſt facit, qui dat vnicuiq; ſecundum opera ſua. Nec hic quoque aliquid eſt quod iure reprehendas, ſi modò bonam anſam apprehendas. Quandoquidem Rex iſta quidem omnia facere poteſt, ſed non debet: vt fuſiſſimè iã libro ſecundo à nobis eſt explicatum. Nullum igitur in eo peccatum Regis eſt, quod ſe talia poſſe credat: ſed tuũ potius erratum qui eum quod poteſt non poſſe putas. Ad rationem à te allatam reſpondemus, fallacem & captioſam eam eſſe propter variationem terminorum (vt loquuntur dialectici) nam cùm de Rege agis, vteris verbo *poſſe:* cùm de Chriſto loqueris, illud *poſſe* in *facere* commutas: atque ita reducta ad Syllogiſmum ratione tua quatuor inuenientur termini, ex quibus nihil neceſſaria conſequutione concludi poteſt. Si vis igitur argumento tuo aliquid efficacitatis ineſſe, ita illud conceptis verbis proponere oportet, *quod nec Chriſtus, qui omnium Dominus eſt, poteſt.* At hoc iam non modo falſum eſſet, ſed exectabile, & blaſphemiæ plenum. Ille enim paterfamilias eſt *cui licet quod vult facere,* & vni tãtum dare vna hora, quantum alii toto die laboranti [1], *cuius enim vult miſeretur, quem vult indurat: & voluntati eius quis reſiſtit* [2]? Quæ cùm ita ſint, ne ſemel quidem peccaſſe Regem Henricum in eo quod illum dixiſſe aſſeris, te verò in iſtis ei peccatis impingendis calumniatum ſæpius & cauillatum eſſe conſtat.

1 Matth.20.

2 Rom.c.9.

CAP. X.

VLtimum nunc ſupereſt argumentum, quo inſignem Regis tu hæreſim demonſtrari putas: quod tamen neſcio an in poſtremum locum reſeruaſti, vt quẽadmodum boni oratores, ſub finem orationis quando iudicẽ relinquunt, ea afferre ſolent, quæ, vt res exigit, ad motus animorũ extinguendos vel inflammandos plurimũ valent: ita tu poſt multa futilia & ridicula, ad extremum ea proponeres quæ non ridere modò, ſed cachinnari lectorem faciant.

ciant. Quæ ego, ne dum imperitis fucum faciunt communi Principum omnium iuri præiudicent, non plena manu, vt dicitur, ſed digito tantùm quàm ſint vana & inepta leuiter indicabo.

BOVCHERIVS [1]. *Sed pene par quoque hac eius inſignis hæreſis eſt, quod Regem regno eiuſque ordinibus ſuperiorem eſſe, pro inconcuſſo fundamento habet. Vnde illa eius vox vſque eò frequēs, meus ſtatus, meum regnum, meus Clerus, mea Nobilitas, mei ſubditi. Quodque ille primus in iis veterem Regum in plurali numero loquendi morem immutauit, cùm illi, noſtrum regnum, noſtri ſubditi, & ſimilia dicere ſoliti eſſent.* 1 dict. ca. lib. 2.

Papæ! Actum de Regibus eſt, niſi præſcriptas à Boucherio loquendi formulas maturè ſibi comparent. Bartolus à multis iure reprehenditur, quod dixerit [2]. *Et fortè ſi quis diceret dominum Imperatorem non eſſe dominum & monarcham totius mundi eſſet hæreticus: quia diceret cōtra determinationem Eccleſiæ, ſcilicet contra textum S. Euangelii, dum dicit. Exiit edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* In ſeruit nimirum Bartolus tempori, atque hoc Imperatorem elogio demereri ſtuduit. ſed addidit tamen, *forte*, quo ſuam modeſtius opinionem proferret, ſeu quòd ea de re fluctuabat adhuc animo, ſeu quòd noluit ſententiā quam planè falſam ſciebat certò affirmare. At contrà, dicere Imperatorem vel Regem eſſe hæreticum, & hæreticum inſignem (nam hoc etiam addidiſſe Boucherio pulchrum fuit) quia exiſtimat & aſſerit ſe eſſe dominum regni ſui, & omnibus regni ordinibus, atque adeò populo vniuerſo ſuperiorem, id ita nouum eſt & inſolens, ita, inquam, abſonum, abſurdum & incredibile, vt non niſi à fatuo & amente profectū videatur. Quis igitur non tales cachinnis nugas exciperet? *Si inſignis hæreſis eſt, pro inconcuſſo fundamento habere Regem regno eiuſque ordinibus ſuperiorem eſſe*, cedo domine Theologe contra quem fidei articulum peccat? Nunquid Decalogi vel Eccleſiæ præceptis, aut alicui Apoſtolici ſymboli particulæ aduerſatur? an vllus Scripturæ locus eſt, qui cū hoc Regis fundamento collatus in ſpeciem ſaltem vel minimùm videatur repugnare? ne vnum quidem ex tam multis inuenies. cùm tamen plurima ſint quæ eam ipſam ſententiam adeo perſpicuè & manifeſtè confirment, vt nihil ſuprà. Si inſignis hæreſis eſt, firmiter credere Regem populo ſiue regni ordinibus ſuperiorem eſſe: excuſari Dauid ab hæreſi non poteſt. Nam ille idipſum firmiſſimè credidit: &

2 in l. hoſtes nu. 7. D. de captiu.
3 Luc. 2. ca.

1 Pſalm.143. eo nomine gratias Domino Deo egit [1], *Protector meus*, inquit, *& in ipſo ſperaui; qui ſubdit populum meum ſub me.* Sub & ſuper, vt dici ſolet, oppoſita vt relata ſunt. Aut ergo mentitus Dauid, aut populo ſuperior erat: aut etiam hæreticus, aut hæreſis non eſt exiſtimare Regem populo eſſe ſuperiorem. Atque eum quidem locum eleganter, vt alia, interpretatur doctiſſimus Genebrardus, *qui populum proſtratum & obedientem mihi præbet. gratia Dei ſubditur populus, qui alioqui nouis motibus delectatur.*

2 li. prox. ſup. Nolo rem verbis protrahere, iam enim ſatis diſſoluimus [2] captiones & ſophiſmata, ne dicam impoſturas, quib. populum Rege ſuperiorem eſſe monſtrare conatus es. Id tantum abs te peto, an vlla vnquam ex hiſtoria ſacra vel profana didiciſti Regem conſtitutum fuiſſe ſub populo? an non ſemper ſuper populum conſtitutus eſſe dicitur? Conuenientibus ad Samuelem in Ramatha vniuerſis maioribus natu Iſrael & petentibus Regem [3], conſuluit Samuel de ea re Dominum, qui reſpondit, *vocem eorum audi: veruntamẽ conteſtare eos, & prædica eis ius Regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.* quod vbi propheta toti populo annunciaſſet eos ab eiuſmodi petitione dehortando: omnes propoſiti tenaces conclamarunt. *Nequaquam: Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes: & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* quorum Deus voluntati morem gerens *dixit ad Samuelem: Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem.* & paulò pòſt in eadem hiſtoria [4]. *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem quàm veniret Saul dicens: hac ipſa hora, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael.* quod & feciſſe Samuelem hoc modo ſcriptum eſt [5]. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & ait: ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem.* & iterum congregato toto populo in Galgala vt Regem ibi Saulem facerent [6]: *dixit Samuel ad vniuerſum Iſrael. Ecce audiui vocem veſtram iuxta omnia quæ locuti eſtis ad me, & conſtitui ſuper vos Regem.* & rurſus [7]. *dixit Samuel ad Saul: me miſit Dominus, vt vngerem te in Regem ſuper populum eius Iſrael.* Sic Dauidem ſeniores Iſrael *vnxerunt in Regem ſuper Iſrael* [8]. & de eius filio dicitur [9]. *Erat autẽ Rex Salomon regnans ſuper omnem Iſrael.* & alibi Deus ad Eliã [10] *vnges Hazael Regem ſuper Syriam & Iehu filium.* Nam ſi vnges Regem

3 1.Reg.8.
4 cap.9.
5 cap.10.
6 cap.12.
7 cap.15.
8 2.Reg.5.
9 3.Reg.4.
10 3.Reg.19.

Regem ſuper Iſrael. Quid quod Daniel Nabuchodonoſoris ſomnium interpretans, *Tu Rex Regum es*, inquit, *& Deus cæli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia in quibus habitant filii hominum, & beſtiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit* [1]. Infinita ſunt eiuſmodi in ſacris literis, quæ Reges ſuper populum conſtitutos eſſe docent: quæ omnia vno Saluatoris teſtimonio confirmantur, *Reges gentium dominantur eorũ*, inquit [2], ſiue vt alius Euangeliſta [3], *qui videntur principari gentibus dominantur eis.* dominari autem ſuperioris ſemper eſt, vt & ſubiici inferioris cui conſequens eſt neceſſariò quod tu *inſignem hæreſin* hic vocas nempe *Regem regno eiuſque ordinibus ſuperiorem eſſe.* Ordines enim illi dum conueniunt, licet, vt tu ſcribis [4], *publicam regni poteſtatem referant*, tamen id non alia ratione faciunt, quàm quòd ſelecti illi proceres totum populum repræſentant, vt tuus ſæpe magiſter Brutus admonet; cuius in ſententiam velis nolis abire tibi neceſſe eſt. Ergo ſi, vt Scriptura docet, Rex ſuperior populo ſiue ſuper populum eſt, quem ordines iſti repræſentant, conſequitur neceſſariò eum quoque ſuper omnes regni ordines, ſiue, quod perinde eſt, regni ordinibus ſuperiorem eſſe. Idque poteſtatis & dominationis Francici regni ordines à primo eius imperii exordio in ſuis Regibus agnouerunt. Itaque Clodoueus [5]. *Cum rationis ordo expoſcat*, inquit, *Principem imperare potius ſubditis quid velit quàm prece depoſcere.* Sed eius rei inſigne documentum eſt quod de Philippo Pulchro apud Gaguinum legitur [6]. Nam cùm Bonifacius VIII. *vt erat ſupra modum arrogans*, teſte eodem ſcriptore, regnum Franciæ in ſuã ditionem leui de cauſa pertrahere conaretur, Philippus cõuentu ordinum habito Pariſiis, *Pontifices primum, cõmemoratis quas à Bonifacio acceperat iniuriis, rogat, à quo ſuarum Eccleſiarum prædia prouentuſque accepiſſent: deinde ad proceres conuerſus. Et vos, inquit, viri nobiles, quem vobis Regem dominumque habere arbitramini? Reſpondentibus, ſine controuerſia, regio ſe iure illa omnia tenere, atque tueri: At, inquit Rex, Bonifacius ita agit, quaſi vos regnumque omne Frãcorum ſedi Apoſtolicæ ſubiectum ſit.* En vt in ipſis ordinum comitiis non dubitarit Philippus Pulcher ſe Regem dominumque omnium appellare.

Quæ cùm ita ſint, non inſignem aliquam Henrici Regis hæreſin (quæ in hac re nulla eſt) ſed inſignem tuã temeritatem

1 Daniel. 2.
2 Lucæ. 22.
3 Mar. 10.
4 Lib. 1. ca. 8.
5 Aimoin. lib. 1. cap. 12.
6 Lib. 7.

tem & ſtultitiam vel inſcitiam prodis, qui firmiſſima & veriſſima regię dominationis fundamenta conuellere, & hęreſeos arguere conaris quod cùm facis hæreſin foues peſtilentiſſimam.

Ad illud nunc venio quod de ſingularibus Regis locutionibus ſcribis. velut *meum regnum, meus clerus, mea nobilitas, mei ſubditi*. quas ex ſuperiore hæreſi à te conficta ortas eſſe tradis, licet enim minutiora quæque perſequendi animus mihi non ſit, operæpretium tamen viſum eſt hoc ſaltem obiter attingere, vt habeat adhuc lector, vnde ei poſt tam multa ſeria riſus aliquis exciteturt. Admitto equidem libenter locutiones iſtas ab *inconcuſſo illo fundamento* procedere quo Rex ſuperiorem ſe regni ordinibus eſſe credit ac proinde vt fundamentum illud ſolidiſſimum & iuri diuino atque humano maximè conſentaneum eſſe conſtat, ita & quæ inde profluxerunt locutiones eiuſmodi aptiſſimas & Rege digniſſimas eſſe fatendum eſt. Verbũ hoc *meũ* rem cuiuſque propriam deſignat, maioremque in animis hominum procurandi & conſeruandi res ſuas curam ingenerat, quàm ſi alios earum rerum ſocios haberent: *naturale enim vitium eſt negligi quod communiter poſſidetur* [1]. Cùm ergo Rex dicit meum regnum, mei ſubditi, argumento id eſſe poteſt non mediocri illum cura regno incumbere, nec mediocri ſubditos amore complecti.

[1] l. 2. §. naturale. C. quando & quib. quarta part. li. 10. Ariſt. li. 2. Polit. 1. ca. 2.

Sed ſingulares iſtæ locutiones tibi ſordẽt, credo, ex quo cæpiſti Magiſter Noſter in Sorbona appellari: id autem vt credam facit eiuſdem ſcholæ Doctoris inſignis aliquando reſponſum: is eſt Ioannes Maior, vir magni in ſcholaſtica Theologia nominis: hic cùm à ſuo Principe Rege Scotiæ Iacobo. IV. Pariſiis in patriam reuocaretur vt Andriopolitanæ ſcholæ præeſſet, ſalutatus fuit à quodam viro nobili, vt moris eſt, his verbis, Salue domine: quo audito ſubſtitit & obmutuit, quaſi iniuriam ſibi factam ratus quod cũ animaduerteret qui ſalutem dixit, & ſe non reſalutatum miraretur, petit à Theologo quid rei eſſet: tum ille, nos nõ ita appellamur. Et qui ergo vocaris? inquit alter. Nobis, inquit Maior, *Magiſter noſter* nomẽ eſt, & ita nos ſolent Pariſiis nominare. Ac ſemper ferè cùm de ſeipſo in priuatis colloquiis & congreſſibus ſermonem faciebat, in multitudinis numero loquebatur: ſiue quòd humilitatis cauſa id fecerit, ſiue quod illud *Magiſter noſter* tales ei loquendi formulas perſuaſerat. Erat enim in illo homine magna & pene

pene ſuperſtitioſa ſimplicitas, vt à patre accepi, qui illum optimè nouit, vixitque cum eo familiariter. Cætera tamē vir bonus erat, & vt ea tulit ætas magnus Theologus: atq; artis quidem cauillandi, id eſt, nectendi ſoluendique ſophiſmata (ea enim philoſophiæ pars præ cæteris tunc plurimum colebatur) eruditiſſimus: quod vel ex eius Summulis, vt vocant, quas olim adoleſcens legi, facilè cognoſci poteſt. neſcio itaq; an illud tuum *Magiſter Noſter*, tibi perſuaſerit Regem non niſi pluraliter, *nos*, *& noſtrum*, loqui debere.

Sed vide quā ridiculus es qui id Regi vitio vertis, quod ne tibi quidem ipſi in re ſimili vnquam pudori eſſet. Finge te Epiſcopum eſſe, & munus tuum nauiter obire, an non tibi licebit optimo iure dicere: grex meus mihi curæ eſt: diligo valde meos diœceſanos, volo in meo Epiſcopatu reſidere: & ſimilia? illud denique exiſtimationem tuam grauiter pulſat, quòd ſtultam tuam reprehenſionem manifeſto mendacio confirmare auſus es. quod enim ais: ille *primus in ius veterē Regum in plurali numero loquendi morē immutauit*. id perſpicuè falſum eſt, ſiue de omnium gentium vniuerſe, ſiue de Francorum tantùm Regibus intelligatur. Nam & ex Scripturis Dauidem, Ioſaphatum, Cyrum, Darium, Aſſuerum ſiue Artaxerxem, & alios ita loquutos fuiſſe conſtat [1], & Conſtantinus magnus in ea quam Syluestro fecit donatione, *vtile iudicauimus*, inquit, *vnà cum omnibus Satrapis noſtris & vniuerſo ſenatu optimatibuſq; meis* [2], Nunquid inſolentius ſe effert qui dicit, *meum regnum*, *& mea nobilitas*, quàm qui dicit, *meus ſenatus, mei optimates?* Ineptit totus atq; inſanit quiſquis talia Regibus exprobrat. Reges verò Francorū in ſingulari numero ſæpe de ſe loqui ſolitos teſtimonio ſunt quæ de illorum rebus geſtis varii authores memoriæ prodiderunt. Nam, vt ex multis exemplis pauca ſubiiciam, Vuinomadus ad Childericum Clodouei Magni patrem de ſententia totius nobilitatis in hęc verba legationem miſiſſe dicitur: *Reuertere iam nūc vt deſyderatus dominus ac vt felix vtere regno tuo* [3]. [illegible] populus ſiue regni ordines, dum Regem alloquebantur, *tuum regnum*, dicebant: an non Regi ad populum ſimiliter *meum regnum* dicere moris fuiſſe putas? ſed hoc coniectura tantùm nititur, dices. en ergo certa & indubitata. Idem Clodoueus, cū ei recens baptiſato S. Remigius paſſionem Dominicam recitaſſet, *Si ego*, inquit, *cum Francis meis ibi affuiſſem, eius iniu-*

1 Pſalm. 143. Verſu.3. 3. Reg.20. in fin. &22. in pr. Eſdræ lib.1. cap.1. 6 & 7. Eſter cap.13. & alibi ſæpe.

2 can. Conſtantinus. 96. diſt.

3 Aimoin. li.1. cap.7.

rias

1 Idem eodem lib. c. 16. *rias vindicaſſem* [1]. Sic Carolus Caluus regnum iniens pollicetur Ordinibus ſe vnicuique *legem & iuſtitiam conſeruaturum*: additque: *in hoc vt honor regius & poteſtas ac debita obedientia atque adiutorium ad regnum mihi à Deo datum continendum & defendendum, ab vno quoque veſtrûm, ſecundum ſuum* 2 Idem li. 5. c. 21. *ordinem & dignitatem atque poſſibilitatem, mihi exhibeatur* [2]. Ludouicus Craſſus moriens Ludouicum filiũ acciuit: ſeq; regni adminiſtratione abdicans eum fertur allocutus. *ego* 3 Gaguin. li. 6. in vita Lud. Craſ. *Ludouice, regnum quod malè ipſe adminiſtraui, tibi committo* [3]. Philippus verò pulcher ad filium Ludouicum Hutinum: *Ludouice, inquit, regnaui hactenus, plurimis veſtigalib. & tribu-* 4 idem li. 7. in vita Phil. Pulch. *tis populum meum vexaui* [4], *&c.* Sic cùm contentio eſſet inter Caroli. VII. Cancellarium & 7. homologũ Petri Ducis Britanniæ, de forma ſacramenti fidelitatis præſtandi à Duce regi altero aſſerente Ducem, vt hominem ligium ſiue homologum, in Regis verba iurare debere: altero verò negante Ducem Regis homologum eſſe. Poſt longam Cancellariorum altercationem Rex ipſe litem diremit: ad Ducem enim conuerſus. *Et ego*, inquit, *tuorum anteceſſorum more te admitto*. Sed & idem Rex alias in publicis negociis tractandis vocibus iſtis *ego* & *meum*, perinde ac *nos & noſtrum* vſus eſt.

Poſſum huius generis locutiones, ſi opus eſſet, infinitas proferre, quas quoniam Francici regni annales & hiſtorias legentib. paſſim occurrunt, recenſere ſuperua caneum arbitror. Rex Henricus igitur non *immutauit veterem Regũ in plurali numero loquendi morẽ*. nam & ipſe quoque in plurali numero ſæpe loquebatur. Sed potius veterem Regũ loquendi in vtrolibet numero, vti volebant, morem & libertatem retinuit, conſeruauitque: quem cùm eo nomine accuſas, priſcos illos & recentes Reges omnes pariter accuſes neceſſe eſt, quos ipſe in eo loquẽdi genere authores habet, & quorum æmulari potius humanitatem, quam tuam iſtam ſcrupuloſam vanitatem exoptauit.

CAPVT XI.

Superiora hæc de hæreſi refutare libuit prolixius, quòd in iis non tam offenſa Henrici. III. exiſtimatio, quàm coarctata & coanguſtata Regum omnium libertas, læſaque Maieſtas eſt: quibus hæc eadem, quæ ille, dicere vel facere ſine vlla hæreſeos nota vel ſuſpicione licet. Cætera verò quæ Regi tuo flagitia affingis neutiquam memoranda mihi videntur: tum quia non eius ſolius, ſed communẽ

Regum

Regum omnium, cauſam ſuſcepi: tum etiam quòd reliqua ferè omnia ex meris & manifeſtis mendaciis atque calumniis conflata ſunt, quæ nec referre honeſtum propter nimiam quorundam obſcænitatem, nec refellere ob perſpicuam falſitatem neceſſum eſt. Etenim profectò ſi orator ethnicus Æmonenſium literas *de probris, adulteriis, ac ſtupris Aſclepiadis* cuiuſdam in teſtimonium producti, quamuis veras, recitare noluit, *ſed propter turpiſſimam obſcænitatem verborum prætereundas putauit* [1], quanto nobis ſtudio cauẽdum, qui Chriſto nomen dedimus, ne turpes & famoſos libellos nulla nec religione teſtatos, nec veritate fundatos, nec authoritate firmatos, ſed irâ, odio, aduerſis ſtudiis, improbe & petulanter compoſitos atque corruptos, in aures atque animos hominum proferamus? Quid enim fœdius, quid obſcænius, quid caſtis auribus indignius iis quæ paſſim de Regis illius magicis artibus, ſacrilegiis, ſcortationibus, ſtupris, adulteriis, atque id genus maleficiis omnibus, ſine vllo teſte & ſine vllo certo authore, iniquè, imprudenter, imò ſceleratè & impudenter diuulgaſti? quorum omnium innocentiſſimum fuiſſe eum pleriſque iam notius eſt, quàm in quo demonſtrando ſit elaborandum. Nam multi ex iis qui illum meliùs, quàm tu vnquã, nouerunt, atque in illam ipſam factionem popularem velut tempeſtate delati, non minus olim oderunt, tuam inconſultam in ſcribendo temeritatem nunc indignantur, vituperant, execrãtur; quòd nimia facilitate, ſeu ſtulta potius credulitate, hominum quorumlibet ſermones & rumuſculos pro exploratis facinoribus, ficta q; ab impotente animi fœmina ad Regis iniuriam probra pro compertis rei veritate flagitiis habuiſti, & vt quiſque ad mẽtiendum & comminiſcendum egregiè inſtructus atque edoctus tibi aliquid ſuggeſſerat, id rhetoricis coloribus & orationis fuco depictum ac dilatatum in tuum opus, velut celebre aliquod atque inſigne documentũ, tranſtuliſti: quaſi *laus, merces, gratia, gratulatio poſita eſſet omnis in impudenti mẽdacio.* quod quamuis ſceleratorum hominum & æſtuantis populi odio ac furori conueniat, tamen virtute, conditione, grauitate, religione tua, ſi modò is es quem te eſſe profiteris, omnino fuit alieniſſimum.

Ac in primis illa quidẽ quæ de magicæ & theurgicæ artis ſuperſtitione, totaq; illi⁹ myſteriorũ theoria ſcribis [2], haud obſcura calũniæ tuæ argumẽta omnib. præbent. Nã cum

1 Cic. pro Flacco.

2 Lib. 2. c. 29. 30. & 31.

cum ſceleris illius omnium quæ in hominem cadunt grauiſſimi Regem accuſas, nihil teſtatum nihil probatum & confirmatum adfers: tantùm in opinionibus, ſuſpicionibus, coniecturis, aliiſque perleuibus & ex inuidia procreatis indiciis totus verſaris, quorum alia manifeſtis mendaciis fundata, alia tam incertis & dubiis rerum ſignis nixa, vt etiamſi nón Rex, ſed priuatus reus eſſet poſtulatus; abſolui quidem ac dimitti, accuſator verò calumnię damnari ac notari debuerit. Quid enim? quę iſta vox tua eſt, quã velut accuſationis ſummam ſeu titulum crimini præ-
Lib. 2. cap. 29. figis [1].

Henricum theurgicę impietatis quæ ſuſpectum reddant.

An non proiectæ nimis audaciæ & ſtultæ temeritatis, atq; adeò hominis veſani eſt, vocare in iudicium & immaniſſimi criminis accuſare non Regem dico Chriſtianiſſimum potentiſſimumque, ſed vel priuatum aliquem, cùm aliud aduerſus eum nihil habeat quo cœptam inſtruat accuſationem, probetque quod intendit, exceptis pauculis indiciis, iiſque plurimùm fallacibus, quæ reum non niſi ſuſpectum, ac vix ſuſpectum reddant? O conditiones Regum & Principum miſerrimas, ſi tanta peruerſis delatoribus & calumniatoribus libertas concedatur, vt pro religioſo ſuperſtitioſum, pro deuoto & pio hypocritam, pro graui ſuperbum, pro hilari diſſolutum, pro leni & placido imbellem, pro ſeuero crudelem ac tyrannum, pro munifico decoctorem, pro liberali ſordidum ac tenacem Principem publicè & impune dicere auſint? actum de Regibus, actum de regnis, actum de Repub. eſt, ni tam effrenem linguæ rabiem & exẽplo pernicioſam metus aliquis velut medicina quædam compeſcat. Nullum itaque iudicium ſatis graue & ſeuerum, nullum ſatis acre & exquiſitum ſupplicium in tam ſceleratos manifeſtæ calumniæ authores, vel legibus decerni, vel magiſtratuum ſententiis conſtitui poteſt. Sed ad te redeo.

CAPVT XII.

QVod de magica & theurgica impietate Regis tui ſcribis, eius rei tria tibi fidem prorſus abrogant. Primum tua illa theoria quam vocas, ſeu potius commentarius in ſigna magica, quibus vſum eum fuiſſe, ſine vllo tamen certo teſte vel teſtimonio fingis. Nam in eo commẽtario ſignorum omnium vim, vſum & ſignificationem ita expedi-

expedirè, intelligenter, & enucleatè nobis aperis, ac ſi malæ artis Myſtes aliquis arcana illa diuulgaſſet, vt proinde non alterius quàm tua vel mẽte excogitata, vel manu tractata vnquam fuiſſe videantur. Quod cùm dico, nõ te magicæ ſuperſtitionis reum, ſed falſæ accuſationis fabricatorem facio. Quapropter ad Regis Henrici defenſionem ſat erit tale quid tibi reſpondere, qualè in re non abſimili Arrianis & Miletianis Athanaſium accuſantibus reſponſum fuit [1]. Henricum nempe nec circulis, nec ſatyris, nec vllis vnquam Magorum ſignis vſum fuiſſe: teque propterea vt iudices de talium ſignorum inuentoribus authoribuſque doceas eſſe cogendum, ni malis tibi ipſi id quicquid eſt potius aſcribi. Nam quod ſcribis, *nouum in ſecreto illo deuotionis Hieronymitanæ, adyto, quod ad caſtrum Vicenarum tertio ab vrbe milliari ab ipſo conſtructum eſt, à Pariſienſibus ciuibus inuentum oſtentum* id cùm nulli certo authori acceptum referas; nullam omnino apud bonos & graues viros fidem facit: quippe verba iſta, *omnes, populus, totus mundus, ciues*, & ſimilia, in teſtimoniis dicendis idem in effectu ſonant quod *nemo*. Quid enim tam horrendum, incredibile, & monſtroſum, quod furens & flagrans odio turba ad Regis ſui ignominiam non perlibenter tunc confinxiſſet? quas portentoſas imagines ad eius pietatem calumniandam & infamandam non facilè conflaſſent; qui proprias ipſius imagines, mixta hominis, dæmonis, & ſatyri effigie ſculpi, excudi; adque eius dedecus & ignominiam publicè geſtari vndique curarunt? quas non illi artes diabolicas affinxiſſent, quem non hominem ſed diabolũ hominis figura contectum iudicarunt? nimirum populus Pariſienſis alioqui humaniſſimus & Regis ſui amantiſſimus, nefariis tuis concionib. tunc potionatus, vſqueadeo dementiebat, vt, quod nunquam illi antè acciderat, nunquamque euenturũ ſperamus, diſruptis legitimæ ſubiectionis vinculis, nulla nec Regis nec legis reuerentia & metu teneretur.

Ruffin li.1.c 17. Socrat. Scholaſt. li.1.c 29 Niceph. li.8.c.49.

Secundum eſt multitudo mendaciorum (accipe expreſſam dolore vocem) quæ in tuis iſtis de abdicatione libris continentur, quorum metu viri boni aſſenſionem omnem ab aſſertionibus tuis cohibere, niſi quarum certa & euidẽs aliunde fides, quàm te authore falli, decipi, ac delirare malunt: quem enim ſæpius quis in mendacio deprehendit, ei ne vera quidem dicenti facilè fidem adhibere poteſt. Equidem miratus frequenter ſum qua ingenii fiducia tot Scri-

 ptu-

pturas, hiſtorias, res geſtas, atque adeò ſermones omnes & cogitationes hominum fictis falſiſque interpretationibus corrumpere ac peruertere auſus ſis: eorum ego non pauca ſuperius annotaui & alia, vt quodque occurret, indicabo. Huius generis quædam ſunt inter exempla quæ de Principib. ob hæreſin eiectis, vt populo imponeres, propoſuiſti [1]. Magnam enim vim præ ſe ferunt cùm leguntur, mox vana & inania, vbi ſolerter excutiuntur, apparent. Nam primum de Baſiliſco exemplum, qui in Eutychis & Dioſcori ſectam vxoris ſuaſu impulſus Chalcidonenſe Concilium edicto abrogauit, quid ad legitimos Principes? erat Baſiliſcus non legitimus Princeps ſed tyrannus & inuaſor Imperii, qui expulſo Zenone legitimo Principe, diadema per vim & ſcelus occupauit [2], ideoque in catalogo Imperatorum inter Romanos Principes non numeratur. Erat igitur verè & propriè tyrannus, eóque ſingulis & vniuerſis in eum inſurgendi inuadendique ius ac poteſtas fuit.

Alterum exemplum nihilo magis inſtituto tuo cõgruit, de eodem Zenone nimirum, qui ſuperato iterum Baſiliſco regnum recuperauit. Nam quamuis verum ſit hunc fuiſſe Principem legitimum, ſed corruptiſſimum & variis ac nefandis facinoribus inquinatum, atque adeò Synchyticũ: tamen verum nõ eſt eum ob hæreſin Principatu fuiſſe deiectum: tantùm vxoris Ariadnæ dolis peremptus eſt [3]: vitã malè actam infœlix plurimùm exitus conſequi ſolet. quãta igitur impoſtura velle his exemplis perſuadere, ſubditos in Regem hæreſi infectum poſſe inſurgere, cùm in altero non Principem legitimum, ſed regni vſurpatorem proponas: in altero verò legitimum quidem, ſed aduerſus quem nulla ſubditorum rebellio ob hæreſin facta memoratur.

Synchytici erãt hæretici qui, duas in Chriſto naturas confundebant, & vnam tantũ poſt duarum vnionem in eo fuiſſe aſſerebant.

Tertiùm de Heraclio vel nihil ad propoſitum tuum pertinet, vel, ſi pertinere vis, manifeſtum mendacium cõtinet. Nam Heraclius magno populi cõſenſu ad finem vſque vitæ annos vnum & triginta, imperauit, regnumque moriens filio reliquit.

Quartum eſt de Dicoro Anaſtaſio. *His ſuccedit Anaſtaſius Manichæus*, inquis, debuiſti dicere Eutychianus, *Vociferante & indignum imperio clamante populo, verbis pacis turbam emollire coactus primum, ac deinde fulmine extinctus*, quaſi verò breui extinctus ſit fulmine poſt emollitam, vt ais, turbam: & id tamen tua velle videtur oratio: ipſe autem totos ſeptem & viginti annos Eutychiana hæreſi infectus im-

[1] li. 2. ca. 19.

[2] Zonar. li. 3.

[3] Zonar. ibid.

imperauit,& tandem fulmine ictus periit. Non itaque regno eiectus ob hæreſin, ſed iuſto Dei iudicio poſt annum ætatis octogeſimum octauum horrenda & non conſueta morte peremptus eſt. nec vlla aduerſus eum coniuratio vel rebellio facta, nulla turba concitata legitur, præter illam populi ſemel in eccleſia zelo tumultuantis, cùm Imperator edictum contra fidem publicè in templo ex ſuperiore loco per vim promulgare attentaret. Non ab hominibus igitur, ſed à iuſtiſſimo ſcelerum quæſitore & vindice Deo. Anaſtaſius ille Dicorus è regno, éque mundo eiectus eſt. Nemo negat malos Principes pœnas Deo acerbiſſimas luere, & multo grauiores iis quæ vlla arte humana excogitari aut infligi poſſunt: idque etiam in ſuperiore Heraclio patefactum eſt, quem Deus ob hæreſin, & ſtuprum, inaudito morbi genere percuſſit: nam vltra aquam intercutẽ qua vehementer laborabat, fertur inguine ſurſum conuerſo, cùm meiere vellet, faciem ſemper ſuam perminxiſſe, niſi vrina per tabellam imo ventri appoſitam auerteretur. At hæc quid ad populi poteſtatem? Promittis te daturum exempla eorum qui principatu ob hæreſin eiecti ſunt, & illos recenſes quorum nemo propter hæreſin tale quid à populo paſſus eſt, & recenſes quidem indubitanter, quaſi certo certius eſſet quod profers, cùm nihil eo tamen falſius. Hoccíne non eſt inſidiari multitudini? eſtne miſeram plebeculam magno artificio in errorem pertrahere? multi de talia de pulpito inuidioſè iactantem auſcultarunt, pluréſque eadem literis à te mandata perlegerunt, qui partim hiſtoriarum cognitione defecti, partim conditionis tuæ opinione pellecti, in immenſam mẽdaciorum charybdim perducti ſunt, vbi non raro exiſtimationis ſuæ naufragium faciunt, dum nimium pertinaciter tuentes ea quæ à te acceperunt, obſignatis tabulis manifeſti mendacii conuincuntur. Verè tu quidem dicere potes, *populo impoſuimus & oratores viſi ſumus.*

Nam & quinti tui exempli de Philippico haud certa fides eſt, ſiquidem Zonaras [1], qui Græcorum Imperatorum hiſtoriam melius quàm vel Platina vel Regino nouiſſe creditur, ſcribit hunc Principem hæreticum quidem & ſextæ ſynodi Oecumenicæ, quantum in ſe erat, abolitorem, nõ propter hæreſin à populo exactum abiectumque, ſed priuata quorundam factione quos conuiuio adhibuit oppreſſum & occæcatum interiiſſe. Sed redeo vnde di-

[1] Lib. 3.

greſſus ſum, ne dum ſingula perſequi ſtudeo vix facilè finem reperiam.

Capvt XIII.

Tertium quod huius tuæ accuſationis fidem eleuat, eſt mos iſte tuus, & velut innata quædam de viris bonis detrahendi propenſio. adeò nimirum iniuriarum & conuiciorum prodigus es, adeoque intemperantes linguæ tuæ aculeos in omnes ſine vllo diſcrimine exacuiſti, vt quotquot tecum in ardentiſſimam illam coniurationis flammam ſeſe præcipites non dederunt, omnes te iudice athei, hæretici, veneſici, laruæ, cynędi, ganeones, blaſphemi, auari, ambitioſi, luxurioſi, libidinoſi, raptores, adulteri, decoctores, ſimoniaci, vel hypocritæ ſint [1]. Cùm itaque huiuſcemodi epithetis multos viros bonos, & te in omni virtutis genere probiores per ora populi traducas, quis tibi aliquem eorum nominatim maleficii reum, vel publico iudicio poſtulanti, vel extra iudicium aſſerenti, fidem adiunget? odium atque inimicitiam teſtium diligenter perpendi & lex & ratio ſemper voluit [2]. qua de cauſa Socrates Scholaſticus [3] de Athanaſio, Τοὺς περὶ Εὐσέβιον, inquit, ὡς ἐχθροὺς παρεγράφετο: id eſt, contra eos qui ab Euſebio ſtabant tanquam inimicos excepit. Inimicum autem capitalem cenſeri, ac proinde ab omni accuſatione, inquiſitione & teſtimonio repelli eum, qui ſtatus vel bonorum omnium controuerſiam alicui mouet, eædem ipſæ leges iuſtiſſimè ſanctiſſimeque voluerunt [4]. Quicquid ergo de Rege tuo ſcribis, deque illis qui eius partes ſequuti ſunt, id nullius neque indicii neque teſtimonii loco eſſe debet, tum propter peſtilentem & propè inſanabilem linguæ tuæ morbum, calumniandi, inquam, viros bonos conſuetudinem, tum etiam propter grauiſſimas quæ tibi cum illis interceſſerunt inimicitias: potiſſimùm verò cùm Illuſtriſſimo Duce Spernonio, cuius fortunam & famam paſſim inſolenter, peruersè, & nequiter inſectaris: ac tunc quidem impudentiſſimè eum Theurgicum & Pythonicum eum dicis: quorum nihil grauibus, incorruptis, & religioſis teſtibus conuincere & comprobare potes, cùm ipſe tamen contra integritatis, & pietatis ſuæ certiſſima dederit ſigna, & etiamnum det. Inſignis hæc tua temeritas eſt & ſacerdotali munere indigna, atque etiam coercenda ſeuerius: quæ enim deteſtabilior immanitas, quod magis impium & nefarium ſce-

1 in præfatione.

2 l. 3. D. de teſtibus Nouell. de teſtib. 90. §. Si verò coll. 7.

3 li. 1. cap. 31.

4 ca. cùm oporteat 19 de accuſat. dict. Nouell. 90. § Si verò.

ſcelus, quàm illuſtrium virorum exiſtimationem turpi ſcripto ad varias nationes emiſſo offendere & violare? detractor fure peior eſt & planè homicida [1]. Parum autem vel nihil ab onere calumniæ te releuat quod de fama ſcribis, quæ, quoniam à te tuiſque ſimilibus, id eſt, inimicis & alienæ gloriæ inuidis, ortum traxit, deſpicienda protſus & contemnenda eſt [2]: imò etſi incertum ſit vnde illi origo, tamen quia fama res fallax eſt [3], & boni ſæpe mala laborant, mali bonam aſſequuntur, fit vt ſola fama nullum in criminalibus cauſis gradum probationis per ſe faciat, ſed tantùm iuuet nonnihil alias probationes, & qualemqualem inducat præſumptionem, vt optimi iuris noſtri interpretes tradiderunt [4].

Nulla fraus capitalior, nullum exitioſius venenum, nulla peſtilentior humano generi calamitas, quàm quæ à calumniantis lingua accidere poteſt. *Iaculum, & gladius & ſagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium* [5]. Nihilque hac arte ad innocentes opprimẽdos efficacius, quippe

—fama vix vero fauet [6]
Peius merenti melior, & peior bono.

Hæc ſanctiſſimum Patrem Athanaſium inimicorũ vocibus ſugillatum, ſtupri, homicidii, veneficii (quamquam innocentiſſimum) cauſam dicere, inſtructis & ſubornatis in eum accuſatoribus, coegit [7]. hæc Syluestri II. Pontificis Maximi vitam non minore mendacio infamauit, fecitque vt geometricæ ſcientiæ laus, in qua præ cæteris tunc plurimum excellebat, ad magicæ artis & hariolandi ſuſpicionẽ vituperiúmque traheretur. hæc Apoſtolos & Martyres cæteróſque Dei ſeruos compluri mos, atque adeò ipſum caput Chriſtum Ieſum calumniis & falſis delationibus impetiuit obruitque nihil vt rei tam certæ teſtimoniis aut exẽplis aliis opus ſit. Eſt præterea hoc malum, quo neſcio an aliud maius, quòd vnus vel nimium credulus vel maledicus & ſuſpicioſus ſcriptor vberem ſæpe infinitis hominibus mendaciorum materiam anſámque ſubminiſtrat: vt Martinus Polonus, qui de Sylueſtro illo II. & Ioanne VIII. falſiſſima atque abſurdiſſima incertis rumoribus conficta literis mandauit, quibus & ipſe Platinam, & Platina incredibilem omnis generis hominum multitudinem fefellit. Et tu quoque infami iſto ſcripto multis popularium tuorum, atque etiam exterarum nationum millibus errorem de fama

1 can deteriores. & ſeq. 6 q. 1.

2 cap cùm in iuuentute de præſump. c. qualiter & quando 24. de accuſ.

3 l. vlt. D. de hæred. inſtit. l. Iuſtiſſimos. C. de off. rect. prouin.

4 Bart. ad l. de minore. § plurimũ. D. de quæſt. Pano. de ca veniens de teſtib.

5 Prouer. 25.

6 Senec. in Hippolyto.

7 Ruffin. li. 1 ca 17. Socra. Schol. li. 1. c. 29. Niceph. li. 8. c. 49.

ma & exiſtimatione bonorum & clarorum virorum iniecisti: ſed eò nequius quàm Martinus, quòd ille tantùm res ætatem memoriamque ſuam vetuſtate ſuperantes, ex falſi rumoris relatione, de mortuis conſcripſit: tu rerum præſentium veritatem ex ſola inuidia, & inſanabili in Regem odio, ad viuorum dedecus & ignominiam ſciens prudens adulteraſti. Deum teſtor, cui omnes cogitationum latebræ panduntur, inuitum me, & coactum iuſtiſſimæ cauſæ patrocinio, iſta tibi obiicere: vt iis qui venenata calumniæ tuæ pocula hauſerunt, aliquo veritatis antidoto, ſi fieri poteſt, ſubueniam. Neque enim euelli facilè illis error in hoc genere & re tanti momenti poteſt, niſi quod ſæpius iam factum eſt, calumniis & impoſturis te vſum eſſe liquidò demonſtretur. Eſt tibi, quod doleo, nimis frequens & familiare hoc vitium. Scio quid in fratrem tuum, in ſenem dico ſacerdotem, Bruxellis commentus es: ſed reprimo me. Dediſcas quæſo malos iſtos mores, atque ad manſuetudinem te componito: confringe illas ſeditionum buccinas, quibus tuos populares de ſuauiſſimo pacis & concordiæ velut ſomno ad tetra & cruenta bella ciuilia excitaſti incitaſtique. Ne putes te vnquam ex bonorum virorum vituperio laudem tibi aliquam & gloriam poſſe comparare. Iam te oderunt & execrantur illi ipſi quibus olim maledicæ & turbulentæ tuæ conciones placuerunt. Sciunt nunc, & ſuo damno ſciunt, in quas miſerias & fortunarum corporumque pericula ac diſcrimina, conſilio hortatuque tuo fucatam religionis & Reipublicæ vtilitatem contineте, ſeſe coniecerunt. Quid multis? ita te imprudenter, ne quid grauius dicam, in hoc negotio geſſiſti, vt nullam tua neque apud eos vox amplius, neque apud poſteros ſcriptio fidem ſit habitura. Sed mitto hæc, & quæcunque ſunt reliqua, quibus tanquam perſonæ vitiis Regem, & qui à Rege ſtabant, inſectaris, atque ad communem cauſam, id eſt, ius Regum iterũ reuertar: ſi de vno prius te admonuero, quod grauiſſimum calumniæ tuæ teſtimonium omnibus rerum Francicarum peritis exhibet, & quo non aliud maleuolentiæ tuæ ſignum maius. Nempe optimum Regis factum, &, vt inter omnes conſtat, ad Reip. vtilitatem, de immenſa atque incerta aurei ſolaris æſtimatione moderanda, ſalutariter excogitatum, tu, malitioſa & peruerſa mentis eius interpretatione, ſceleratis actibus, rapacitati, & nequitiæ tribuis: ita enim tu [1].

[1] Iu. 1. cap. 12.

Ne-

Nouas etiam artes vnde & ſumptus creſceret, & conſtare de eo nulli poſſet, inuenit. Quippe qua per libras numerari more patrio pecunia ſemper conſuerat, per aureos nouo edicto numerari iuſſa eſt, ſcilicet vt breui compendio libras in aureos commutando, pro centenis trecenas acciperet, atque ita triplo pecuniam vel debitam vel imponendam augeret.

Certóne ſciſti hunc Regis animum & intentionẽ, hunc ſcopum atque finem in edicto iſto proponendo fuiſſe? non audes, opinor, id aſſerere homo à publicis regni negotiis regiſque conſiliis adeò remotus, & cui Rex tam occultæ artis ſecreta nunquam reuelaſſet. Si, vt tu dicis, *conſtare de eo nulli poſſet*, quomodo tibi conſtitit? ab aliis accepi, dices: & vnde illi? Nihil ergo certi habes, & *teſtis deponens per auditum*, id eſt, ex aliorum relatione, vel *de credulitate*, vt aiũt, *non facit fidem.* Aut igitur homo nimis audax & temerarius atque alienæ famæ inſidiator es, qui illud pro certo & comperto ad Regis ignominiam affirmas quo nihil incertius? aut id ſaltem aliunde diuinando es aſſequutus: quo caſu Pythonicum te eſſe multo *certiore experimento* conuincitur, quàm eſt illud quo Ducem Spernonium eius malefícii reum facis. Illum enim *Pythone vti certiſſimo experimento* dicis, ob id quod ſemel obuiam factus curſori ad Regem celeriter contendenti, *diuinauit eum pro petendo à Rege epiſcopatu ad Regem feſtinare.* Egregium ſcilicet argumentum quo tam illuſtris perſona tam horrendi criminis, velut ſatis comperti & comprobati infamiam atque ignominiam ſubeat: quaſi verò non ſoleant homines acuti ex rerum & negotiorum circumſtantiis multa coniicere, quorum veritas eadem eſt quam illi animo ſunt complexi. An non talia quotidie euenire cernimus, quorum coniectores nemo Pythonicos, ſed homines circumſpectos, prudentes & rerum gnaros eſſe dixerit? Quid ſi curſor ille helluo beneficiorum erat, vt facilem de ſe ſuſpicionem vel cuilibet obuiam facto dediſſet? quia ſicut *ſcholaris loquens cum puella nõ præſumitur dicere: Pater noſter*, ita neque id genus homines curſoriis equis concitatiùs ad Reges properare creduntur vt eius tantummodo menſam benedicant, ſed vt pingue aliquod harpagent beneficium. Quid ſi cum Duce illo, quem in illuſtri apud Regem gratia eſſe ſciebat, de beneficio aliquo obtinendo antea fuerat locutus? Nónne hæc & alia multa Duci Spernonio ſuſpicionem de curſore poterant iniicere? At tu, qui tam ob-

obſcurum & omnibus ignotum propoſitum atque intentionem Regi tribuis, tanto certius vel calumniatoris & mendacis, vel Pythonici hominis experimentum nobis præbes, quanto Regis illa voluntas obſcurior fuit, & nullo talis intentionis effectu comprobata.

Sed aliam illius edicti proponendi cauſam, aliumq; Regis ſcopum fuiſſe, præſens tunc rerum ſtatus, & quæ inde ſequuta eſt non parua Reipub. vtilitas demonſtrarūt. Nam cùm aureus ſolaris, partim ſuperiorum temporum indulgentia, partim fœneratorum malitia & fraudibus, ad immenſam æreæ monetæ æſtimationem eſſet perductus, ac ne indies magis magiſque creſceret eius quantitas magno cum populi incommodo detrimentóque, timeretur: è regno & Republica viſum eſt, noxium illud æſtimationis incrementum ſiſtere & amputare, adque æqualitatem aliquam publica ſanctione reuocare: ac ne hominum facilitate peruerſitatéque ruſſus in immenſum excreſceret vtiliſſimo conſilio atque edicto prouidere. Præclarum igitur & laudabile hoc Regis factum eſſe optimi tunc quique iudicarunt, nec vllis niſi fœneratoribus & auaris vnquam diſplicuit: his enim ideò ingratum fuit, quòd ſubtilem ſpoliandorum pauperum & corrogandæ pecuniæ artem à ſe inuentam ſuſtuliſſet. Etenim profectò qui calendarium exercebant, vel alias mutuam pecuniam dabant, cùm aureos numerarent ita ſibi debitorem obligabant, ne liceret ei quantitatem ſiue æſtimationem & valorem in alia quantumuis proba & publica moneta reddere, ſed tantùm eiuſdem formæ aureos nummos, quod vulgò Gallicè dicunt, *en eſpece*, & id cautionibus nominatim inſeri volebant: quòd ſcirent ante diem ſolutioni præſtiturum aurei æſtimationem auctum iri: inde factum vt miſer debitor qui acceptum aureum neceſſe habebat præſente æſtimatione erogare, dùm eum creditor adueniente die ad ſolutionem vrgeret, auctæ tunc æſtimationis damnum ferre cogeretur. eiuſmodi, fateor lucripetis fœneratoribus aliiſque auaris hominibus non potuit non odioſum eſſe hoc Regis edictum, neſcio an tibi, quòd acceptos Philippicos non ea qua cupiebas æſtimatione expenderis: multitudini autem & omnibus viris bonis nihil eo excogitari tunc potuit vtilius. Cùm ego triginta circiter ab hinc annis ex patria in Galliam traiicerem regnante Carolo IX. aurei quantitas quinquaginta quatuor aſſibus explebatur,

quæ poſt breui ad eum modum excreuit, qui ſine modo & ſupra modum plebem grauiter afflixit, afflixiſſetque diutiùs ni à Rege tunc edictum illud exiiſſet. Reducto autem ad trilibrē, id eſt 60. aſſium æſtimationem aureo, cuſi ſunt argentei partim viginti partim quindecim aſſium quantitate, vt illi trientem hi quadrātem aurei facerent, & horū præterea ſemiſſes, quadranteſque vt hac nimirum ratione & in commerciis ratio ſupputandi expeditior, & in edicto retinendo conſeruandoque facilior populo daretur occaſio.

Sed ecce quiſquis tuæ diuinationis ſeu coniecturæ myſterium ſedatè perpēderit, cauſam ſcilicet illius edicti à te conſictam, videbit ſtatim tuum illud figmentum (vt phraſim Franciam latinè exprimam) nullum prorſus habere naſum. Feciſſe hoc eum dicis, *vt breui compendio libras in aureos commutando, pro centenis trecenas acciperet*. quaſi verò facilius, ſubtilius, aut occultius potuiſſet tres aurei trientes pro vno triente exigere, quàm tres libras pro vna libra: qui libram Francicam, id eſt, viginti aſſes fiſco debebant, ii argenteum aurei trientem inferendo liberabantur. quòd ſi ærarii quęſtores ab eiuſmodi debitore aureum ſiue tres tales argenteos emungere conarentur, an non palam ſibi iniuriam fieri clamaret? an non ſtatim fraudem agnoſceret, malitiam deprehenderet, fortunatum iacturam & damnum ſentiret perinde ac ſi pro vna libra tres libras extorſiſſent? Quod cùm ita ſit quę ars aut calliditas, quę doli mali machinatio in hoc Regis edicto promulgando eſſe potuit? nulla profectò: idque vel ex eo conſtat, quòd cùm plures poſt illud edictum annos imperium tenuerit, nihil quicquam calumnioſæ, ferè dixi Pythonicæ, tuæ diuinationi ſimile vnquàm attentarit. Negari itaque non poteſt optimum hoc Henrici Regis factum fuiſſe & regno vtiliſſimum. Quicumq; igitur illud tam nequiter calumniatur, quaſi id egerit vt libras in aureos commutaret breui compendio, ii certè longo ſuſpendio digni ſunt.

Facis tu quidem, Boucheri, vt qui libros tuos lectitarūt de antiquorum ſcriptorum fide incipiant nonnihil dubitare. Sic enim apud ſe cogitant, ſi homo Eccleſiaſticus, theologus, concionator tot calumnias, ſycophantias, & & manifeſta mendacia literis mandare auſus eſt de iis perſonis quarum & recens memoria, & pręſens vita ac mores, omniaque ab illis geſta, ipſis lectoribus non minus quàm

ſcriptori cognita ac perſpecta fuerunt: quid non fingere homines profani potuerunt de iis quos longo temporum interuallo ſequuti ſunt, nihilque præter auditum & fallacem famam, quæ curſu ſemper augetur & ex muſcula ſæpe facit elephantum, habuerunt. Quis, inquiunt, in poſterum arbitrabitur Caligulam, Neronem, Heliogabalum, & alios quorum mentio in hiſtoriis eſt, tam nefanda, monſtroſa, & obſcæna vnquam perpetraſſe, atque ſunt ea quæ illis aſcribuntur: poſtquam Boucherius non erubuerit illa eadem vel etiam turpiora Regi Chriſtianiſſimo affingere, ſcriptoque legenda proponere compluribus, qui, quòd Regis innocentiam in multis exploratam habuerunt ſummã ſcriptoris impudentiam admirati ſunt & execrari. Equidem profectò miror te inter Chriſtianos tam obſcœna flagitia, etiamſi facta eſſent, commemorare [1]: quippe quæ & falſiſſima ſunt, & legi à caſtis & pudibundis ſine horrore, ab aliis verò ſine turpi & impudica ſenſus & cogitationis titillatione nequeunt. ideoque pro eo quod in margine annotas φεῦ τῆς πορνείας meritò reponendum eſt, φεῦ τῆς ἰσχρολογίας καὶ συκοφαντίας. Sed vehementius in hanc cauſam inuehendi prouinciam aliis relinquo: me nunc communis Regum cauſa ad ſe reuocat.

[1] li.2.ca.26.& li.3.cap.19.

CAP. XIV.

REges coercendi exigendique poteſtatem penes populum, ſeu, qui populum repræſentant, regni ordines eſſe, alio adhuc elencho ex Bruti diſciplina niteris perſuadere; argumẽti autem vim in eo ponis, quòd regni maieſtas, te iudice, non in Principe, ſed in ordinibus reſideat. Ita enim tu.

BOVCHERIVS [2]. *Porrò maieſtatem illam cùm penes ordines ſeu comitia eſſe conſtet, id quoq; ſequitur, qui ordines læſerit, publicæ maieſtatis ſupra omnes teneri atque reum eſſe. Nam penes comitia vt regni maieſtas ſit, cùm vniuerſa regnorum conſuetudo docet, tum quæ perpetua in Gallia ſacroſanctæ eorum authoritas eſſe conſueuit.*

[2] li.3.cap.1.

Premere & ſuffocare errorem prima fronte oportet, nam vbi viuere & excurrere vel pauxillum ſinas, velut fœta ſcrofa alios pariet complurimos. Iam ſatis ſuperque prioribus libris oſtendimus falſiſſimum eſſe quod hic pro cõfeſſo & conſtante arripis: neque inter vllos conſtare poteſt, niſi qui quid ſit Regnum & Monarchia neſciunt.

Nec tu firmam aliquam eius rei rationem aut argumentũ ratione fundatum profers: exemplis tantum à Bruto mutuatis, iiſque nihil ad ius regni pertinentibus lectorem fallis: quæ vt ſunt à te relata, ne conquerare tibi calumniam ſtrui ordine huc tranſcribam.

BOVCHER[1]. *Atque vt è ſacris libris exempla potiſſimum ſumantur, populi maieſtas fuit, cùm Iſrael conuenit in Silo, contra tribus Ruben & Gad & dimidiam Manaſſe, ob erectum ab iis altare infinitæ magnitudinis, quod nouũ eos aliquod in religione moliri ſuſpicio eſſet. Item cùm Ioſue iam ſenex Iſrael omnem in Sichem conuocauit, & fœdus cum Deo percuſſit. Item cum Iſrael, quaſi vir vnus, in Maſpha congregatus eſt, contra tribum Beniamin, ob illatam vxori leuitæ iniuriam, bellum illaturus. Et iterũ in Maſpha, cùm populum Samuel congregauit, atque ibi de iis reformandis quæ putatis & iuſtitiæ erant communibus ſententiis eſt definitum. Rurſum cùm congregati in Ramatha maiores natu, Regem ſibi inſtitui poſtulauerunt. Et in Maſpha iterum, cùm Saul Rex productus eſt, & viuat Rex ei acclamatum.* 1 ibidem

Præſtat hic cauſam facere, ne ſeparata & diuerſa cõfundamus: nam calamus iam diu in tuo iſto campo currens, nihil niſi ventum, vanas ſcilicet ſine virtute voces, poteſt inuenire. Bruto iſta Boucheri debes, qui ea latinius multò & ſubtilius in ſuis Vindiciis retulit[2], cui id à nobis ante reſponſum eſt[3], quod & tibi nunc reſpondemus. Nihil quicquam ſcilicet exempla iſta ad regnum pertinere.

2 quæſt. 2. in principio.
3 Lib. 4. ca. 6.

Nemo negat imperii maieſtatem penes populum vel ordines eſſe, in ea Republica quæ nec regnum eſt nec Regem habet: at inde argumentum efficax, à democratia, inquam, vel Ariſtocratia ad Regnum & Monarchiam trahi, nemo rationis & iudicii compos vnquam tibi concedet. quippe horum Reipublicæ generum ſumma & ferè ſola in eo differentia eſt, quòd in vna populum, in altera pauci, in tertia vnus imperium & poteſtatem omnem retineat ſtante Republica Romana dignitas, poteſtas, & maieſtas populi Romani prædicabantur: eadem ſub vnius ditionem atque imperium redacta, omnia illa ad Imperatorem translata ſunt, populo nihil niſi parendi neceſſitatẽ obtinente. cùm igitur iſta omnia exempla quæ ex te retulimus non in regno, non ſub Rege, ſed in libero ſolutoq́ue populo contigerint, quis nõ videt te fucum lectori facere, vt callida impoſtura capiatur? Nũquid ignoras hęc omnia ante regnum in Iſraele conſtitutum accidiſſe? An neſcis de He-

1 Iud. cap. 17. 18, & 21.

Hebræorum tunc Republica ſcriptum eſſe ſæpius [1]: *In diebus illis non erat Rex in Iſrael; ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat?* An non ridiculum eum & cauillatorem eſſe diceres, qui cùm ſeriò polliceretur ſe probaturũ ſummam in familia poteſtatem non penes maritum, ſed penes vxorem eſſe, ad eius rei firmamentum exemplis vteretur familiarum quibus ſolæ viduę præerant: Nonne ſtatim ei diceres? amice apage tuas iſtas ſutelas, nimis aperta cauillatio eſt. derides nos & deludis: nam ſat ſcimus familiæ imperium non poſſe apud maritum eſſe quando maritus nullus eſt: tibi ſummam in domo mulieri nuptæ poteſtatem competere fuit probandum, nec à viduis & virorũ poteſtate ſolutis exempla petẽda. Eodem planè modo tibi nũc reſpondemus: faceſſe hinc cum tuis iſtis captionibus. Nemo neſcit maieſtatem totam in populo reſidere extra monarchiam, & vbi popularis forma imperii eſt, fieri enim per rerum naturam non poteſt, ac ne animo quidem concipi, vt poteſtas aliqua penes Regẽ ſit in ea Republica quæ Regem nullum habet. Tibi docendum fuit maieſtatem imperii penes ordines eſſe, etiam in regno: ad cuius confirmationem argumẽta ab aliis rerumpublicarum form petita nihil penitus valere, certum & omnibus notum eſt. Nunquid omnium idem regimen eſſe ſtatuis; nunquid regni, & Reipublicę ſiue Democratiæ eandem naturam? Brutus tuus te decepit, & tu nos decipere conaris: ſed nimis manifeſta fallacia eſt: ideoque, his relictis, in reliqua tua exempla inquiramus.

2 ibidem.
3 1. Reg. 12.

BOVCHER [2]. *ſed hoc rurſum apertius cùm quaſi actorũ ſuorum rationem reddens Samuel ait ad populum* [3]. *Ecce praſto ſum loquimini de me coram domino & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſim ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi, & reſtituam illud vobis.*

Hoc fateor exemplũ in regno incidit: ſed ſi tua in furorẽ acta patientia mentem tibi non occæcaſſet, nullam eius vnquam mentionem feciſſes. Eſt enim eiuſmodi quo nihil magis cauſæ tuæ iugulum confodiat, & noſtram illuſtri defendat teſtimonio: quod vt intellectu facilius ſit, res altius & à capite repetenda eſt. cũ Samuel petitu Hebræorum Reges deſiderio flagrantium, & Dei iuſſu Regem ſuper eos conſtituiſſet, ipſeque ea ratione omni in eos imperio ſe abdicaſſet, atque ex publica perſona & ſuæ gentis to-

tius

totius iudice, priuatus iam propheta factus, velut adminiſtrationis ſuæ rationem redditurus, ne ei quis poſtea aliquid improperare poſſet. totum populum ad Saulem Regem conſtituendum in Galgala congregatum, in noui Regis præſentia ſic alloquitur [1]. *Ecce audiui vocem veſtram, iuxta omnia quæ locuti eſtis ad me, & conſtitui ſuper vos Regem. Et nunc Rex graditur ante vos: ego autem ſenui & incanui: porrò filii mei vobiſcum ſunt: itaque conuerſatus coram vobis ab adoleſcentia mea vſque ad hanc diem, ecce præſto ſum loquimini de me coram domino & coram Chriſto eius &c.* cumque illi dixiſſet, *non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti neque tuliſti de manu alicuius quippiam.* ſtatim ſubiecit Samuel. *Teſtis eſt dominus aduerſum vos & teſtis Chriſtus eius in die hac.* 1 Reg. 12.

Nunquod hic maieſtatis veſtigium in populo reperitur? nunqua authoritas? præfatur Samuel ſe conſtituiſſe Regem ſuper populum quod licet per ſe ſatis ſit ad demonſtrandũ maieſtatem à populo translatam fuiſſe, cùm ipſe ſupra ſe Regem agnoſcerent, tamen id adhuc certius planiuſque hoc exemplo perſpicitur. Nam quoddam hic velut iudicium conſtitutum cernimus, in quo Samuel actoris, populus rei partibus fungitur: increpat enim populum & accuſat ingratitudinis, petitque adminiſtrationis ſuæ teſtimonium ſibi reddi. Ambo autem Deum & Regem iudices habent. Quod enim ait Samuel, *Loquimini de me coram Domino & coram Chriſto eius*, id eſt, Rege: perinde eſt ac ſi dixiſſet, contendite mecum & accuſate me nunc coram his iudicibus Deo & Rege. ſi bouem vel aſinum alicuius abſtuli &c. vel ſi nihil tale feci date mihi elogium innocentiæ & rectæ adminiſtrationis meæ, coram iiſdem iudicibus. Nemo autem coram pari vel inferiore iudicio conuenitur. Nihil igitur populi ſubiectionem & Regis imperium ac maieſtatem magis ſcitè exprimit, quàm hic Scripturæ locus, quem tu nimis malignè contra manifeſtum Scripturæ ſenſum & veritatem, ad erroris tui confirmationem, non ſine ſacrilegio detorques. Quid mirum ſi ciues Pariſienſes qui Deo, vt par eſt, obedire potiùs quàm hominibus cupiebant, his Scripturæ adulterandæ artibus ad rebellionis inſaniam perduxiſti: miſer enim popellus eiuſmodi fraudibus ſemper expoſitus, atque obnoxius eſt. Sed pergamus.

BOVCHER [2]. *Amplius adhuc cùm Salomon coram omni Eccleſia templum conſecraui;* [3]. 2 Ibidem. 3 3. Reg. 8.

Si

Si verbum ibi aliquod, aut ſyllaba vlla eſt, ex qua maieſtas populi ſupra Regem, non dico aperte deſignari, ſed per aliquam probabilem interpretationem colligi poſſit, nihil tecum amplius contendam, & præcedētia ac ſequentia tua omnia non errores, ſed oracula ſanctiſſima eſſe; meque propterea impensè improbum quòd vlla in re tibi obſtiterim, liberè atque ingenuè profitebor, tu verò contra nihil tibi tale reperitur vt errorem & impoſturam agnoſcas tuam tantùm poſtulo. Etenim profectò contrarium protſus illic oſtēditur: ait enim ſcriptura [1], *Tunc congregati ſunt omnes maiores natu Iſrael cū principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Iſrael ad Regem Salomonem in Ieruſalem, Conuenitque ad Regem Salomonem vniuerſus Iſrael.* En vt initio eius capitis quod allegas bis dicitur vniuerſum Iſraelem, conueniſſe, non ſimpliciter quidem in Ieruſalem, ſed ad Regem Salomonem in Ieruſalem, ex quo dignitatem, poteſtatem, & maieſtatem non penes pōpulū, ſed penes Regem fuiſſe non obſcurè declaratur quippe nō maior ad minorem, ſed minor ad maiorem, vbi dignitatis ratio habenda eſt accedere vel conuenire ſolet. Ob eamq; cauſam in regno Franciæ ſemel ab ampliſſimo ordine deliberatum fuiſſe accepimus, vtrum Curia ad Coneſtabilē, an ipſe ad Curiam accederet [2]. Si ergo maieſtas in populo illo Iudaico, ac non in Rege potius reſediſſet, cùm id author vtique hiſtoriæ diuino ſpiritu afflatus non potuerit ignorare, nunquam profectò ſcripſiſſet maiores natu Iſrael cum principibus tributum & ducibus familiarum atque adeo vniuerſum populum ad Regem Salomonem in Ieruſalem conueniſſe: ſed contra ad illos omnes congregatos in Ieruſalem veniſſe Salomonem. Deinde ſi, quod tu vis & alibi affirmas [3], ex ordine nominandi in Scripturis, dignitas maieſtaſque eius qui præcedit iudicatur: inficiari non potes Regis quàm populi maiorem illic poteſtatem fuiſſe: ſcriptum enim eſt. *Rex autem Salomon & omnis multitudo Iſrael, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam. &c.* & pòſt, *Igitur Rex & omnis Iſrael cum eo immolabant victimas coram Domino.* & mox. *Dedicauerunt templum Domini Rex & filii Iſrael.* deinde paucis interiectis. *fecit ergo Salomō in tempore illo feſtiuitatem celebrem & omnis Iſrael cum eo.* denique ne quis amplius dubitet omnem ibi maieſtatem penes Regem fuiſſe, adiicitur in fine. Et in die octaua dimiſit populos: qui *benedicentes Regi* (id eſt, vt exponit

1 dict. cap. 8.

2 vide Ioan. Papon. li. 4. tit. 4. de Arc.

3 Lib. 1. cap. 18.

ponit gloſſa interlinearis, *agentes gratias propter opera quæ feciſſet, & orantes Salomonem longæuo tempore regnare) profecti ſunt in tabernacula ſua latantes.* Peto abs te vtrius eſt alterū dimittere, ſuperiorisne an inferioris? Haud dubiam reſponſionem expecto, res enim clara eſt. Si igitur Rex Salomon in die octaua dimiſit populos, id eſt, vt interpretatur Lyranus, dedit illis licentiam abeundi, & illi gratias ei egerunt, non erat in populo maieſtas, ſed in Principe: alioqui dicendum fuiſſet, *in die octaua populus Regem dimiſit,* ſiue *populi Regem dimiſerunt*, vt hoc modo primas populo deferri intelligeremus. Alia præter hæc multa ſunt quibus error iſte tuus redarguitur, ſed vereor ne nimius in tam aperta fraude patefacienda videar.

BOVCHERIVS. Et cum ad Roboam venit multitudo filiorum Iſrael, vt minui vectigalia poſtularet [1]. *Quod vbi non ſuccedit & duriter conuentus excipitur, offenſus Regi magnam partem ab eo ſeceſſit, & nouum Regem ſibi conſtituit,* 3.Reg. 12.

Haud peritus es patronus. Nam & hoc quoque exemplum iure optimo in cauſæ tuę caput retorquetur. Si enim regni maieſtas penes populum aut ordines erat, quid opus fuit eos vectigalium vel tributorum imminutionem à Rege poſtulare, nonne ipſorum fuit modum vectigalium præſcribere quod Regi perſolui vellent, ſi ratio ſententiaque tua firma eſt? ſi inquam vt tu doces, regni ordines ſupra Regem ſunt, & omnia ad regni ſtatum pertinentia, vel inuito & reclamante Rege poſſunt componere. Aut ergo conditionem ſuam ignorabant, exiſtimabantque nihil ſibi iuris, conſtituto ſemel Rege, ſuperfuturum, nec vllum auxilium niſi in cura parendi relictum iri: atque ob id à Rege inaugurando illam ſibi indulgentiām promitti flagitarunt. Aut ſi iſtam quam tribuis illis poteſtatem maieſtatemque habere ſe cognouerunt, extremæ fatuitatis & ſtultitiæ fuit id eos ab alio ſupplices poſtulare, quod ſibi ipſis indulgere poterāt. Ex eo igitur quod talem immunitatem à Rege petierint, cum regni ius, formam, & conditionem ſub tribus iam Regibus obſeruatam non ignoraſſent, perſpicuè oſtenditur illam quam tu prædicas Reip. maieſtatem penes ordines non fuiſſe. Accedit huc & alia ratio quæ vim omnē exēpli huius tui penitus eneruat: Roboam nempe non fuiſſe Regem cum populus iſta ab eo poſtulauit, vt etiamſi concedamus apud ordines tunc maieſtatē omnem fuiſſe, quemadmodum in interregno ſolet,

in nul-

1 3. Reg. 12. in nullo tibi locus ille patrocinetur: ait enim hiſtoria [1]: *venit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſrael ad conſtituendum eum Regem.* Nondum ergo Rex erat, quamuis ei regnum iure hereditario deberetur: idque tu [2], & Brutus tuus [3], fatemini & nos quoque libro tertio [4], oſtendimus. Quod autem Rex ille vocatur, id propter regni ineundi ſpem, vſitato loquendi modo, dictum eſſe intelligimus. Vides vt contra telum iſtud duplici muniamur vallo: videlicet & quod ibi fuerit interregnum, ita vt exemplũ illud ad inſtitutum tuum nihil pertineat, & quod ea petitione ordines oſtenderunt non eam ſibi poteſtatem, dominationem, vel maieſtatem in regno eſſe quam tu prædicas. Sequitur ex Scripturis poſtremum.

2 Lib. 4. ca. 14.

3 quæſt. 3.

4 cap. 2.

BOVCHER [5]. *Item cum Ioſias populum in Ieruſalem congregauit, & lecto libro fœderis fœdus cum Deo denuo percuſſit* [6].

5 ibidem.

6 4. Reg. 23.

De hoc fœderis genere & ſimilibus ſatis iam ſuperque à nobis dictum eſt [7], in quo nihil quicquam de populi maieſtate traditur, nihil quod eam indicet reperitur: obligat ſe populus legi Dei ſartæ tectæ conſeruandæ, Rege authore & formulam præeunte. Sed cùm his exemplis falſam tuam ſententiam confirmare niſus ſis, cur non ipſa Scripturæ verba vnde colligeretur, & eius concludendi modũ aliquem præſcripſiſti? Nam ſoli & ſimplici aſſertioni tuæ ne fidem adhibeam, faciunt variæ ſacrorum & profanorũ authorum à te corruptæ & contortæ ſententiæ. Non ſi tibi de ſuggeſto talia vociferati auditores non reclamarũt, idcirco librorum tuorum lectores, vbi maxima cernunt mendacia, penitus conticeſcent.

7 Lib. 4. c. 8. & lib. 5 ca. 15.

Hæc cum ita ſe habeant, ex falſis principiis falſiſſimam & fallaciſſimam his verbis concluſionem ſtruis.

At in ſingulis iſtis nihil aliud quàm conuentus ordinum fuit, penes quos maieſtas tota erat, vt fœdus cum Deo percutere, vt regni œconomiam inſtituere, vt leges condere, vt de bello ac pace agere, vt frenos Regiæ poteſtati imponere, cætera eiuſmodi præſtare poſſet.

Quæ omnia planè ficta & falſa eſſe iam ipſamet luce clarius eſt demonſtratum.

CAPVT XV.

NEc minor ludificatio in iis exemplis eſt quæ ex profanis monumẽtis eruta ſubieciſti, quod vt lector planius

nius intelligat (quanquàm tàm leuia & aliena referre & refellere nonnihil piget) tuis illa verbis recitabo:

BOVCHER [1]. *Eiuſmodi quoque apud Gentiles illa comitia celebria erant vt illud totius Græciæ ſanctiſſimum conciliũ, quod Amphictionum erat ab Amphictione Heleni ſeu, vt ait Pauſanias, Deucalionis filio inſtitutum, in quo populi duodecim conueniebat: Iones, Dores, Perrhabi, Bœoti, Magnetes, Achæi, Phthii, Molenſes, Dolopes, Æneanes, Delphi, Phocenſes. Et peculiaria illa, vt apud Athenienſes Panathenæa, & per ſingula quinquennia Panegyrais. apud Æoles Panætolia, apud Bœotos Pambœotia, apud Ionas Panionia. Et illa olim Druidarum noſtrorum apud Carnutes Panceltica, vbi magno Galliæ conuentu de iis quæ ad Remp. pertinebant grauiter & ſeuere agebatur.*

[1] Ibid.

Nolo tuam in ſcribendo indiligentiam curioſa nimis diligentia perſectari, veluti quod Helenum pro Hellene hic poſueris: Decepit enim te Alexander ab Alexandro [2], cui malus perpetuò mos eſt nullam ſuis authoribus gratiã referre, nullum inquam laudare authorem, nec fontes vnde ſua hauſerit collectanea indicare. Amphictionis itaque pater fuit ſeu Deucalion, vt Pauſanias in Phocicis, ſeu Hellen, à quo Græcos omnes Hellenes dictos quidam putant [3]. Nam Dionyſius Halicarnaſſæus, a quo ſuum id Alexander procul dubio deſumpſit, de Seruio Tullio Rege loquens ſic ſcribit [4] πάντων μάλιστα τῶν τοιούτων ἔργων τὴν ἀμφικτύονος τοῦ Ἕλληνος ἐπίνοιαν ἠγάσθη. Helenus autem non Amphictyonis pater, ſed vnus filiorum Priami fuiſſe dicitur vaticinio clarus [5]. Mitto talia: de rebus mihi, non de nominibus tecum contentio eſt. Quorſum tu igitur hæc tam aliena? Nunquid putas vlli mortalium erudito, & mentis perturbatione vacuo, perſuaderi poſſe aliquod aſſertionis tuæ firmamentum in eiuſmodi exemplis eſſe repoſitum? diſpelle, diſpelle iſtam quæ te occupat & occæcat turbati animi caliginem, & cernes quamprimùm antiquos illos quos memoras Græciæ, Galliæque conuentus nihil quicquam ad eam de qua loquimur maieſtatem pertinere. Nam qui de communibus Græciæ rebus conſulturi in Amphictionicum concilium ad Thermopylas & Delphos conueniebant, ii quidem non vnius omnes Principis dominatui ſuberant: non vnum omnes ſuper ſe Regem agnoſcebant: ſed ex ſociis ciuitatibus & populis erant, quorum ſuis ſinguli legibus inſtitutiſque peculiaribus vtebantur, propriamque Rempubl. conſtituebant, idque vel ex eo ſatis

[2] li. 5. c. 7.

[3] Thucidides.

[4] l. 4. ant. Rom. Id eſt, omnium maxime in eiuſmodi rebus admiratus eſt ſolertiam Amphictionis filii Helenis.

[5] Darius Phrigius. de excid. Troiæ. Pauſan. in Corinthia. li. 2.

tis liquet, quòd Phocenſes, quia Apollinis Delphici templum ſpoliauerant, decennali bello attriti victíque à Bæotis, tandem de Amphictyonium numero & ordine fuerunt deiecti, vnà cum Lacedæmoniis, qui Doricę gentis partem conſtituebant, & Phocenſibus opem illo bello tulerant, in quorum locum reliqui Amphictyones Philippum Macedonum Regem, qui Bœotos adiuuerat, in ſuum collegium publico decreto cooptarunt, eique & poſteris ipſius binorum ſuffragiorum ius, quod ante Phocenſibus Lacedęmoniiſque competebat, conceſſerunt [1]. Deinde poſtquam iidem Phocenſes aduerſus Gallos, qui cum Brenno Delphos adoriebantur, egregiam ſtrenuámque præ cæteris omnib. Græcis operam nauaſſent, in gratiam & curiam Amphictyonicam, iterum ſunt recepti.

Diod. Sic. li. 16. c. 15. Pauſan. in Phocicis.

Cùm itaque concilium Amphictyonicum eſſet conflatum ex diuerſis populis æquo iure in ſocietatem coeuntibus, quibus nemo vnus imperitabat; nos autem de eo hominum cœtu loquamur qui ſub vnius imperio degunt, quem Regem ſibi, & Principem conſtituerunt, perſpicuum eſt non vnius generis, ſed diuerſa & diſſimilia hæc eſſe: ac proinde neutri cum altero perfectam eſſe conuenientiam, vt inde aliquod exemplum efficax ad alterutrius poteſtatem vel conſtituendam vel eleuandam proferri poſſit. Neque enim ſi Philippus in Amphictyonum conſeſſu poteſtatem maieſtatemque nullam præ cæteris eius curiæ participibus obtinebat, idcirco eum in ſolemni Macedonũ conuentu eodem modo, ſine ſummo imperio & maieſtate, cõſediſſe rectè colligitur; cùm alteri vt ſocius, alteri vt dominus, Imperator, & Princeps intereſſet. Idem prorſus de tuis Pancelticis iudicandum. Cùm enim Gallia ante Cæſaris in eam aduentum nulli vni paruiſſet, ſed totidem penè in ea Reges quot ciuitates, diſtinctis imperiis, fuiſſent, quid mirum ſi totius Galliæ Maieſtas in eiuſmodi ſocialibus conciliis fuerit repoſita, cùm nemo vnus eſſet in quo poſſet conſiſtere: at vbi armis ſubacta in ditionem ac poteſtatem populi Romani conceſſit, eius in Druydarum conuentibus, conciliiſve publicis nulla amplius maieſtas, ſed tota in Imperatore fuit. Atque ea iterum à Francis deuicta, eandem cum imperio maieſtatem victoris populi Princeps in ſe tranſtulit: maieſtas quippe ibi eſt, vbi & ſummum imperium; hoc autem niſi in vno Principe ſeu Rege ſit, Monarchia nulla ne animo quidem concipi vel cogitari poteſt, vt

eſt à

eſt à nobis ſuperioribus libris demonſtratum. Perperam igitur & inſcitè, ad confirmandam ſententiam tuam, exempla à tam remotis & alienis Græcorum Gallorúmque inſtitutis protuliſti; & non ſecus ac ſi quis contenderet totam maieſtatem penes regni ordines eſſe, hoc exēplo quòd apud Heluetios omnia illorum nutu gubernentur, qui ex tredecim ipſorum pagis, de communibus totius gentis rebus deliberaturi, iuſſu populi conueniunt. qua collectione quid abſurdius, niſi illud, quod Panathenæa etiam ad inſtitutum tuum pertinere putas? *vt apud Athenienſes Panathenæa*, inquis. Quid? Panathenæa, ſiue minora quidem annua, ſiue maiora illa quinquennalia, nónne feſta erant in honorem Palladis inſtituta, quæ variis ludis, & multiplici certaminis genere celebrabantur? omnes eo pueri puellæque conueniebant, vbi muſica, lucta, curſu, ſaltationibus, certabatur [1]. Itaque Athenæus author eſt [2], quemadmodum Theſpeſiis Erotidia, Rhodi Halia, in Elide Olympia, ſic Athenis Panathenæa celebrari ſolita. Hoc autem quid ad regni maieſtatem? cur non ſimiliter Olympia, Iſthmia Pythia, Nemea, Lupercalia, & quotquot erant eius generis vel publica vel priuata feſta Sacráque recenſueris? certè quidem potuiſti eodem iure; nam omnia ad animorum oblectationem erant inſtituta, eoque omnes proficiſcebantur, non vt de rebus ſeriis deque Republica tractarent, ſed vt aut ſpectaculis animos paſcerent, aut exercitatione corpora tuerentur. Quæ cùm ita ſint, non erit cur poſthac quiſquam friuolis iſtis, & inanibus argutiolis tuis capiatur: multoque minus, quæ ſequuntur, mendaciis.

1 Plut. in Theſeo & Pericle.
2 li. 13. Delpnoſoph.

CAPVT XVI.

BOVCHER [3]. *Quem conuentum in Gallia ex quo Chriſtiani Reges eſſe cœperunt, quantum coluerint, quantúmque ei detulerint, cùm frequens eorum conuocatio & ſimplex Regū eo ſe conferentium habitus, tum verò honor eorum decretis delatus demonſtrauit. Nam ſingulis annis Calendis Maij comitia celebrari ſolita eſſe, & Reges curru à geminis bobus tracto eò vehi ſolitos fuiſſe, idq; ſæpius Carolum Magnum factitaſſe retulit eius cancellarius Eginhartus.*

3 li. 3. ca. 5.

Vetus eſt Stoicorum [4], imò etiam Chriſtianorū, *improbi hominis eſſe mendacio fallere: quòd ædificare mendacium ſine demolitione veritatis* nemo queat [5]. Cur igitur magno & impu-

4 Cic. pro Murena.
5 Tertull. lib. 2. aduerſ. Marcionem.

pudenti mendacio lectorem fallere conaris? Nunquam enim *Carolum magnum tale quid factitaſſe retulit eius cancellarius Eghinartus.* Nec ſi retuliſſet, fidem feciſſet oratio. Malè de Eghinarto meritus es, qui id eum ſcripſiſſe aſſeris, quod nec vſquam ſcripſit, nec vnquam vt opinor cogitauit (de mortuis mentiri nefas) peius etiam de Carolo magno, qui Regem tam magnanimum & potentem, atque omnium ſui ſæculi & ſequentium Principum gloriam, rebus domi foriſque geſtis, longè ſuperantem, tam ſubmiſsè, humiliter, & abiectè, in Francorum Germanorumque Principum cœtum prodiiſſe fingis. Quid enim? qui tot bellis in Gallia, Germania, Italia, Hiſpania, Pannonia, & alibi proſperè confectis, Magni nomen & imperium ſibi comparauit, qui tam multis triumphis decoratus, qui tot hoſtium ſpoliis & trophæis ditatus, qui tot pacis bellique artibus inſtructus, qui tam variis animi & corporis dotibus ornatus, qui inceſſus, acceſſus, & conceſſus ſui ſumma grauitate regalem ſemper & imperialem maieſtatem præ ſe ferebat: is *carpento, quod bubus iunctis & bubulco ruſtico more trahebatur, ad publicum populi ſui conuentum ire, & domum redire ſolebat?* commentum hoc eſt cenſoria nota & ſeuera caſtigatione dignum: certè illuſtri omnibus documento eſſe poteſt, vel non legiſſe te authores ipſos quorum ficta & falſa nobis teſtimonia frequenter obtrudis, ſed ab alio haud fideliter referente accepiſſe: vel, ſi legiſti, doloſè nimis & malitioſè lectoribus inſidiari atque imponere, quippe tantùm abeſt vt Eginhartus eum Carolo Magno adeundi comitia modum tribuerit, vt ne quidem in tota eius vita deſcribenda vllius ordinum aut conuentus & concilii meminerit, vlliſve eum comitiis interfuiſſe dicat: exceptis iis quæ extrema iam ſenectute & morbo ingraueſcente habuit, & quorum author ille his verbis mentionem facit. *Extremo vitæ tempore cùm iam & morbo & ſenectute premeretur, euocatum ad ſe Ludouicum Aquitaniæ Regem, qui ſolus filiorum Hildegardis ſupererat, congregatis ſolenniter de toto Regno Francorum primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni, & imperialis nominis hæredem conſtituit: impoſitoq; capiti eius diademate Imperatorem & Auguſtum iuſſit appellari.*

Non inficior equidem Carolum Magnum vocatis ad ſe, regni primoribus ſæpe conuentus egiſſe, nam id alii nobis probati authores narrant: ſed quod tam indecoro & regiæ

regiæ dignitati parum conueniente habitu modóque in concilium progreſſus fuerit, id nec verum, nec veriſimile eſſe, argumentis certo certioribus demonſtrabo. Ac primum quidem ipſemet Eginhartus nobis ſuppeditat, quod hanc tam vilem in publicum prodeundi formam, velut Rege indignam inter notas amiſſi iam pridem regalis imperii retulit, eamque ab ignauia, ſtupiditate, & ſocordia poſtremorum Regum Merouingiorum, quibus, vt ille ait, præter inane Regis vocabulum, nihil erat reliqui, profectam eſſe admonet: idque eo conſilio feciſſe videtur, vt regni Childerico erepti inuidiam à Pipino, & eius poſteritate ſummoueret: quaſi non Imperium & poteſtatem, cùm id antea Pipinus haberet, ſed nomen tantummodo, quod ſine cauſa apud Merouingios erat, ſibi aſſumpſiſſet. ita enim Eginhartus. *Gens Merouingiorum de qua Franci Reges ſibi creare ſoliti erant, vſque in Childericum Regem qui iuſſu Stephani Romani Pontificis depoſitus ac detonſus, atque in monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur: quæ licet in illo finita poſſit videri, tamē iamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in ſe clarum præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos ſumma imperii pertinebat, tenebantur: Neque Regi aliud relinquebatur, quàm vt regio tantùm nomine contentus, crine profuſo, barba ſubmiſſa, ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret, legatos vndecunque venientes audiret, iiſque abeuntibus reſponſa quæ erat edoctus, vel etiam iuſſus, ex ſua velut poteſtate redderet: cùm præter inutile regis nomen & precarium vitæ ſtipendiū, quod ei præfectus aulæ prout videbatur exhibebat. nihil aliud proprii poſſideret. quàm vnam. & eam perparui reditus, villam, in qua domum, ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequium exhibentes pauca numeroſitatis habebat. Quocunq; eundū erat, carpento ibat, quod bubus iunctis, & bubulco ruſtico more agente trahebatur: ſic ad Palatium, ſic ad publicum populi ſui conuentum qui annuatim ob regni vtilitatem celebrabatur, ire, ſic domū redire ſolebat At regni adminiſtrationē, & omnia quæ vel domi vel foris agēda ac diſponēda erant, Præfectus aulæ procurabat.* 1. Argum.

En vt Eginhartus Merouigiorum inertiam grauiter incuſat, & hanc ipſam de qua tu loqueris publicè prodeundi formam, tanquam nimis vilem, ſordidam, & abiectam, illis vitio vertit, adque eorum contemptum & ignominiam transfert. Quod cùm ita ſit, nonne ſtultum eſt exiſtimare eum Regi magnanimo potentiſſimoque, ac domino ſuo, 2. Argum.

&,vt quidam volunt,etiam ſocero id tribuere,quod in aliis vt ignauum,turpe,& indecorum reprehendit?

5. Argum. Alterum inde ſuppetit,quod neque ab Eginharto, neque ab vllo alio authore qui illius ſeculi res geſtas literis mandauit, proditum memoriæ eſt Carolum Magnum eo modo ad comitia proceſſiſſe: cùm tamen neutiquam ſit veriſimile, rem adeo memorabilem à tam multis ſcriptoribus,qui leuioris momenti res varias ſæpe commemorãt, ſilentio fuiſſe prætermiſſam.

Omitto quod ſi tantus imperator, qui maximũ regno Francico ſplendorem attulit, & cuius optimi quique poſt eum Reges vitam,mores,res geſtas,imitari ſtuduerũt, eũ ad comitia proficiſcendi morem obſeruaſſet, eius poſteri id ipſum non modo vt humile & indecorum non fuiſſent aſpernati: ſed,vt magnificum inprimis & glorioſum,ad imitationis exemplum,& antiquitatis memoriam retinuiſſent. ita enim natura comparatum eſt vt res per ſe quidem viliſſimæ,vel ob hominum qui illis vſi ſunt dignitatem, vel quòd operis alicuius inſignis & præclari fuerint inſtrumẽta, ſummo in honore & pretio habeantur, ídque infinitis exemplis, ſi non eſſet notiſſimum, facilè demonſtrarem. Quid ante Chriſti paſſionem cruce ignominioſius? quid eadem, ex quo mundi in ea precium pependit amabilius, honorificentius, & glorioſius inter homines eſſe cœpit! qua de cauſa Caluiniſtæ,& alii id genus Hæretici,licet non alio violatæ religionis flagitio contaminarentur, omnem in hac re vna impietatem ſuperarent: quòd,cùm ſe Chriſtianos profiteantur, Chriſti trophæum, lauream que proterant & conculcent, atque adeo Chriſtianæ gloriæ inuidos & ſacrilegos ſe præbeant manifeſtè, dum crucis & ſignum deteſtantur & vim abnegant,& vſum calumniantur condemnantque: hac & ſimili pro execrandæ impietatis ſuæ ratione ſuperinducta blaſphemia: *ſi patrem furca fixum habuiſſes, nunquid patibulum tibi præter oculos opponi & obuerſari perpetuo velles?* quibus ego,ſanè quidem perlibenter, ſi ob egregium & præclarum aliquod facinus, veluti ob ſalutem ciuibus partam, vel aliam neceſſariam Reipublicæ operam nauaram,patibulo ab hoſtibus fuiſſet affixus: nec quicquam illo ſigno & monimento antiquius haberem, quòd eius me præſentia, paternæ virtutis vbique commonefaceret: cuius generis multa ſunt gentilitia inſignia, rerum, inquam, viliſſimarum in ſcutis nobilitatis depictæ i ma-

magines, quas ſi quis ſimpliciter intueatur, non iis nobilitatem, ſed ſordem ciuitatis & fæcem potius deſignari putabit: ſin verò comparatè, atq; ad ſuas quamque cauſas, ſuæque conſtitutionis principia & fontes reuocauerit, cernet quamprimum illas, non modò non inania gloriæ ſigna eſſe, ſed ſummæ laudis, ac vt rerum memorabilium indices & commonitrices ad poſteritatis memoriam reſeruari. Quid iugo bouis, ſi ſimpliciter conſideretur, magis ruſticum? an non bubulcum potius quàm nobilē deſignat? At antiquiſſimæ tamen & illuſtriſſimæ Haiorum familiæ, in qua Scotiæ Conceſtabli hæreditario iure naſcuntur, gentilitia inſignia, tria iuga rubricata & velut ſanguine rutilantia ſunt: quòd homo nimirum plebeius, qui ſummam poſteris ſuis gloriam peperit, dum ſtiuam ageret vnà cum duobus filiis prope locum vbi Dani, poſt Anglos deuictos & tributarios factos, acerrimo cum Scotis prælio dimicabant, videtq; inclinari iam Scotorum aciem, & multos fuga dilabi à Rege, conſilium, vt in rebus deſperatis aſſolet, ex euentu capiens, iugum arripuit, quòd alia ei ad manum arma non eſſent, idémque ſimiliter vt filii facerent imperauit, atque ita occupatis anguſtiſſimi loci faucibus per quem iter fugientibus erat relictum, magno & animi & corporis impetu in obuios quoſque populares ferebatur, ac primū vt patriæ communiſque ſalutis memores ſint, orat, obſecrat, hortatur, neu Regem in tam præſenti diſcrimine conſtitutū deſerant, neu ſe, coniuges, liberóſque ſuos in perpetuam & ignominioſam dedant ſeruitutē: cumq; verbis ſe parū proficere apud homines fuga trepidantes cerneret, mortem omnibus minatus primos cædere, & eorum clade proximos terrere cœpit; ac ni properè in aciem regrederētur, ſe in omnes Danica immanitate crudeliùs ſæuiturum denūciat, qua voce, qui propiores erant vt exaudire poſſent, ſimulq; ſtrage ſuorum ab Haio edita perterriti, cum nullā ſibi fuga ſalutē ſe quærere poſſe cernerent, ac mori potiùs inter aciē glorioſè quàm à tribus illis ruſticis inſtar pecudum mactari mallent, armis & animis reſumptis, in hoſtem conuertuntur: qui verò longiùs aberant, ſuorū regreſſum conſpicati, auxiliares copias aduentare putant & vociferantur: atque ita omnes Haio impellente, hi gaudio, illi metu, agmine facto prælium tanta animorum contentione & fortitudine, tanta corporū vi & impreſſione inſtaurant, vt fuſis fugatiſq; Danis ex victis victores euaſerint. ſed ita tamē vt

omnem eius victoriæ laudem ſoli Haio deberi & ſeorſim ſinguli, & cuncti ſimul profiterentur: quo nomine magnis & præmiis & honoribus à Rege donatus, nobilitatis inſignia accepit tria iuga, quòd iis Danorum exercitum penè ſub iugum miſerat [1]. Quæ cũ ita ſint hæretici profectò nimis impiè petulãter, & inſulsè de glorioſiſſimo iſto ſalutis humanæ trophæo, *& quotidiano conuerſationis Chriſtianorũ inſigni* [2], & ſentiũt & loquuntur. Id autẽ illis ſuggerit cacodæmon qui crucis ſignaculo victus, vinctus, vexatus, & excruciatus horridè ingemiſcit [3]. Sed execrãdas haſce fæcis Chriſtianorũ blaſphemias mitto, vt ad te Boucheri redeã.

1 Hector Boet. in Scot. Hiſtor.

2 Tertull. li. 1. ad vxor. & lib. de coron. milit. 3. Lactant. lib. 4. de vera ſapient. cap. 27 S. Greg. Nazianz. orat. 1. & 2. in Iulian.

Si Carolus Magnus ad comitia carpento à bobus tracto vectus ſæpius iuiſſet, an non aliquam eius rei mentionem hiſtorici feciſſent? an non intermiſſæ illius conſuetudinis vel cauſam, vel tempus, vel vtrumque ipſorum aliquis adnotaſſet? an non cùm ſingulorum Regum vitas & facta curioſius deſcribãt, quo in Rege mos ille defecerit, aliqua ſeu laudationis, ſeu vituperii nota, aut alio quouis indicio lectorem obiter admonuiſſent? quod cùm nemo eorum fecerit, nę tu audaculus commentor es, qui penè octingentis poſt eius exceſſum annis ortus, ſine teſte, ſine authore, ſine veriſimilitudine, ruſticum ei inceſſum habitumq; pro Regio & imperiali tribuis: & eodem pede metiris eum, qui, ſi quis vnquam alius, & re & nomine Rex fuit, quo illos qui omni imperio nudati, nihil niſi *inutile Regis nomen & precarium vitæ ſtipendium*, eumque in conciliis locum, quẽ inter barbarica numerorum elementa illud quod vulgò cyphra nominatur, obtinebant. Quo autem hæc omnia conſilio à te facta ſint, librorum tuorum lectoribus facilè fuerit diuinare: mihi quidem perinde facete videris atque Æſopica vulpes, quæ, ſicut eſt in fabulis, vt gallum gallinaceum faciliùs iugularet, eius patrem magnis laudibus extollebat, filioq; nihil ad paternæ modulationis in canendo venuſtatem deeſſe aiebat, niſi quod patri mos fuerit, cum elegantiùs cantare vellet, imis pedum articulis inſiſtere, & clauſis oculis ter in gyrum ſe rotare, antequam vocem emitteret, cui gallus paternæ gloriæ æmulus, & ſe quoque hoc facturum reſpondit, moxque cum hic clauſis oculis & corpore circumacto patrem referre conatur, ille in non cernentis iugulum inuolat, dicens, nimius te faſtus fefellit, ſed meus nunc eris, cui & pater etiam præda fuit. Sic tu quò facilius Reges in tuam retem pertrahas, Carolum Magnum in eo

quod

q nunquam fecit imitandum proponis, vt, dū ei ſe ſimiles præbere cupiunt, antiquo & vili illos carpento includas, adque paupertatem & precarium vitæ ſtipendium redigas, atque adeo populi iterum ludibrio & libidini, vltimorum Merouingiorum more exponas, reſtituto interim palatii magiſtro, quo reipſa Rex ſit & regni habenas moderetur. Quod quàm rectè, atq; è Republica feceris, tuam tibi cōſcientiam iudicem fero: nos interea quod rationis tuæ reliquum eſt perſequemur.

CAPVT XVII.

BOVCHER. *Quæ verò concluſa illic erant placita, id eſt firma decreta, & quæ conuelli nefas eſſet, dicebantur vnde illa comitiorum olim vox, tale enim eſt noſtrum placitū vt multitudinis ſapientum ſcilicet, non vnius alicuius iudicium deſignari hic audias. Quæ quod certi homines, & nimis gratioſi Gallicè verterunt, TEL EST NOSTRE PLAISIR, cum potius TEL EST NOSTRE ARREST, aut quiduis aliud dicendum fuiſſet, quod placita Græcis δόγματα ſint, viderint illi, quam magno nobis conſtiterit praua verſio hæc quæ regibus ad tyrannidem tam ingentem feneſtram aperuit, vt quibus,* id eſt Gallis *vniuerſi populi ac regni iudicia proponi olim pro lege ſolita erant, nunc ſi ſuperis placet, vnius libido ac voluntas, inſtar legis proferatur, imò obtrudatur. Atque ita, vt huic qui parere deſierit, læſæ Maieſtatis reus, ô tempora! conclametur.*

Quin trium ordinum, quos vulgò tres regni ſtatus vocant, conuentus & conceſſus in rebus arduis & publicis negotiis deliberandis plurimum habeat momenti, nemo ſanus negauit vnquam negabitue, non ea ſolum ratione q, vt ait Ariſtoteles [1], plures vbi conueniunt, & cernunt acutiùs, & rectiùs iudicant, & difficilius corrumpuntur, quàm vnus aliquis quiſquis ille ſit: nam id, licet vt plurimum, nō vſquequaque verum eſſe, variis libro ſecundo exemplis oſtendimus: ſed etiam quia id homines libentius exequuntur, cuius ipſi participes & velut authores conſilii ſunt: & præterea quòd quæ Princeps in eiuſmodi comitiis de Procerum ſiue ordinum ſententia decreuerit, ea licet alioqui acerba & ponderoſa videantur, ſi inconſultis iis Rex eadē pro imperio iuberet, toleratu leuiora populo videri ſolēt, quaſi ipſimet ſponte quodammodo id ſibi oneris impoſuiſſent. Quod denique nullam ſubditis iniuriam facere videtur, quando ipſis ſcientibus & conſentientibus, tributa, vectigalia, portoria ſeu noua, ſeu maiora indicit: quip-

Lib. 3. Polit.

1 l. 4. § vſque adeo fr. ... ca. ſcienti de reg. iur. in 6.
2 l. Nemo 145. ff. de reg. iur.

pe volenti non fit iniuria [1], & nemo videtur fraudare eos qui ſciunt & conſentiunt [2]: Etenim profectò hi comitiorum & concilii publici effectus ſummam regibus & regnis vtilitatem, & ſtabilitatem adferunt. vt mirum non ſit, ſi apud omnes nationes inque regnis omnibus bene conſtitutis magnus ſemper honos, magnaque authoritas talib. ordinum conuentionibus delatus ſit, per quas Rex in adminiſtrando imperio conſiliis, opibus, auxiliis adiuuatur. At Maieſtatem tamen regni *penes ordines ſeu comitia eſſe*, vt tu ais, ac non in ipſo Rege, qui regni totius atque adeo ordinum omniũ caput eſt, id niſi in interregno dici non poteſt. Nam & ordines ipſi Regis iuſſu, & eò loci conueniunt quẽ ipſe illis aſſignat. Itaque Aimoinus [3] de Ludouico Pio. *Porro autumni tempore*, inquit, *in Theodonis villam conuenire generaliter ſuum populum præcepit*. Et vbi adſunt Principem venerantur, & eius Maieſtatem ſuſpiciunt, ſuáſque ad eum querelas deferunt: ac ſi quam vel vitioſam, vel corruptam conſuetudinem, vel legem inutilem & ab æquitate abhorrentem, aliúdve quippiam perfecto Reipublicæ regimini deeſſe vel abundare animaduertunt, id vt eius authoritate atque imperio emendetur, humiles ſupplicéſque ſolẽt poſtulare, quo pertinet egregiũ illud ſupremæ Curiæ reſponſum à Gaguino [4] relatum, nempe *ſe à Rege iuſſos promulgare quas tulerat leges. Apud illum authoritatem eſſe abuſiones tollendi & corrigendi errata quæ à ſuis committi ſubditis comperiſſet*. Inde ſit vt quia boni Reges nolunt parum æquas aut minus neceſſarias leges ſubditis obtrudere *in Caroli Magni capitulari* iubetur populus interrogari, de capitulis quæ recẽs addita ſunt, & vbi omnes conſenſerint, ſubſcriptiones & *manufirmationes* in ipſis capitulis facere, non quòd Rex legem ſubditis ſine eorum conſenſu, in ἀδιαφόροις ferre non poteſt: ſed quod illis gratior eſt, & diuturnior futura, quam ipſimet ſua conſenſione probant.

3 li. 5. ca. 13.
4 in vita Ludouic. XII.

Quod autem de *Placiti* vocabulo ad aſſertionis tuæ cõfirmationem adiungis, id nulli certo, antiquo, vel probato authori acceptum referre potes: ſed totum ab Hotomano mutuatus es [5], qui & ipſe nullum veterem ſententiæ ſuæ aſtipulatorem inuenire potuit, tantùm propria coniectura eaque perleui & ſubleſta nititur. *Quod cùm ita ſe habeat*, inquit, *non abſurda opinor, coniectura noſtra videbitur, quam aliis iam quibuſdam in libris noſtris expoſuimus*. At nulla ratio ſuadet, nulla neceſſitas cogit phantaſticis, ne dicam fanaticis

5 ca. Fräcogall.

veſtris

veſtris coniecturis, delâtum Regibus iure gentium imperium euinci, atque eripi eis oportere.

Concedam igitur, & non inuitus concedam, clauſulam hanc, *Car tel eſt noſtre plaiſir*, ſiue, vt alii eã efferunt, *Cat ainſi nous plaiſt*, ab antiqua illa, *quia tale eſt noſtrum placitum*, in vulgarem & vernaculum ſermonem eſſe cõuerſam: ſed neque ab hominibus nimis gratioſis, vt tu ais, neque vt Hotomanus, à Scribis regiis vel inſciẽtia vel malitia, hoc modo verſum eſſe concedam: ſed ab hominibus latinæ linguæ proprietatem ſcitè callentibus, & nulla neque malitia, neque gratia corruptis, ita fuiſſe Francico ſermone expreſſam contendo: & illud planè falſum eſſe quod ſcribis: comitiorum illam fuiſſe vocem, *tale eſt noſtrum placitum*: non enim comitiorum fuit, ſed Regis ad regni & Reipublicæ vtilitatem aliquid de ordinum ſententia in comitio decernentis, cuius rei multa nobis non obſcura neque dubia argumenta ſuppetunt, cum tu ne vnum quidem efficax & veriſimile pro tuo commento poſſis proferre.

Nam primùm omnium pro nobis eſt, quod in diuiſione iuris ſcripti ſpeciem vnam conſtituũt, *Placita Principũ* [1], & ſpeciali nomine ita vocantur, vt ab aliis iuris partibus diſcerni poſſint: nuſquam verò apud vllum linguæ latinæ, aut alioqui fide dignum authorem placitum comitiorum vel ordinum, ſcriptum, ni fallor inuenitur: Decretum verò generale vocabulum, & commune tam Principum quã ampliſſimi ordinis, & iudicum omnium eſt. Et quanquam poſteriores Gallicarum Germanicarumq; rerum Scriptores qui magis rudi literarum ſeculo floruerunt, Placiti nomen pro ipſo procerum conuentu vſurpant [2], tamen Regis id placitum vocant. Itaque Regino [3], qui ante ſexcentos annos ſcripſit, *Anno Dominicæ incarn.* inquit DCC. lxiii. *Rex Pipinus habuit placitum ſuũ in Niuernis, & quarto ingreſſus eſt Aquitaniam:* & pòſt de Carolo Magno loquens [4]: *Anno Dominicæ incarn.* DCC. lxxvii. *Rex Saxoniam ingreſſus placitum tenuit in loco qui dicitur Padresbruna* & iterum *Anno dominicæ incarn.* DCCXCV. *Rex venit Moguntiam ibique tenuit placitum ſuum in villa quæ dicitur Cuſſinſtein* & alibi in eundẽ modum ſæpius.

Deinde verò quæ in conſiliis ſapienter, egregiè, & vtiliter, dicta, factaque ſunt, ea Regibus ipſis, quoniam ab illis authoritatem capiunt attribui & aſcribi teſte Polybio [5], debent, hinc illa non inſolens locutio, Imperator in Senatu decreuit: & illa Frãcis omnib. notiſſima, *par le Roy en*

1 §. conſtat. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.

2 Greg. Tur. Aimoin. Regino. & alii.

3 Lib. 2.

4 eodem. lib.

5 Lib. 4.

ſon conſeil: itemq; illa, *par Ordonnance du Roy faict aux Eſtats tenuz à &c.* Omitto quòd ſupremæ Curiæ, quæ velut, ordinum epitomæ ſunt, non ſua in decretis ſed Regis voce loquantur, & quicquid Areſtis ſuis definiunt id Regis & nomine & autoritate exequi ſoleant. Adhæc omnes regni ordines Regem verè dominum, & ſuperiorem ſemper agnouerunt, vt vel ex vna ipſorum reſponſione in frequentiſſimo conuentu Pariſiis habito Gaguinus docet: & Placiti vocabulum patrono quàm clienti, domino quàm vaſſallo, ſuperiori quam ſubdito magis conuenit: quib. conſequens eſt, verba illa, quia tale eſt noſtrum placitum, de Regis potius quàm concilii voluntate eſſe intelligenda. ita enim Gaguinus [1]. *Inſequenti poſtea vere, conuentu Pariſiis habito Pontifices primum Philippus, commemoratis, quas à Bonifacio acceperat iniuriis, rogat à quo ſuarum Eccleſiarum prædia prouentuſque accepiſſent, deinde ad proceres conuerſus. Et vos inquit, viri nobiles, quem vobis Regem dominumque habere arbitramini? Reſpondentibus ſine cõtrouerſia, regio ſe iure illa omnia tenere atque tueri, At, inquit Rex, Bonifacius ita agit, quaſi vos regnúmque omne Francorum ſedi Apoſtolicæ ſubiectum ſit.* Quid tu ad hæc Boucheri? non audes opinor dicere Franciæ nobilitatem tunc imbecillem & parum animoſam vel ordinum authoritatem illo Philippi pulchri ſeculo fuiſſe imminutam, & tamen vides eos ingenuè fateri ſe Philippum & Regem & dominum habere. Poſtremò quòd ipſemet Eginhardus non comitiorum ſed Regis iuſſum vocat, quo Ludouicus ante Rex Aquitaniæ conſors imperii factus & Auguſtus eſt appellatus, cùm tamen in celeberrimo totius Galliæ Germaniæque conuentu is Ludouico honos decretus ſit: ſic & alii paſſim hiſtorici, de reb. in concilio publico conſtitutis, loqui ſolent. Quæ cum ita ſint, ſatis profectò demonſtrant clauſulam illã, *quia tale eſt noſtrum placitum*, non vt cõcilii, ſed vt Regis aliquid in comitio ſtatuentis vocem eſſe accipiendam. Tibi autem & Hotomano à quo hũc errorem ſumpſiſti, nulla probabilis nec ratio nec coniectura in cõtrarium relinquitur: captiunculas tamen veſtras cuiuſmodicunq; ſunt, vt damnationis ſententiam ferant, lectoris iudicio ſiſtam.

[1] Lib. 7. in vita Philip. pulch.

Tu igitur vnam tantùm rationem adfers, quod nempe *noſtrum placitum*, non autem *meum placitum* dicitur, quaſi verbo illo *noſtrum* ſignificetur vocem illam nõ eſſe Regis, ſed comitiorum. *vnde illa comitiorum vox*, inquis, *tale enim*

eſt

eſt noſtrum placitum, vt multitudinem ſapientum ſcilicet, non vnius alicuius iudicium deſignari hic audias. At huic rationi tutemet ſuperiorib. tuis ſcriptis omnẽ certitudinẽ, & vim concludendi neceſſariam funditus ſuſtuliſti. vt niſi tecum ipſe manifeſtò pugnes, fateri te oporteat non poſſe hac locutionis formula diſcerni, vtrum illa Regis ſolius, an totius concilii vox ſit. Nam inter alias tuas peruerſas in Regẽ Henricum inuectiones, id ei vitio vertis [1], *quod ille primus veterem* vt ais, *Regem in plurali numero loquendi morem immutauit cum illi noſtrum regnum, noſtri, ſubditi, & ſimilia dicere ſoliti eſſent.* qua de re pluribus iam diſſerui [2]. Si igitur te authore, antiquis Regibus mos loquendi fuit in plurali numero, qui ſcire poſſis ex vocabulo, *noſtrum*, vtrum Regis an multitudinis vox illa fuerit: certè id intelligere ac diſcernere non difficile modò ſed planè ἀδύνατον eſt: aut ſi multitudinis vocem hanc eſſe idcirco colligis, quòd Rex, cum vnus tantum homo ſit, non in plurali ſed in ſingulari numero fuiſſet locutus: cur tu tam improbè Regem Henricum perſtringis, quaſi ipſe Regum primus, ſingularis numeri locutionibus vſus ſit: quin fœda quidem in alterutro horum lapſio tua videatur, vitare nullo modo potes. Qui ſuas cogitationes & res memorabiles magniquè momenti cum hominibus communicare, & literis mandare ſtudent, ii ne quid temerè effutiant, ſenſa ſua diuerſare, & acri penſare iudicio prius debent: cuius rei neglectio magnorum tibi errorum his libris cauſa fuit.

1 Lib. 2. cap. 10. in fin.

2 hoc lib. ca. 10.

CAPVT XVIII.

NVnc duas Hotomani rationes [3], quæ tua iſta nihilo meliores ſunt breuiter ſtrictimque attingam. Earum prior eſt ex antiqua ordinum regni conuentione & concilio, quod placitum vt dixi ab hiſtoricis non raro appellatur in quo res grauiores ad ſtatum Reipub. pertinentes agi tranſigique ſolebant. At id neque *omnem planè regni adminiſtrandi poteſtatem & maieſtatem penes publicum concilium fuiſſe*, quamdiu Rex aliquis eſt, neque clauſulam illam, *tale eſt noſtrum placitum*, ad authoritatem potius comitiorũ quàm Regis pertinere docet: tantùm hoc docet, Reges in concilio publico res magni momenti tractare ſolitos: quod nos fatemur, & laude dignum iudicamus: deque eo nonnihil lib. 4. diximus [4]. Sed mirum profectò eſt Hotomanum,

3 cap. 11. Francogall.

4 cap. 14.

manum, ſubtilem alioqui & acutum I C. quo præceptore xxx. circiter abhinc annis in Bituricenſi Academia aliquādiu vſus ſum, non animaduertiſſe ſuperiorem ſuam ſententiam exemplis à ſe propoſitis aliiſque ſimilibus la[illegible]factari: quippe Regis vbique authoritas, in iis, vt patr[illegible]s fa[illegible]as in domeſticorum conuentu deliberantis cernitur. P[illegible]ū enim exemplum ab illo poſitum ex Aimoino [1] eſt, qui de Ludou. Pio ſic ſcribit *Indixit generalem conuentum autumni temporis in Cariſiaco, in quo loco & tempore filius eius Pipinus ab Aquitania ad eum venit: & ipſi conuentui interfuit? Vbi dominus Imperator filium ſuum Carolum armis virilib⁹, id eſt enſe cinxit: corona regali caput inſigniuit, patremq; regni quam homonymus eius Carolus habuit: id eſt Neuſtriam ei attribuit.*

1 Lib.5.c.17.

Alterum exemplum eſt ex eodem Aimoino de Ca[illegible]o Caluo [2], qui cùm Romā proficiſci vellet *Placitum [illegible] Kal. Iunii habuit: vbi per capitula qualiter regnum Franc[illegible] ſuus Ludouicus cum fidelibus eius & regni primorib. regeret v[illegible] dum ipſe Roma rediret, ordinauit.* Tertiū ex Gaguino [3] *Cu[illegible] Pariſium, inquit, ven[illegible]ſet Ludouicus, conuentu generali ha[illegible] Rempublicam reformauit, ſtatutis optimis legib. de iure à iudicibus dicendo & de officiis non emēdis.* his ego quartum de Carolo Magno adiungam quod ex Eginharto ſup[illegible] *Extremo vitæ tempore, inquit, cùm iam & morbo & ſ[illegible] premeretur euocatum ad ſe Ludouicum Aquitaniæ Rege qui [illegible] filiorum Hildegardis ſupererat, cōgregatis ſolemniter de toto [illegible] Francorum primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſ[illegible] regni & imperialis nominis hæredem conſtituit: impoſitoque capiti eius diademate Imperatorem & Auguſtum iuſſit appellari.*

2 Lib. 5. ca.31.

3 Lib. 7. in vita diui Ludouici.

En vt iā omnibus his exemplis dicuntur Reges conuentum & comitium ſiue placitum indicere & ha[illegible], inque eo iubere, cōſtituere, ordinare, reformare, atto[illegible]uere, aliaque id genus, quæ placiti vocabulo ſignificantur, facere: vt dubitari non poſſit verba illa *tale eſt noſtrum placitu[illegible]*, ad Regis voluntatem & authoritatem eſſe referenda.

Non pertinent autem ad hunc tractatum exempl[illegible] quæ ab Hot[illegible]mano propoſita [4], veluti quod [illegible] no [5], adfert de Carolo Caluo (vbi lapſus eſt in [illegible]ne Hotomannus. debuit enim dicere, de Ludouico B[illegible]o, Caroli Calui filio. Nam cum Ludouicus Balbus id fecerit ante inaugurationem ac proinde in interregno, (quo tempore tota in populo, & proceribus maieſtas ac poteſtas reſidebat vt ſupra ſæpius eſt declaratum) Primores iure in[illegible] ti ſunt

4 dict.cap.15.

5 Lib.5.ca.36.

ti ſunt, regali ipſum authoritate vſum antequam Rex eſſet. Nondum enim vel conſuetudine receptum, vel decreto aliquo conſtitutum fuit, quod nunc obſeruatur: vt Rex ſcilicet ante conſecrationis ſolemnia pro Rege ſe gereret, vel pro conſecrato quantum ad ius regni adminiſtrandi habetur: qua de re ſuprà nonnihil ſcripſimus [1]. Nulla igitur hic contentio & controuerſia inter regni ordines & Regem, nihilque Regis authoritati & poteſtati ab ordinibus detractum: ſed tantum inter regni ordines & eum qui nōdum Rex erat conſtitutus, & more maiorum inauguratus, licet ei regnum iure gentium & ciuili, iure inquam hęreditario debebatur, qua de re libro tertio [2], & quarto [3], ſcripſimus. Item neque illud quod de regni ordinibus ſub Carolo Simplice ex Aimoino [4], ſcribit Nihil enim eo exemplo continetur, niſi quod proceres Rege puero in cunis agenti tutorem dederunt, qui regnum Regis nomine tantiſper dum adoleuerit adminiſtraret. quæ res, tantum abeſt, vt Regis authoritatem minuat, vt eam maximè cōfirmet: oſtendit enim non ius ſed iudiciū, nec poteſtatē ſed ætatē gubernandi regnum Carolo Regi defuiſſe. Itaq; hic ille caſus eſt de quo Apoſtolus [5]. *Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium: ſed ſub tutorib. & actoribus &c.* Minimè autem omnium ad diſputationem noſtram pertinet reſponſum Clotharii Regis datum Brunechildi petenti regnum Auſtraſiæ Sigeberto Theodorici filio, quod ex eodem Aimoino adducit Hotomanus [6], & tu deinde ex Hotomano, qui & ſuperius illud de *Placiti* ſignificatione argumentum tibi ſuppeditauit: reſponſum autem his verbis apud Aimoinum refertur. *Adnitentibus Arnulpho & Pipino Auſtraſiæ primoribus Clotharius Captonnacum vſque acceſſit. Brunechildis in VVormatia reſidens, eius audito aduentu, ad eum dirigit, obteſtans, vt de regno Theodorici quod filiis reliquerat ſecederet. Clotharius reſpondit, conuentū nobiliū debere eā aggregare Francorū, & cōmuni tractatu de cōmunib. conſulere rebus: ſe verò iudicio illorū in omnib. pariturum, nec præceptis promiſit obſtaturum.* Hoc inquam, nihil quicquam ad præſens inſtitutum pertinet: controuerſia enim hic eſt de regno inter eos qui illud iure hęreditario ſibi debitū affirmāt, quo caſu populus, ſeu primores qui populū repræſentāt, legitimi & ſoli iudices ſunt, vt ſupra libro tertio [7], fuſius eſt explicatū. Deniq; nec illud ponderis & momenti quicquā habet, quo traditur [8], eundē Clotharium iudiciū de

1 Lib. 3. cap. 2.
2 cap. 2. & 3.
3 cap. 16.
4 Lib. 5. cap. 41.
5 ad Galat. ca 4.
6 dict. ca. 2.
7 cap. 3.
8 Aimoin. li. 4. cap. 1.

de capite Brunechildis exercitui & ordinibus regni commiſiſſe, his verbis. *vos dulciſſimi commilitones & praeminentes Franciæ, primores decernatis cui ſubiaceat ſupplicio tanti obnoxia ſceleris.* Reges enim quo iuſtiorem animaduertendi cauſam ſe habere oſtendant, & iudicii ſimul inuidiam facilius a ſe remoueant, toti populo vel primoribus cognitionem demandare ſolent, vt, quos ipſimet pro imperio & ſumma in omnes poteſtate abſoluere vel cōdemnare poſſunt, exemplo Salomonis qui in Adoniam fratrem, ac Ioabum militiæ præfectum, & Abiatharum ſummum Sacerdotem, Maieſtatis reos, ſententiam arbitratu ſuo, in illos ſeueriorem, in hunc mitiorem protulit, ii ab aliis rato & conſtanti iudiciorum ordine ſecūdum leges iudicentur. Quid reliqua perſequar? Nullus eſt in hiſtoriis Francorum locus, nulla in vetuſtis regnorum monimentis, vel ſacris literis ſententia, quæ, ſi non callida & malitioſa interpretatione adulteretur, maieſtatem penes Regem eſſe, inque eius perſona reſidere, neget. Nam quod ſubditi aliquando Regum ſuorum imperia detrectarint, atque infenſis & inimicis animis eos ciuili bello laceſſerint, vexarint, ſuperarint, ſolio denique & ſceptro, interdum etiam vita ſpoliarint: id non vt tu falsò putas [1], legitimum eorum in Reges ſuos imperium, quod nullum eſt nec eſſe poteſt, ſed inordinatum ferocientis, & obedientiæ iugum excutientis populi, impetum demonſtrat.

[1] dict. li. 3. cap. 9. in fin.

Altera ratio Hotomani à *Placiti* ſignificatione deducta omnino puerilis eſt & grammaticorum verbere flagellanda. *Latina conſuetudine Placitum id proprie dicitur*, inquit, *quod re in multorum conſilio quæſita & deliberata tandem inter ipſos conuenit: vnde Placita Philoſophorum apud Ciceronē, & alios antiquos dicta ſunt.* Egregia ratio ſcilicet: quaſi verò *Placitum*, ſicut & *decretum* non vnius hominis perinde ac multorum dici poſſit. Aut non quemadmodum cum Cicerone dicimus *Placitum mihi eſt, & placitum nobis eſt*, ita etiam *Placitum meum eſt, & placitum noſtrum eſt* dicere poſſimus. Nā quod ad placita philoſophorum attinet, non ideo cenſentur eo nomine quia ex multorum philoſophorum conſenſu pendent, ſed quia aliæ aliis de natura & cauſis rerum opiniones & ſententiæ placuerunt: Itaque Plutarchus in libris de placitis Philoſophorum, non illa ſolum inter placita commemorat, de quibus plures conſenſerunt, ſed ea quoq; quorum vnius tantum aſſertor extitit: ex quo perſpicu-

ſpicuum eſt, placitum tam vnius quàm multorum dici poſſe. Apud Ciceronem verò in illis eius libris quos habemus, non arbitror *Placita philoſophorum* facilè poſſe reperiri.

Caput XIX.

PErſpicis nunc, Boucheri, ſi oculo & animo reſpicis, quàm ſint vanæ, & inanes tuæ aduerſus Regum imperia rationes. Dede, dede teipſum victrici & vinci neſciæ veritati, cuius ductu atque imperio poſtremus, qui ſolus ſupereſt aciei tuę cuneus, impoſturis quidem, captionibus, & mendaciis inſigniter armatus, mox debellabitur: quo fuſo fugatoque confectum pro Regibus & perfectum bellum iure optimo cenſeri poteſt. Cuneus autem de quo loquor cumulus eſt falſarum ſententiarum & rationum de Rege tyranno exigendo, interimendoque à te congeſtus, quibus imperitæ multitudinis aures & animos velut præſtigiis quibuſdam adeo miſerè faſcinaſti, vt perfractis omnibus iuris, officii, pudoris, & obedientiæ repagulis, in Regem legitimè ſupra ſe conſtitutum, & per Deum regnantem, ſoloque Deo inferiorem, dum id ſibi tuo monitu atque hortatu licere putant, imprudenter nimis & infœliciter coniurarunt. Cuius facti equidem commemorationem neque hîc, neque alibi facio quòd obductam nunc illam regni Francici cicatricem refricare cupiam, quin potius id quicquid eſt, obliuione ſempiterna delendum optarem: ſed quia eius rei mentionem mihi neceſſitas ſæpe exprimit, quoniam virus illud à te multorum animis inſtillatum, nimis quorundam pectoribus adhuc hæret, & eò quidem lethaliùs hæret, quòd porrectum ſibi in libris tuis venenum nondum ſciant, nec ſentiant: ob eamque cauſam metuendum ne, vt in hauſto toxico ſæpe accidit, præcordiis tandem obſeſſis & occupatis, feruor & furor tanti veneni nouos animi morbos, nouaſque tragœdias, & luctuoſa prorſus ſpectacula ad regnorum intertrimentũ, vel fortè interitum rurſus excitet: cui vnum malo remedium eſt, veritatis nempe antidotus, quæ vi & impetu rectæ rationis, ſalutarem deprauatæ opinionis egeſtionem commouere ſolet. Erroris itaque tui, ſeu falſæ & deteſtabilis ſentẽtiæ de Regibus, cuius patefactionem refutationẽmque hic paucis abſoluam, ſumma eſt *Regem ſi dominatu iuſtè acquiſito prauè abutatur, eumq́ iniuſtè adminiſtret, iudicari, eiici, & occi-*

 cidi

1 li.5.c.14.&16. *tidi à ſubditu, ſiue à Republica*, vt tu loqueris [1], *poſſe*. Qua ſententia nihil eſſe falſius & diuinæ ordinationi magis aduerſarium, nihilque regnorum conditioni perniciosius mentibus hominum ingeri poſſe, pluribus iam libris demõſtratū: in quibus contrariæ ſententiæ veritas, omnis generis Sacris & prophanis teſtimoniis, planè & dilucidè comprobata eſt & firmata: nempe Regem legitimè conſtitutum, licet poteſtate ſua impotenter & prauè abutatur, neque abdicari à ſubditis, neque in ordinem cogi, multoque minus ad ſupplicium rapi poſſe. Hoc ius regis eſſe, ne humanis legibus ſubiiciatur, neue, licet omnia illa perpetret quę tu falsò & calumniosè ad probandum tyrannidem Regi Henrico impegiſti, vlla ei à populo vis inferatur, Scripturæ authoritate, & ſanctorum Patrum conſpirante & conſentiente doctrina probauimus [2]: poteſtas enim talia faciendi, ius Regis vocatur à Propheta [3], non quòd talia facere Rex ſine iniuria, & ſcelere grauiore poſſit, ſed quòd, ſi talia fecerit, iure regni & Imperii poteſtate ab omnibus humanarum legum pœnis tutus eſt [4]: ita vt ea de cauſa nõ in eum, quemadmodum in alium aliquem quantumuis potentem, animaduerti poſſit qua de re libro ſecundo ſatis multa ſcripſimus. Quod cùm ita ſit, cùm inquam huius ſuperioris ſententiæ tuæ falſitatē, contrariæ ſentẽtiæ tuæ ta veritas ſatis arguat, id tantū ſupereſt hoc loco, vt eius erroris radices & fundamenta, captiones dico & rationes ſpeciē ꝓbabiles, quib. nititur, ſtirpitus euellam euertamque.

2 li.2.&5.
3 1.Reg.8.
4 S.Ambr. in apolog. Dauid.i.ca.4.&10.

5 li.3.c.17. BOVCHER [5]. *Tyrannum duobus modis intelligi conſtans Theologorum ſententia eſt, vno modo, ſi quis dominatum iniuſtè inuaſerit, altero, ſi quis dominatu iuſtè acquiſito prauè abutatur, eumq; iniuſtè adminiſtret.*

Rectè quidem: & eſt magna horum inter ſe differentia, quam tu ſubinde in quæſtionum de iis tractatione, vel inſcienter, vel fraudulenter, confundis perpetuò & cõturbas, quo vitio nullum in Doctore maius. Propriè tyrannus dicitur qui in libera ciuitate, liberóque populo, ſummam in omnes Imperiū vi & armis occupat, quem & omnes vniuersè, & ſinguli ſeparatim, quo modo quaqua poſſint, deturbare & tollere de medio, vt hoſtem publicū, ſemper ſine vlla contradictione licuit, quippe cui nullo fœderis & fidelitatis vinculo aſtringuntur. Minus verò propriè & ſermonis ſeu vſu ſeu errore, is etiam tyrannus dici ſolet qui principatum quem iure adeptus eſt, cum ſubditi proinde

iniuria ſuperbè, crudeliter, auarè, vel nequiter adminiſtrat. Hunc tu iniuſtiſſimè in ſuperioris tyranni vincula & leges compellis? quandoquidem licet aliqua inter eos in modo gubernandi, nulla tamen in iure imperãdi, & principatum retinendi affinitas, vel ſimilitudo reperitur.

BOVCHER. *Duo ergò cum ſint quæ de Republ. an ei in tyrannum, vtroque modo ſumptum, liceant, inquiratur. An ſcilicet priuare eum dignitate poſſit, an etiam occidere: de priore dubitandum eſſet, niſi perinde illud foret ac quærere, in eo quidem qui inuadit, An raptorem liceat de aliena poſſeſſione deiicere: in eo verò qui abutitur, An gladium liceat furioſo adimere.*

Relinquamus nunc inuaſorem, de eo nulla mihi tecum cõtrouerſia eſt, nec enim pertinet prius illud tyrannorum genus ad inſtitutum noſtrum; tota de poſteriore diſputatio eſt. Quod igitur ais, perinde eſſe quærere, an liceat priuare dignitate eum *qui dominatu iuſtè acquiſito prauè abutitur,* ac ſi quis quæreret *an gladium liceat furioſo adimere*, id qua iuris diſciplina, diuini vel humani, hauſeris, per Deum nobis edicito: nam neque furioſus cum homine peruerſo & mentis compote comparari ſolet; neque vt procurationem, adminiſtrationemque rerum ſuarum, ita etiam dominium & dignitatem aliquis propter furorem amittit. Si enim, quod ſæpe contingit, paterfamilias mente captus eſſe cœperit, ſaluum ei ius dominii, ſalua dignitas in familia remanet, adminiſtrationis tantum arbitrio & libertate, propter conſilii inopiam, tantiſper dum deſipit, priuatur. Si Princeps ſimiliter in furorem & dementiam inciderit, non ei maieſtas imperii, non dignitas & dominium principatus aufertur, ſed tantum gubernandi & adminiſtrandi regni facultas, quam eius nomine curatores Reipubl. interea exercent: quod etiam de Rege infante creato obſeruari ſolet, quarum rerum ſi non multa paſſim exempla, & patrum, & noſtra memoria omnibus notiſſima extarent, inſignia quædam hic referrem. Diſſimilia igitur hæc ſunt, eripere gladium furioſo, & priuare principem tyrannicè regnantem dignitate ſua, cum huic proprietas & dominiũ, illi vſus tantummodo & exercitium adimatur. Deinde verò gladius furioſo aufertur, quia nullam putatur habere voluntatẽ qua vti vel abuti gladio poſſit, *cum per omnia & in omnibus abſentis, vel quieſcentis loco habeatur* [1]. vnde ſi hominem occiderit, nullius culpæ reus eſt [2], at ſanæ mentis homini, quia *quiſque rei ſuæ* mo-

[1] l. 2. §. furioſus. D. de iur. codicil.

[2] l. infans. D. ad L. Corn. de ſicar.

1 l. in re mandata. 21 C. mand.
2 l. ſed & ſi 25 §. conſuluit. l. ſi quid poſſeſſor. 31. §. ſicut D. de pet. hæred.

modeſtator atque arbiter eſt [1], vti vel abuti re ſua licet [2], ideóq; ea illi non adimitur, ſi enim abutendo alium læſerit, pœnas meritas debitáſque competenti iudici perſoluet. Qua de cauſa ſi Princeps qui (vt verbis vtar tuis) *dominatu iuſtè acquiſito prauè abutitur eúmque iniuſtè adminiſtrat*, alienam ſupra ſe dominationem agnoſcit, vt olim Reges quidam, & nunc omnes Germaniæ Principes Imperatorem, querentibus & expoſtulantibus de iniuria ſubditis, puniri à ſuperiore poteſt. Sed ſi ſupremus ipſe Monarcha ſit, qui eo modo populum affligit, cùm iudicem in terris nullum habeat (vt veſtris inſomniis ac deliriis refutatis, certo iam certius eſt demonſtratum) nihil in eius perniciem à ſubditis, niſi per vim & ſcelus, tentari poteſt: nullaque illis vlciſcendæ iniuriæ via ſupereſt, niſi vt Dei omnipotentis tantùm, per quē regnat & quem ſolum ſuperiorem habet, miſericordiam, opem, & auxilium obteſtentur atque implorent, eiuſque iudicium, quod humano quouis celerius & ſeuerius eſt, humiles ſupplicéſque patienter expectent: id enim omnibus perſuaſum eſſe debet, malos principes Dei virgas eſſe, quibus populum delinquentem, vt pater filios, caſtigat & corrigit. Vnde de Sennacherib Dominus exclamat [3], *Væ*

3 Iſa. cap. 18.

Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi &c. Populus itaque cum ob Regis legitimè conſtituti ſæuitiam, alióſve mores tyrannicos, de eo abdicando vel interficiendo coniurat, perinde facit ac filius, qui dum iuſta de cauſa cæditur, virgam vi eripit & extorquet è manu patris, atque in fruſta concidit, vel cremat ignibus: quo facto parentis in ſe animum non ad miſericordiam ſed ad iracundiam commouet, facitque vt qui virgas fregit, mox loris vel funibus Ibericis feriatur, & tandiu vapulet dum rectam placandi genitoris rationem inierit, nempe eum lachrymis, obſecratione, precibus, & culpę deprecatione ad miſerationem flexerit. Ita populus qui patris omnium communis Dei. Opt. Max. virgam frangere, id eſt Regem tyrannum vindicandis ſceleribus datum exturbare ſolio & occidere conatur, eo ſublato, in multo calamitates incidere, & acerbiores quam antè rebellionis ſuæ pœnas perſoluere frequenter ſolet. quanto igitur magis cùm ſeditioſorum quorundam ſuaſu aduerſus Regem non tyrannum, ſed quæda m priuato odio, vel amori, aliiſve affectibus humanitus indulgentem, coniurare &

re & arma mouere auſus eſt? Cuius rei ſatis locuples teſtimonium vel hæc ſola in Henricum III. rebellio nobis præbet. Heus itaque tu, qui tam ſtrenuus coniurationis in tyrannos author, fautor, & aſſertor es, finge quod falſum eſt, Regem Henricum verè Tyrannum fuiſſe, eáque omnia committere ſolitum, quorum tu illum impudenter mendacitérque his libris inſimulas, tamen ſi aures, oculos, & animum habes, ſi ſenſu communi non cares, ſi teſtatæ & experientia probatæ veritati non vis contradicere, inficiari non potes omnes regni Francici ordines plura & grauiora perpeſſos in illo paucorum annorum curriculo, qui inter cædem Regis ab inclemente monacho factam, & ſtabilitatum in manu Regis viuentis Henrici IV. ſceptrum interceſſit, quàm vnquam illo vt antea regnante, etiamſi ad Neſtoris ætatem perueniſſet, perferre potuerint. Idque iuſto Dei iudicio factum arbitror, ne antè pacis commodis ſub hoc Rege, omnium quos terra habet clementiſſimo, fruerentur, quàm rebellionis ſuæ acerbiſſimas, in quadam ciuilium bellorum velut carnificina, pœnas luiſſent. Ex his vt arbitror perſpicuum eſt, non perinde eſſe quærere *an is qui regnum iure acquiſitum iniuſte adminiſtrat, priuari dignitate poſſit, ac quærere, an gladium liceat furioſo adimere.* Reliqua nũc igitur videamus.

CAP. XX.

BOVCHER[1]. *Quod*, nimirum priuare eiuſmodi Regẽ dignitate, *niſi perſuaſum, vel natura ipſa eſſet, non eiectum è Sicilia regno Dionyſium, non à Romanis Tarquinium ſuperbum: non ſicuti Gregor. Turon. refert, Childericum Clodouei patrem è Francico legeremus &c.* 1 ibid. li. 3. c. 14.

O bellulam rationem, & ſplendidum nequitiæ velamẽ, eique ſimillimum, quod Scribæ & Pharisæi malitiæ ſuæ prætendebant[2]. Si non eſſet hic malefactor non tibi tradidiſſemus eum. Quaſi verò aut horum tanta vitæ fuerit integritas ſanctitaſque, vt nullam innocenti calumniam ſtruere potuiſſent, aut Sicilienſium, Romanorum, aliarũq; nationum & populorum tam perſpicax in rebus agendis prudentia, tamque conſtans & rata ſuum cuique tribuendi voluntas, vt non potuerint aliquando peruerſis animorum motibus agitari, & à recta perfectæ naturæ via, in obliquũ corruptæ & deprauatæ naturæ tramitem deflectere. An nõ 2 Ioan. 18.

conſtat optimos interdum Principes factione populari vexatos, oppreſſos, eiectos, vel etiam enectos fuiſſe? quo minus tibi habenda fides de eo, quod, vt Regibus callidius inſidietis, ſcribis [1]. *nihil à te bonis & Catholicis Regibus metuendum*, vt ſuperiore libro latius expoſui [2]. Illud autem, quod ad Romanos attinet, minimè prætermittendum eſt, nempe non exegiſſe illos regno Regem legitimum, ſed verè & propriè tyrannum, qui, vt ait Liuius [3] *nihil quicquam aduus regni præter vim habebat vt qui neque populi iuſſu, neque authoribus patribus regnaret*, id eſt, non legitimè conſtitutus vel inauguratus eſſet: vnde nullum ex illo facto à Romanis exemplum tuo inſtituto conueniens afferri poteſt. Nam regnum neque ſucceſſione, neque electione delatum, ſed ſola vi occupatum, contraria vi eripi poſſe, omnes leges, omniaque iura permittunt:

1 lib. 1. cap. 2.
2 li. 5. c. 7.
3 lib. 1.

BOVCHER [4]. *Ne id quidem fuiſſet quod decem tribus à Roboamo defecerunt* [5].

4 Ibid.
5 3. Reg. 12.

Nunquámne fallaciarum tuarum finis? nónne huic ſimilis collectio & captio eſt? Si non liceret ſingulis Regem legitimum tyrannicè imperantem deiicere de ſolio, & etiam occidere, ne id quidem fuiſſet quod Iehu Ioram Regem occidit: quaſi verò quicquid expreſſo Dei iuſſu, & ſingulari diſpenſatione aliquando factum fuit, id iure communi ab omnibus fieri poſſe fatendum ſit. Quis neſcit priuilegia ad exemplu trahi non debere [6]? Dominus oſtendit, ſe authore, defectionem à Roboamo factam eſſe, eoque prohibuit vllam eius cauſa parari vltionem, *à me*, inquit, *factu eſt verbum hoc.* Oſtende nobis idem ab eo de illa defectione dictum, quam ſeditioſis concionibus excitaſti, & erit cur eam ſimiliter approbemus. Sin id docere non potes, conſtans rerum ordo, & communis omnium regnorum ratio ſuadet, vt dicamus non à Deo ſed à Boucherio, per ſpiritum rebellionis, factum eſſe verbum hoc. Nihil itaque tibi in illo ſcripturæ loco præſidij, quinimo magnum nobis contra te adiumentum eſt, quem propterea in te vehementi impetu retorquebimus: Ait enim hiſtoria R[illegible] mum conſcripto centum octoginta millium *electorum virorum bellatorum* exercitu, *vt pugnarent contra domum Iſrael, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis*, prohibitum fuiſſe a Deo per Prophetam Semeiam his verbis. *Hæc dicit Dominus: non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſrael: reuertatur vir in domum ſuam, à me enim factum eſt*

6 l. 1. de conſt. Princip.

ver-

verbum hoc. Si verum eſt, vt eſt veriſſimum, omnes dictante Spiritu ſancto in ſacris litteris ſententias eſſe perſcriptas, fateri oportet ſententiam hanc, *à me enim factum eſt verbum hoc*, aliquid ſingulare præ ſe ferre, & cauſam continere, cur Roboamo non licuerit decem tribus quæ defecerant vi & armis ad ſe reuocare, quòd illa nimirum defectio Dei iuſſu & voluntate facta eſſet. Vnde nos contra te ſic colligimus. Si totum ſeceſſionis iſtius vlciſcendæ impedimentum in eo poſitum fuit, quòd res à Domino facta eſſet (Deus enim cùm rei gerendæ, vel non gerendæ cauſam affert, ſolam & ſolidam ſolet proponere) ſequitur Roboamum potuiſſe, ſublata illa cauſa, bello perſequi tribus illas deficientes, tanquam iuris regnorum omnium communis, & debiti regibus obſequii violatores [1]: cui & illud deinde conſequens eſt, non licuiſſe illis iure communi à Roboami Regis obedientia recedere: alioqui Deus non ſpecialem hanc, & ſingularem æquitatis cauſam, quòd à ſe nimirum res illa facta eſſet, ſed communem & generalem rationem, qua omnes in perpetuum erudiret, nempe quòd id omnibus populis pro arbitrio iure communi liceat quin potius Roboamum, de bello contra naturalem populi libertatem & ius gentium ſuſcepto, per prophetam reprehendiſſet. Quorſum enim ad ſpecialem excuſationem, vel cauſæ ſingularis vim confugiendum, quando factum defendi iure communi apertè, & ſine contradictione, poſſe conſtat? *Si quis* (inquit Iuriſconſultus [2]) *communi auxilio & mero iure munitus eſt, non debet ei tribui extraordinarium auxilium.* Quod cum ita ſit, operæprecium eſt concluſiones iſtas noſtras, planè quidem contradictorias, prope ſe conſtituere vt clarius appareant, vtque facilius perſpicaces & ingenioſi lectores iudicent vtrius noſtrum collectio, ſenſui ſcripturarum & rectæ rationi magis congruat. Tu igitur ſic colligis, ſi non liceret populo priuare Regem tyrannum dignitate, & eum eiicere de regno *ne id quidem fuiſſet, quod decem tribus à Roboamo defecerunt.* Atqui defecerunt à Roboamo, ergo. Ego verò contrà hoc modo. Si liceret à Rege quamuis tyranno deficere, non propoſuiſſet Deus ſingularem cauſam defectionis decem tribuum à Roboamo, vt eos à pœnis rebellionis eximeret, nempe ſeipſum eius defectionis authorem eſſe, qui Regum & regnorum omnium dominus eſt: ſed generalem illam cauſam propoſuiſſet, quam tu à natura ingenitam

[1] cap. cum ceſſante, de appel.

[2] l. in cauſæ 16. D. de minor.

& perſuaſam eſſe putas, vt vna communis & certa omnibus populis in Chriſto regenerandis regula permaneret. Atqui ſingularem & ſpecialem cauſam propoſuit, ergo iure communi deficiebantur. Iudicem hic nullum recuſo, qui non iudicii omnis expers ſit.

1 Eccl.10. BOVCHER. *Et quod Ieſus filius Syrach ait, [1] regnum à gente in gentem transferri, propter iniuſtitias & iniurias & contumelias, & diuerſos dolos, non vtique populorum tantum, verũ etiam & Principum.*

Quid ad inſtitutum? confundis cauſas rerum, & vni alterius partes tribuis. Eccleſiaſticus de diuina animaduerſione loquitur. Deus iuſtè populos delinquentes per malorum Principum tyrannidem caſtigat, & ipſos illos Principes deinde propter ſuam tyrannidem & malitiam plectit, & principatu eiicit, totumque imperium vnius gentis in aliam transfert ſæpeque vt eſt in prouerbio, *malum nodum malo cuneo findit*, hæc Dei opera ſunt qui omnium Dominus eſt, cui licet quod vult de ſuo facere. At non propterea hominibus idem permittitur. Vt neque ſi Princeps aliquis ſceleratum ciuem, ademptione honorũ, vel corporis ſupplicio, iure mulctet, filius propterea, vel ſeruus eiuſdem ciuis pari pœna eum poſſit afficere. Nihil itaque hic Eccleſiaſtici locus ad hanc quæſtionem pertinet, eſt enim de mirabili, & metuendo Dei in malos Principes populoſque iudicio, propoſitus & intelligendus. Cætera verò quę ex Scripturis adfers, nullam neque veram neque veriſimilem cõcludendi ſpeciem, in hac materia habent, adeóque aliena ſunt ab eo quod probandum eſt, vt mirer quorſum à te, in huius quæſtionis tractatione, propoſita ſint, niſi forrè, qui omni argumento probabili defectus, chartam aliquo ſaltem replere volueris. ais enim.

2 cap 32. *Et quod ait Eſaias, [2] Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & Principes in*
3 Pſal.44 *iudicio praerunt. Et Pſaltes [3], intende, proſperè procede, & regna, propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Et in prouerbiis. Auſer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.*

Cernimus hic præclaras quidem Scripturæ ſententias, ſed quæ ſit earum efficientia in præſenti negotio non cernimus, imò verò perſpicuè cernimus nullam in iis vim eſſe ad illud firmandum, quo tu probando oneratus es. Docere debes Regem legitimè conſtitutum, ſi non iuſtè regnum adminiſtret, priuari à ſubditis dignitate poſſe: hoc

vt

vt oſtendas, argumentis & rationibus iſtis vteris, niſi Rex eiuſmodi priuari dignitate poſſet, *ne id quidem fuiſſet quod ait Eſaias*, id eſt ſi ſenſum tuum rectè aſſequor, non dixiſſet Eſaias *Ecce in iuſtitia* &c. At quæ hæc precor conſequentia? Eſaias de Chriſto prophetizans, dixit eum in iuſtitia regnaturum, & Principes eius, id eſt, Apoſtolos, in iudicio præfuturos Eccleſiæ; ergo Rex iniuſtus ſpoliari à populo dignitate poteſt. Item Dauid in ſpiritu, Chriſti regnũ cernens, & eius præconia concinens, iubet eum intendere vires ſuas, ac proſperè procedere & regnare, propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: ergo populus ſiue Reſpub. vt tu loqueris, poteſt Regem non iuſtè imperãtem regno eiicere, & priuare dignitate ſua. Item Salomon in prouerbiis dicit, Quod ſi auferatur rubigo de argento, egredietur vas puriſſimum: & ſimiliter, ſi auferatur impietas de vultu Regis firmabitur iuſtitia thronus eius: ergo Rex non iuſtè adminiſtrans regnum pelli de ſolio & abdicari poteſt. Qualia, Deus bone, enthymemata? & quæ poſſunt eorum reperiri ſupplementa, vt ad rectam ſyllogiſmi formam reuocentur? An non licebit ſimiliter hoc modo ratiocinari? Apoſtolus ait [1]. *Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correctione Domini*: ergo ſi durus & agreſtis pater, nimiſq; in irã pronus filios ad iracundiam prouocauerit, expelli de familia, & contemni à filiis poteſt. Ecquis mortalium ratiocinandi peritus ab iſtiuſmodi collectionum portentis nõ abhorrebit? neſcio equidem ex qua Sophiſtarum latrina prodierint, Philoſophis certè valde fœtent. 1 ad Epheſ. 6.

BOVCHER. Vt ne illud omittatur, quod pluribus diſputat Plato [2] tyrannos vt parricidas de Repub eiiciendos eſſe.

At Plato de ſua Repub. id eſt Rep. à ſe excogitata loquitur, quam ſi tibi in animo eſt inducere, vt omnes omnibus rebus, atque adeo fœminis ipſis communiter fruantur, ad alios tibi quàm Europæos demigrandum eſt. adhæc Plato de verè tyrannis, hoc eſt, priore illo tyrannorum genere tibi tractat: quos, vt ſæpius iam dictum eſt, cuilibet licet occidere. 2 Lib. 8. de Repub.

BOVCHER. Præclariſſimè verò Diuus Thomas [3]. Si ad eius multitudinis pertineat ſibi prouidere de Rege, non iniuſtè ab eadem Rex inſtitutus poteſt deſtitui, ſi poteſtate regia tyrannicè abutatur. Nec putanda eſt talis multitudo infideliter agere tyrannum deſtituens, etiamſi eidem in perpetuo ſe antè ſubiecerit, quia 3 Lib. 1. de regim. Princ. ca 6.

 hoc

hoc ipſe meruit in multitudinis regimine ſe non fideliter regens, vt exigit Regis officium, quod ei pactum à ſubditis non ſeruetur.

Neminem D. Thomas ſuis ſententiis addictiorem me habet, ſed vere ſuis, non alienis, & ſuppoſititiis falsò ei aſcriptis: libri autem illi de regimine principis, quamuis inter opera D. Thomæ poſiti ſint, & vulgò eius eſſe exiſtimētur, tamen adeo ab eius doctrina & eruditione alieni ſunt, adeo deliriis & fatuitate repleti, vt niſi eos ad riſum hominibus mouendum compoſuerit, tribui tanto philoſopho ſimul & Theologo nequeant. Id omnibus ferè magnis authoribus malum accidit: potiſſimùm verò Eccleſiæ patribus, vt eorum nomine aliena ſcripta circumferrentur, quorum iam multa ſolerti doctorum hominum ingenio deprehenſa ſunt, & partim propriis dominis reddita, partim, quia cuius ſunt, ignoratur, in commune reiecta, vt vſu omnium, dominio nullius habeantur. In horum numero hi de regimine principis eſſe debent, de quibus veriſſimè Cuiacius [1]. *Cœpit Præfectus quilibet comes appellari*, inquit, *& Præfectus equorum regiorum, Comes ſtabuli primùm, deinde corruptè Coneſtablus tàm in Orientis quàm in Occidentis imperio, cuius appellationis veriuerbium aliud, quod Thomas retulit, libro de regimine Principum, miror vt non omnibus moueat riſum, quem vt conciliaret lectoribus, mihi videtur non eo tantum, ſed in aliis omnibus toto libro deliraſſe: aut verius ſanè non putem ſummo Philoſopho & penè ab Ariſtotele ſecundo αὐτόπτῃ tam ineptum excidiſſe.* Et verò nemo acriore iudicio præditus non ſtatim cenſebit opus illud non a ſapiente & multarum rerum perito, qualis erat ſanctus Thomas, ſed ab ignaro aliquo & parùm prudente factum eſſe. Fatuitatis enim illius ſcriptoris, etſi non aliud extaret argumentum, illud vnum ſatis manifeſtum nobis indicium præbere poteſt, quòd libro primo [2] tractet, quomodo debeat Princeps *conſtituere Regnum in loco congruo qui ſalubritate conſeruet habitatores.* Si filiorum Noe, vel etiam Vrani, Saturni, & Iani temporibus, quando plagarum orbis nondum habitati electio erat, tale quid conſuluiſſet, ſapientum octauus nō immeritò iudicari potuiſſet. At id D. Thomę ſeculo admonuiſſe, quaſi vtile aut neceſſarium bene regnandi præceptum, ſi non extremæ ſtultitiæ, certè incredibilis delirationis eſt. quaſi verò aliquis pro arbitrio regnum facere, & quo in loco voluerit, conſtituere poſſit. ita loqui ſolent, quos Principes oblectationis

cauſa

[1] lib. 1. de feud. tit. 1.

[2] cap. 13.

cauſa alunt moriones, dum alia ſubinde atque alia in ſuo cerebro regna per phantaſiam condunt. Huic ſimile eſt quod ait [1], Scipiones, Cenſores, & Cenſorinos fuiſſe nomina dignitatum apud Romanos, & Conſules dictos fuiſſe comites: & quod Marchio *ſortitur nomen à ſeueritate iuſtitiæ, dicitur enim Marchio à Marcha quod eſt ſingulare diuitum pondus, per quod ſignificatur recta & rigida iuſtitia.* Et [2], quòd bono Principi neceſſe non eſt in corporis cuſtodes aliquid erogare, quia *omnes ſubditos pro ſatellitibus ad cuſtodiam habet, in quibus aliquid expendere opus non eſt.* quaſi verò Principes quantumuis boni, ſine propriis quibuſdam ſatellitibus in tuto conſiſtant, aut regiæ dignitatis ſplendorem tueri, & ſubditorum ſalutem & incolumitatem procurare poſſint: bonis quippe mali, ſcelerati, & ambitioſi plurimùm inſidiari ſolent. Rectius igitur Ariſtoteles [3], qui Regi, quamuis ſemper ſecundum leges imperet, ſtipatoribus opus eſſe, quibus tueatur leges, tradit. Quid multis? libri illi toti ſcatent ineptiis, nec vllum in iis vel minimum prudentiæ, & acuminis S. Thomæ veſtigium reperitur, vt iure optimo id opus eius eſſe denegemus. Profer ergo, ſi potes, aliquod D. Thomæ in tuam ſententiam teſtimonium ex illis libris quos de Scripturarum interpretatione, & Doctrina, & fide Chriſtiana (qui tamen valde multi ſunt) ſcripſit: non poteris, ni valde fallor, inuenire: cùm tamen ſæpe in illis Principum & ſubditorum mentionem faciat. huic autem quod affers, quoniam ex libro ridiculo, & ſtultitiæ referto deſumptum eſt, non maiorem quàm reliquis eiuſdem libri deliriis fidem habere cogimur.

1 Lib. 3. ca. 22.

2 Lib. 2. ca. 10.

3 Lib. 3 polit. cap. 11.

Quæ quanquam ita ſe habent, tamen videre mihi videor te iſta legentem inflare buccas, & exclamare indignum facinus eſſe, magnorum virorum teſtimonia, vt hæreticis mos eſt, librorum abnegatione velle eludere: meque opuſculum hoc totum ſancto Thomæ abiudicare, quòd eius ſententiæ authoritate vſqueadeo premar, vt elabi nullo modo poſſim. Quapropter, ne talia plenus iræ intonueris, admittam id quicquid eſt ſententiæ à te allatæ, & à D. Thoma ſcriptum eſſe concedam, non quòd illius id eſſe putem (hoc enim honoris eius cauſa iam negaui) ſed vt locum illum nihil cauſæ tuæ opitulari, quinimo aduerſari plurimùm, oſtendam. Ait ergo S. Thomas (quoniam tu ita vis) *Si ad ius multitudinis pertineat, Sibi*

proui-

prouidere de Rege, non iniuſtè ab eadem Rex inſtitutus poteſt deſtitui, ſi poteſtate regia tyrannicè abutatur. Attende ad hæc Boucheri, & intende animum. Quid eſt quod dicit. *Si ad ius multitudinis pertineat ſibi prouidere de Rege?* Nonne his verbis ſatis indicat non idem obtinere, quando ad ius multitudinis non pertinet, ſibi de Rege prouidere? alioqui enim quid attinuiſſet dicere, ſi ad ius multitudinis &c. At neque in regno Franciæ neque in aliis vllis ferè regnis vel Chriſtianis vel ethnicis, ad ius ſpectat multitudinis prouidendi ſibi de Rege, quippe regna ferè omnia, vt olim in populo Hebræo, non electione, ſed hęreditaria ſucceſſione & iure ſanguinis nunc deferuntur. Atque hoc nimirum illud eſt quod alibi dixi [1], eligendi Regis facultatem a conſtituendi poteſtate, longo planè interuallo eſſe ſeparandam, & illam quidem pauciſſimis ac propè nullis gẽtibus eſſe conceſſam, quia ſucceſſionis iure adimitur: hanc vero omnibus, ſuo cuique more, populis competere. Cùm itaque in regnis quæ ad certas perſonas iure hæreditario tranſmittuntur, non ſpectet ad ius multitudinis prouidere ſibi de Rege, ſed tantùm cõſtituere Regem à Deo per legitimam ſucceſſionem prouiſum, conſequens profectò eſt ſuperiorem ſententiam, cuiuſcunque tandem authoris fuerit, ad Regem Franciæ & alios ſimiles non pertinere, quos non electio multitudinis, ſed naſcendi ordo & ius ſanguinis, ad ſceptra ſibi debita inuitat. Et quidem hanc diuo Thomæ mentem, huncque loci iſtius ſenſum eſſe docet Carthuſianus eandem materiam tractans [2]. Nam poſtquam hoc ipſum quod tu proponis, aliaque multa ex eodẽ Thomæ libro recitaſſet, ac de iure populi in principem multitudinis ſuffragio electum, atque in tyrãnidem prolapſum diſſeruiſſet, mox ſubiecit. *Poſtremo inquiritur quid agendum ſit communitati, dum Princeps eius intolerabiliter tyranniʒat, & tamen ex natiuitate ſeu hæreditaria ſucceſſione, ſibi competit principatus.* Cui quæſtioni reſpondet nullum tunc humanum remedium, vel alleuamentum ſupereſſe, excepto eo quod in ſummi Pontificis poteſtate ſitum eſt: ac tandem de eiuſmodi Principe ſic concludit. *Communitas ergo nõ debet propria authoritate Prælatum aut principem ſuum abiicere, ſed potius ad Pontificem ſummum recurrere, & ei cauſam inſinuare iudiciumque committere.* Addo præterea ipſum met D. Thomam eo libro hoc idem apertiſſimè teſtari, vt ſi illum attentè legiſſes, & docendi potius quam decipiendi lecto-

ris

[1] Lib. 3. ca. 3.

[2] Lib de regim. politiæ. artic. 19.

ris prouinciam ſuſcepiſſes, nunquam hac illius authoritate ad ſententiæ tuæ probationem fuiſſes vſus. Nam author ille tres Principum in tyrannos degenerantium ordines facit: primum eorum qui nullo alio iure, niſi ſola populi voluntate & electione, ad imperium, vocantur, & de his illud effert quod pro te perperam arripuiſti, *Si ad ius multitudinis &c.* quàm verò rectè, ipſe viderit. Secundum, eorũ qui dantur populis ab alio ſuperiore, de quibus ſic ſcribit. *Si verò ad ius alicuius ſuperioris pertineat multitudini prouidere de Rege, expectandum eſt ab eo remedium contra Tyranni nequitiam. Sic Archelai qui in Iudæa pro Herode patre ſuo regnare iam cœperat, paternam malitiam imitantis, Iudæis contra eum querimoniam ad Cæſarem Auguſtum deferentibus, primò quidẽ poteſtas diminuitur, ablato ſibi regio nomine, & medietate regni ſui inter duos fratres diuiſa: deinde cùm ne ſic à tyrannide compeſceretur, à Tiberio Cæſare relegatus eſt in exilium apud Lugdunum Galliæ ciuitatem.* Tertium verò illorum Principum facit, aduerſus quorum tyrannidem nullum, niſi in precibus & obſecrationibus ad Deum fundendis, auxilium populo reliquum eſt: verba S. Thomæ ſunt (ſi liber eius eſt) *Quod ſi omnino contra tyrannum, auxilium humanum haberi nõ poteſt, recurrendum eſt ad Regem omnium Deum qui eſt adiutor in opportunitatibus, in tribulatione,* Id eſt vt ſuperius interpretatur Carthuſianus, *Si princeps intolerabiliter tyrannizat, cui ex natiuitate, ſeu hæreditaria ſucceſſione, competit principatus.* cuius contrarium planè eſt quod tu doces, licere nimirum ſubditis, principem eiuſmodi de ſtatu ſuo deiicere, atque vt parricidam expellere de Repub. hoc enim ſi verum eſſet, humanum ſemper remedium & auxilium ſuppeteret (ſubditi enim reipſa ſiue de facto vt aiunt, ſemper poſſunt rebellare) quod iſti vt audis rectiſſimè inficiatur. Quæ cum ita ſint, tuis te armis appetitum, tuo telo vulneratum cernis. Si enim opus illud S. Thomæ eſt, S. Thomam pro nobis habemus; ſin alterius, ille quidem, quiſquis eſt, totus à nobis ſtat, & ſententiam ſuam aliò quàm oportet à te detortam eſſe cõqueritur. Vides ergo vt friuola ſunt & futilia, atque etiam authoribus quos citas contraria, quæ de abdicando Rege, & dignitate ei tollenda ſcribis.

CAPVT XXI.

AB expellendo Rege tyranno ad eum occidendũ tranſis. At quem exturbare nullo iure potes, qua tandem

ratio-

ratione iuſtam ei necem afferre te poſſe putas? vbi enim quod minus eſt non licet, quod plus eſt, cenſetur eſſe prohibitum [1]. Tu eò tamen contendis, & tuo more contendis, id eſt, variis cauillationibus captioſa probabilitate, quibus, vt videantur ab omnibus, & vitentur, inſidioſa velamina ſubducemus: Ais ergo [2].

[1] l.4.D.de ſenat.l.relegatorū 7 § poteſt. D.de interd.& releg. l.cui pacto ſ.D. de ſer.export.

[2] Lib.3.ca.15.

An autem liceat occidere, maius quiddā & grauius eſt. Quod mirum eſt tamen, quàm [illegible]agnum, affirmando conſe[illegible]ſum habeat, non profanorum authorum tantùm, verum etiam & noſtrorum. Glorioſum certè id eſſe Cicero non vno in loco dixit. Beatus nemo (inquit ille [3], de tyranno loquens) qui ea lege viuit, vt non modo impunè, ſed etiam cùm ſumma interfectoris gloria interfici poſſit. Et rurſum [4]. Hæc non cogitas, nec intelligis ſatis eſſe viris fortibus didiciſſe; quàm ſit pulchrum, beneficio gratum, fama glorioſum tyrannum occidere? Et alibi [5], negat ſe obſtringere ſcelere, qui tyrannum occiderit, quamuis familiarem. Et rurſum alibi [6]. Nulla inquit nobis cum tyrannis ſocietas, ſed ſumma potius diſtractio: Neque contra naturam eſt ſpoliare eum quem honeſtum eſt occidere.

[3] Philip. 1.

[4] Philip. 2.

[5] Offic. 3.

[6] Tuſc. 5.

Deinde ex Plutarcho, legem, de iis qui tyrannidem affectaſſent impune occidendis, à Valerio Publicola latā adfers: & illam apud Græcos, qua præmium tyrannicidæ decretum erat: atque alia id genus, quæ vt viros bonos, & humaniſſimos Francos conciues tuos infatuares, & acriore in Regem odio inflammares, acriter & altè de pulpito intonueras.

Sed ô fallaciam fallaciſſimam! Admon[illegible]iam ſupra [7], te rerum differentium confuſione, vel inſcienter, vel fraudulenter, nos circumſcribere, dum quod de vno dicitur, ad aliud de quo non dicitur, transfers. Id ſi antè fuit obſcurum, locus hic perſpicuum facit. Nam neque Græcorum lex illa de tyrannicidis, neque Valeria Romanorum, aliæque ſimiles, neque præclaræ illæ Ciceronis ſententiæ, ad Principes legitimos in tyrannidem delapſos omnino pertinent: id eſt ad eos qui iure ſanguinis, vel ſortis beneficio imperium, conſentiente populo, ſunt conſequuti: ſed tantùm ad prius illud genus tyrannorum, hoc eſt, eos qui principatum nullo iure ſibi debitum, i[illegible]itis ciuibus conantur occupare. De quorum cæde & ſuppliciis, mihi tecum ſatis conuenit, nullaque inter mortales vnquam dubitatio. Hæc autem ita ſe habere, cùm legis illius Valeriæ latio ſanctioque, tum illa ipſa Ciceronis loca quæ ci-

[7] cap.19.

tas planiſſimè demonſtrant. De lege enim Valeria Liuius [1] *latæ deinde leges* (inquit) *non ſolū quæ regni ſuſpicione conſulem abſoluerent, ſed quæ adeo in contrarium verterent, vt popularem etiam facerent. Inde cognomen factum publicolæ eſt. Ante omnes de prouocatione aduerſus magiſtratus ad populum: ſacrandoque cum bonis capite eius, qui regni occupandi conſilia iniiſſet.* Lib. 2
Quid hoc ad Regem? An non perſpicis legem hanc de tyranno propriè dicto id eſt dominatus vſurpatore latam eſſe? num tu idem ſtatuis de eo qui regnum iuſtè acquiſitum iniuſtè adminiſtrat, & de eo qui regnum malis artib. occupauit? Inter quos diſcriminis tantum eſt, quantum inter alieni raptorem, & ſui prodigum vel decoctorem intereſt. Eodem illæ Ciceronis ſententiæ ſpectant, ad eos ſcilicet tyrannos, qui oppreſſa Republica, principatum inuito populo vi & armis ſibi vendicant, vt Cæſar, Antonius, & alii de quibus loquitur Cicero. De Regibus autem ſe non ſenſiſſe, ipſemet alibi declarat. Nam in principio orationis pro Deiotaro, præfatur nullo vnquam tempore auditum eſſe Regem capitis reum fieri. *Primum dico*, inquit, *pro capite, fortuniſque Regis: quod ipſum etſi non iniquum eſt, in tuo duntaxat periculo: tamen eſt ita inuſitatum, Regem capitis reum eſſe, vt ante hoc tempus non ſit auditum.* Apud quem hæc Cicero, & de quo Rege? apud Cæſarem, cui eius rei veritas non minus nota erat, quam ipſi Ciceroni; Ita vt tale quid contra veritatem proferens, parum, aut nihil mendacio profeciſſet. & de Rege quidem Galatiæ, quæ minoris Aſiæ regio eſt, qua in orbis parte Buchananus non veretur dicere, omnes Reges fuiſſe ſemper tyrannos. Si ergo Ciceronis tempore inauditum fuit Regem capitis reum eſſe, quid eſt quod tu de occidendo Rege tyranno Ciceronis authoritatem falsò nobis obtrudis? num occidi poteſt qui reus capitis eſſe non poteſt? Vehementer & perniciosè erras, atque homines ſimplices & imperitos in errorem ducis, cùm iſtiuſmodi bonorum authorum ſententias ad alium, quàm ipſi cogitarunt, ſenſū detorques.

Iam verò exēpla omnia quæ de interfectis, vel exactis tyrannis adfers, ad primum genus tyrannorum pertinent, vt mirum ſit te in iis recenſendis operam planè inanem & ſuperuacaneam collocaſſe; Quorſum enim illa exemplorum collectio? vt probem, dices tyrannos occidi poſſe. At nemo negat eiuſmodi tyrannos, qui tuis illis exemplis

continentur, à quolibet de multitudine poſſe interfici.
Stultum eſt conniti & elaborare, vt probes conceſſa. Pro-
ponam igitur exempla tua, ne cui videar te perperam re-
prehendiſſe.

1 dict. c. 15. lib. 5. *BOVCHER*[1]. *Laudatus olim apud Græcos, Plutarcho*
2 in Timoleonte. *teſte*[2], *Timoleon quod homo alioqui lenis, & manſuetus, vitam*
quam fratri Timophani pro patria pugnanti, capitis ſui periculo
ſeruauerat, tyrannidem poſtea affectanti, imo vſurpanti, & ſana
conſilia ſæpius contemnenti, ademiſſet.

Sic extriti Romæ Decemuiri tyrannidem vſurpantes, & Athe-
nis triginta prætores, effecti tyranni, primò exilio multati, deinde
interfecti, incredibili populi odio extiterunt.

3 in Dione. *Sic Calippum, vt Plutarchus refert*[3], *ad tyrannidem aggredi-*
4 Lib. 11. *entem & Tyndaridem; vt eſt apud Diodorum*[4], *eandem vſur-*
pantem Syracuſani interfecerunt. Sic Bomilicarem Carthaginen-
ſes, obſeſſa ab Agathocle vrbe, patriæ incommodo ad occupandam
tyrannidem abutentem, captum tandem & grauiter cruciatum
peremerunt. Et Manlium Capitolii ſeruatorem Romani, quòd
tyrannidem affectaret, de eadem, quam ipſe ſeruauerat, Capitolii
5 Plutarc. in Camillo. *rupe præcipitem dederunt*[5]. *Eadem Gracchis Tiberio & Caio cæ-*
dis cauſa fuit. Licetque vel ex vno, in Timoleontis & Arati vita,
Plutarcho, quàm funeſtus ſit tyrannorum exitus intueri.

6 Offic. 2. *Eodemque illa ſpectant Ciceronis, de Cæſaris nece, verba*[6].
Declarat, inquit, huius tyranni interitus, reliquorum ſimiles exi-
tus tyrannorum: quorum haud ferè quiſquam ſimilem interitum
effugit.

His deinde, vbi ad tuam de tyranno Theologiam, quæ
rectius Satanalogia dici debet, alia ex Chriſtianis hiſtori-
riis, & rebus noſtra ætate geſtis exempla accumulas, his
7 Lib. 3. cap. 16. verbis[7].

Si præter ſuperiora illa Ethnica exempla, Ruffinus qui Arcadium,
& Stilico qui Honorium imperio ſpoliare contendebant: & Gildo
primùm, deinde eius frater Maſcezel, qui contra vtrumque, tyrã-
nidem in Affrica occupare nitebãtur: & Maximus Gratiani Im-
peratoris interfector, & Maximus Falerius, Venetiarum Dux,
qui facta coniuratione patricium ordinem delere, & Rempub. in
regnum conuertere decreuerat, atque alii plerique iuſtè interfecti
in hiſtoriis referuntur. Quales & illi famoſi noſtro ſeculo tyran-
ni, in Gallia Collignius, In Belgio Auriacus, ille Caroli IX. *hic*
Philippi Hiſpaniarum Regis iuſſu de medio ſublati.

Quis non vanitatem & ineptias tuas in his exemplis re-
cenſendis rideat? Aut quis crediderit, hominem in concio-
nibus

nibus & conſiliis publicis tam vehementer occupatum, otii tantum ſibi eſſe largitum, vt tam aliena inſtituto exempla conquireret,&magnum occiſorum ob tyrannidem catalogum contexeret, quorum nullus ad rem de qua agitur, ad quæſtionem ſcilicet de Rege ſæuiter & tyrannicè imperium adminiſtrante,referri poteſt. Omnes iſti, quorũ mentionem facis, iniuſti dominatus vſurpatores erant, eoque primi generis tyranni, de quib. nulla controuerſia eſt, quin cædi à quolibet iure optimo potuerint: qui propterea, non quòd proteruè & crudeliter regnarunt, ſed quia omnino regnare, & populum liberum, eo inuito, ſibi ſubiicere, vel legitimis principibus ſceptra eripere voluerunt, partim à multitudine, partim à principibus, partim à priuatis, interfecti ſunt. Sat ergo illis ad mortem fuit, conſilium & conatus de ineundo regno, etiamſi illud optimè fuiſſent adminiſtraturi; quod tantum à Regis fortuna & conditione, quantum amor ab odio, à conſenſione diſſenſus, propriũ ab alieno, abeſt. Facis itaque his exẽplis perinde, ac ſi cùm velles docere, homines ſua auitaque bona prodigentes morte mulctandos eſſe, ad id probandum exempla omniũ ſeculorũ proponeres, quibus latrones & raptores tali pœna affectos eſſe demonſtretur: tantum enim inter legitimũ Principem tyrannum, & iniuſtum principatus occupatorem intereſt, quantum inter ſua profundentem, & aliena rapientem, vt paulò ante diximus.

CAPVT XXII.

VEnio nunc ad tuã de Rege tyranno occidendo Theologiam, tuam dico, id eſt, falſam, fucatam, & ſeditioſam, quę neque Scripturarum authoritate, neque antiquorum Patrum teſtimoniis, neque Pontificum decretis, neque communi Eccleſiæ conſenſu fundata eſt & firmata. Sed tota ex fictis à te principiis, & errorum ſcatebris, atque adeo manifeſtis mendaciis deriuata eſt & compoſita. Communis autem & vera Theologia, communis, inquam, Chriſtianæ Eccleſiæ naſcentis, creſcentis, & adulta ætate florentis, inſtitutio, longè diuerſam & planè contrariam viuendi diſciplinam & legem nobis dedit, quam ſuprà libro tertio ſum proſequutus: quo minus mihi neceſſariũ nunc eſt in hanc partem incumbere, ſatque videtur rationum tuarum vitia, & errorum fontes breuiter indicare. Id

Ccc ergo

1 li.3.c.16. ergo in primis vitio tibi vertitur, quòd quanquam initio tuæ Theologicæ tractationis [1], ſeparare videaris tyrannũ propriè dictum, hoc eſt eum qui dominationem & principatum in inuitos per ſcelus occupauit, ab eo qui, quod iuſtè imperium nactus eſt, iniuſtè adminiſtrat: tamen ſententias & exempla, quæ de illo ſolo proponi debent, perperam & inſidioſè ad legitimorum Principum inuidiam & vltionem, in huius condemnationem ſine ratione transferas. Omittam igitur quæ de priore tyrannorum genere nominatim ſcribis: incaſſum enim à te relata ſunt, cùm neq; ad eam quam tractas materiam, ius regni & Reges abdicãdos ſcilicet, quicquam pertineant: neque aliquid obſcuritatis aut controuerſiæ de eiuſmodi tyrannis inter homines verſetur, prorſus vt Ariſtotelicum illud, hoc caſu locũ habeat. *Nemo ſolet proponere quod nullis videtur, vel quod omnib. eſt manifeſtum.* Et Iubentii Celſi, ſtultam eſſe conſultatiõnẽ quæ de eo proponitur, de quo ridiculum eſt dubitare [2]. Regum mihi cauſam tueri ſat eſt, de qua ſic ſtatuis.

2 l. Domitius 27. D. qui teſt. fa. poſ.

3 li.3.c.16.

BOVCHERIVS [3]. *Qui vero iuſta poteſtate ad priuatorum iniurias abutitur, vt verum ſit in hunc animaduertere Remp. poſſe, quòd quæ in fures, latrones, ac priuatos homicidas, penes illam poteſtas eſt, tantò magis eam in tyrannum diſtringi æquum eſt, quantò deterius eſt per quem improborum coerceri iniuriæ debent, ab eo facem iis ſceleris ac nequitiæ præferri: à priuato certè occidi propterea non licet, quia cum non plus cuique in alterius vitam, quam in eius bona permiſſum ſit, neque verò eo iure, quod ad regnum tyrannus habet, niſi per publicum iudicium ſpoliari poſſit, amplius etiam quamdiu, regni ius remanet, ſacra eius perſona ſit, id profectò ſequitur, ne in vitam quoque eius, priuato cuiquam ius relictum eſſe.*

Quin tu vno verbo? ſi Rex priuato iniuriam fecerit, puniri à Repub. poteſt, vt fures, latrones, homicidæ, cæteríque malefici ſolent: non autem à priuato cui iniuriam intulit: quòd ille in ſua cauſa iudex eſſe non poſſit. Hęc enim ſumma ni fallor huius longæ tuæ deſcriptionis eſt.

O præclaram ſcilicet & mirificam Theologiam! Sed vnde illa tibi in mentem venit, quíſve eam primus inuenit? nam aliam nobis antiqui Patres, omnino contrariam tradiderunt. Si Reſpubl. (vt tu doces) in Regem animaduertere propter iniuriam priuatis factam poteſt; nónne ſecundum leges animaduertet? & nónne huic deinde conſequẽs erit, Regem pœnalibus legibus eſſe ſubiectum? qui enim legibus

gibus non ſubiicitur, per leges & ſecundum leges iudicari nequit. Nónne etiam & illud, Rege aliquem eſſe ſuperiorem à quo iudicari & puniri poſſit? Nam, vt ſæpius iam dictum eſt, par in parem non habet imperium, multóq; minus inferior in ſuperiorem. Dic ergo nobis, ſi potes, quos huius nouæ doctrinæ authores vel aſtipulatores habeas. Nam licet in citandis aliorum ſententiis creber & curioſus ſis, atque adeò ſæpe contra mentem & ſenſum ſcribentium, tamen dum hanc nobis doctrinam obtrudis, neminem laudas authorem. Quoniam igitur non omni ſpiritui credendum eſt, ſed probandum an ex Deo ſit: potiſſimum ſpiritui inflato, iracundo, ſeditioſo ac rebelli: ſine percontemur Maiores noſtros, qui ipſis hæc placet Theologia: num ſcilicet Rex *iuſta poteſtate ad priuatorum iniurias abutens puniri à Rep. poſſit.*

Dic ergo nobis magne Tertulliane, quod tuo ſæculo totius Eccleſiæ fuerit de hac re iudicium. Tertullian. *Principem eſſe hominem à Deo ſecundum, poſt Deum primum, & ſolo Deo minorem.* Tibi verò quid videtur Ambroſi? Ambroſ. *Rex vtique erat, nullis ipſe legibus tenebatur: quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii poteſtate: homini ergo* Dauid occidendo Vriam *non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.* Et tu quoque ſanctiſſime Pater Auguſtine, effer paucis hac de re quid ſentias. Auguſtin. *Imperator non eſt ſubiectus legibus, qui habet in poteſtate alias leges ferre.* Tibi porrò beatiſſime Hieronyme quæ mens fuit? Hieronym. Dauid confitendo peccatum ſuum dixit Deo, *Tibi ſoli peccaui, Rex enim eram & alium non timebam.* Accede huc & tu pariter Venerande Friſingenſis Antiſtes Otto, genere, moribus, & doctrina nobiliſſime, tuámque prome ſententiam. Otto. *Soli Reges, vtpote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſeculi legibus non cohibentur. Vnde eſt illud tam Regis quàm Prophetæ teſtimonium, Tibi ſoli peccaui.*

Ex his perſpicuum eſſe arbitror tuam iſtam Theologiam qua doces animaduerti poſſe in Regem ob delicta in priuatos commiſſa valde nouam eſſe, atque incognitam antiquis Patribus, totíque Eccleſiæ, vſque ad hæc tẽpora, quibus permulti relicta vel etiam ſpreta antiquitate, nouis ſubinde opinionibus & erroribus fabricandis delectantur: quo fit vt nihil tam incredibile & dictu abſurdum ſit, quod homines oſtentationis cupidi (vt ipſi aliquid præ cæteris

ſcire videantur) dicendo ſcribendoque nunc non tentẽt & tueantur Cacoethes hoc omnia corrumpit, omnia peſſum rapit, eoque mũdum voluit, vt niſi à beatiſſimo Papa Principibúſque celer aliquod remedium huic malo adhibeatur, metuendum ſit, ne nihil, niſi mera confuſio, ad poſteros tranſmittatur.

Ecqua enim certior fidei noſtræ particula, vel in Scripturis expreſſior reperitur, quàm Chriſtum Saluatorẽ clauis cruci fuiſſe affixum? [1] at ego magnum, vt multis videbatur, Theologum vidi ante paucos annos in nobili cõceſſu hunc articulum pertinaciter negantem, aſſerentemq; nullis Chriſtum clauis crucifixum fuiſſe: idque ſe omnino credere, atque argumentis & rationibus firmiſſimis velle demonſtrare. Adeò nimirum nullus nunc tam manifeſtus error, nulla tam execranda blaſphemia eſt quæ non authorẽ aliquem & aſſertorem inueniat. Sed ad inſtitutum.

1 Ioan. 20.

Hæc Theologia, quam tradis, non eſt Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, aut vllius ſanctorum Patrum primæ, mediæ, vel poſtremæ ætatis Eccleſiæ: ſed tantùm Buchananica, Brutina, & Boucheriana ſiue lanionia: laniat enim & lancinat regna omnia, ac velut macellario cultro caput à corpore, Regem ſcilicet à Republ. diſſecat & diſcindit: mẽbráque & corpus in caput dominari contra naturam facit. Error autẽ hic tuus ex falſis illis principiis fluxit, quæ Brutum ſequutus primo iniuſtæ abdicationis tuæ libro cõfinxiſti: Regem nempe legibus ſubiectum eſſe, & populum ſiue Remp. vt tu loqueris, Rege ſuperiorem: cuiuſmodi commentis nihil falſius & doloſius excogitari poſſe ſuperioribus libris manifeſtò demonſtrauimus.

Illud præterea maximum tuæ huic Theologiæ vitium ineſt, quòd tecum pugnantia dicas, & nunc nihil priuato iniurioſius à Rege tractato niſi patientiam ſupereſſe doceas: nunc poteſtatis tantum ei tribuas in Regem, quantum priuato cuique in priuatum competit: nihil vt regalis dignitas & ſceptri reuerentia Regem à quolibet de multitudine hoc caſu decernat. Sic enim tu,

2 eod. cap. 16.

BOVCHER. [2] *Quod ſi tum priuatas iniurias profert, ſi cædi ſe ſcorpionibus, ſi premi & affligi conqueratur, tum hic ea locum habent, quæ de ferendis aduerſæ poteſtatis iniuriis, de tolerantia & patientia proferuntur, vt quod D. Petrus monet ſubditos eſſe dominis, non tantum bonis & modeſtis, verùm dyſcolis* [3]. *Et quod ait hæc eſt gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis iniurias pa-*

3 1. Pet. 2.

patiens iniuſtè. Vnumq́; hic remedium eſt, vt ad ſuperiorem, ſi liceat, id eſt Rempub. recurratur, ſin minus miſericordia Dei, in cuius manu cor Regis eſt, flagitetur.

Fateris ergo hic nullum priuato remediū aduerſus Regis iniuriam eſſe præter patientiam, & implorationem Reipub. quam falsò Rege ſuperiorem eſſe putas. At mox paucis lineis interiectis, propulſandæ iniuriæ ius & facultatē, quod præſentiſſimum remedium eſt, cuilibet priuato aduerſus Regem concedis.

Et quamuis non deſunt (inquis) *qui Pauſaniæ in Philippum Macedonum, & Bodilonis in Childericum Gallorum Regem, factum excuſent, qui priuatas iniurias, ac illatam ſibi, ſtupro ille, hic flagellis contumeliam, Regis ſanguine vlti ſunt, vt in propulſando flagitio id licere, & facere periculosè, vt Cicero ait, quàm turpiter pati melius eſſe fatendum ſit, in admiſſo certè vlciſcendo licere penitus denegetur.*

Ineptis Boucheri, & largiter erras, qui parem Regis & priuati cuiuslibet in hac re fortunam & conditionem eſſe putas, vt ſingulis de populo ſcilicet in propulſanda iniuria tantum liceat aduerſus Regem, quantum vnicuiq; aduerſus conciuem & ſocium legibus permiſſum eſt. Quod enim hic diſcrimen Regem inter & priuatum ſtatuis? Nullū profectò: nam quod priuatus, vlciſcendæ iniuriæ cauſa, nullam Regi vim afferre poteſt, id nihil proprium & ſingulare complectitur: quandoquidem par ius inter priuatos obtinet: iniuriæ namque depulſio, non vltio, ſingulis conceſſa eſt. Hinc illud [1], *cum qui cum armis venit, poſſumus armis repellere, ſed hoc confeſtim, non ex interuallo.* Ergóne priuato licebit, te iudice, vitam Regi auferre, ſi verberum plagas aliter euitare non poteſt? Ergóne liberum cuilibet in propulſando flagitio, priuatam iniuriam nece Regis redimere? ergóne ob vnius ſalutem ciuis, regnum capite, Rempub. ſpōſo viduare fas erit? quæ iſthæc iniquitas? quanta ſtatus regnorum perturbatio confuſioque, hanc infinitam priuatorum hominum in Reges licentiam conſequeretur? Intereſt multum à quo iniuria inferatur. Magiſtratum, ſi feriat, non eſſe à priuato referiendum alicubi docet Ariſtoteles: quanto minus Rex, qui magiſtratibus omnibus, vt aſtris ſol reliquis, antecellit, repercutiendus? Atqui defenſio iuris naturalis eſt, dicet aliquis: fateor, ac repono ex Ariſtotele [2]. *Homines adductos ratione multa præter mores & naturā agere, ſi aliter agi melius eſſe ſibi perſuaſerint, & quadam à natura ho-*

1. l. 3. §. eum igitur D. de vi & de vir.

2. Ariſt. li. Polit. 7. c. 13. li. 5. Ethic. cap. 7.

homini inſita, & tributa mutare, licet non omnia, vt generis ſcilicet humani ſocietatem communitatémque conſeruent. Semper enim in naturæ vel gentium iure obſeruandū eſt, vt vbi duo præcepta inter ſe confligunt, & concurſu mutuo colliduntur, id obtineat quod religionis ergaDeum, vel ſocietatis humanæ, & publicæ ſalutis conſeruandæ, potiorē cauſam continet. Quis neſcit quanta in ſingulos vitæ neciſque poteſtas Regibus ab ipſo regnorum primordio ſemper fuerit? *Nemo noſtrum*, inquit Cicero [1], *ignorat, etiamſi experti non ſumus, conſuetudinem Regiam, Regum autem ſunt hæc imperia. Animaduerte, & dicto pare. & præter rogitatum ſi loquare. & illa mina. Si te ſecundo lumine hic offendero, morere.* Priuati hominis vita non niſi priuatam opem Reipub. plurimū adfert, morſque ipſius priuato luctu deploratur: In Principis verò incolumitate, totius regni ſalus, & ſtatus publici tranquillitas vertitur: ac proinde nihil iniquius aut perniciosius Reipub. viſum eſt, quàm huius vitam in illius defenſione periclitari, eóque facultatem propulſandæ iniuriæ à natura tributam, ſingulis aduerſus Principem optima ratione ademptam eſſe, vt maius & excellentius naturæ beneficium, quod in publica communionis, & ſocietatis vitæ humanæ tutela conſiſtit, per capitis Reipubl. conſeruationem, id eſt, vitæ Principis ſecuritatem, retineatur. Tu verò contrà, hunc politicæ ordinem inuertendo priuatam vtilitatem publicis commodis, & vnius vitam multorum ſaluti, magno cum Reipub. detrimento anteponis: Quod cùm ita ſit, reſtat vt reliquum huius nouæ tuæ Theologiæ videamus.

[1] pro Rabirio Poſtumo.

CAPVT XXIII.

BOVCHER [a]. *At qui in Rempub. hoſtiliter agat, qui in religionem ac patriam tyrannidem exerceat, hunc vt occidere Reſpub. poſſit, cùm ex iis patet quæ antea libro primo & quæ nuper diximus, tum profectò eſt eiuſmodi, vt de eo qui dubitet, hūc communi ſenſu carere oporteat, ignarumq; prorſus eſſe rerum humanarum, niſi verò conſentaneum quis eſſe credit, vt in beluam publicæ ſaluti imminentem populus armetur, in Tyrannum quauis belua deteriorem non armetur. Nam ſi Tyrannum quia permiſſus eſt diuinitùs, inuiolabilem quis Reip. putat, cur nō de beluis idem ſentiatur, quæ eodem modo à Deo permiſſæ ſunt? Nā & Deus ſe canes ad lacerandum, & volatilia celi, & beſtias terræ ad deuorandum, & diſſipandum immiſſurum eſſe per Hieremiam comminatur*

[a] ibid. li. 3. c. 16.

minatur [1]. *Omninoq; verum eſt immitti à Deo ſæpe hoſtes Num ergo impunè graſſari permittentur? Non in eos armis contendetur? Nam ſi propterea cædi non deſinunt, quia immiſſi à Deo ſunt, iuſtéq; in eos arma ſumuntur nihilominus, quæ tyranni ac publici hoſtis exceptio eſſe poteſt, vt quia à Deo permiſſus eſt, propterea in eum gladius non ſtringatur.* Hierem. 15.

Hæc poſtrema Theologicæ tuæ diſtinctionis de Tyranno pars eſt: ex qua tandem concludis, *Licitum eſſe priuato cuiuis Tyrannum* eiuſmodi *occidere quem hoſtem Reſpub. iudicarit*, vt inde nimirum à theſi ad hypotheſin per falſa media tranſgredere, & Regem Chriſtianiſſimum (de quo trucidãdo iam tum conſilia, vt veriſimile eſt, cùm impio & ſcelerato monacho agitaras) qui nec Tyrannus fuit nec à Republica hoſtis vnquam iudicatus, primò interficiendũ multitudini perſuaderes, mox perpetrato ſcelere, iure cæſum eſſe pronunciares. Sed occulta & inſidioſa iterum fraude, lectorem hic circumſcribis: confuſa ſcilicet, & indiſcreta earum rerum deciſione, quæ longè diuerſo iure cenſeri debent, & per diſtinctionem enarrari. Quapropter explicanda, & reſoluenda paucis hæc captio eſt.

Ad quam tamen priuſquam aggrediar, monere libet nihil hanc concluſionis tuæ ſententiam, Regibus Tyrannis aduerſari. Nam ſi Reipublicæ in ea nomen ſumas pro ſtatu liberæ ciuitatis, vt ſtrictè, propriéque accipi ſolet, nihil ea concluſione admiſſa efficis: neque enim poſſunt iudicare Regem hoſtem, cùm Regem nullum habeant, quem itaq; Reſpublica in eo ſtatu hoſtem iudicarit, ſi ex ambitionis cauſa iudicatus eſt, is verè propriéque Tyrannus dicitur, & à quolibet occidi poteſt. At hoc quid ad Regem? Quid Democratiæ cum Regno? *res inter alios acta aliis non præiudicat.* Sin verò per Rempublicam intelligis regnum, ſiue populi ſtatum in regno, quamuis id non propriè facis, tamen quia eius ſtatus ſeu Reipublicæ caput Rex eſt, ſiue bonus ſiue malus fuerit, non poteſt eiuſmodi Reſpubl. hoſtem aliquem iudicare, niſi Rex ipſemet, aut eius voluntate & authoritate alius iudicet: cùm ſit portentoſum aliis quàm capitis organis vocem emittere. Sed redeo vnde ſum digreſſus.

Quod ſtatuis Principem legitimè conſtitutum (nam de eo te hic loqui, triplex tua diſtinctio perſpicuè docet) *occidi à Republica poſſe, ſi in Rempublicam hoſtiliter agat, ſi in Religionem, ac Patriam Tyrannidem exerceat*, id non ſa-

ſatis enucleatè, apertè, & diſcretè, ac ne quidem omnino verè dictum eſt. Quandoquidem hoſtiliter agere aliquem dupliciter intelligi poteſt: vel quod hoſtili nimirum odio & animo aliquid facit: vel quod eadem facit quæ ſolet hoſtis, & eodem modo, ſed non eodem animo. Tritum autè eſt & peruulgare *actus omnes humanos, ex voluntatis, & propoſiti finibus diſtinctionem capere* [1].

[1] l. qui iniuriæ 53. D. de furt.

Latro membrum ferro detruncat: idem aliquando facit & eodem modo vulnerarius. At ille facto ſuo furcam, hic mercedem & ſalarium demeruit. Sic eadem interdum bonus Princeps, quæ ferus & immanis hoſtis: veluti cùm rebelles ciuitates, aut prouincias vexat, populatur, expugnat, flammaque & ferro, cùm id aliter efficere non poſſit, ad iuſtum legitimi imperii obſequium & iugum nititur reuocare: ob quam rem licet hoſtiliter agat, hoſtem eum eſſe, verè propriéque nemo dixerit.

Quod itaque ſcribis, Rempublicam poſſe eum occidere, qui in ipſam hoſtiliter agit, id ſi de illo Principe intelligatur qui hoſtili animo, id eſt, animo perdendi Rempublicam agit, veriſſimum quidem eſt: ſed non ea tamen ratione quam tu proponis, quia ſcilicet Reſpublica ſiue (quod tu idem eſſe ais) populus Principe ſuperior ſit, publicáque penes populum poteſtas authoritáſque reſideat: hác enim falſam & mendacem eſſe, multis iam modis multíſque in locis perſpicuè oſtendimus: ſed ea ſolùm ratione, quòd qui perdendæ Reipublicæ & regni penitus euertendi animum gerit, is ſemet Dominatu & Principatu omni exuit, atque ipſo iure, ſiue ipſo facto, Rex eſſe deſinit: ſtatímque in priuatis ac perduellibus conſtituitur, qua de re ſcripſimus libro tertio [2], tuíque, de ea erroris lectorem ſupra commonuimus [3].

[2] cap. vlt. [3] lib. 5. c. 7.

Sin autem hac tua definitione, eum quoque Principem includis, qui hoſtilem in modum, ſed non hoſtili animo in Rempublicam agit, licet cauſa fortè propter quam agit, non ſatis iuſta & idonea, imo prorſus iniqua & iniuſta videatur, falſum planè eſt quód affirmas: falſum, inquam, eiuſmodi Principem à populo, quem Rempublicam vocas, vel iudicari, vel occidi poſſe, cùm ipſe intereà Rex, ac proinde caput Reipublicę maneat. Quippe vt ſola regnum bonitas nemini tribuit, ita nec ſola aufert malitia: quamdiu autem Rex eſt, ſuperior ſemper populo eſt alioqui Rex non eſſet, vt ſatis ſupérque iam probauimus: ſitque

fine

ſine exceptione verum, *ſuperiorem ab inferiore iudicari non poſſe*, quibus hoc etiam conſequens eſt, nullum populo in Principem τυραννικῶς regnantem ius ac poteſtatem eſſe: quòd interim, quamuis Tyrãnus cum Regio imperio præſit populoque ſuperior ſit, vt iam ſæpius & ipſo ſole clarius eſt demonſtratum: ac proinde non omnino verum eſſe quod axiomatis loco hic propoſuiſti, ſed eo tantum caſu quo Princeps regni perniciem & populi interitum, malo animo meditetur machineturque, ita, vt ipſo iure principatu excidat: alias enim hoc ius Regis eſſe, de quo apud Samuelem, ne vllis legibus humanis coerceri propter tyrannidem poſſit: atque ita eum Dei iudicio relinquendum infinitis rationibus, teſtimoniis, & argumentis certiſſimis, tã perſpicuè in horum librorum contextu oſtendimus, vt id iterum hîc docere nihil neceſſe ſit, imò non minus ſuperuacaneum quàm operoſum iudicari poſſit.

Nec quemquam mouere debent quæ probationis loco ſubiecisti: Nam primum, quod ais veritatem ſententiæ tuę *ex iis patere quæ antea libro primo, & quæ nuper dixiſti*, id eo refellitur, quòd ſatis apertè iam demonſtratum ſit, te Bruti tantùm deliria ſequi libro primo, & nihil niſi falſa fundamenta ſubſternere. Nuper vero quæ dixiſti, ea partim errorum primi tui libri ſequelas eſſe, & velut riuulos quoſdam ab impuris illis captionum fontibus per incilia deriuatos: partim noua turbandæ ſocietatis humanæ, & regni euertendi excogitata conſilia, quibus humaniſſimum, ſed nimis tunc credulum populum Pariſienſem, zeli boni & ſanctitatis fuco deludebas.

Deinde verò quod à Beluis publicæ ſaluti imminentib. argumentum trahis, id non ſententiæ tuæ aduerſarios, ſed teipſum ſenſu communi carere indicat, qui tam ineptam & inconcinnam, ex comparatione Tyranni & beluæ collectionem & conſequentiam inducis. Non enim ſi in aliquo res inter ſe conferantur, idcirco verum eſt eadem omnia vtrique attributa conuenire. Prælati negligentes, otioſi, & ſegnes comparantur canibus mutis non valentib. latrare, & tales à Propheta appellantur. Ergo vt canes inutiles & damnoſos, quilibet de familia cædere & occidere poteſt, ita & quilibet de populo Prælatos hoſce inutiles plagis conficere. Quid hac conſequentia abſurdius?

Sed quoniam (vt vulgò dici ſolet) *dare abſurdum non eſt ſoluere argumentum*. ideo vitioſæ huius comparationis tuæ

rationem cauſamque aſſignabimus. Reges itaque, licet ab hominibus conſtituantur, à Deo authoritatem capiunt. *Per me Reges regnant*, & alibi, *data eſt à Deo poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo qui interrogabit opera veſtra.* Eos reuereri & honorare ipſiſque parere iubemur, etiam dyſcolis, id eſt, moroſis & peruerſis: nec vlla vſquam Principem bonũ inter & tyrannum, quantum ad honoris, reuerentiæ, & obſequii præſtationem, adhibita in Scripturis, ſcriptíſve Patrum, diſtinctio reperitur. In hos igitur, etiam publicæ ſaluti imminentes, gladium ſtringere non licet, quia ipſi ſoli gladium habent, id eſt, gladio vtendi poteſtatem: populo autem vniuerſo, ſi nimia Principis tyrannide opprimatur, ius quidem reſiſtendi iniuriæ, non etiam inſurgendi, & inuadendi in iniurioſum competit, vt libro tertio [1],
1 cap.8.
2 cap.4.
& quarto [2] pluribus eſt explicatum. At nulla vnquam lex diuina vel humana beluas hominibus præfecit: homini in beſtias Deus imperium dedit, non his in illum. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas: inſuper & pecora campi. Volucres cœli, & piſces maris qui perambulant ſemitas maris* [3].
3 Pſal.8.
Nulla igitur beluis obligatione aſtringimur, nullum illis obſequium debemus, nullaque imperii reuerentia impedimur, quo minus eas furentes feriamus, mactemus, omnique mortis genere vlciſcamur. idque ipſe fatearis neceſſe eſt, niſi veterem Pythagoræorum μετεμψυχωσιν velis renouare.

Deinde verò, quia cùm cædes beluarum nullo iure vel lege prohibita ſit, neſciaturque vtrum naturali feritate, an ſpeciali Dei impulſu iuſſuque in nos impetum faciant, nihil obſtat quo minus illis propterea ſæuientibus omni tẽpore, omnibuſque armis & artibus occurrere, ac vitam tollere liceat. At non idem de Principe, quamuis tyrannidem exerceat, dici poteſt: cùm generalem de eo ſine exceptione legem habeamus, vt ſæpius iam dictum eſt. Quæ cùm ita ſint, perſpicuum eſt longè diuerſam horum inter ſe rationem eſſe, atque in eo, in quo tu ſimiles eos facis, inuenies diſſimilimos: ac proinde in eo ipſo, in quo ſunt diſſimiles, pari iure cenſeri non oportere.

Sed (vt omittam, canes, & alias beſtias in Scripturis per
4 Pſal.21.
ἀλληγορίαν eſſe non rarò interpretandas, vt cùm dicitur [4]. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me: & circumdederunt me canes multi: & Salua me ex ore Leonis, & à cornibus vnicornium.*) propius ad te accedam; libet enim

enim hic paulò altius,ſed,vt Neoptolemus apud Ennium, paucis tecum philoſophari. Peto igitur abs te, nunquid putas homines reſiſtendo, ſe, vitam, corpuſque tueri poſſe aduerſus beſtias à Deo immiſſas? nunquid ab eiuſmodi beluarum impetu quiſquam dexteræ ſuæ potentia, ni prius Deum placatum habeat, liberari poſſit? Reſiſtant homines quantum & quouſque poſſunt, ſuccumbent ſemper. Nam qui beſtias immittit, dat concitatis poteſtatem, cui nulla vi & ope humana reſiſti poteſt:vt nec morbi,humanæ in Deum offenſæ vltores, pharmacis vel emplaſtris vllis naturalibus curari poſſint. Si Pharao Rex potentiſſimus ranas,locuſtas,ſcyniphes,muſcas & id genus animantium feces, propellere à ſe & ſuperare non potuit [1]. Si Archiepiſcopus quidam Moguntinus ſorices à ſe nullo ferri, flammæ, vel fluminis auxilio remouere poterat, aut efficere quo minus cum viuum exederent, quòd eſſent hæc vtrobique diuinæ vltionis inſtrumenta, quò tuum nobis conſilium, præceptumue, vt ferrum in eiuſmodi beſtias ſtringamus? An vt giganteo more pugnantes moriamur, dicamuſque, ſi tamen vere dicere poſſimus. 1 Exod.8.

Nunquam omnes hodie moriemur inulti [2]. 2 Æneid. 2.

Quid iuuat quæſo reſiſtere, vbi ſcias te reſiſtendo non proficere hilum? Quæ putas Iadonem prophetam armata manus à leonis rictu potuiſſet eripere? Si certò ſcirem beluam à Deo miſſam vt me deuoret, conplicarem brachia, caput obnuberem, nec magis vim vi repellere conarer, quàm Cæſar eum Brutum in ſe irruentem aſpiceret.id autem quia neſcimus,ſemper beſtiis reſiſtimus. De Principe tyranno ſecus: nam Dei flagellum eum eſſe populo puniendo præparatū nemo nō nouit. facit Deus regnare hypocritam propter peccata populi, & rarò aut nunquam ſinit eum regnare diutius, quàm ſubditorum ſceleribus expiandis ſat eſt. Populus ergo qui malo Regi mortem infert, perinde facit ac filius, qui virgam, quam ab irato patre animaduerſionis in eum & caſtigationis cauſa allatam eſſe intelligit, ipſo patre ſpectante & indignante concidit, comminuit, vel comburit; vt paulò antè hoc libro admonui [3]. 3 cap. 10.

Reſtat vt illud nunc reſoluamus, in quo tu magnum ſententiæ tuæ firmamentum conſtituiſti: & ab aliis etiam non ſatis circumſpectis, minimè tamē malis aliquādo occinitur.Ingenitā ſcilicet omnib. animātibus, à natura ſui

conſeruandi cupiditatem, ex qua propulſandæ iniuriæ facultas vt maximè naturalis & iuſtiſſima vnicuique permittitur [1], quam qui homini tollit, non ſolum matris optimæ auxilium ei aufert, ſed deteriore eum beſtiis omnibus conditione facit. Cùm igitur ſuperiora euitandæ vel opprimendæ tyrannidis remedia videantur eſſe naturalia, fruſtraque à Deo conceſſa, ſi illis neutiquam vti liceat: ex eo colligunt, ſed vitioſè, talibus quélibet aduerſus Principes malos vti poſſe, ac debere quidem; quaſi Reipub. ſalus, vt ipſi rentur, id expetat exigatque. Sed qui ita cogitãt, ſi varietatem rerum & veritatem propius intueantur, non leuem profectò vel obſcuram mutandæ ſententiæ cauſã inuenient. Id igitur illis reſponſum volumus. Deum quidẽ multa hominibus media & remedia naturalia conceſſiſſe, ſed non quælibet tamen aduerſus quodlibet malum efficacia eſſe: ſuus cuique proprius & ſingularis effectus eſt, qui etiam ex natura & qualitatibus rei iuuandæ commutatur interdum fitque cõtrarius. Extinguendæ ſitis remedium naturale potus eſt, eoque generaliter loquendo, nihil efficacius. At qui febri correptus eſt acutiore, ſi dum totus humorum agitatione æſtuat, ſitiq; premitur vehemẽte, larga vini & aquæ algidiſſimæ potatione, quæ ſano ſitim facilè ſedaret, eam à ſe depellere conaretur: is in grauioris morbi periculum vitæque diſcrimen ſe inferret, ſitimque accenderet vehementius. At iſtud tamen ſedandæ ſitis remedium naturale eſt. Verum quidem, ſed ſanis, & ſitis non eo modo contractæ, longè alia tunc ratio frigefaciendi & humectandi corporis ineunda eſt: emittendus ex vena ſanguis: aluus clyſteribus proluẽda, egerẽda potionibus, vt medico viſum eſt, inflammata bilis: ſitis interim quàm maximè toleranda, expectandus & ciendus ſudor: & alia quæ ſolerti medicorum ingenio excogitata ſunt, obſeruanda. Sic in propoſito, quamuis verum ſit defenſionem iuris naturalis eſſe, addo & vltionẽ quæ publica manu fit ex iuſta cauſa, eſſeque hæc generaliter contra vim, & iniuriam ſumma, ſola, certiſſimaque remedia: tamen non aduerſus iniuriam hoc modo, id eſt à Principe illatam, niſi quatenus populo vniuerſo, ſeu corpori Reipub. ſine vlla rebellione, vel obſequii detractione, Regi inſigniter peruerſo liceat reſiſtere, quibus defenſio, non etiam vltio (vt ſæpius iam dictum eſt,) aduerſus Principem conceditur. Populum itaque, ſi quando iniuſta legitimi Principis domi-

natione

[1] l. vt vim. ff. de iuſt. & iur.

natione ſeu tyrannide prematur, non rebellium & deſectio, aut frequens ad arma concurſus, imò nec ipſius tyrãni cædes per curationem allata, voti compotem facient, quin grauiores potius in miſerias, & calamitates coniicient. Non enim ſunt hæc tollendæ tyrannidis apta, vera, propriaq; remedia, ſed magis augendæ, aſperandæ, & propagandæ cauſa efficaciſſima, quòd Deum, cui iuſtas prioris peccati pœnas per iniuſtam Regis dominationem luũt, noua iterum & iniurioſa ſuperbia, ac diuinæ ordinationis tranſgreſſione offendant. Quid ergo? Quod inquam huic malo remedium? Dicam. Statim vt exoritur tyrannis, eaq; vexari populus incipit, egerenda in primis & eiuranda ſunt vitia Contritione & confeſſione purgandi animi: ſanguis emittendus & ſitis toleranda, id eſt, partis bonorum ademptio & rei familiaris iactura, atque etiam corporibus illatæ iniuriæ, ad tempus patienter ferendæ, donec ſummus ille medicus Deus Opt. Max. in cuius manu cor Regis eſt, ægram & labentem Rempub. quæ ſua eſt erga iacentes & afflictos miſericordia, Principe vel ad meliorem mentẽ reducto, vel à viuis abducto, benignè ſanauerit. Hæc tyrãnidis euertendæ optima & expeditiſſima via eſt, quam qui aſpernantur, dum ſe ſola tyranni cæde liberatum iri putãt, in grauioris multo tyrannidis gurgitem & voraginem ſæpius immerguntur. Idque præclarè Sareſberienſis in ſuo Policratico admonet [1]. *Tyrannos*, inquit, *quos peccata impetrant, inducunt & erigunt, pœnitentia delet, excludit & perimit.* & paulò pòſt. *Hic quidem modus delendi tyrannos*, inquit, *vtiliſſimus eſt & tutiſſimus: Si qui premuntur, ad patrocinium clementiæ Dei humiliati confugiant, & puras manus leuantes ad Dominum deuotis precibus, flagellum, quo affliguntur, auertant: peccata enim delinquentium, vires ſunt tyrannorum.* Lib. 8. ca. 20.

CAPVT XXIV.

RAtionum tuarum de tyranno occidendo momenta iam paucis, ſed quantum acutis & attentis lectoribus ſat eſſe poteſt, excuſſimus repercuſſimuſque. Reliquum nunc eſt vt in teſtimonia, & exempla à te allata inquiramus: quorum tuo iudicio tanta vis ac poteſtas eſt, vt quos fucata illa rationum tuarum congeries audacibus & temerariis animis ſcrupulos non ademit, eos talium teſtimoniorum & exemplorum pondus atque authoritas

euel-

Lib.3. ca.17. euellere penitus & exhaurire poſſit. Itaq; ſequens caput [a], cui epigraphen feciſti, Eccleſiaſtica & Sacra de ea re teſtimonia & exempla, hac præfatione exorſus es.

BOVCHER. *Qua in re ne quid ſcrupuli ſuperſit, quod accinctum fortem quemuis à ſtrenuè agendo deterreat, Chriſtiana ſcilicet & ſacra de ea re tum teſtimonia tum exempla proferamus.*

Itane verò? tunc ſacra de occidendo Principe legitimo in tyrannidem delapſo teſtimonia nobis proferes? ingens quidem pollicitatio, ſeu verius iactatio hæc eſt: Nam ſi promiſſum poſſis efficere, omnia omnium aduerſariorum tela, hac vna facilè retundes parma, vt neque tibi neceſſum fuerit tot captioſas, & inanes ad eam rem probandam rationes comminiſci; neque nobis vtique honeſtum in ea ſententia euertenda operam curamque collocare, quæ ſacris teſtimoniis, atque exemplis ſuffulta eſt, & ſuſtẽtata. Sed quoniam tu quod pollicitus es præſtare nunquã poteris, nos quam ſuſcepimus redarguendi tui prouinciam nullo pacto deſeremus. Sacra enim & Eccleſiaſtica teſtimonia qui dicit, perſpicua, clara, certa, & omni exceptione maiora dicit, aut perperam & falsò ſacra dicit: cuiuſmodi illa ſunt quæ vel ſacro bibliorum volumine, vel ſcitis Patrum, ſiue Pontificum Conciliorumque decretis, vel ſolemni & antiqua Eccleſiæ traditione continentur: quorum ea apud Chriſtianos omnes Catholicos vis & authoritas eſt, vt non mouere ſolùm, ſed etiam cogere, & impellere homines in id quod teſtificantur, ſoleant: adeò vt contrarium aſſerenti, ne angelo quidem, credi fas ſit, quanto minus Luthero, Caluino, Bezæ, & aliis id genus tenebrionibus, & Antichriſti prodromis ac metatoribus, fides adhibenda? Talia ſi poſſes proferre, audiremus libenter: ad me enim quod attinet, non ſum adeò aduerſus à veritate, vt ab eiuſmodi certis & illuſtribus teſtimoniis aſſenſum vnquam cohiberem. Sed cum apud te nihil niſi dubia pro certis, & ficta ac falſa pro veris inueniam, nullumque penitus de ea re ſacrum teſtimoniũ extare videam: ſic mecum cogito, non tam ſententiæ & opinionis tuæ firmamẽtum, quàm magnum temeritatis & iactantiæ tuæ argumẽtum, toto illo capite contineri.

Et verò illud eius initium quod modò retulimus, ſtatim vt legitur, variè lectores afficit, expectatione quoſdam, alios metu, admiratione alios, vt quiſque bono vel malo in

Re-

Reges animo, vel ſacrarum literarum ſtudiis & Doctrina præditus eſt. Nam qui Monarchiam exoſi, Principem populo ſubiicere, & paulò iniquius dominātem communib. legum vinculis coercere, & plectere priuatorum more ſtudent, cùm ad iſtum libri tui locum perueniunt, in ſummā ſpē & expectationem eriguntur: quòd ſuam ibi opinionē mox ſacris & Eccleſiaſticis teſtimoniis ſtabilitū ac firmatum iri putent. Contrà verò, quibus regnorum & Regum ſalus curæ eſt, eis idem locus magnum incutit metum, ne ſua ipſorum cauſa teſtimoniis ſacris & Eccleſiaſticis, quibus nec velle ſe nec poſſe reſiſtere profitentur, penitus ſubuertatur. Aſt vtrique, vbi omnia illius capitis argumenta, lectione & meditatione deuorarunt, decipi ſe planè ac deludi, & illis quidem ſpem vanam, his verò metum inanem fuiſſe, animaduertunt. Qui autem diuinitatis & bonarū ſcientiarum ſtudia ſectantur, inque iis aliquam vitæ partē fœliciter collocarunt, atque à cæcis illis animi motibus, ira, odio, amore, remotiores ſunt, dum eundem locum animo perluſtrant, demirantur valde hominem in Thelogia vel mediocriter verſatum, illarum rerum teſtimonia ſacra tam audacter polliceri, quarum rerum nullum in Scripturis, vel antiquorum & ſanctorum Patrum ſcriptis vſquam peruestigando poterit inuenire. Id n. vt arbitror, in confeſſo eſt, atque inter omnes conſtat, non quaslibet Doctorum Theologorū ſententias & ſingulares opiniones, quas ſcriptis ſuis pro arbitrio inſeruerunt, in ſacris & Eccleſiaſticis teſtimoniis habendas eſſe, ſed eas demum quæ communi Eccleſiæ iudicio & cōſenſu receptæ ſunt & comprobatæ: alioqui profectò peſſimè nobiſcum ageretur, quòd prorſus contraria, ac proinde falſa teſtimonia admittere cogeremur, quoties vt ſæpe accidit, Doctores de eiuſdem enunciationis veritate, pugnantibus inter ſe ſententiis digladiantur: quod cum ita ſit, operæ pretium eſſe duxi ipſamet illa teſtimonia, quæ ſacra vocas, ſingillatim huc referre, vt videant qui volunt, neque omnino ſacra eſſe, neque ponderis & momenti quicquam, ad tuæ ſententiæ confirmationem obtinere: eorum igitur primum eſt.

BOVCHER. Homicidiū (inquit Pontifex Honorius[1]) non eſt peccatum, cùm in vindictam populi Dei ſit, vt occiſio Goliæ à Dauide, Holofernis à Iudith. [1] in Pſal. 8.

Hoc equidem teſtimonium ob ſedis B. Petri firmitatem dignitatéq; vt ſacrū & Eccleſiaſticū, veneror: ſed q̄d ad rē de

de qua agitur? nihil planè ad præſens inſtitutum, ad tuam, inquam, ſententiam & noſtram diſputationẽ pertinet. Oſtendit Honorius de quo genere homicidii loquatur, cùm ait, *vt occiſio Goliæ à Dauide, Holofernis à Iudith:* Nam licet, vt vulgo dici ſolet, *exempla non reſtringunt regulam*, [1], tamen indicant quibus de rebus, & qua ratione regula intelligenda ſit. Loquitur ergo Honorius de illo homicidio quod in perſona legitimi hoſtis, vel primi generis tyrannorum cõmittitur, vt ipſa nos exẽpla docent, non autem de eo quod contra obedientiam & reuerẽtiam Principibus etiam malis de iure diuino debitam, à ſubditis per rebellionem vel cõiurationẽ in Regis legitimi perſona perpetratur. Haud rectè igitur Honorii Pontificis teſtimonio vteris, q; de alia longè diuerſa ſcriptũ eſt, Sed facis tu quidem hic vt ſoles, diſcreta nimirum & diſſimilia, quaſi eadem eſſent, coniungis atque confundis: atque inepta diſparium comparatione, ſeu ſimilitudine, incautum lectorem capis quod vitio tibi vertendum, iam antè ſæpius admonui. Sed alterum nunc teſtimonium videamus.

[1] l. 1. §. quod vulgo D. de vi & vi. ar. l. 1 §. Idem Labeo. D. de aqu. quot. & æſt.

BOVCHER. *Et Ioannis Saliſburienſis, porrò (inquit) tyrannum occidere non modò licitum eſt, ſed & æquum & iuſtum qui enim gladio abutitur, gladio dignus eſt perire. Et paulò poſt, in eum ergo meritò armantur iura, qui leges exarmat; & publica poteſtas ſæuit in eum, qui euacuare nititur publicam manum.*

Videtur hoc quidem ex iis eſſe, quæ ab aliis te accepiſſe in operis tui exordio præfatus es, quibus exiguam propterea debes gratiam, quòd te ſæpe inter docendum deceperint: Nam non legiſſe te authorem hunc quem laudas, ex ipſa huius teſtimonii recitatione variis de cauſis licet conjicere. Primùm quia non proprio eum nomine vocas, Saresberienſis enim non Saliſburienſis dictus eſt, à Seueria, ſiue Saresberia patria, vt ipſemet teſtatur [2]. Deinde quia locum vbi id ſcripſit non rectè deſignas, apponis enim in margine *lib. VIII. Policratici de Nugis curialium* cùm tamen ibi non extet, ſed lib. III. cap. XV. ſiue vltimo. Poſtremò quia, quod omnium peſſimum eſt, authoris illius teſtimonium adulteratum & truncatum nobis exhibes, quo nomine, ſi id non ex alterius relatione ſed ex propria lectione propoſuiſti; quin ob falſi crimen famę iacturam feceris vitare nullo modo potes. Si integram & non corruptam Saresberienſis ſententiam recitaſſes, apparuiſſet facilè nihil te eius teſtimonio iuuari. Docet enim apertè de illo ſe tyranno

[2] Lib. 8. cap. 19.

ranno loqui. gladium propria authoritate accipit, ſiue, vt ille ait, *qui gladium propria temeritate vſurpat: non qui vtendi eo à Domino accipit poteſtatem.* vt planè intelligamus quem ſua definitione tyrannum complecti voluerit. Flagitium igitur in eo tuum eſt, aut illius certè qui id te docuit quod illa authoris huius verba, *Qui enim gladium accipit, gladio dignus eſt interire,* hoc modo commutaſti. *Qui gladio abutitur, gladio dignus eſt perire.* Non enim idem eſt, gladium accipere apud Saresberienſem, quod gladio abuti: accipere gladium & vi arripere gladium; ſiue ius gladii per ſcelus vſurpare, pro eodem illi eſt. Legitimus autem Princeps, cui gladio vtendi poteſtas à Deo data eſt, gladium eo ſenſu accipere dici non poteſt, & tamen rectè dicitur gladio interdum abuti, vt Dauid in occiſione Vriæ, Theodoſius in clade Theſſalonicenſium, & alii multi Principes cæteroquin optimi, quos recenſere longum. Peruerſa igitur nimis hæc eſt, & fraudulenta commutatio, cùm author ipſe præſertim, quid accipiendi verbo velit intelligi, ſtatim denunciet. ita enim ille; *Porro tyrannum occidere non modo licitum eſt ſed æquum & iuſtum. Qui enim gladium accipit, gladio dignus eſt interire. Sed accipere intelligitur, qui eum propria authoritate vſurpat, non qui vtendi eo à Domino accipit poteſtatem.* Quid multis? non eſſe trahendam hanc Ioannis Saresberienſis ſententiam ad mortem legitimis Principibus, licet Tyrannis, inferendam, ipſemet optimus ſui interpres, alibi in eodem Policratico adeò expreſsè & euidenter declarat, vt omnem de ea re dubitationem ſuſtulerit. Nam in ſumma capitis 20. lib. 8. ſic ſcribit, *Quod authoritate diuinæ paginæ licitum & glorioſum eſt, publicos tyrannos occidere, ſi tamen fidelitate non ſit tyranno obnoxius interfector, aut alias iuſtitiam, aut honeſtatem non amittat.* Deinde vbi varia tyrannorum occiſorum exempla è Scripturis illo capite recenſuit, veluti Eglonis, Siſaræ, Holofernis, ſtatim ſubiicit. *Hoc tamen cauendum docent hiſtoriæ,* ſcilicet ſacræ, *ne quis illius moliatur interitum, cui fidei aut ſacramenti religione tenetur aſtrictus.* quia in re Dauidem nobis imitandum proponit, qui licet *tyrannum grauiſſimum ſuſtineret,* inquit, *& eum perdendi ſæpè nactus fuerit occaſionem, ei tamen maluit parcere confiſus de miſericordia Dei, qui eum ſine peccato poterat liberare.* Et mox addit modum delendi Reges tyrannos vtiliſſimum & tutiſſimum eſſe patientiam populi & vitæ emendationem, vt ſupra [1] ex eodem retulimus. En vt author iſte to- cap. proximo.

tus à nobis ſtat, cuius tu teſtimonium reprobare non potes. Nam qui teſtes vel inſtrumenta pro ſe producit, iiſdem in eadem vel ſimili cauſa ſtare tenetur [1], & quemadmodũ *inciuile eſt niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita iudicare vel reſpondere*, [2] Ita etiam inciuile eſt niſi toto authore perlecto, vna aliqua operis eius particula propoſita, certam de eius mente & opinione ſententiam proferre. Multa quidem de tyrannis è medio tollendis ſcripſit Sareſberienſis, vir bonus &, quantum ferebat rudis illa literarũ ætas, ſtudiis diuinitatis & humanitatis inſigniter eruditus: ſed quæ omnia ad verè proprieque tyrannos, hoc eſt, iniuſtos alienæ dominationis vſurpatores referri debent. Erat certè huic viro, vtpote Anglo, talium ſcribendorum tunc temporis, cauſa maxima, tum quòd Regnum illud inter omnes Europæ Principatus, plurimos tyrannos pertulit qui vel Regibus oppreſſis, vel legitimis hæredibus excluſis, regale in ſolium, ſolo, vt dicitur, armorum iure irruperant, atque ita ſceptri vſurpatoribus ſemper fuit obnoxium, vt nullis non notum eſt qui gentis illius hiſtorias peruoluerunt: tum etiam quia eadem illa tempeſtate qua author ille hæc ſcripſit regnauit, ſeu potius ἐτυράννησε in Anglia Rex Stephanus qui contempta ſolemnis iuriſiurandi religione, quo ſe Matildi legitimæ regni hæredi cum cęteris optimatibus obſtrinxerat, imperium nullo iure ſibi debitum, multis renitentibus, per vim & nefas occupauit: vt mirum non ſit, ſi de eiuſmodi tyrannis opprimendis quos iure à quolibet cædi poſſe omnes fatentur, author ille multa cõmemorarit: ii enim ſunt qui leges exarmant, & publicam manum ſeu poteſtatem nituntur euacuare, dum vel liberũ populum ſibi ſubiicere, vel legitimum Principem (qui, teſte hoc authore, [3] eſt ipſa publica poteſtas) imperio ſpoliare conantur. Princeps verò legitimus quia ipſemet publica manus eſt, abuti quidem publicà manu rectè dicitur, cùm tyrannicè regnat: euacuare autem publicam manum non dicitur, nec poteſt quidem, niſi animum regnandi ponat, ſeſeque magiſtratu abdicet. Atque hæc quidem de Sareſberienſis teſtimonio ſatis, quantum ad præſens inſtitutum attinet: quibus & illud adiici poteſt, neque ſacrum neque Eccleſiaſticum, ſed hominis tantùm priuati teſtimonium hoc eſſe, licet à viro eccleſiaſtico ſit prolatum: adeo vt ſi tantum contra nos faceret, quantum re vera pro nobis facit,

[1] l. ſi quis 15. C. de teſtib. 4. q. 3. can. ſi teſtes §. ſi quis teſtibus ca. cum olim de cẽſib.

[2] l. inciuile D. de legib.

[3] L. 4. c. 1. Policr.

eit, nulla nos credendi neceſſitate obligaret. Sequitur hunc tertium.

BOVCHER. Et Ioannes Gerſon in decem conſiderationibus, ne fatuis adulatorum decipiantur erroribus, apud Gerſonem aſſertionibus, *conſideratione.7. Error eſt dicere Principem terrenum. &c.*

Hoc Gerſonis teſtimonium relatum à nobis & refutatum libro ſecundo inuenies [1]. eoque propterea repetendo hic ſuperſedemus. Oſtendi eum in illis conſiderationibus valdè inconſideratè eſſe loquutum. Verſabatur vir ille in erroribus quibuſdam, quos melioris notæ Theologi reprehendunt. Nam & ſummum Pontificem, vt Pontificem, aſſerit poſſe hæreſin docere etiam definiendo, ſi abſque generali Concilio definiat, quam opinionem ſi non hæreſin, certè erroneam & hæreſi proximam eſſe, viri ſanctiſſimi & præclariſſimi quique Theologi iudicarunt [2]: & Concilium ſupra Papam eſſe, eumque iudicare ac deponere poſſe; quod itidem falſum eſſe ſaniore Catholicorum Doctorum iudicio conuincitur [3]. Vt mirum non ſit eundem Gerſonem pari opinionis errore, Principem populo ſubiicere voluiſſe, quo Papam Concilio. Hos autem errores & alios nonnullos, velut næuos quoſdam in eius viri operibus intuemur, quos, propter multa piè & Catholicè ab eo ſcripta, tolerat, non laudat Eccleſia. Eius itaque in hac cauſa teſtimonium, quod neque ſacrum neque Eccleſiaſticum dici poteſt, vt infirmum, incertum, imò planè falſum reprobamus, reiicimuſque. Ad quartum igitur pergamus.

BOVCHER. Sic Sozomenus [4] & Caſſiodorus [5] de Iuliano Apoſtata, quem Libanius Sophiſta, & alii gentiles, à Chriſtianis occiſum ſpargebant. Quod verum forſan eſt (inquiunt Hiſtorici) nec verò quiſquam reprehenderit facilè, ſi quis propter religionem fortem ſe oſtenderit.

Quanta Sozomeni teſtimonio fides ſit adhibenda, ex eo lector intelligat, quod de illius hiſtoria beatus Gregorius ad Eulogium Epiſcopum Alexandrum ſcribit [6]. *In hiſtoria autem Sozomeni*, inquit, *de quodam Eudexio qui Conſtantinopolitana Eccleſiæ epiſcopatum arripuiſſe dicitur, aliqua narrantur. Sed ipſam quoque hiſtoriam ſedes Apoſtolica accipere recuſat: quoniam multa mentitur.* Næ tu parum verecundè facis, qui cùm ſacra & Eccleſiaſtica teſtimonia fueris pollicitus, hominis multa mentientis teſtimonium, pro ſacro, vel

1 pag.261. 262.
2 vide Bellarm. li. 4. c. 2 de Rom. Pontif.
3 vide eundem Bellarm. li. 2 de Concil. a. 1. hor. c. 13. & ſ. ſequen.
4 li. 5. c. 2.
5 in hiſt. trip.
6 li. 6. epiſt. 31.

Eccleſiaſtico nobis obtrudis. Caſſiodorus autem nullum eius rei teſtimonium ex ſe profert: hoc tantùm ex Theodorito ſcribit, *Sed ſiue homo ſiue angelus fuerit* qui Iuliano vulnus inflixit, *Palam eſt quod diuinæ iuſſioni miniſtrauit.* Qui autem Deo iubente facit, culpa vacat, & innocẽs atque innoxius eſt. Audiamus ergo quintum.

BOVCHER *Lyranus in 30. caput Numerorum, enumerãs duodecim cauſas, propter quas bellum iuſtum ſuſcipi poteſt, Duodecima, inquit, ſi tyrannis à præſidente exerceatur.*

Lyrani ſcripta veneror & amplector, propter ſummum eius ingenii acumen, atque in Scripturis enucleandis fœlicitatem & facilitatem maximam. Rectè id igitur Lyranus, ſi rectè intelligatur. Nam cùm bellum iuſtum duabus de cauſis ſuſcipi poſſit, vel ad vlciſcendas ſcilicet iniurias, vel ad propulſandas, poſteriorem hanc populo, legitimi Principis tyrannide nimium oppreſſo, cauſam competere non diffitemur. Iam enim ſæpius à nobis dictum eſt, licere quidem ſubditis, quos Princeps *intolerabiliter tyrannizat*, vt loquitur Dionyſius Carthuſianus [2] peruerſis eius conatibus reſiſtere, ac ſe, vitam, corporaque tueri: *nec tamen ob hoc deberent ſe à Principe ſuo omnino auertere, nec contra eum inordinatè procedere.* Inordinatè autem proceditur, cùm ſeruus Dominum, filius patrem, cliens patronum, ſubditus Principem, omninoque par vel inferior, parem vel ſuperiorem iudicandi ac puniendi poteſtatem armis ſibi arrogat. Subditi ergo ſic bellum neceſſitate coacti aduerſus Principem tyrannum ſuſcipiant, vt eius interea humiles, ſupplicéſque, fidem & miſericordiam, ſicut ſubditos decet, obteſtentur, & ſe ſe nullum ei periculum creare, nullas moliri inſidias, nullum denique Regi debitum obſequium vel obedientiam denegare, ſed tantùm iniuſtos tyrannidis impetus, iuſtæ defenſionis auxilio à ſe ſuiſque arcere velle, dictis ſimul & factis propalàm denuncient. Ita fit vt bellum ſine rebellio gerant, & vim vi opponant vlla abſque iniuria. Huius generis illa quidem Machabæorum aduerſus Antiochos, Epiphanem, & Eupatorem, atque etiam Demetrium bella fuerunt. Sed quoniam perdifficile eſt populum ægris, & laceſſitis iniuria animis ad eiuſmodi defenſionem concitatum ea ratione ac moderatione ſe tueri, vt non multa ab officio ſubditorum aliena, per iracundiam & indignationem aduerſus Regem peccet, pro quibus Dominum Deum Sabaoth, quem iuſtæ defenſionis

[2] lib. de regim. polit. artic. 29.

ſuæ

ſuæ fautorem & adiutorem ſperant iniquæ molitionis & inuectionis vindicem experiantur: tutius & ſatius eſt, illam opprimendæ tyrannidis viam ingredi, quam paulò ſuperius patefecimus [1]. Deſine igitur Lyrani verba captare, quæ eo quo dictum eſt modo intelligi rectè & ſine vitio poſſunt: & cum *iniuſta abdicatione tua*, impiiſve Bruti vindiciis, cum veſtra, inquam, de legitimis Regibus exigendis vel occidendis pernicioſa doctrina, nihil quicquam habent commune. Quod cum ita ſit in ſextum deinceps inquiramus.

1 ſup. cap. prox. in fin.

BOVCHER. Neque verò alia proteſtantium hæreticorum confeſſio, quantumuis hodie propoſitum, commodo ſibi inuento tyranno mutent; niſi quod in eius qui verè tyrannus ſit deſcriptione, ſeu particulari determinatione diſcrepamus. Sic enim Buchananus [2] Tyranni, inquit, Deo & hominibus habendi ſunt iniurii, eoſque in luporum aliorúmve noxiorum animalium genere magis quàm hominum habendos eſſe puto. Qua qui alit, & ſibi perniciem alit & aliis. Qui occidit, non ſibi modò ſed publicè vniuerſis prodeſt.

2 li. de iure regni apud Scotos.

Hoc teſtimonium vtro in genere collocas? factorúmne an Eccleſiaſticorum. In neutro dices. Rectè quidem. Cur ergo id eis adiungis? Vt lector, inquies, ſciat hanc meam doctrinam cum Proteſtantium hæreticorum dogmate cõuenire. Tantò peius tecum agitur, quòd illa ipſa cum hæreticis omnium peſſimis conſpiratio, conſenſuſque ſuſpectiorem & inuiſiorem tuam doctrinam Catholicis hominibus reddit, tantoque magis fidem illi detrahit, quantò propius ad illorum veſanos errores accedit. Libellus ille Buchanicus, ſtatim vt exiit, cunctis Catholicis meritò diſplicebat, ob hanc ipſam falſiſſimam, quam tu iam tueris opinionem; nec vllus eo tempore inuentus eſt orthodoxus, qui non illum cum ſuo libro authorem ſit execratus, teque, ſi talia tunc ſcripſiſſes, vt improbum & ſuſpectæ religionis hominem non plurimum vituperaſſet. Quid ergo? nunquid inſtabilis veritas eſt, atque ad mutationes & inclinationes temporum, hominumque fortunam & inconſtantiam, tanquam Lesbia regula quoquo verſus ſe inflectit? Nonne ſcriptum eſt [3] *veritas Domini manet in æternum*? aut igitur vera tunc fuit Buchanani illa ſententia in quam tranſis, aut nunc non eſt. Veram autem tunc non fuiſſe cùm ſtabiles & ſynceræ multorum Theologorum in contrarium ſententiæ, (ex quibus nonnulli laudatiſſimis libris

3 Pſal. 116.

falſitatem eius redarguerunt) tum omnium Catholicorũ conſtans, conſenticus, & conſpirans iudicium locupletiſſimo teſtimonio demonſtrarunt. Vt pulchrum & laudabile eſſe fateor, hæreticos ſuis ipſorum teſtimoniis & confeſſionibus premere, conuincere, ac velut propriis telis iugulare: ita nouæ & nondum receptæ doctrinæ fundamentum aliquod vel firmamentum ab iiſdem petere, & turpe, & exemplo pernicioſum eſſe iudico. Doleo equidem te tã malis in hac arte magiſtris Buchanano nimirũ & Bruto, teipſum in diſciplinam tradidiſſe, in qua parũ aut nihil potes proficere, niſi admodum à virtute & veritate defeceris. Vltimũ ſupereſt eorum quæ ſacra & Eccleſiaſtica teſtimonia falsò nominas, quod ex ſcriptis Bodini, ipſo renitente & reclamante in hunc ordinem tranſtuliſti, cuius tibi recordatio, ſi vllus in te pudor, aut humanitatis & honeſtatis ſenſus ſit, peracerba quidem & triſtis eſſe debet, quod eius cauſa vel manifeſtæ calumniæ, vel ſtultæ credulitatis, ac temeritatis notam ſubire cogeris, vt ſuperioris libri capite VI. fuſius eſt pertractatum.

CAP. XXV.

NOn habeo neceſſe refutandis exemplis à te propoſitis immorari, tum quòd ex perſpecta & publicata iã teſtimoniorum tuorum leuitate & perfidia, quilibet facillimè de pari in exemplis impoſtura coniecturam facere poteſt: tum etiam quia exemplorum non ea vis eſt, vt ipſorum imitandorum aliquam iuris neceſſitatem nobis imponant [1]. Iam ſæpius admonui, exemplis facta tantùm ipſa, non etiam factorum ius & æquitatem, contineri. In teſtimoniis autem à te prolatis occultior quædam fucus inerat, eaque multiplex, vt ob id plenius & accuratius refellenda viderentur. At in exemplis omnibus, quotquot huc contuliſti, vnius tantùm generis captiones & fallaciæ inſunt, & eæ quidem vſqueadeo claræ, apertæ, & perſpicuæ, vt mirum ſit te tecum cùm talia ſcriberes non cogitaſſe, neminem non exoculatum ad exempla iſta acceſſurum, qui non ſtatim poſſit cernere, nihil ea prorſus ad id de quo agitur, quodque probandum ſuſceperas pertinere. Controuerſia ſiquidem & quæſtio eſt de legitimo Principe, qui accepta a Deo gladii poteſtate abutitur: quem nos, quòd neminem ſupra ſe in temporalibus iudicem habet [2], diuino iudicio relinquendum, cum priſcis omnibus Eccleſiæ Patri-

1 l. nemo. C. de ſentent. & interlocut.

2 cap. per venerabilem. qui filii ſunt legit.

Patribus, atque etiam recentioribus aſſeueranter concludimus. Tu verò contrà, ex Proteſtantium hæreticorum doctrina, Buchanano Brutoque authoribus, *Principē quantumuis alioqui legitimum, ſi poteſtate quam iuſtè adeptus eſt abutatur*, plecti, pellique de ſolio, & ad *necem rapi* à ſubditis poſſe ac debere contendis. Hanc exemplis doctrinā cùm niteris illuſtrare, ne vnum quidem de legitimo Principe exemplum proponis: omnia de prioris generis tyrannis ſunt, in quos nunquam non licuit, & publicè omnibus, & priuatim ſingulis, ferrum ſtringere. Quapropter vt illa omittam quæ ex ſacris hiſtoriis commemoraſti: quoniam vt *Achior dux omnium filiorum Ammon ad Holofernem ait*, 1 — 1 Iudith c.5.
Quotieſcunque Hebræi præter ipſum Deum ſuum, alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium, & exterminati ſunt præliis, multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti ſunt in terram non ſuam. Quotieſcunque autem pœnituerunt ſe receſſiſſe à cultura Dei ſui, dedit eis Deus cœli virtutem reſiſtendi. vnde patet omnes illos exterarum nationum Principes, quibus Deus tanquam vindictæ ſuæ miniſtris populum illum ad tempus opprimere permiſit, non legitimos Reges, ſed publicos hoſtes, & alieni imperii prædatores, vſurpatoreſque Iudæis fuiſſe: ac proinde omnibus illis necem moliri iure optimo licuiſſe: extra quàm ſi in eorum ditionem ac poteſtatem vel Dei iuſſu; vel expreſſis pactionibus, populus ille conceſſiſſet vt ſub Aſſyriis olim & Romanis contigit. Vt, inquam, iſta omittam, ne videar fruſtrà in non neceſſariis tempus conterere, illud tandem quod extremo loco exemplum propoſuiſti recitabo, vt quàm ſit ab inſtituto tuo remotum & alienum omnes intelligant.

BOVCHER. *Dignum verò imprimis Francorum gente factum, & ad virtutis exemplum poſteris, qui hodie ſunt, meritò proponendum* 2. *Qui vt erant Tyrannidis in religionem ac Rempubl. non modò ſuam, ſed & alienam inſolentes, cùm in Syriam traiecturi, ad eripiendam Sarracenis terram ſanctam eſſent, parū habentes tyrannos religioni infenſos exigere, niſi & è Republ. eoſdem exigerent, profecti Conſtantinopolim, vt eiecto tyranno, cui Alexi nomen erat, Alexiū iuſto imperio reſtituerent, inter reliquas aduentus ſui cauſas, Græcis ſignificarunt, nullum ſe aduerſus gentem Græcorum nobiliſſimā bellum moliri; ſed iuſtum & legitimū Cæſarē velle in priſtinā dignitatē rēſtituere. Singulas veteris Græciæ ciuitates præmia tyrannicidis ac diuinos prope honores decreuiſſe.* — 2 D. Æmyl. li. 6.

uiſſe quanto maiore honore excipiendos eſſe ſe (i. Francos) qui tyrannum ab iniuſto dominatu venirent depulſuri. Denique tyrannum vrbe pepulerunt, Alexium ſtabilierunt. Quem cùm Myrtilus quidam ſtirpis Imperatoriæ vir occidiſſet, & ſe pro Imperatore gereret, Franci poſt longam obſidionem captum, præcipitem de altiſſima turri deiecerunt.

Generoſum profectò & magnificum Franciæ nobilitatis factum, atque ad memoriæ immortalitatem in primis glorioſum, nobis ad imitandum proponis. Sed totum, vt vides, in coercendis rebellibus verſatur, & illis morte mulctandis qui nullo iure, ſed per tyrannidem, exacto vel occiſo legitimo Principe, imperium occuparunt. Hoc autem quid ad Reges legitimos? An neſcis aut negas hos magno ab illis diſcrimine ſeparari? Illos quidem interficiendi, etiamſi temperatè & æquabiliter vellent imperare, ſatis magnam & idoneam cauſam ipſa coniuratio, & violentus ad regnandum impetus præbet, nunquam vt non iuſtè à quolibet cædi poſſint, niſi qui ſuam illis fidem aliqua religione obſtrinxit: hos verò tuetur maieſtas imperii, atque ab omnibus legum humanarum vinculis, omnique pœna ciuili reddit ſecuros, vt ex D. Ambroſio, & aliis multis ſanctis Patribus iam ſuprà oſtendimus. Quid ergo tibi in mentem venit, vt iſtiuſmodi exemplis aduerſus Reges legitimos vtereris? An quemquam ſanæ mentis adeo hebetem & ſtupidũ eſſe ratus es, vt non ſtatim intelligeret exemplum hoc non de legitimo Principe, ſed de inuaſore & vſurpatore Principatus occidendo proponi debere? Haud citius album in panno nigro filum conſpicitur, quam quæ huic exemplo intexta fallacia eſt.

Sed heus Boucheri: cùm hæc quæ de Francica virtute prædicas ita ſe habeant, cur tu Francorum gentem ab inclyta, perenni, & conteſtata illa maiorum ſuorum pietate & virtute degenerare cupiebas? Cur id illis faciendum perſuaſiſti, quod illuſtrem hanc laudẽ à parentibus in ſe tranſmiſſam & transfuſam, turpiſſimi ſceleris quadam veluti nebula obſcuraſſet? Si Francis illis honorificũ & laudabile fuit, rebelles & coniuratos vrbe arceq; expellere, cur tu vrbes & arces omnes, quantum viribus & voce valebas, ad ſeditiones & rebellia concitare niſus es? Si alienæ gentis Regem, qui Francorum gloriæ clam inuidebat, & cui nullo neque ſocietatis fœdere, neque religionis vinculo, neq; beneficiorum merito, aliòve iure, præter inſitum ipſis humanita-

nita-

nitatis, honeſtatis, ac iuſtitiæ amorem, obligabantur, in ſolium vnde deiectus erat reſtituiſſe, Francica virtute & perpetua commendatione dignum iudicabas, cur eorundē virorum illuſtrium poſteros, qui pro Rege ſuo proprio, cui fidem, obſequium, auxilium, conſilium, omniaque ſubditorum officia, ſolemni ſacramento religioſè ſpoponderant, nè de ſolio per rebellantium vim & impreſſionem deiiceretur, ſtrenuè propugnabant, non ſolùm reprehendere & vituperare, ſed conuitiis & maledictis omnibus inſectari, atque inſolentiſſimis verborum contumeliis vexare, proſcindere, & lacerare non te puduit? Nam licet fingas, quod falſum eſt, Regem illum in quem tam calumnioſè inueheris, tyrannicos omnes mores penitus induiſſe, tamen illuſtres illi Francorum proceres, nihil cōmeruerunt aut peccarunt, propter quod in eos tam rabidè & intemperanter debacchareris: imò nihil non laudis promeriti ſunt hoc ipſo, quòd tutam, ſimplicem, apertam, & nunquam ſatis laudatam tyrannidis extinguendæ viam ac rationem patientia vndique ſeptam ingreſſi ſunt: & *malum in bono vincere*, acerbioris nimirum imperii iugum à legitimo Principe impoſitum ferre, eumque, etiam tyrannica molientem, reuerenter obſeruare, omniq́ue honeſto obſequio mulcere & mitigare, atque omnino propter diuinam ordinationem tolerare, quàm tollere maluerunt. Adhæc ſi laudi ac virtuti tribuis, quod nobiliſſimus ille Francorum exercitus, Regis exteri cædem in Regii ſanguinis homine præcipitādo vindicarit, cur tu Chriſtianiſſimi Regis interfectorem, non veritus es multis encomiis celebrare? Cur in ſpurciſſima illa & infami tua apologia, quam pro parricida & perduelle manifeſto, recenti ira & inueterato odio furens ac fremens euomuiſti, nefarium perditi adoleſcentis conatum, facinuſque omni memoria execrandum, in Regis itidem Chriſtianiſſimi, & (ſi alium Gallia vnquam habuit) clementiſſimi perniciem meditatum, vt pulcherrimum & propè diuinum, atque omni ex parte heroicum commendaſti? Sed hoc poſtremum quale ſit, declarat illa Ieſuitarum venuſtior multò & verior apologia, in qua ſcelus illud impium, horrendum, ac deteſtabile in primis fuiſſe aſſerunt, ac propterea in ſceleris authorem, vt immanem parricidam ac Maieſtatis reum, exquiſitis ſuppliciis iure optimo fuiſſe vindicatum. Concidit hoc vno ictu honor tuus, totaque deperiit

exiſtimatio: nam hiſce hominibus, quos caſus ille in maiores multo miſerias quàm te coniecit, quique & pietate, & doctrina, & affectu in patriam, longo te interuallo antecedunt, fidem potius quàm tibi in ea re adhibēdam nemo non iudicet.

Vides, opinor, ſi inueterato illo adhuc odio nō occæcaris, vt nihil quicquam neque rationibus, neq; teſtimoniis, neq; exēplis aduerſus Reges profeceris: vtq; multiplices tuas impoſturas, & calumnias, per quas regū ſceptris inſidiatus es, ſuis fallaciarū integumentis euolutas & retectas in lucem produximus. Vnde colligi facile poteſt, laborem illum quem in *obiectionum pro tyrannis ſolutione*, vt ais impendiſti [1], à te fruſtra eſſe ſuſceptum: quò enim accuſatori aduerſantium argumentorum confutatio, cùm ipſe nullum certum & ſolidum intentionis ſuæ firmamentū attulerit? Et verò quiſquis illas obiectionum ſolutiones à te propoſitas attentè & conſideratè fuerit contēplatus, cernet quāprimum, in magno verborum tuorum flumine, vix vllā vel minimam quidem ſynceri & ſubtilis iudicii, aut rectæ rationis guttam eſſe admiſtam. quo minus mihi ad finē huius operis celeriter contendenti neceſſe ſit, illas omnes hoc loco ad calculum reuocare, & expendere curioſius: tamen vt tardioris ingenii vel minus in hoc controuerſiarum genere exercitatis lectoribus, ad vitia earundem ſolutionum inueſtiganda aliquod afferam adiumentum, percurram nōnullas breuiter, earumque errores paucis indicabo.

1 li. 3. c. 18.

CAPVT XXVI.

IN primis igitur Ahiæ Prophetæ comminationem vxori Ieroboam factam, callida & malitioſa interpretatione, ad tuum ſenſum perperam detorques: cùm ex eo quod ille dixit [2] *percutiet Dominus Deus Iſrael, ſicut moueri ſolet arundo in aqua: & euellet Iſrael de terra bona hac, quam dedit patribus eorum. Et tradet Dominus Iſrael propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Iſrael.* tu ita colligis,

2 3. Reg. 14.

ſatiſne ſignificat peccaſſe Iſraelem, qui impium Regem toleraret, meriturum alioqui, ſi iuxta legē, quæ in Deuteronomio eſt de medio ſuſtuliſſet? Nam ſi punitur populus propter peccata Ieroboam, neque verò remedium aliud erat, quàm ſi eum legem Dei ſeruare cogeret, aut morte afficeret, aut ſaltem eiiceret, quid ſequitur niſi propterea puniri populum, quia quod debuit in publica regni cauſa, id facere neglexerit?

Ni-

Nihil minus quàm hoc ſequitur, nihil inquam, minus illis Ahiæ prophetæ verbis ſignificatur, quàm *peccaſſe Iſraelem qui impium Regem toleraret, meriturum alioqui ſi de medio ſuſtuliſſet*: vt colligi inde non poſſit, populo, in Regem, Dei mandata tranſgredientem, vitæ necíſque poteſtatem eſſe, aliudue ius vllum, quo renitentem eum & reluctantem, ab errore in viam rectam vi reuocet, retrahatque. Hoc tantum ſignificatur peccaſſe Iſraelem, qui Regis ſui impietatem atque idololatriam, relicto vero Dei veri cultu, ſequutus eſſet, vt ſit ſenſus gentem illam percuſſum & diſperſum iri *propter peccata Ieroboam*, id eſt propter eiuſmodi peccata, quæ Ieroboam commiſit, *qui peccauit & peccare fecit Iſrael*, quemadmodum dicere ſolemus puniri aliquem propter peccatum Sodomiæ, hoc eſt propter id genus peccati quod Sodomitæ commiſerunt. & adhærere cui lepram Gieſi, id eſt lepram ſimilem, ſiue eius generis lepram: populus enim ille maxima capitis diminutione, captiuitate ſcilicet & ſeruitute plexus eſt, non quia Ieroboam peccauit, ſed quia ipſi eius peccatis conſenſerunt, eumque peccando imitati ſunt, inque iiſdem illis peccatis perſeuerarunt. Atque hunc quidem verborum Ahiæ ſenſum eſſe, ex aliis Scripturæ locis manifeſtè conuincitur. Nam in IV. Reg. cap. XVII. ſcriptum eſt, *Et ambulauerunt filii Iſrael in vniuerſis peccatis Ieroboam quæ fecerat: & non receſſerunt ab eis, vſque quò Dominus auferet Iſrael à facie ſua, ſicut loquutus fuerat in manu omnium ſeruorum ſuorum Prophetarũ: translatuſque eſt Iſrael de terra ſua in Aſſyrios vſque in Diẽ hanc.* Et Ieremias populũ alloquitur [1], hoc modo. *Miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos prophetas, conſurgens diluculo, mittenſq; & non audiſtis, neque inclinaſtis aures veſtras, vt audiretis cùm diceret: Reuertimini vnuſquiſque à via ſua mala, & à peſſimis cogitationibus veſtris: & habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patrib. veſtris à ſeculo, & vſq; in ſeculum. Et nolite ire poſt Deos alienos, vt ſeruiatis eis, adoretiſq; eos: neq; me ad iracundiam prouocetis in operib. manuum veſtrarũ, & non affligam vos. Et non audiſtis me, dicit Dominus &c.* Ecce interpretationem verborum Ahiæ, tua tanto certiorem, quãto diuini eloquii veritas, humanæ fictionis vanitate & falſitate præſtantior eſt. Oſtendit hic Dominus per Ieremiam, cauſam cur *percutiet Iſraelem, & euellet de terra bona, quam dedit patribus eorum*, ſicut per Ahiam comminatus eſt, non fuiſſe illam quã tu fingis, nẽpe quia *impium Regẽ toleraret: & eũ le-*

cap. 25.

gem Dei ſeruare non cogeret, aut morte afficeret, aut ſaltem eiiceret: horum quippe nihil Deus à populo illo præſtari voluit. Sed eam fuiſſe cauſam, quam ſuperior Regum hiſtoria refert, quamque Ieremias hoc loco denunciat: quia ſcilicet *ambulauerunt in vniuerſis peccatis Ieroboam quæ fecerat: & non receſſerunt ab eis.* Cùm enim Dominus promittat ſe illos non afflicturum, aut eiecturum de terra quam dedit patribus eorum ſi reuertantur à viis ſuis malis, & peſſimis cogitationibus, & non ierint poſt deos alienos *vt ſeruiant illis adorentque eos &c.* Nec verbum vllum aut hic aut alibi vſquam in Scripturis de Rege impio eiiciendo, vel morte multando, vel alioqui non tolerando inueniatur: Nonne ſatis oſtendit cauſam eius comminationis per Ahiam Prophetam factæ, non fuiſſe quod Regem peccantem non coercuerint, ſed quòd eius peccato conſenſerint, & vnà cum illo eidem ſeſe ſceleri inuoluerint, à quo ſi prophetarum monitu poſtea receſſiſſent, ipſemet Dominus teſtatur ſe illos de terra, quam patribus eorum dederat, non fuiſſe deiecturum. Quod cùm ita ſit, ei profectò conſequẽs eſt, ſuperiorem tuam interpretationem & collectionem nimis peruerſam, & à Scripturæ ſenſu alieniſsimam eſſe. Et verò hoc quicquid eſt ſolutionis tuæ, totum mutuatus es à Bruto & aliis hæreticis, qui id pro argumento afferunt aduerſus Reges, quod ab eruditiſsimo Theologo VVinzeto præclarè & paucis dilutum eſſe oſtendimus [1], cuius verba, licet iam antè in hoc opus tranſcripta, referre denuò hic non pigebit. Ita enim ille de Bruto Regem in populi ditionem trahere conante [2]. *Vrget tamen, quæ ſolent eius farinæ commentatores, magna audacia: idque vna atque altera authoritate: Priore quidem. quod Propheta coarguentes idololatriæ crimen, non tantùm Regẽ, ſed & populum alloquãtur, vt idololatriam extirpent: & quare hoc,* inquit, *à populo peterent, ſi apud iſtos non eſſet poteſtas? Deinde quod propter hoc, & eiuſmodi ſcelera non ſolum Rex à Deo punitur, ſed & populus, & aliquando populus ſolum propter Regem: Atque id qua ratione quærit* En eadẽ Bruti, quib. tu hic veteris (Boucheri) argumenta; vt vere

— mutato nomine de te

Fabula narretur.

Quibus doctus & pius Archimandrita, *At vtrumq;* (inquit) *facilis eſt reſponſio: quia potuit bene populus primùm ſibi ab illo ſcelere temperare. Deinde non conſentire Regi nefanda vel patranti vel præcipienti. Non autem quod non ſtatim congregato exercitu*

1 Lib. 4. ca. 6.

2 in Flagello Sectar. pag. 77.

ercitu in Regem bellum mouerent, eum morti traderent, aut ſolio deiicerent, & alium quemquam in eius thronum protinus eueherent. Vbi verò quid tale vnquam Dei populo in ſacris literis clarè præceptum ſit: aut in vetere aut in nouo populo contra ſuum Regẽ quantumuis impium, cum laude factum ſit, non inuitus ab iſtis diſcerem. Quod cùm monſtrare, opinor, non poſſunt &c. Atque hãc quidem genuinam & germanam loci à te citati interpretationem eſſe, præter ſuperiora oſtendit etiam Innocẽtius III [1]. exponens illud Exodi xx. *Ego ſum Deus Zelotes, vindicans peccata patrum in filios, vſque in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me, id eſt,* inquit Innocentius *In illis qui contra me paternum odium imitantur.* Ex his perſpicuum eſſe arbitror, non propter peccata Regis Ieroboam, id eſt ipſa illa peccata, quæ ſolus Ieroboam commiſit, nec quia Regem illum peccantem non vlciſcebantur, diſiectũ ac diſperſum fuiſſe Iſraelem, ſed propter ſua propria peccata, quòd Ieroboam in delinquendo ſequuti, pari ſeipſos ſcelere contaminarent. Scio quidem id peculiare Hebręis fuiſſe, vt propter Regis ſui, imò etiam propter priuati hominis peccatum, graues aliquando pœnas luerent, tametſi & ſcelus & ſceleris authorem penitus ignoraſſent: qua de re ſuprà, aduerſus te, & magiſtrum tuum Brutũ, plura conſcripſimus [2]. Nuſquam autem, quòd Regem legitimum, quantumuis impium, & peruerſum ſuper ſe regnare paſſi ſunt, culpæ reos apud Deum factos fuiſſe traditur. Sed de hac ſolutione tua ſatis: in aliam nunc inquiramus.

1 cap. niſi te ſi. perſonæ de renunciat.

2 Lib. 4. c. 9 & lib. 5. ca. 15.

BOVCHERIVS. Illud verò leuiſſimum quod non Iohan. Baptiſta, non Chriſtus, non Apoſtoli in Regem impium ſurgere, aut de medio eum tollere docuerunt. Quaſi verò eadem inſtituendæ Eccleſiæ ratio atque inſtitutæ, eſſe credenda ſit. Ac non prius plantari & irrigari vineam, quàm incidi oporteat. Adde quod nec id licuit, cùm poteſtas impiorum ſuperior eſſet. Sed neq; illi Chriſtum profeſſi erant, vt cogi in verba eius ſupplicio poſſent. Sed tum demum ſcilicet id datum eſt, cùm id Propheta impletũ eſt [3]. Erũt Reges nutritii tui, &c.

3 Iſai. 49.

Quid? leuiſsimum putas à Chriſto & Apoſtolis nullum de Rege à ſubditis coercendo præceptum eſſe traditum? At non ignorabant tamen infinitos per orbẽ Principes Chriſto nomen aliquando daturos: atque an id ſubditis liceret, imò ipſorum officio, vt tu ais, incumberet, ſcitũ in primis fore neceſſarium: vt veriſimile non ſit ipſum Saluatorem, eiuſque Apoſtolos omnes, tam inſignem populi liberta-

bertatem & imperium, atque adeo munus tam neceſſariũ, ſi vlla ei ratione, vllõue tempore in poſterum conuenire poſſe exiſtimaſſent, cùm de aliis præſertim ſubditorũ officiis latè differerent, voluiſſe penitus reticere. Sed habemus tibi gratias, quod gratis id nobis concedas, in quo extorquendo fuiſſet alioqui enitendum, Chriſtum ſcilicet & Apoſtolos, nihil de Rege impio à ſubditis coercẽdo; docuiſſe. Propius tamen accedam, vrgeboque anguſtius: eſt enim cur ego tecum hic querar. Nam malè quidem & parum fideliter, obiectionem eorum qui ſe tibi opponunt, hoc loco retuliſti. Non enim ea ſolum ratione contendunt, *Quod non Iohan. Baptiſta, non Chriſtus, non Apoſtoli in Regem impium ſurgere, aut de medio eum tollere docuerunt*, quãquã id Chriſtianis hominibus grauiſſimo argumento eſſe debet. Sed quòd nemo præterea Sanctorum Patrum, vel ſcriptor alioqui orthodoxus, per totos mille annos & amplius, licet & Eccleſia omnibus tunc floreret copiis & impiorum Principum ac tyrãnorum magnus eſſet numerus, tale quid vnquam vel verbo vel ſcripto docuiſſe legitur. Neque etiam hoc ſolum dicunt aduerſarii tui, Chriſtum nempe Apoſtolos, & antiquos Eccleſiæ Patres non docuiſſe in Regem impium inſurgere (nam cùm hoc totum ab authoritate negatiua argumentũ ſit, cuius vim non vſquequaq; magnam eſſe fateor, tu in illam ſolutionis latebrã, quæ ex authoritatis negatiuæ impotentia conſtruitur, facilè te reciperes) ſed affirmatè dicunt eoſdem docuiſſe, nõ licere populo in Regem, quantumuis impium, ſuopte nutu atque arbitrio, propriaque authoritate inſurgere, vel eum de medio tollere: vt ſatis ſuperque lib. III. oſtẽdimus. Hoc autem firmamentum ſi tuo iudicio leuiſſimum eſt, neſcio equidem quodnam in vlla re aſſerenda ſatis ſolidũ & graue poterit aduerſus te inueniri.

Sed quæſo perpende, quàm ſit non dico leuis, ſed planè inepta ac penè ridicula, ſuperior iſta reſpõſio & ſolutio tua. Quid enim? An nondum Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Gregorii, & aliorum eius æui Patrum temporibus, ſi tua plantatam & rigatam Eccleſiam fuiſſe reris, vt iam tunc commodè amputari & incidi potuiſſet? Certè B. Auguſtinus alicubi aſſerit[1], paucos ſuo ſeculo vſpiã inueniri, qui de Chriſto malè ſentirent. Et verò Eccleſia tunc orbem ferè totum ſinu ſuo complexa, exiguum tũ Ethnicis tũ Hæreticis locum relinquebat. Atq; ita ſiue hominũ multitudinem,

[1] Tract. 27. in Ioh.

dinem,ſiue robur animorum,ſiue ardorē,zelū,& conſtantiam in religione ſpectes, Eccleſia viribus humanis longè maximis tunc ſuſtinebatur. Cur ergo Patres & Paſtores illi optimi populos,tuo more, in Valentem, Valentinianum iuniorem, Heraclium, & alios impios Principes non concitarunt? Nonne ſi vera tradis,aduenerat tūc tempus,quo Principes & potuerūt & debuerunt mortis ſupplicio cogi à Repub. id eſt, populo, vt tu loqueris: Nam & ipſi Chriſtū erant profeſſi, & iam tum à Conſtantino Magno impletū erat id Prophetæ quod allegas. Certè aut efficiendi facultas Patres iſtos impediebat, quo minus id agere & exequi per virium imbecillitatem potuerint: aut eos iuſtitiæ & æquitatis defectus ab eiuſmodi conatu deterrebat: aut denique Paſtorali officio ſegniter, vitioſè, & negligenter functi ſunt, quòd ſui populum iuris & officii non admonuerint; quodque Reges impios non ſolùm pertulerint, ſed magna etiā, qua Reges erant, reuerentia & honore ſint proſequuti. Quartū enim quod excogitemus in hac re impedimentum nullum eſt. Primi autem ſuſpicionem omnem, ingens illa Chriſtianorum multitudo, & vires Eccleſiæ tunc temporis, ſi vnquam alias maximæ dimouent. Poſtremi verò, ſanctitas & ſcientia tantorum virorum, qui non ſuo ſolùm ſeculo, ſed ſequentibus etiam omnibus, maximam doctrinæ, pietatis, ac iuſtitiæ facem prætulerunt. Medium ergo ſupererat tātummodo, quod illos, ne ſceptra ſeditionibus turbarēt, aut aliquid in Principum legitimorum perniciē molirentur, metu numinis, & arctiſsimo conſcientiæ vinculo vſque adeo diſtrinxit vt ſubditos ad defectionē & rebellium in Reges impios non modo non inuitarint, ſed vt ab omni in eos impetu, & cōiuratione abſtinerēt, piè, grauiter, & copioſè, ſunt hortati. Ea n. omnibus ſententia in præcordiis hærebat (quippe vno omnes ſpiritu ducebātur) qua Magnus ille Hoſius ad Conſtantium Imp. Ariana hæreſi infectum vſus eſt [1], nempe *Deum Principi committere imperium, & eos qui Principis imperium malignis oculis carpūt, contradicere ordinationi diuinæ, quemadmodum & Principē, ſi quæ ſunt Eccleſiæ ad ſe trahat, magno crimini obnoxum fieri.* Sed de hac re plura ſuperiorib. libris dicta ſunt [2]. Abi nunc igitur cum iſta fucata ſolutione, quę cùm ſit leuiſsima, nihil grauiſſimæ rationis ponderi poteſt detrahere: Sed expecta tamen parumper, & antequam abeas, accipe adhuc vltimæ ſolutionis tuæ, expreſſam paucíſsimis verbis vanitatem.

1 S. Athanaſ. in epiſt. ad ſolitar. vitam agentes.

2 Lib. 3. c. 5. & lib. 4. cap. 5.

BOV-

BOVCHERIVS, *Fortiſſimum verò illud, quod de vnctione obiicitur, Scriptum eſt enim. Nolite tangere Chriſtos meos. Nec maior vſquam Dauidi quam in Chriſtum Domini, id eſt, vnctum, Religio, &c.*

1 l. 1. D. de Regul. Catoniana.

Videris mihi velle ſequi regulam Catonianã, non illã quidem Iuriſconſultorum [1], ſed aliam vulgarem puerorũ, quæ ſic habet.

Quod vile eſt charum, quod charum eſt vile putato.

Nam ſuperius argumentum, quo nullum contra Monarchomachos & Poplicolas grauius, tibi leuiſsimum viſum eſt: Hoc vero, quo non aliud ad Regiæ licentiæ & impunitatis confirmationem ſubleſtius debiliuſque proponi poteſt, fortiſsimum & firmiſsimum arbitraris: eiuſque ſolutionem adeò verboſe tractas, vt totas tres vel quatuor paginas earum rerum narratione repleueris, quæ tribus aut quatuor lineis non minus intelligenter explicari & abſolui potuiſſent, incertũ an vt videreris lectori aliquid eximium & ſingulare in eo præſtitiſſe, quaſi fortiſſimum, imò verò leuiſsimum illud argumentum, longa & forti cõfutatione egiſſet: an potius vt in artificiolæ eloquentiæ præceptis te exerceres, tam prolixam obiectionis, parum aut nihil ad inſtitutum pertinentis, ſolutionem adornaueris. Nam in primis certum eſt, neminem acriore ingenio præditum, atque in rebus diuinis politiciſque mediocriter verſatum, vnctionis eam vim eſſe arbitrari, vt vnctum legitimo iudicio ſubtrahat, aut impunitatis ſpem, quæ maxima peccandi illecebra eſt [2], ei tribuat Reddit quidẽ vnctio perſonam auguſtam, ſacram & venerandam, ita vt nihil per vim & ſcelus ſine ſacrilegio in eam committi poſſit [3]: at non reddit tamen innoxiam, non eximit ex culpa, non legitimorum iudicum ſententiis liberat, non denique pœnas meritas debitaſque perſolui impedit Quapropter inepta prorſus & inefficax eſt illa de vnctione obiectio, quam tu fortiſsimam vocas: vt veriſimile non ſit eam ab vllo, præterquam iuris planè ignaro, ad Regiæ libertatis vel impunitatis defenſionem vnquam fuiſſe propoſitã: Quod ſi propoſitam fingas, ei optimum a te ſed pluribus quam neceſſe fuit, reſponſum datum eſſe fateor: tuus hęc eſt ſumma. *Non eſt dignior Regis quàm presbyteri vnctio*, imò, *hæc multis partibus ſuperior eſt.* De quo inter omnes Chriſtianos orthodoxos conſtat. *Quod ſi ita eſt, quæ ratio eſſe poteſt*, inquis, *vt hac tam ſublimis, tã digna ſacerdotis vnctio, huic*

2 Cic. pro Milone.

3 can. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4.

vt

vt impuro, vt ſceleſto eſſe liceat, non permittat, nec vt puniatur impediat Regem ſua illa tot partibus inferior, quantumuis ſcelerate, impure, crudeliter, impiè agat, immunem efficiat? Cui, ego nulla profectò. Neque enim Regibus aliquid propter vnctionem concedi debet, quod non ſacerdotibus potiore multò ratione ſit tribuendum. Cur ergo, inquis, ſi ſacerdotalis vnctio *non impedit quin ſcelerati puniantur, quin exauthorati ab Eccleſia primùm, ſeculari iudicio tradantur,* regalis vnctio tanti eſſe debeat, *vt propter eam in impium Regem ac tyrannum tolli animaduerſio, aut immunis ille iudicio eſſe poſſit?* Accipe breuem, ſed non leuem reſponſionem. Neutros iſtorum à pœna ſceleris tuetur vnctio. Sicut enim vt ait Sanctus Auguſtinus, *iuramentum non ob hoc fuiſſe inſtitutum inuenitur, vt eſſet vinculum iniquitatis* [1]. Ita neque ſacra vnctio, vt inuitamenta hominibus ad delinquendum ſpe impunitatis afferret, principiò eſt introducta. Rex itaque nõ quia vnctus eſt non punitur: vnctio enim quanquam, vt dictum eſt, perſonam ab iniuria tuetur, iuris tamen executionem non impedit. Sed quia ſuperiorem in temporalibus neminem habet, cuius iuriſdictionem ſubeat, & à quo pro tribunali poſſit condemnari. Sacerdotes verò ideò ſcelerũ pœnas luunt, quia vnum omnes iudicem in terris agnoſcunt, Papam nempe, qui pro poteſtate imperii à Chriſto accepti ſupplicia in clericos maleficos improboſque arbitratu ſuo conſtituit. Ipſe verò cùm omnes iudicet, à nemine poteſt iudicari [2]: non quia vnctus eſt, ſed quia ſupremus eſt, & ſolum Chriſtum iudicem habet, *caloq; tantùm debet innocentiam* [3]. Quæ cum ita ſint, luce clarius apparet argumentum iſtud, cuius tanquam fortiſſimi ſolutionem vltimo aduerſus Reges loco reſeruaſti, infirmiſſimum & leuiſſimum eſſe: têque propterea in eo verboſiſſimè diluendo incaſſum & inaniter deſudaſſe.

1 22.q.4.can.inter cætera.cap.1. de conſuet. in 6.

2 can. ſi Papa. diſt.40.

3 9.q.3.can.aliorum.

Cap. XXVII.

QVandoquidem, Boucheri, ſuperior de vnctione locus, regalem poteſtatem, & libertatem vniuerſè impugnandi finem tibi attulit (nam quod in hiſce tuis iniuſtæ abdicationis libris reliquum eſt, id totum in falſa Chriſtianiſſimi Regis tui criminatione conſumitur) idem quoque locus modum mihi & finem tui redarguendi, iam breui faciet. Neque enim opus eſt, aut operæ pretium, inuidioſam illam vitiorum & tyrannidis deſcriptionem, de

quibus Regem illum malitioſè criminaris, referre hoc loco & refutare: eſt enim tota mendax & calumnioſa, atque etiam manifeſtis mendaciis vſqueadeo referta, vt eius cõmemoratione viri boni, & vel tui amantes, non parum offendantur, & vicem tuam doleant: quoniam quod pro te reſpondeant nihil illis in promptu eſt, nihilque eleuandi tui criminis cauſa excogitare poſſunt, niſi aliorum te fidem temerè & imprudenter eſſe ſequutum: à quibus multa perperam & falsò tibi ſuggeſta fuiſſe dicunt, atque ita fictas & leues auditiones pro rebus compertis, & diſſeminatos diſperſoſque ab alienatis & offenſis animis ſermones, pro grauiſſimis veritatis teſtimoniis te accepiſſe: quaſi hoc totum ſcriptionis tuæ quicquid eſt, inconſultæ potius leuitati & credulitati, quàm malitiæ malæ, ſit aſcribendum. Sed eſt tamen hæc ipſa parum honeſta, ne dicam turpis excuſatio, ac tui ordinis & conditionis homine, in re tanti momenti, & ſcelere omnium grauiſſimo, vel remouendo, vel extenuando, prorſus indigna. Accedit eò quòd contumeliæ, opprobria, maledicta, atque adeo generis omnis conuitia, à te in Regem illum oppidò quàm petulanter iacta, aliaq; implacabilis odii expreſſa veſtigia, ne illud quale quale eſt excuſationis prætextum & ſtropham accipiamus, impediant. Nam quod certius maleuolentiæ indiciũ, quæ probabilior odii coniectura, quod grauius infenſi & exulcerati animi in aliquem argumentum eſſe poteſt, quàm vt eius famam, laudem, & honorem omnem depeculemur, non ſolùm quæcunque benè & animo quoque bono dixerit, feceritve, ſed etiam quæ de ipſo ab aliis in bonã partẽ & honoris gratia perlepidè excogitata & euulgata ſunt, ea per calumnioſam interpretationem adulterare, atq; ad eius de quo dicta ſunt, vituperium, dedecus & ignominiam conuertere? talem te paſſim in iſtis de abdicatione libris præſtitiſti: eoque artificio cùm Regis huius, tùm multorũ illuſtrium & excellentium virorum dicta, factaque aucupãdo, ignari & inconſtantis vulgi aures & animos perſtrinxiſti. Quod quanquam noſtra hæc operis tui anacriſis iam ſuprà variis in locis patefecit, non abs re tamen fuerit, idipſum vno & altero adhuc exemplo confirmare.

In primis igitur quod quidam ingenioſus vulgatam illam & vſitatam, vt mos eſt Regibus, inſcriptionem, HENRICVS TERTIVS FRANCORVM REX, tranſpoſitis litteris in hanc formam ſententiámque redegerit, *Hic nunc*

Rex

Rex verus fratris morte, id tu malicioſè ad atrociſſimam ſuſpicionem, & ſceleris nefarii ſeu indiciũ, ſeu probationem trahis: quaſi ad exprobrandũ Regi parricidium, ac non potius ad eius legitimam naſcendi ordine ſucceſſionem declarandam, ſententia illa per ἀναγραμματισμὸν excogitata ſit & compoſita. Quid enim ea ad Regis illius laudem & dignitatem illuſtrandam accommodatius? An non oſtendit eum Regis deceſſoris fuiſſe fratrẽ, ac proinde mortuo fratre, regnum ipſi iure gentium, & patria lege debitũ ac delatum? Henricus III. fratris ſui Caroli IX. quemadmodum & hic fratris ſui Franciſci II. morte verus Rex factus eſt: neuterque honeſtè Rex aliter in eo regno fieri potuit. An neſcis morte patris fieri & filium Regem? Et quod generaliter in priuatorum ſucceſſionibus ex conſuetudine ius per totam Galliam obtinet, quo dicitur, *Le mort ſaiſit le vif ſon plus prochain & habil à luy ſucceder*, idem quoque in regno ineundo, & ſceptri regalis ſucceſſione à multis iam annis eſſe obſeruatum: vt nempe pro Rege ſtatim habeatur, qui Regi defuncto proximus ſine controuerſia mortis eius tẽpore fuit: ita vt ab illo mortis momento, annorum regni ſui ſupputationem ſucceſſor inchoet. Hinc illa in Franciæ Regibus funerandis cæremonia. Cùm funus effertur & procedit, feruntur vnà ab officiariis regni omnia regalis imperii inſignia, atque in ſepulchrum cum cadauere immittuntur: ſed & domus Regiæ ſiue aulæ præfectus, officii ſui baculum eodem coniicit, ſeruitiáque & miniſtros aulicos, vt ſibi quiſque proſpiciat admonet: Intereáque lugubri voce dicitur, *Le Roy eſt mort*, mox arreptis & eleuatis omnibus, bis terue acclamatur *Viue le Roy*, vt hoc pacto continuatam in regni ſucceſſore poſſeſſionem, & morte Regis alium protinus Regem factum eſſe ſignificetur, locumque prouerbio datum, cuius meminit Baldus [1] *mortuum ſcilic. aperire oculos viuentis.*

Id eſt mortuus facit viuum poſſeſſorẽ, ſiue trãſfert in viuũ poſſeſſionem.

Id eſt Rex mortuus eſt: i. viuat Rex.

[1] ad l.3 C. com. de manumiſſ.

Quæ cùm ita ſint, ecquid fingi inſidioſius, ecquod, inquam, ſceleris & perfidiæ facinus magis execrabile cerni vel concipi animo poteſt, quàm vt innocentes in inuidiam vocentur, eiuſmodi ſeu fortunæ ſortem ſeu naturæ dotes & beneficia, quæ laudis præconio ab aliis celebrantur, falſæ criminationis fumo velle obſcurare, illíſque ipſis vitio vertere conari, quorũ honori & dignitati fuerint attributa? Si tu mala mẽte, malo animo, malo ſenſu, iſtuc aduerſus Regẽ ἀναγραμματίζεις, variæ & multiplices tuæ in eundem

 dolis

dolis mendaciiſque conſutæ calumniæ, omnem tibi in ea fictione fidem abrogant. Sin verò alterius *ἀναγραμματίζοντος* mentem ad hunc ſenſum per interpretationem detorques, perditè quidem & perniciosè Sycophãtaris: cùm ſemper in dubiis & obſcuris, quod humanius quódque benignius eſt præſumi debeat [1]. Pro bone Deus, nullóſne terra flores tam ſalubri & mellito vndique ſucco pariat, vt iis inſidens bupreſtis, amarum inde aut venenatum nihil ſuctu eliciat! adeo *nihil eſt,*

1 cap. eſtote. de reg. iur. c. vlt. de præſump. l. ſemper 9. D. de reg. iur paſſim tit. de reb. dub. D.

Quin malè narrando poſſit deprauarier,

Sed vbi tua mens, Boucheri, vbi ratio, vbi verecundia, vbi, quæ viris bonis ſumma eſſe ſolet famæ, exiſtimationis, atque adeo ſalutis tuæ cura fuit, cum iſta ſcriberes? An non hominis impensè improbi ac proiectæ audaciæ, aut certè dementis & furioſi eſſe videtur, parricidii crimen alicui, nõ dicam Principi, ſed vel infimi ordinis plebeio publicè obiectare, & libello proponere, quod neque propria rei confeſſione, neque alio certo & manifeſto in eam rem teſtimonio probare & demonſtrare poſſit? non enim hiſtoria & ſimplex narratio, ſed atrociſſima accuſatio hæc eſt, qua Regem viuentem, vt tutemet fateris [2] ad populum, iudicem vtique non ſuum tanti támque horrendi criminis reum facis: vtque eo nomine damnatus ſolio & ſceptro, vitáque ipſa priuetur poſtulas: cùm interim ad eius rei probationẽ, nullum non modò certum & euidens teſtimonium, ſed ne leue quidem indicium aliquod attuleris. Putabas, credo, effata tua omnia oraculi inſtar poſteritati futura: tantúmque tuam ſolius vocem ad quodlibet facinus in aliquo cõuincendum valere, vt nihil aliud quærere oporteret, quam an id dixiſſet Boucherius, omiſſa quæſtione de veritate, an res ſic ſe haberet. Quid enim aliud ſonat ſermo ille tuus quo Regem hunc reum facis hoc modo.

2 in epiſt. ad Lector.

At Henricus vt legitimè Carolo IX fratri naturali morte, ſine maſcula prole occumbenti ſuccedere potuerit, quod eo tamen veneno per ſcelus extincto (quo miniſterio quáve arte nihil dicimus) in regnum ingreſſus eſt, quis legitimè regnum inuaſiſſe, ac non potius tyrannicè fateatur?

Quæ, malum, veſana, inſolens, & barbara accuſandi, imò calumniandi forma hæc eſt? rei nomen & crimenque deferre, & neque quo miniſterio quáve arte, quibus, inquam, modis & mediis facinus perpetratum eſt, iudicibus aperire: neque de circumſtantiis cæteris, quæ non ſolùm diſtinctè,

clarè,

clarè, & articulatè proponi, ſed legitimis etiam probationibus & luce clarioribus doceri & confirmari debent, verbum vllum facere? Sed quaſi nefas morte piandum fuiſſet nudæ aſſeuerationi tuæ non aſſentiri, omnes probādi ſceleris modos contemptim & arroganter hac vna voce abiicere, *quo miniſterio quáve arte nihil dicimus.* At dicere tamen debuiſti[a], & ita dicere, nihil vt ad fidem faciendam iudicibus reliqui ſupereſſe potuerit. 22.q.8.can.occidit.

Ais Carolum IX. veneno fuiſſe extinctum. Qui ſcis? tûne venenum illud comparaſti, præparaſti, miſcuiſti, porrexiſti, aut alterius, qui eorum quid fecerit, ope conſilio fuiſti adiutor? Nunquis aut eo nomine capitis arceſſitus crimē confeſſus eſt, aut ſine accuſatione idipſum ſponte ſua prodidit? Nunquā hariolandi arte in eo ſcelere peruestigando vſus es? nam prophetiæ donum non te arbitror aſſequutū. Si nihil horum, qui ſciſti? Quis tibi tam occultum facinus retexit? Rumor erat & ſuſpicio, dices. Quid tum poſtea? nihil iſtis incertius, nihil falſius plerumq; aut fallacius quicquam. Proinde non vt inquiſitionis, ita & accuſationis iuſtam & legitimam cauſam præbent. Admonui iam ſuprà veriſſimum eſſe quod Iulius Capitolinus in vita Marci Antonini Philoſophi ſcribit. Neminem ſcilicet magnorum Principum eſſe, quem non grauis & falſa interdum fama perſtringat. *Vſqueadeo vt etiam Marcus* (quo nullus mitiore indole, & pluribus virtutibus præditus vnquam imperauit) *in ſermonem venerit quod verū vel veneno ſuſtulerit, vel per medicum Poſidippum, qui ei ſanguinem intempeſtiuè dicitur emiſiſſe.* Næ tu mihi homo valde petulans, temerarius, & audax videris, qui Regem atrociſſimi criminis, ſine authore, ſine capite, ſine teſte, ſolo rumore nuncio reum facis. Quid ſi poſt editam hanc tuam accuſationem, quam eo viuo vulgatum iri ſperabas, Rex à nefario illo carnifice & crudeliſſimo ſicario, ac buſto Reip. non fuiſſet abſumptus: & tecum propterea ſine vi, ſine armis, ſine iniuria, iure iudicióque contendere voluiſſet: téque adeo vel ad obiecti criminis fidem legitimè faciendam, vel ad ſupplicium tam improbo calumniatore dignum depopoſciſſet? quo te iuris auxilio, quóve perfugio defendiſſes? Nam neque fuga dilapſus tam tuto in loco apud exteras nationes conſiſtere potuiſſes, vt illuc iuſtitiæ à Monarcha potentiſſimo imploratæ vigor non penetraſſet. Scitum enim eſt & tritum proditionē hoſtibus gratam eſſe, non proditorem. Non video equidem

quod huic malo remedium inueniſſes, præter illud, quo quidam Pontimuſſanus adhuc ſuperſtes, iudicio capitis, rebus ſaluis, ſe defendit. Is enim Maieſtatis accuſatus, quòd necem Principi & omnibus eius liberis optarat, ſeque eam libenter ipſis allaturum dixerat, ex illo ſe periculo hac ratione exemit, quod dixerit & probarit ſe tunc temporis fuiſſe phreneticum. Sic tua in furorem verſa patientia, humanitatis commiſeratione huius furibundi conatus veniam ſi petiiſſes, fortaſſis impetraſſet.

Alterum nunc, vt ſumus polliciti, malignitatis tuæ documentum in hoc Rege calumniando proferemus. Solebat ille quidem, ſi quando de vrbium vel agrorum depopulatione, vaſtitate, aliáve bello ciuili accepta calamitate certior factus, malis illis ſtatim per factioſorum potētiam mederi nequiiſſet, ſeſe in ſpem melioris fortunæ & pacis ac tranquillitatis publicæ vocare, atque illud interim miſeræ cōſolationis vſurpare, quo minus malum vocatur melius, ac dicere, *pays gaſté vaut mieux que pays perdu*, Illam tu vocē vt tyrannicam magna cum indignitate exaggeras: & tuo more, hoc eſt, falſa & ementita voluntatis interpretatione, ad proferentis ignominiam, contra Dei mandatum, contráque humanitatem, honeſtatem, & rationem omnē veteratoriè transfers. Nec Regis ſolùm, ſed omnium interioris ſanctioriſque conſilii procerum famam & exiſtimationem eo nomine ſugillas.

Id eſt, præſtat regionem vaſtatam eſſe, quàm excìſam & perditam.

Dum vna vox hæc, inquis, *in ſecreto concilio ſonat, vaſtata regio melior quàm perdita, quod lucrum videlicet ſuum publicam perniciem putet.*

Ineptis homo maledicee, neque enim tam auritas plagas tendere potueris, vt iis non ſolùm ſecreti concilii, in quod nunquam niſi fortè reprehēdendi tui cauſa, accitus fuiſti, verba, conſilia, & arcana omnia ex inſidiis aucuperis, ſed etiam, quod per rerum naturam fieri non poteſt, penitiſſimas cogitationum & voluntatum latebras, & receſſus omnes, in tuos caſſes & cognitionem pertraheres. Sed heus tu, quid in eo Regis dicto (ſiue parœmia, vt vocas) ſi peruerſa & calumnioſa interpretatione non deprauetur, poſſis reprehendere? An non vera, honeſta, & digna viro bono ac ſapiente ſententia? Nonne ſciunt omnes multo ſatius eſſe, aliqua religionem calamitate, miſeria, & direptione afflictam & vaſtatam, quàm fortunis omnibus ſpoliatā, incenſam, acciſam, & funditus perditam atque euerſam intueri?

Nonne

Nonne idem de ſuo Belgio tot annis & armis lacerato Hiſpanus: idem de ſuæ ditionis prouinciis ſuperiore bello attritis Lotharingus, Allobrogicus, aliique omnes qui ſub cœlo ſunt Principes, de ſuis quiſque regionibus aduerſo Marte vexatis, dicere ſimiliter optimo iure potuerunt? Si quis id neget, ad agnatos & gentiles eſt deducendus.

Poſſem alia huius generis infinita ex illis tuis Philippicis, famoſis inquam libellis *de abdicatione*, in medium proferre, quibus, quòd ſplendida ſunt mendacia, quodque abſolutam pro Rege iſto apologiam ſcribendi prouinciā non ſuſcepi, libens volens hic ſuperſedebo: Dicam tamē paucis quod ſentio. Videris profectò mihi in tota hac infami tua ſcriptione id agere voluiſſe, vt quemadmodum *Cyrus à Xenophonte*, in libris quos Κύρου παιδείας inſcripſit, *non ad Hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem iuſti imperii ſcriptus eſt: nullum vt in iis prætermiſſum ſit officium diligentis & moderati imperii:*[1] eamque ob cauſam multa ibi, quaſi ab illo dicta factaque inueniuntur, quæ nec fecit, nec dixit, nec cogitauit vnquā: Sic Rex Henricus à te in tuis illis de abdicatione libris nō ad hiſtoriæ fidem ſcriberetur, ſed ad effigiem iniuſti imperii: nullum vt iniqui, acerbi, crudelis, & immoderati imperii vitium vel exemplum in iis prætermitteres: eaque de cauſa omnibus illum contumeliis oneratum, omni impietate & crudelitate notatum, omnibus nefariis ſceleribus, & flagirioſis atque effrenatis inque omni intemperantia effuſis libidinibus falsò conſpurcatum & contaminatum, velut in ſcenam à te eſſe productum, cùm tamen re vera, detractis mendaciorum tuorum mantelis quibus illū turpiter operuiſti, non pauca moderati imperii & veræ pietatis veſtigia in eo cerni potuiſſent. Sed ita nimirū tua in illū odia exarſerunt, vt nihil præclari dixerit fecerítve, imò nihil dicere vel facere potuerit, quod nō aut detractionis fumo & fuco obſcurare, aut liuoris & inuidiæ flāma penitus abſumere, conatus ſis. Nihil non mordaces Momi reprehendunt: nullos vermes veneniſugæ flores non inficiunt. Sed Xenophō quidem honeſta ſua fictione, qua multos ad virtutem iuuit, obfuit autem nemini, immortalem laudem eſt conſequutus: tu verò famoſis iſtis libellis & commētis, quibus multorum illuſtrium virorum famam & exiſtimationē lædis, regnorum iura peruertis, ſeditiones concitas, diſcordias inter populum & Principem ſeris, nulliq; vera, certa, & ſolida ad vitam bene beatéque degendam præ-

[1] Cic. li. 1. ep. 1. ad Q. Fratrem.

cepta tradis, ſempiternum tibi dedecus comparaſti.

Vellem quidem, & valde vellem, pro meo maximo in omnes tui ordinis homines, hoc eſt, ſacerdotes, amore & obſeruantia ſumma, tali te ſcriptionis genere abſtinuiſſe, ne vlla eſſet cauſa, cur aliquis ad tam multa gentis tuæ homine indigna, conditione verò & profeſſione tua prorſus aliena, carpenda & redarguenda ſtylum prehenderet. Si contritam illam vetuſtate ſententiam animo voluiſſes, carere debet omni vitio qui in alterum paratus eſt dicere, non tot fœda conuitia, & tam atroces iniurias, vſqueadeo intemperanter in Principes, priuatos, ſacerdotes, ſeculares, atque adeo in omnis generis homines intuliſſes? Sed tecum cogitaſſes, quid in te viciſſim ab aduerſariis regeri & retorqueri potuiſſet. Vir quidam ætate, pietate, dignitate, & doctrina ſpectabilis, cùm ei inter alia multa flagitia & ſcelera quæ huic Regi mendaciſſimè affinxiſti, hoc etiam à te ſcriptum oſtendiſſem, Henricum Regem, ſcilicet, Moſco longè crudeliorem fuiſſe, eique in eo ſolo diſſimilem, quod cùm Moſcouita denos vel vicenos in ſuis ſacris gladio occideret, Henricus decies vel vicies centenos iniuſto tributo enecaret, & ad reſtim, vt dicitur, adigeret, vbi tuam riſiſſet impudentiam, ſubſtitit paululum, ac mox, mendacium hoc eſt mendaciſſimum, inquit; Multorum ſæpe copiolas, vel iuſto tributo extenuatas, & in anguſtum redactas, ſub variis Regibus noſtris fuiſſe ſcimus: at neque iuſto neque iniuſto tributo tot homines in Gallia ab illo, vel vllo alio Rege enectos fuiſſe, aut noſtra aut patrum memoria auditum eſt. Sed ſcire velim, inquit, quo ſe in ordine & categoria, vt aiunt, Boucherius collocet? & viri, Moſcóne an Gallo, ſeſe aſsimilabit, nam ſi ſæuitiam multitudine occiſorum metiamur, vtrumque crudelitate ſuperat: quandoquidem multo pluribus in vna ciuitate, per ſeditioſas conciones, mortis cauſam præbuit, quàm Rex Henricus, per vllas tributorum exactiones, in toto regno: adeo vt etiam ſi verum eſſet quod falsò Regi aſcribit, illud tamen de iis dici poſſet, quod olim in diſsimili cauſa de Saule & Dauide ab Hebræis mulieribus fuit decantatum [1]. *Occidit Henricus mille, & Boucherius decem millia,* hæc ille.

1. Reg. 18.

Multa ſunt id genus apud te alia, quæ nimis inuidū pectus olent, ac fictoris audaculi & inſulſi obtrectatoris ingenium arguunt, atque ex iis quædam vſqueadeo turpia, vt pro-

propter obſcœnitatem, ne caſtas & integras aures offendant, ſenſuſque titillent inhoneſtè, perpetuo ſilētio prorſus inuoluenda. Nam vt ait tragicus [1].

Α᾽λλ᾽ οὐ γὰρ αὐδᾶν ἔσθ᾽ ἃ μηδὲ δρᾶν καλόν.

[1] Sophoc. in Oedip. tyran. id eſt, quæ facta turpia ſunt, ea ne eloqui quidē licet.

Ad me autem quod attinet, ſat habeo lectorem de accuſationis tuæ iniquitate, qua Regem hunc calumniatus es, certiſſimis & clariſſimis teſtimoniis certiorem feciſſe: ne quem poſterorum, ſi fieri poteſt, vitæ illius à te facta deſcriptio, in errorem & tam malam ac monſtroſam de eo opinionem, inopia contradictionis, inducat. Hæc igitur de eius vita literis perperam à te mandata ſatis. Nunc quod de ipſius morte ſcripſeris, antequam opus concludamus, veloci oculo eſt percurrendum.

CAPVT XXVIII.

BOVCHER [2]. *Ecce autem dum ſcribimus, dum variis diſtracti in concione, concilio, militia, negotiis, opus vt licet maturamus, &c. mirabilis ſimul ac terribilis, die prima Auguſti, per exploratores nuncius venit, Henricum in medio exercitu, inter medias ſtipatorum cateruas, gregarii cuiuſdam & contempti de B. Dominici familia fraterculi manu eſſe interfectum.*

[2] Lib. 4. ca. pen.

Extremus hic eſt, nō fabulæ, ſed furiæ tuæ actus, in quo, poſt multas hactenus illuſtres perſonas, vt ludibrio & deſpectui populo ſint, à te indecorè in ſcenam immiſſas, tutemet tandem cum inclemente ſicario & ſcelerum gurgite, pietatis larua & parricidarum pellibus contecti, horribile cunctis ſpectaculum, eandem in ſcenam prodiiſtis: atque ita prodiiſtis, vt illum quidem facinus abominandum palàm admittentem, te verò poſt tenuis & raræ texturæ conopea latentem, & ei quid ageret ſuggerentem, intueamur. Nam ſi certò ſcis quod pro certo affirmas, nulli dubium eſſe poteſt te flagitioſam cum ſcelerato illo monacho ſocietatem de Rege occidendo coiiſſe: atque ita tuos iſtos de abdicatione libros non de parricida, vt falſo tibi perſuades, ſed à parricida eſſe compoſitos. Equidē miratus ſum ſæpenumero, quæ tāta ſalutis tuæ te ceperit obliuio, vt ea ſcriberes quæ te cædis illius conſcium & participem fuiſſe non obſcurè demonſtrant: niſi fortè vſque adeo tūc dementiebas, vt huic te monſtro ſocium atrociſſimi ſceleris addidiſſe, laudi tibi apud poſteros fore ratus ſis. Aſt vbi in mentem mihi venit eius quod ſcribit Eccleſiaſtes [3]. *In*

[3] cap. 10.

cogitatione tua Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annunciabit ſententiam. cœpi de eo ambigere, vtrum ſcilicet conſultò & cogitatò, ac ſciens prudens, vt aiunt, talia exaraſſes: an verò conſcientiæ labes quæ nunquam requieſcit, & volat celerrimè, ita mentem tuam offuſcarit, vt tibi imprudenti & minus ad rem tuam attento, illa omnia ſurripuerit, atque in lucem protulerit.

Audiui ſæpè à pueritia, quod & experientia ſum edoctus, iniuſti homicidii authores diu occultari non poſſe, ſed vel à ſeipſis prodi, ſi alius nemo ſit qui denunciet.

Res mihi certè memoratu admodũ triſtis eſt, & ad ſenſum, cogitationemque acerba: cùm vnde fidei, pietatis, religionis, charitatis exempla & documenta peti & expectari debent, inde perfidiam, impietatem, hypocryſim, ſcelus, odium manare videam. Monachus Regem occidit, cui lege regni ac iure gentium communi tanquam ſubditus naturalis, vt dicitur, fidem ſuam obligauerat, & eum Regem qui ſuam illi ſalutem ex animo concredidit, nullique hominum conditioni quàm Monachis vnquam fuit amicior, quæ perfidia? Monachus Regem occidit, cuius mors multis hominum milibus mortem attulit, atque infinitas religioni & Reipub. calamitates, ac penè ſummam patriæ perniciem inuexit, quàm ſcelerata impietas? Monachus, reprimo me, quid dixi monachus? latro ex monacho factus Regem ſuum nihil ab eo ordine qui exterius apparebat ſibi metuentem, ac proinde hominem amicè amplectentem, dum illi ſe fauſta omnia optare, nunciare, ac precari ſimulat, eoque nomine ad ſecretius colloquium admiſſus eſt, incautum à fraude vt ferox & immanis parricida trucidauit, quæ vnquã aut crudelior hypocriſis aut magis diſſimulata crudelitas? Latro vt Regem iugularet, è clauſtro in caſtra profectus eſt, quamuis ſat ſciret meditatum & deſtinatũ animo facinus ſine certiſſimo & turpiſſimo vitæ ſuæ interitu ſe exequi non poſſe, quanta furibundi & odio acerbiſſimo excæcati animi temeritas? Nulla inter omnes affectiones concitatior, nulla turbulentior, aut quæ præcipiti furore citius in ſcelus impellit, quàm odiũ; vbi impotentem animi hominem ſemel occuparit. Audiui quoſdam iracundia & odio inflammatos detetare interdum, velle ſe libenter mortem oppetere, ſi extinctum prius viderint inimicum: nec vllum recuſaturos ſupplicium dum-

dummodo poſſent mucronem pugionis (ita enim loquebatur) in cor eius quem oderant adigere. Vt autem miſero huic monacho odium ex falſa perſuaſione ortum ſit, mox dicetur.

Hoc illud eſt nefarium, atrox, & perfidioſum ſcelerati monachi, ſeu monſtri potius teterrimi facinus, per quod non ſolùm turbatus & vexatus Francicæ Monarchiæ ſtatus, eiuſque vires inteſtino ac domeſtico bello grauiter cōcuſſæ, fractæ, & penitus ferè conſumptæ fuerunt: ſed hæreticis præterea religioſos omnes calumniādi, monachos & monaſteria deteſtandi atque execrandi, anſa & occaſio amplior quàm vnquam antea noſtro ſeculo data eſt. Itaque non hominem ſed ordinem, non vnius animum ſed omnium habitum, non ſceleratum ſicarium monaſterio indignum ſed cœtum & conſortium omne monachorum, hoc immani crudelitatis & perfidiæ exemplo cœperunt acrius infamare, & ſuo more, id eſt petulanter & calumnioſè per ora hominum traducere: quaſi verò vnus ille latro tot tamque præclaras religioſorum & ſanctorum hominum ſodalitates fœditate ſua potuiſſet inquinare. Hinc illa tam multa ac varia Latina & Gallica Regis huius epitaphia, ad opprobrium & ignominiam monachorum omnium ab hæreticis conficta, & libellis in vulgus diſperſa [1], quibus perquam iniquè & peruersè vnius conſcelerati hominis culpam in multorum innocentium, atque adeo religioſorum omnium ſanctiſſimum vitæ inſtitutum reiicere & conferre non erubuerunt: eorum ego pauca quædam huc tranſcribam, vt ſcias quàm magnam fidei noſtræ aduerſarii, ex illo Inclementis & maledicti monachi facto, monachos omnes calumniandi argumentum & occaſionem captarint. Sic ergo illi.

[1] per Henr. Steph. in dialogo Philoceltæ & Caronelli.

Perſæpe à ferro, à tetro perſæpe veneno,
Qui ſitus eſt hic Rex cauerat inſidias.
At monachi inſidias potu haud fuit ille cauere,
Dum putat, à monachis haſce timere, nefas.
Principibus cunctis ab eo documenta dabuntur,
Nulla cucullatis vt ſit habenda fides.

Aliud.

Dum capiti Henricus raſo fiditque cucullo,
Indigna & turpi cæde peremptus obit.
Huius ab exemplo Regis, iam diſcite Reges,
Quantum larua ſcelus religioſa tegat.

Aliud

Aliud.

Quot monachorum ædes quondam, tot ἄσυλα fuerunt.
Συλᾶν ipſi nunc incipiunt monachi.

Aliud.

Audite Reges pauca quæ vobis loquor,
Vos ante puduit hominibus diffidere.
Cucullа quos inſignit & raſum caput,
Inſigne nunc vos moneat id diffidere.

Aliud.

Ce Roy qu'on a tué ſi malheureuſement,
Eſt ſpectacle piteux, mais aduertiſſement.
Il n'a eſté tué d'vn qui luy fuſt ſuſpect:
Ains d'vn auquel pluſtoſt il portoit du reſpect:
Non reſpect ſeulement, mais portoit reuerence:
Et le tenir ſuſpect, euſt penſé grande offence:
Pour eſtre de ceux là qu'on dit religieux,
Leſquels de tous les Rois onq' aucun n'ayma mieux,
Iamais il n'y eut Roy par qui la moinerie
Reſpectee fuſt plus, & par qui plus cherie.
Si les moines ainſi tuent leurs grands amys,
Bon Dieu que feront-ils à leurs grands ennemis.

Aliud.

Courrier, quand tu viendras au pays eſtranger,
Di là combien eſt grand des moines le danger.
Par vn moine brigand le Roy tué on voit,
Noſtre Roy qui nul moine eſtre brigand penſoit.

Aliud.

Seigneurs, voyans icy noſtre bon Roy & maiſtre
Par vn moine meurtrier en vn tel eſtat eſtre,
Quand de vous deſormais vn moine approchera,
Qui noir, ou blanc, ou enfumé ſera:
De quelque lieu qu'il ſoit, de quelque lieu qu'il vienne,
De noſtre Roy meurdry par vn d'eux vous ſouuienne.

Hæc & alia id genus complurima ab hæreticis, ob vnius huius filii perditionis ſceleſtum ac nefarium facinus, ad religioſorum omnium iniuriam impiè & malitioſè excogitata ſunt. Nam licet paterni delicti pœna ad libros nonnunquam ſoleat peruenire [1]: nulla tamen lex vel iuris ratio patitur, vt ſcelus fraternum, in fratres qui ſceleri non conſenſerunt, vindicetur: quin planè contrà legibus cautum: ibi ſcilicet eſſe pœnam vbi & noxa eſt: propinquos, notos, familiares procul à calumnia ſummoueri, quos reos ſce-

[1] Exod. 34. Ierem. 32 l. quiſquis § filii C. ad l. Iul. Maieſt.

os ſceleris ſocietas non facit. Nec enim ſocietas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur ſuos teneant auctores, nec vlterius progrediatur metus, quàm reperiatur delictum [1].

1 l. Sancimus. 2 2. C. de pœn.

Quod ſi tam peruerſa hominibus iſtis opinio iam penitus inſedit, vt aut vnius monachi ſcelus in reliquos omnes vindicari, aut vnius ignominiam atque infamiam ad cæteros innoxios & innocentes transferri, æquum bonum putent: cur non ſimiliter Apoſtolos omnes execrentur, & maledictis inceſſant, quòd ex illorum ſodalitio prodiit, qui dominum & Saluatorem noſtrũ prodidit. Haud quiſquam facilè bono monacho meliorem, aut malo monacho deteriorem hominem inueniet: idque B. Auguſtinus præclarè admonet his verbis [2]. Simpliciter autem fateor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cæpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſteriis defecerunt: ita vt hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum [3], iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc. Benè autem ſe res habet, & cùm ad totius ſocietatis religioſorum innocentiam, tum ad iniuſtam Regis immeriti cædem demonſtrandam accommodatiſſimè, quod quanquam Deus, ad Franciæ populum puniendum, permiſit vt Rex de quo ſermo eſt monachi manu perimeretur, tamen non à ſpectatæ virtutis & ſanctitatis viro, aut alioqui ab eo quem longa & diutina monaſticæ vitæ conſuetudo ac diſciplinæ ſeueritas grauem, ſedatum & conſtantem reddidit, tam fœdum & pernicioſum exemplo facinus perpetrari voluit: ſed tantùm ab eiuſmodi quem tu deſcribis, nempe *gregario quodam & contempto fraterculo, & viliſſimo è fratrum turba in ſpeciem homunculo, plus minus tres & viginti annos nato, ac facie deſpicabili*, multa vt in eo temerarii & inconſiderati, cereique in vitium animi ſigna concurrant. Rex Henricus ergo, vt tu ſcribis, non ab electo & probato aliquo ſacri ordinis & cæleſtis miniſterii milite, ſed à gregario: id eſt, temerè & ſine delectu in numeros relato: non à fratre Dominicano, ſed à fraterculo, quod deſpectui quàm adulationi aptius nomẽ eſt [4]: non ab aliquo vitæ meritis ſpectabili & venerando, *ſed à contempto & viliſſimo è fratrum turba in ſpeciem homunculo*, nullis nec dictis nec factis claro: non denique ab adulto & ſapiente, ſed à ſtulto

2 Epiſt. 137. & refertur 47. diſt. can. quantumlibet.

3 cap. 22.

4 Valla lib. 5. eleg. ca. 5.

Digitized by Google

ſtulto adoleſcente, ſeu iuuene inſipiente cæſus eſt: vt mirũ non ſit, ſi tam nouitii & contemptibilis monachi improuidus ac iuuenilis animus, ſpecie recti deceptus, ad tam atrox & terrum facinus maleuolorum hominum ſuaſu excitatus fuerit, atque impulſus. Si illorum aliquis ſcelus iſtud quantumuis turpe admiſiſſet, præiudicata vitæ integritas & innocentia aliquam iuſtitiæ & æquitatis facti opinionem fortè in animis hominum prima facie ingeneraſſet: aſt hic qui nulla virtute, nullis vitæ meritis, nullo proborum teſtimonio vnquam fuit commẽdatus, nullam rectè facti ſpeciem & vmbram ex ſua perſona oculis hominũ potuit obiicere. Nam quod *non ita pridem*, vt ais, *ſacerdos factus erat*, id quia contra ſacros canones factum fuit [1], non tam contuliſſe quàm abſtuliſſe ei gratiam veriſimile eſt. Sed de occultis Deus iudicet.

[1] cap. nullus 12. de refor. Seſſ. 23. Conc. Trid. Clem. vlt. de ætat. & qualit.

Factum nunc te authore tenemus, occiſum nempe Regem Chriſtianiſſimum à gregario quodam & contempto fraterculo, ac viliſſimo è fratrum turba in ſpeciem homunculo, facie deſpicabili, plus minus tres & viginti annos nato: & huius cædis te certiorem factum fuiſſe per exploratores, dum ſcribendo, concionando, conſulendo, militaribus negotiis inuigilando (rei profeſsione tua alienæ) id vnum enixè curabas vt eidem Regi interitum parare, & eum ſi minus apertè & palam, quouis modo ſaltem ex inſidiis interficere, ius faſque eſſe omnibus perſuaderes. Quod cùm ita ſit, qui poteſt, quæſo, cum tuis iſtis, ſcriptis concionibus, conſiliis, & militaribus ſtudiis conuenire quod ais, mirabilis ſimul ac terribilis nũcius venit. Henricum in medio exercitu &c. eſſe interfectum, eſtne veriſimile? Id ſolũ apud omnes Latinæ linguæ peritos terribile dicitur, quod terrorem & metũ incutit: is igitur nũcius quem optamus, ſperamus, exſpectamus, quique aduentu ſuo perfundit & explet animos noſtros gaudio, nũquid dici poteſt terribilis? Nonne fateris hunc de cæde Regis nuncium expectatiſsimum & lætiſsimum tibi fuiſſe? ais enim ridiculum & incredibile initio viſum fuiſſe quod nunciabatur, donec creſcente fama, expenſis etiam fratris huius, qui pridie in caſtra abierat, verbis atque conſiliis, quæ nonnullis ipſe reuelauerat, certo certius eſſe, incredibili bonorum, imo malorum, omnium gaudio & exultatione, compertum eſt: quomodo igitur nuncius terribilis? Nec eſt quod terrorem de quo loqueris ad regios ſtipatores re-

tes referas, illos enim non veſter nűcius ſed præſens & miſeranda domini ſui trucidatio conterruit. Mirabile autẽ in ea cæde nihil, præter degeneris monachi & immaniſſimi parricidæ hypocriſin, perfidiam, temeritatem, & crudelitatem, videri poteſt. Si homo omnib. ignotus, ſi publicus hoſtis, ſi veſte militari vel armis conſpicuus, per tot equitum turmas, tot peditum cateruas, tot ſtipatorum & ſomatophylacum ſtationes & excubias, ad Regem minaciter, vt olim Scæuola, contendiſſet: & cum omnium in conſpectu, nemine impediente vel reluctante, inflicto vulnere exanimaſſet, id fateor miraculi inſtar multis fuiſſet. At in eo qui ſub ſpecie amicitiæ, & multiplice religionis ac pietatis vmbra Regem amicum, & nihil ſibi ab eius ordinis homine metuentem cõfodit, quid niſi inhumaniſſimi & immaniſſimi iugulatoris perfidiam & crudelitatem admirari licet? Sed mitto hæc, vt aliquid amplius de hoc facto à te, ex tuis, inquam, ſcriptis perquiram.

In primis igitur ex iis facile intelligi poteſt, animum huic monacho ad odium & audaciam, per iniuſtas & calumnioſas Regis criminationes à te fuiſſe inflammatum: quòd falsò ei perſuaſeras Regem omne crudelitatis genus in Eccleſiaſticos ac theologos præcipuè minari, & Sorbonam ſcholam incendere decreuiſſe. Deinde quòd aliud ferè nihil quotidianis cõcionibus vox tua ſeditioſa frequẽtius intonuerat, quàm cædendos tyrannos religioni contrarios (quibus verbis binos Reges præcipuè & apertè ſed falsò deſignabas) & optimum quemque ac Dei amantem ad id ſe debere accingere: pro quo magnis & amplis præmiis à Deo hominibusque ſit afficiendus. Hinc inconſideratus monachum zelus ad ſcelus nefarium impulit: vt & ipſe non ſolum cædendos tyrannos diceret inquis, ſed prætereà id ſe facturum aliquando cum animi impetu affirmaret, atque à ſociis interim, qui nihil minus quàm seriò eum loqui cogitabant, rideretur. Ex his arbitror ſatis apparet quis præcipuus ſtimulator, & concitator huius cædis monacho fuerit. Sed vt eſt iuuenum.

Κραιπνότερος μὲν γάρ τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις [1].

Hæſitabat adhuc monachus & cũctabatur. cũ ſe à ſociis deriſũ cerneret. *Subſtitit ergo tacitus*, inquis, *& ne quod cogitabat fluctuante ac dubia conſcientia faceret quaſi aliud, aut alieni cuiuſdã nomine agens, quatenus in tyrãnos armari liceret, inquirebat. Et vbi fluctuare deſiit, mortis contẽptum zelus attulit. &c.*

Homer. Iliad. ψ. id eſt, mens quidem velocior, imbecille vero conſilium.

Si

Si adeo fluctuans & dubia monacho conſcientia fuit, vt neceſſe habuerit ab hominibus quid æquum bonum eſſet inquirere, atq; in eo confirmari, conſequens profectò eſt, nõ ſingulari & extraordinario Dei iuſſu, ſeu ſpeciali, vt aiunt, reuelatione, quod multi tamen initio iactanter prædicabant, eum ad cædem illam faciẽdam fuiſſe inductum. Deus enim quos ad munus vel facinus aliquod præclarum exequendum, ſpeciatim extraordinario mandato vocat, eorum ipſe mentes & conſcientias vel ſolo verbo, vel oſtẽtis nonnunquam & miraculis [1] ad parendum ita perfectè format ac firmat, vt nec dubitare, aut vacillare animo, nec humanis eos indigere cõſiliis ſinat. Hunc ergo, qui fluctuante & dubia conſcientia ab aliis inquirebat quatenus in tyrãnos armari liceret, nihil certi à Deo per ſpecialẽ reuelationem de ea re accepiſſe certũ eſt: niſi fortè putauit hominibus potius quàm Deo fidem in rebus dubiis & ſalutis negotiis eſſe adhibendam.

Apud quem autem de hac re potiſſimum inquirebat, & quem conſiliarium atque authorem parandi ſceleris habuit, non obſcura vel difficili coniectura percipi & perſpici poteſt. Ecquem enim alium teipſo magis idoneum inuenire citiùs, vel adire commodius potuit? Nam & primas inter eius ciuitatis concionatores tunc tenebas, & nulla re magis quàm de armandis in truculentiſſimum tyrannũ (hac enim voce & aliis turpiſſimis Regem tuum Chriſtianiſſimum improbè & petulanter indicabas) omnibus cuiuſcunque ætatis, ordinis, vel conditionis hominibus, ſeditioſas tuas conciones & libros quotidie replebas. Id ipſũ etiam præter coniecturam hanc certiſsimam, ſi qua vnquã certa dici poteſt, ſuperior tua narratio ſatis clarè oſtendit; quam non tanquam de re dubia & obſcura per verbum, aiunt, ferunt, fama eſt, vel ſimile, vt hiſtoricis mos eſt, ſed tanquam de re tibi comperta, certa, & cognita, nobis proponis. Certo autem ſcire nemo poteſt niſi quod ſenſu aliquo percepit: adeo vt ſacerdos cui aliquid à cõfitente peccata reuelatum eſt, nõ poſsit dici certò ſcire, quia fieri poteſt pœnitentem eſſe mentitum [2]. Huc accedit quod ais, *expenſis etiam fratris huius, qui pridie in caſtra abierat, verbis atque conſiliis quæ nonnullis ipſe reuelauerat.* Eorum ergo illi ante abitionem participes fuerint neceſſe eſt, cum ipſe inflicto Regi vulnere ſtatim peremptus ſit: At neminem, vti reor, præter teipſum inuenies, qui ſe conſiliorum & verborum

1 Exod. 4. Iud. 6. Ier. 1.

2 Panor. in cap. ſi ſacerdos nu. 1. de off. ordin.

borum monachi conſcium fuiſſe fatebitur. Quoniam igitur tam certè & affirmatè totum monachi inſtitutum, dubitationem, confirmationem, atque adeo vltima eius verba cùm in caſtra proficiſceretur & *quod cultellum ad id comparatum geſtabat*, nobis narras, vix vlli dubium eſſe poteſt, totius facti & rei gerendæ conſcium & participem te fuiſſe, quod cùm ita ſit, quanto teipſum ſceleri inuolueris quantaque ex eo adhuc vitæ labes in te reſideat, vt eam omni qua poſſis cura eluas, mox admonebere.

Accepi ſolemnem Hiſpanienſium theologorum cœtum de hoc monachi facto, an ſcilicet iure aliquo defendi poſſit, grauiter & copioſè in omnes partes diſceptaſſe, atque in eam omnes ſententiam iuiſſe, vt ſceleſtum ac nefarium id facinus iudicetur, niſi Deo ſingulariter & ſpeciatim reuelante ac præcipiente peractum fuiſſet. Præclarè & ſapienter illi quidem, & vt vult Veritas, defini erunt: quod idem ante eos Ioan. Maior ſcholæ Sorbonicæ, quam iterum honoris gratia nomino, theologus inſignis & à multis laudatus, de ſimili prorſus quæſtione reſpondit [1]. Ioannem Angliæ Regem, cùm multi ab eo proceres tanquam à tyranno defeciſſent, atque alium ſuper ſe Regem conſtituere decreuiſſent, monachus quidam, vt refert Caxtonus hiſtoricus Anglus dum putaret ſe vtilem Reipublicæ operam nauaturum, veneno interfecit, qua de re Maior his verbis. *Regem authoritate propria occidere huic monacho grande nefas erat. Licet enim malis Regibus vitam in mortem commutari Reipub. expediat, nullo tamen pacto viro authoritate priuata, & ſignanter monacho, eos occidere licet. Inſuper Abbatis abſolutio ante factum vulpina erat. Inſuper iſta Miſſarum celebratio*(pro anima monachi, qui, vt moris eſt, quoties Principibus ad bibendum datur, poculum prælibando, ſeipſum eodem quo Regem veneno extinxit) *ex delirio procedit, ac ſi in hoc peccato monachus probè egiſſet. Veroſimile eſt quod monachi caſum Abbas & religioſi approbarunt, & ſic vera pœnitentia locum monacho ademerunt, & ſi ſic deceſſit, damnatus eſt. Sic Ioannes Anglorum Rex, qui quatuordecim annos & quinque menſes regnauit, à malo monacho extinctus eſt.* Hæc Maior, quæ omnia cum celebri illa Hiſpanienſium Doctorum ſententia conueniunt, & tuæ ex diametro opponuntur. Nec mirum, cùm non conſilium & authoritatem Catholicorum DD. ſed impoſturas & captiones hæreticorum in hac quæſtione definienda ſequutus ſis: atque ita quidem

[1] Lib. 4 de geſt. Scotorum. cap. 3.

ſequutus, vt non verearis apertè fateri tum in tuis iſtis famoſis libellis, *de abdicatione*, tũ in veſano tuo apologemate, nullã inter te & hæreticos ſuper hac re diſſenſionẽ eſſe niſi tantum in notione tyranni, ſine, vt tu ais, *in eius qui verè tyrãnus ſit deſcriptione, ſeu particulari determinatione.* ex quo perſpicuum eſt, te à communi Catholicorum ſententia, qui ea de re aduerſus hæreticos laudabiliter ſcripſerunt, defeciſſe, atque ad execrandam hæreticorum diſciplinam & nouum dogma temet applicaſſe: quo quid theologo indignius?

Qualem te alias docendo, concionando, conſulendo, ſcribendoue præſtiteris equidem neſcio. At in hoc negotio, quo de agitur, eas te partes ſuſcepiſſe ſcio, quas ſi per cauſæ merita liceret, tacere, & exiſtimationi tuæ parcere, quàm eloqui nimiò mallem. Etenim profectò pſeudologum, cacologum, eſchrologum & quemuis potius quàm theologum in hiſce tuis *de abdicatione*, libris egiſti. Quid enim mendaciis tuis malitioſius, quid maledicentia mordacius, quid conuitiorum in viros bonos & illuſtres iactorum turpitudine fœdius, vel ab homine ad mentiendum, maledicendum, & conuitiandum nato atque edocto proferri, vel literis mandari poteſt? Quiſquis libros tuos oculis animoque ſedatè & diligenter perluſtret, vomicam iniuriarũ, maledicentiæ cloacas, conuitiorum ſentinam, variaſque mẽdaciorum ſcatebras, & præterea ferè nihil, certè perparum inueniet. Sed ad miſerum & maledictum monachum reuertor: cui quàm impiè & ineptè patrocineris, præter cetera ex eo etiam colligitur, quod vt eius innocentiam & ſanctitatem, atque adeo patrati ab eo facinoris æquitatem demonſtres, ais eum poſt celebratum miſſæ ſacrificium, familiaribus valedicentem, ac ſe precibus eorum commendantem, in caſtra ad occidendum Regem perrexiſſe: cùm tamen non aliud eo certius & apertius hominis diuina gratia deſtituti indicium & veſtigium deprehendi poſſit. Siquidem irregularis tunc factus, ac proinde omni ſacrorum ordinum vſu priuatus celebrauit. Nam licet nulla ſit mentalis irregularitas (vulgaribus Doctorum verbis vti mihi liceat) id eſt nemo propterea fiat irregularis, quòd ſolam mentem & voluntatem faciendi aliquid prohibitũ habet, quamuis interim peccet grauiſſimè, ſitque hoc caſu loc⁹ regulæ, *cogitationis pœnam nemo patitur* [1]. tamen vbi res vlterius progreſſa eſt, & cogitationis fines exceſſit,

1. cogitationis. 18. D. de pœn.

exceſſit, eoque perducta, vt ad voluntatis deliberationem talis actus & conatus externus adhibitus ſit.propter quem leges deſtinatum animo facinus pro facto haberi & puniri volunt; non dubium quin in irregularitatem incurratur. Atqui ita in propoſito res ſe habet: nam & ſitum de Rege occidendo conſiliũ monachus iam aliis,vt tu ais,patefecerat: *& hominis*, imò parentis patriæ, *occidendi cauſa cum telo ambulabat*, quod factum lege Cornelia de ſicariis perinde vindicatur atque ipſum homicidium [1]. Nam teipſo teſte, Regem interfecit cultello, *quem ad id comparatum geſtabat*. Denique in atrociſſimis criminibus, Maieſtatis, parricidii, raptus, leges conatum pro effectu accipiendum & puniendum eſſe volunt [2]. Monachus igitur hoc ipſo quod Miſſæ ſacrificium tunc obtulit, mortale peccatum commiſit, eratque vulpina abſolutio, vt ait Maior, ſi qua illi data fuit: atque ita mortalis peccati reus factus, & in manibus diaboli conſtitutus,eo inſtigante & impellente ad aliud ſceleratius admittendum in caſtra profectus eſt.Peccatum vnum ad ſe aliud pondere ſuo attrahit, & prioris peccati flamma, poſterioris fumus accenditur.

1 l.1.D. ad l. Corn. de ſicar.l. 15. C.eodem.

2 l.5.C.ad l.Iul. Maieſt. l. 1.D.ad l. Pomp. de parricid. facit.can. pen.6.q.1.&can. cõſpirationum. 1.q.1.l. ſi quis nõ dicam. C.de epiſc.& cler.

Nihil eſt facilius quàm imperitos & audaces iuuenes ſpe lucri, vel inanis gloriæ, & certa ſalutis opinione in quoſuis animi habitus transformare, & ad quiduis vel perpetrandum vel perpetiẽdum inducere cuiuſmodi ſtulta animi elatione Hermolaus quidam, vbi Calliſthenem philoſophum interrogaſſet, quo pacto vir clariſſimus euaderet, reſponſumque accepiſſet, ſi virum clariſſimum interfecerit, de occidendo Alexandro Magno ſtatim conſilium cœpit [3]. Sic Heroſtratus homo cæteroquin ignauus, vt nominis immortalitatem ſibi compararet, Epheſiæ Dianæ templum ſuis manibus incendit [4]. Simili fraude vſa eſt Fredegundis, vt Sigebertum Metenſium Regem dũ ab eo Tornaci obſideretur interfici curaret, *Mulier*, inquit [5] Aimoinus, *artibus viro longè callidior, duos ſubornat viros, quibus audacia contemptum mortis inuexerat, Hos hortatur monetque Sigebertum adeant, eumque ſe vt dominum adorare ſimulantes interimãt: quod ſi efficiant, euadentibus præmia: interemptis verò condignam ſepulturam, eleemoſynaſque ad loca ſanctorum pro oblatione tanti facinoris ſe præbituram, ſpondet. Illi nihil morati præcepto ſatisfaciunt. &c.* Res eſt periculi plena, in malos vel imperitos conſiliarios incidere. Si tuus iſte dubius & fluctuans animo monachus conſiliũ à theologo

Fumum peccati vocat malas inſpirationes & ſuggeſtiones quæ voluntatis conſenſum præcedunt.

3 Plutarc.in vita Alex.

4 Strabo lib.14.

5 Lib.3.ca.12.

 logo

logo docto & mentis perturbationum vacuo poſtulaſſet, conceptum animo facinus execrabile protinus abieciſſet: nec confirmatus in malo, ſed à malo liberatus receſſiſſet. At miſer & infœlix homo in improbum incidit monitoré, qui cùm ad recti officii munus inſtructor, & tam peruerſi conſilii diſſuaſor eſſe debuiſſet, totius ſceleris author præcipuus atque impulſor extitit. *Qui ſubtiliter factum emẽdat,*
1 l. 1. C. de vet. iur. enu.
laudabilior eſt eo qui primus inuenit, inquit Imperator [1], cur non ſimiliter dicam qui ſubtiliter maleficium commendat, vituperabilior eſt eo qui illud admiſit: cum alter ſæpè inſcitia, alter malitia mala ſemper peccet. Quid autem in viro docto malitioſius reperiri poteſt, quàm rerum longè lateque differentium & diſſimilium confuſione, exemplis, & comparatione, improbum homini ignaro & imprudenti factum velle perſuadere? Equidem miratus ſum ſæpè, nec ſatis adhuc mirari poſſum, qua tu ingenii fiducia, imo audacia cædes eorum qui imperium inuitis ſociis in libera ciuitate occuparũt, vel occupare conati ſunt, ad necem legitimis Principibus inferendam, quaſi eadem vtrobique ratio eſſet, grauiſſimi argumenti loco adaptare, auſus ſis: cùm præſertim omnes tum Ethnici tum Chriſtiani authores, maximum inter iſtos diſcrimen conſtituant: in quibus diuinus & angelicus Doctor S. Thomas eſt, cui tu maximam propterea iniuriam in infami tua apologia feciſti [2]. Is enim propoſita quæſtione [3], *Vtrum Chriſtiani teneantur obedire poteſtatibus ſecularibus, & maximè tyrannis.* Nonnulla primùm, vt ſolet, contra veritatem argumenta profert, quorum vltimum ex Cicerone his verbis componit. *Præterea nullus tenetur ei obedire, quem licitè, imò laudabiliter poteſt interficere: ſed Tullius in libro de officiis, ſaluat eos qui Iulium Cæſarem interfecerunt, quamuis amicum & familiarem, qui quaſi tyrannus iura imperii vſurpauerat. ergo talibus nullus tenetur obedire.* Deinde contrariam ſententiam veram eſſe, poteſtatibus ſcilicet quamuis tyrannis parendum eſſe Apoſtolorum authoritate oſtendit: & argumenta in ſpeciem aduerſantia, ſuis ſingula reſponſionibus diluit, atque illud vltimum hoc modo. *Ad quintum dicendum, quod Tullius loquitur in caſu illo, quando aliquis dominium ſibi per violentiam ſurripit nolentibus ſubditis, vel etiam ad conſenſum coactis, & quando non eſt recurſus ad ſuperiorem, per quem iudicium de inuaſore poſſit fieri: tunc enim qui ad liberationem patriæ, tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.* En

2 parte 1, qu. 13.
3 in li. 2 ſent. diſt. vlt. q. 2.

pit. En vt D. Thomas diſertè affirmat Ciceronis illud de occidendis tyrannis, non de legitimis Principibus tyrannicè regnantibus, ſed de iniuſtis imperii inuaſoribus eſſe intelligendum. Ac proinde non ſine manifeſta calumnia, tam Ciceronis quam D. Thomæ ſententiam ad tui erroris tuitionem detorques. O ſi vir ille ſanctus nunc viueret, & vel libros iſtos tuos perlegiſſet, vel improbas & ſeditioſas conciones audiiſſet, quibus cædem & occiſionem Regis Franciæ, à ſui, id eſt, Dominicani ordinis fratercuſo factam, laudando extollere, & tanquam præclarum aliquod facinus, ſempiternæ gloriæ commendare ſolebas: quanto ingenii acumine, quantoque cæleſtis doctrinæ & flumine & fulmine ſtylũ in te ſuũ acueret? Nec alia cæteris authoribus mens eſt quorũ teſtimoniis vteris imo abuteris illo capite. Omnes enim de verè proprieque tyrannis, hoc eſt, iniuſtis alienæ dominationis inuaſoribus, quos nemo iure occidi poſſe negat, nõ autem de legitimis principibus impiè, & tyrannicè dominantibus loquuntur, qui omnes propterea iure optimo conqueri de tua prauitate & iniuriis poſſunt, quod ipſorum ſcripta ad tuum ſenſum contra eorum mentem & voluntatem calumnioſè detorſeris? & eos falſæ opinionis tuæ authores & aſtipulatores te habere ſimulaueris, qui ſe erroris tui reprehenſores & teſtes religioſiſſimos profitẽtur. Sed hac de re ſatis iam ſuprà diximus [1].

Illud nunc tandem admonendus es, in parricidii ac Maieſtatis diuinæ & humanæ crimen te incurriſſe, quod conſilium de cædendo Rege præbueris [2]: eoque non læſæ ſolùm conſcientiæ, & mortalis peccati vinculis illigatum, ſed irregularem præterea factum eſſe, ex eo die quo pernicioſum id monacho conſilium impertiiſti [3], ac proinde toties mortaliter peccaſſe, quoties Miſſam poſtea celebraueris, aut aliud ſacri ordinis miniſterium exercueris. Si à ſummo Pontifice in priſtinum ſtatum reſtitutus es, bene eſt, gaudeo. Nam quamuis Speculator [4], & alii nonnulli exiſtiment Papam non poſſe diſpenſare *cum homicida voluntario, vt poſt quantamcunque pœnitentiam miniſtret in officio altaris.* quod & Canones quidam videntur indicare [5], cuius ſententiæ fundamentum in eo vt arbitror conſtituunt quòd Deus noluerit templum ſibi ædificari à Dauide quamuis ſancto & dilecto, *eo quod eſſet vir bellator, & ſanguinem fuderit* [6], tamen cum omnis irregularitas, iuris Canonici

1 Lib. 5. c. 6. & hoc lib. ca. 21.

2 l. quiſquis. C. ad l. Iul. Maieſt.

3 50. diſt. can. ſi quis viduam 8. ca. ex literis. de exceſſ. prælat.

4 tit. de diſpenſat. § nũc breuiter. 7.

5 Ca miror. diſt. 50 ca. 7. de reform. ceſſ. 14. Concil. Trid. ca. vlt. de tẽpli. ord. c. inquiſitionis 21. de accuſat.

6 1. Paral. 22.

nonici ſanctionibus introducta ſit eorum verior eſt ſententia qui Papam de plenitudine poteſtatis cum irregulari ex qualibet cauſa diſpenſare poſſe dicunt: quamuis cum homicidis voluntariis, & præcipuè parricidis & regicidis, propter ſceleris atrocitatem, diſpenſare nullo modo debeat, poteſt ergo ſed non debet; præter ipſum autem nullus [1]. Sin verò in integrum adhuc reſtitutus non es, noli quæſo ſalutem diutius negligere, deſine altari miniſtrare & quæ ſacerdotis ſunt exequi, quorum vſu, ipſo iure priuatus es. Conſuetudine & vetuſtate non extenuatur ſed augetur peccatum: conſiliarii & inſtigatores magnorum ſcelerum, grauius facientes debent puniri [2], ob eamque cauſam vereor vt facilè poſſis de irregularitate diſpenſationem obtinere: cùm ſit conſtitutum, vt Epiſcopus, presbyter, diaconus, *qui in mortem Regis ſui aliquo machinamento inſidiatur, quia ſacrilegium peragit, in Chriſtum Domini manum mittens, degradetur* [3]. At dices fortè, tu quis es, qui te mihi theologo de conſcientiæ ſcrupulis monitorem præbes? homo, inquam, humani nihil à me alienum putans: & ad aliena, vt fit quàm propria intuenda oculatior: vt illud interim vſurpem, *facile omnes cùm valemus recta conſilia ægrotis damus.* Nec vſqueadeo imperitus ſum, vt non aliquid in iſtis rebus intelligam, cùm annos iam plus minus triginta in diuini & humani iuris libris voluendis & legendis, quod ſine arrogantia & inuidia dictum ſit, tempus contriuerim: eoque accedit quod medici quantumuis periti dum ægrotant, ſuis ipſorum ingeniis diffidentes, cum aliis licet non ita doctis & variè periclitatis, de morbi cauſa remedioque conſultant. De peccati ergo & ſceleris tui labe abluenda, quoniam non ſemper cum irregularitate coniuncta eſt, nec diſpenſatione ſed pœnitentia & abſolutione deletur, eam tibi rationem ineundam cenſeo, quam mihimet, Deum teſtor, ſi tuo loco eſſem, libenter aſſumerem. Vt quoniam inſtat nunc annus Iubilæus, Romam pedes (ſi nôn valetudine aut ſenio impediris) humiliter ſuppliciterque contendas: & vbi peregrinationem qua pœnitentem decet pietate & deuotione abſolueris, in illud vnde malis conſiliis monachum extraxiſti, aut aliud ſtrictioris regulæ monaſterium teipſum ieiuniis & orationib. exercendum dedas, *Vt poſſis lachrymarum fonte flagitium tam immane diluere*, quod non meum ſolum ſed ſummi Pontificis conſilium eſt [4]. Atque interim vt aliis non vitæ tantum inſtituto

[1] cap. 6. ſeſſ. 24. Concil. Trid.

[2] cap. tanta. diſt. 86. l. congruit. D. de offic. præſ. l. 1. D. receptat.

[3] can. ſi quis. laicus. 22. q. 5.

[4] Ca. miror. diſt. 50.

inſtituto & exemplo, ſed etiam doctrina profis, tuum iſtud falſum & peſtilens de regno & regali imperio dogma contrariis ſcriptis retractes: ita enim fiet vt & oculos non corporis quidem ſicut de Steſichoro fabulantur, quandoquidem in ſenſibus priuationem habitus non ſubſequitur, ſed mentis quos mentiendo amiſeras, magna cum laude & letitia recuperes: & ciuilem corporis pœnam euadas. Eſt tibi negotium cum Rege, non tali, qualem tu eum improbè & calumnioſè depinxeras, ſed omnium quos terra habet clementiſſimo: facilè vti ſpero, tibi ignoſcet, dummodo veritatem agnoſcas, atque in melius mutes ſententiam, quod vt faxis, Deum precor Opt. Max. qui ſolus æternùm regnat, & omnia regit in ſæcula ſæculorum.

Amen.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM LOCVPLEtiſſimus,

In quo numerus quamq; paginam denotat.

A.

ABigail quid intellexerit, cùm Dauidem prælia Domini præliari dixit 674
Abimelech regnum in Iſrael vſurpat 249
Adiaphora omnia vel facienda vel omittenda ſunt, prout lex iuſſerit 194
In Adiaphoris Reges iuſtum & iniuſtum legibus conſtituere poſſunt 572
Adriani Imperatoris dictũ 524
Adrianus Tatianum & Similẽ propè occidit, nimiã eorum potentiam timens 693
Ægyptii Reges legum obſeruãtiſſimi fuerunt 250
Æthiopum Reges ex ſacerdotũ numero fuerunt 250
Africani ſententia vtilior, quã vniuerſi ſenatus 223
Aliud eſt facere, aliud faciendi conſilium dare 544
Amaziæ cædes 490. *nihil inde contra Reges efficitur* 544
Ambiorigis mendaciũ à Bruto pro re comperta aſſumptum à Boucherio 555 556. 672
Ambitioſis hominibus compendiaria ad tyrannidem via,
Regum mores carpere 214
Ambitionis deſcriptio 215
Ambroſii de abſolutiſſima Principum poteſtate ſententia 398
Ambroſius ab Ariano Principe oppreſſ⁹, rebellãtis tamẽ Maximi orthodoxi opẽ reſpuit 677
Ambroſius Dauidẽ quod Sauli pepercerit laudat 82
Ambroſii moderatio animi, cũ à Valentiniano premeretur 347. *ei ſe non reſiſtere profitetur, nec vllam in eum rebellionem concitat* 347. 349. 350
Amphyctionicum concilium ex populis liberis conflatum fuit 739. 740
Anaſtaſius ob hæreſin principatu nequaquam decidit 724
Anglorum Martyrum de exhibenda Henrico VIII. obedientia, ſententia 416. 496
Anna Daniel Boutellerius, collocutor 181
Antoninus in interfecti fratris ſuſpicionem incidit 598
Antoninus Principem ſolũ Deũ iudicem habere aſſerit 340
Antiochi tertii æquitas 253
Appellationes interdũ certis de cauſis vitantur, q̃ aliòqui perſonis vetuſtiſſimè cõuenirent 581

Argumenta ſingulorum iſtius operis librorum 178
Ariſtides in caſtris monarchiã conſtituendam cenſet 150
Ariſtoteles refutatus 251
Ariſtoteles nihil pro Boucherio facit 688
Ariſtotelis non ſunt argumenta, quibus Buchananus populi conſiliũ extollit 225.226.227
Artaxerxes Tyſſaphernem illuſtri primùm loco apud ſe habitum interficit 694
Aſa Regis factum à Bruto perperam in Reges allatum 495. 496. *à Boucherio* 654
Aſiæ Reges omnes ex Buchanani ſententia tyranni fuerunt 260. *iſtius commenti refutatio* 251.252.253
Aſiæ Regum abſolutiſſimum fuit imperium 285.286
Aſſaſini propriè qui ſint 690
Aſſaſinorũ pœnas non incurrũt illi, qui pecunia data hominẽ è medio tolli curant 690
Aſſaſini non ſunt ſiue propriè, ſiue impropriè, quos Princeps iuſtitiæ prætextu aliquem inuadere ac interficere cogit 691
Athalia, quæ regnum Iudæorũ per tyrannidem occupârat, à quolibet priuato iuſtè interfici potuit 633
Athanaſii in Conſtantiũ Imperatorem Arianum obſeruãtia 605. *ſe eius obſequi imperio profitetur* 605
Athanaſii cum Boucherio, qui eum ſe imitari profitetur, collatio 607.696
Athenio Rhetor tyrannide in Athenienſes vſurpat 214
Auguſtini teſtimonia, quibus probatur, Reges & legũ conditores, & ſupra leges eſſe 302. 305.625
Auguſtini de militib. Chriſtianis Iuliano Apoſtatæ ſeruientibus 372
Auguſtinus D. Pauli de non reſiſtendo poteſtatibus locum interpretatur 372
Author operis, (de Regali Poteſtate) cum quibus conflictetur 303. *eiuſdem pfeſſio fidei* 49
Authoris ſententia de opere (Poteſtate Papæ) 1
Authorum improbitas nihil obſtat, quò minus iis, quæ benè ſcripſerunt, vtamur 6

B.

Baſiliſcus, qui imperium expulſo Zenone occupauit, verè tyrannus fuit 609
Baſilii Magni in Iulianum Apoſtatam obſeruantia cum Boucherii in Henricum III. iniuriis collatio 608
Baſilius Moſcouitarũ dux 291
Beda de Dauide Saulem dimittente 363
Bellarmini laus 1.4
Bellarmini argumenta, Poteſtatem ciuilem ſubiectam eſſe ſpirituali 49
D. Bernardus Ludouicum Regem acriter reprehẽdit, & regiã nihilominus dignitatẽ in eo agnoſcit & veneratur 680
In Bibliis nihil eſt, vnde ſuam Regum hoſtes ſententiam ſtabiliant 352
Boliſlai Poloni Regis horrendũ fa-

facinus 698.699

Bonifacius VIII. gloriæ auid⁹ 4

Bonifacius illæſa etiam conſcientia mandatum Zachariæ vel iniuſtũ explere potuit 164

vt Bonitas hominibus regnum nõ confert, ſic nec debet eripere malitia 364.383.442

Boucherius hæreticos imitatus 176

Boucherius omnia penè ſua argumenta in Reges ex Bruto, homine hæretico, decerpſit 645.653.654.655.663.667.668.671.672

Boucherius id in Regem egit, quod ei ne in priuatum quidem facere licuit 598

Boucheriani libri titulus ipſe refutatus 595.& ſeq.

Boucherius Ludouicum XI. tyrannum atque hypocritã vocat 591. *refutatur* ib.

Boucherius ne ſemel quidem Regis nomine dignatur Henricum III. ſed turpiſſimis infamat epithetis 591.609

Boucherii epiſtola ad lectorem reprehenſa 596.597.& ſeq.

Boucherius aut vt accuſator Regis ad populum, aut vt famoſi libelli author (quorum neutrum ei licuit) opus de Hẽrici III. abdicatione ſcripſit 598.599

Boucherius in his de abdicatione libris iactat, ſe falsò antiquos Eccleſiæ Patres imitatũ 601.602

Boucherius Bodinum ſecũ conſentire dicit, q ei diſertis prſus verbis cõtradicit 559.560.561

Boucherii primi Capitis refutatio 619.620

Boucherius parem cõdicionem facit Regis durius imperantis, & Regis populi interitũ meditantis 620.621

Boucherius populo Regem improbum coercendi & abdicãdi ius tribuit, contra Scripturæ & Theologorũ ſentẽtiã 620

Boucherius D. Petri authoritatẽ de obediẽdo malis Regib. fruſtra conatus ſoluere 624.625

Boucherius deteſtabilem vocẽ eſſe ait, Principẽ legib. eſſe ſolutum 625. *Ambroſii, Auguſtini, & cæterorum teſtimoniis refutatur* 624.625

Boucherius in iure parùm exercitatus 627.653.654.661.667.686

Boucherii argumẽta ex iure ciuili nihil in Reges cõcludũt 659

Boucherii abſurdiſſima ſolutio, qua illud argumentum euertere conatur, quod à Chriſto, qui tributum Cæſari perſoluit, trahitur 630

Boucherius Turcarũ ac omniũ tùm infidelium tùm hæreticorum cauſam agit, qui gentibus omnib. licere vult Principem auita ſacra deſerentem expellere 636.637

Boucherii calliditas, qui regnũ & Remp. idem eſſe ait, vt res nimirum in democratiis geſtas ad exemplum poſteà in Reges trahat 644.645

Boucherius Dauidem cum Saule bellum geſſiſſe falsò ſcribit 473.474. *Sacerdotem Nobe Dauidi opem tuliſſe affirmat*

in

in Saulem 475
Boucherius vel omnes quas refert abdicandi Henrici cauſas vel ſingulas ad Regis abdicationem ſufficere vult: vtraq; pars reprehenſa 683.684
Boucherii ex Scripturis mendacia 652.674.675.686
Boucherius videtur conſilii Iacobi Clementis de interficiendo Rege particeps fuiſſe 699.700 & ſeq.
Boucherii in Ducem Spernonium cõuitia maxima 703.704
Boucherii argumenta, quibus Henricum III. hæreticum fuiſſe probat, refutata 701.702 & ſeq.
Boucherius ſcrofulas ab Henrico III. non ſanatas falsò aſſerit 606.607
Boucherius Henricum hæreticum dicit, quòd ſe regno & eius ordinibus ſuperiorem eſſe crederet 712. refutatio ib.
Bozius Papalis paraſitus 3
Bozii de Poteſtatibus, Eccleſiaſtica & Politica, error 5.6 7.8
Bruſſii & Ballioli de regno Scotiæ cõtrouerſia 328.441.442
Brutis animantib. ingenita monarchia ſectandæ cupiditas 278.279
Brutus, qui Vindicias contra tyrannos ſcripſit, non eſt Hotomanus 310
Bruti fictitium eſt nomen 311
Brutus hæreticus eſt 311.312.446.579.580
Bruti de Romano Pontifice hæreſis 314.578
Bruti error de Romano Pontifice refutatus 579. & ſeq.
Brutus author præfationis, quæ ſub alieno nomine ipſius libro præfixa eſt 444
Bruti in ipſo libri tit. error ib.
Brutus omnem Regibus poteſtatem abrogat 446
Bruti prima quæſtio 448. eius ambiguitas ibid. in ea Bruti ſenſus, ſcopus, malitia 248.249.251
Bruto nulla fuit cauſa, cur quæſtionẽ ſuã primã proponeret 250
Brutus in multis ſibi ipſi cõtrarius 468.566.567
Brutus cum Wicleffo conſentit 477
Bruti iuris errores 496.497.567.571
Brutus non patrocinatur Curiæ, quæ ſupra Regem effert, ſed eius ſententiã euertit 530.531
Bruti ſcopus, anarchia eſt 557.559.560
Bruti in Reges & Optimates opprobria 558
Brutus ſeditionis ſemina ſpargit 559.560
Brutus populum omni vinculo ſoluit 560.561. ſupra Regem Magnates extollit 563 564
Brutus ne legum quidem interpretatiorẽ Regib. cõcedit 304
Buchanani de Regibus Scotiæ calumnioſa mendacia 184
Buchananus omnem Regib. poteſtatem abrogat ib.
Buchananus hæreticus eſt, et in hiſtoria impẽsè mẽdax 310.311
Buchananus vt malitioſè agat in Reges 193
Buchananicæ cõparatiõis inter Regẽ & mediců, quantũ in Reges facit, diſſolutio 202. & ſeq.

Buchananus propria argumentationis vi refutatus 203
Buchanani ineptum Reip. Syntagma 231
Buchananus Aſiæ Reges omnes tyrannos fuiſſe dicit 249 iſtius commenti refutatio 250. 251. 252
Buchananus Iudæos nō Regem ſed tyrannū petiiſſe dicit 239
Buchananus Conſiliarios eo modo Principi adhibet, vt monarchiam prorſus euertat 227. 233. 234

C.

Caluinus Eccleſiaſticā hierarchiam odit 187. Ariſtocratiam regno præfert ib. & 119
Calumnia peſtilentiſſimū venenum eſt 727. 728
Canoniſtarum ſententia de Poteſtate Papæ 12
Cancellarius nunc dicitur, qui olim Referendarius 538
Cappadoces & Paphlagones nullam ſine Rege gentem viuere poſſe credebant 248
Longè aliud eſt Cardinalem totius ordinis odio interficere, aliud propter iniuriā 697. 698
Caroli Lotharingiæ Ducis Laus 209
Caroli V. Gallorum Regis in eligendo Cancellario prudentia 544
Carolus Magnus non ſolitus fuit ad comitia ire, carpento bobus iunctis tracto: vt falsò aſſerit Boucherius 242
Cauſa, qua Buchananū, vt in Reges ſcriberet, impulerūt 187
Cauſa, quæ antiquos ad conſtituendum Regem pellexerunt, noſtro etiamnum ſeculo exiſtit 208. & ſeq.
Ceruorum agmina ducem aliquem præeuntem ſequuntur 279. 286
Charonenſes Demonem iureiurando ad vrbem euocatum interficiunt 686
Chriſti dictum, Paſce oues meas. qui intelligendum 97
Chriſti exemplo, qui tributum Imperatori Tiberio, homini ſceleſtiſſimo, perſoluit, Regum ꝓbatur autoritas 367. & ſeq.
Chriſtiani omnes ab Apoſtolis primi, quamuis Ethnicum & perſecutorem fidei, à Deo conſtitutum, & ſolo Deo minorē eſſe, ingenuè fatebantur 82
Chriſtus Phariſæos, qui populū vniuerſum repræſentabant, tributa Imperatori pendenda docet 370
Chriſtus, quà Dei filius, Rex Gloriæ, Rex Regni eſt 4
Chriſtus abundè contulit Apoſtolis, quicquid neceſſarium Eccleſiæ fuit ad ſuum finem conſequendum 67
Chriſti vel perfecta non fuit ad Phariſæos reſponſio, vel tributa etiam iniquiſſimis pendenda Regibus 373
Chriſtus qui tyrannos Chriſtianorum dominaturos ſciebat, nihil iis tamen in Principes autoritatis vel verbo vel exemplo dedit 371
Chriſtus Reges gentium dominari ait 336

Cice-

Ciceronis teſtimonium refutatum, qui prouocationem à Regibus ad populum fuiſſe ſcribit 668. *& ſeq.*
Ex Ciceronis ſententia, Regem reum capitis fieri eſſe inauditum 345.346
Cicero nihil Bruto de legũ cauſis diſputanti adſtipulatur 276.277
Clementis VIII. virtutes 5
Cleomenes pactas cum argiuis inducias perfidè violat 687
Clerici per totum Orbem, quocunque ordine vel gradu ſint, non ſunt adhuc vllo modo exempti, & liberati à poteſtate temporali Principum Secularium, in quorum regnis & regionib. vitam degunt 128
Clodouæi animi moderatio 270
Clodoueus militem, à quo erat offenſus, propriâ manu interfecit ib.
Collatio Boucherii cum iis Eccleſiæ Patribus, quos ſe imitatum dicit 611.612.613
Comes ſtabuli nõ eſt is, qui olim Maior Palatii 545.556
Comparatio Buchananica ciuitatis cum corpore humano, litium & ſeditionum cũ morbis, medici denique & magiſtratus ſeu Principis 195
Concilium Matiſconenſe 127
Concilium tertium Toletanum ibid. Agathenſe & Carthaginenſe 125.126
Coneſtablus, Cancellarius, & cæteri Regis officiarii ſunt 538
Conſcientia recta, fortiſſimum præſidium 389.390
Cõſiliarii vt à Buchanano deſcribuntur, monarchiã euertunt 227.233.234
Conſiliarii regno & Regibus vtiliſſimi 227.228.229
Conſiliarii Regibus ac Monarchis aliter, aliter præſidibus aſſeſſores adſunt 238.239
Conſiliarii non ſunt fruſtrà, etiamſi Princeps ab eorum opinione recedere poſſit 238
Conſtituti quando conſtituentibus minores 508.509.510
A Conſulibus prouocatio fuit, ne per omnia regiam ſibi dignitatem vindicarent 670
Contractus cum filiofamilias non eſt irritus 496
Cuiacii ſententia de illo Vlpiani loco, Princeps legibus ſolutus eſt, refutata 427. *& ſeq. ſibi ipſe contrarius* 431
Cuneri Leonardienſis Epiſcopi de ſolutiſſimo Regum imperio ſentẽtia 403. *& alibi paſſim.*
Curia poſt Regis mortem cuius nomine ante inauguratũ ſucceſſorem iudicia exerceant 647.648. *ſed abſolutiſſima poteſtate præditum* 343.344

D.

DAuid cùm Saulem occidere poſſet, ſaluum eum & incolumem dimiſit 359.366
Dauid aut Reip. hoſtis ac officii deſertor fuit, aut vera non eſt monarchomachorum ſententia 359. *& ſeq.*
Dauid quare veſtitus calefieri in ſenectute non potuerit 361
cur Dauid Sauli pepercerit, Bruti ſtultiſſima ratio 362

Dauid in numerando populo ſolus peccat, vniuerſi puniuntur 502
ex Dauidis in Saulem obſeruãtia, Regum oſtenditur & cõfirmatur autoritas 358. 359. *& ſeq.*
Dauid cõtrarium prorſus fecit ac docuit eius, quod Regum aduerſarii docent 366. 367
Dauid vel iniuſtè Amalecitam interfecit, vel nõ verum eſt, quod aduerſarii iactitant, Regem in tyrannum degenerantem iure cadi poſſe 365. 366
Demetrius Macedo ſupplices ſuorum libellos in Axiũ flumen, præcipitat 209
Deus tyrãnis infenſiſſimus 240
Deus quare Iudæis Regem petentibus infenſus 255. 256
Deus cur ex Adamo, non ex limo, Euã eduxerit 277. 278
Deus in Eccleſia inſtituit monarchiam, quòd ea præſtantiſſima ſit regiminis forma 280. 281
Deus electos à ſe qui regnarent, Reges nihilominus per populum conſtitui voluit 316
Deus Iudæorum ſceptrum iure ſucceſſionis regiæ ſemper ſtirpi deferri voluit 321
Deus ſi cui regnum olim nominatim conferret, ſoboli etiã & poſteris contulit 322
Deus Regum iudex eſt 352. 353
Deus Saulem ſtatim reiecit, & ſtirpi eius regnũ ademit 141
Dialogus inter authorem & Boutellerium 181. 182
à Dictatore prouocatio non fuit 669. 670
Dio ſolutos legibus Imperatores vt aſſerat 425. 426
Dionyſio tyranno quædam anus ſalutem & incolumitatem optat, & quare 200
Diſputatio trium adoleſcentũ, qui Dario aſtabant 285
Diſputatio de iure Regni etiam ad bonos Principes pertinet 187. 188
Donationes Regis tempore coronationis, & ſignatura à Papa recens creato factæ non valent 707
Draco Athenienſium legiſlator ſeueriſſimus 273

E.

Eccleſia Principes damnoſos nequaquam pertulit 25
Eccleſia antiqua non ideò tyrannos tolerauit, quod eis vi non poſſet reſiſtere 200. 414. 470
Eccleſia armis ſæpè protegitur & conſeruatur 677
Eccleſia non à rebellibus opem petere ſolet 617. 618
Eccleſia primitiua de Imperatore, quem ſolo Deo minorem definiebat, ſententia 374
Eduardi Regis Angliæ in Scotos perfidia 328. 441. 442
Elias nullum in Achabum rebellionem vnquam excitare conatus eſt 499. 500. 663. 664
Epaminondæ virtus militaris 223
Ephron Rex Hetheorum non fuit

fuit 512.513
Europaorum Reges legum in ſuis prouinciis cõditores 284 285
Eurytion Spartanorum Rex primus maieſtatem regalem populo ſubmiſit 576
Excommunicatio omnis eſt timenda, quî intelligendum 19
Exempla Boucherii ex Scripturis in Reges petita refutantur 634. & ſeq.
Exempla non Iuris aquitatem, ſed rerum geſtarum tantummodo veritatem continent 661.672

F.

Fabii Maximi prudentia 223
Fabula pueriles, cur ſingulis panè diebus eos, de quibus agunt, ad regiam aliquam diuertiſſe dicunt 278
Filii qui Parentibus mortem regnandi cupiditate machinati ſunt 692
Filii à Parentibus, propter leuem regni adoptati ſuſpicionem, morte multati ib.
Finnanus primus ex Scotia Regibus Conſiliarios ſibi deligit 571
Fiſco praſcriptio poteſt nocere 567
Fœdera inter Deum, Regem, & populum, qua in Scripturis leguntur, regia poteſtati nihil detrahunt 478.479.480.492.494
Fœmina etiam Parentibus ab omni antiquitate regnis atque imperiis ſuccedunt 330
Francia laus 525
Francica monarchia quibus in rebus Brutus detrahat 225.226
Francia Reges conſiliariis ſemper vſi 529
Franci, regni ſucceſſorem ante inaugurationem pro inaugurato haberi lege latâ decreuerunt 317
D. Fulgentii magna in Traſimundum Arianum Principem obſeruantia 380

G.

Gabaonitarum cades in nullam partem cauſa adimendi regnum Sauli fuit vocata, contra id quod Boucherius aſſerit 686.687
Gaguini de Pontificum ambitione, teſtimonia 16
Germanicum Imperium monarchia continetur 523
Gerſonis de iure Regis confutata opinio 262.263.264
Gerſon reprehenſus 265
Gordianus Imperator Philippi Arabis artibus & calumniis imperio ac vita ſpoliatur 598.599
Gregorii Nazianzeni de toleranda Principum tyrannide ſententia 471. nihil is in Imperatores, licet hareticos, quamdiu vixerunt, ſcripſit 475.603. quare in mortuos ſcripſerit ib. populum ſcriptis ad obedientiam & patientiam ſemper, ad rebellionem nunquam excitauit ibid.

eiuſdem

eiuſdem cum Boucherio, qui eum ſe imitatum profitetur, collatio 608
Gregorius Magnus Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quòd vniuerſalis vocari vellet, increpat 580. 581
Gregorii Turonenſis de ſumma Regum poteſtate teſtimonium 398. 399

H.

HÆretici cogi à Catholicis Principibus poſſunt & debent, non Catholici ab hæreticis ad religiones ſuas 464. 465. 467
Hæreticorum in citandis authoribus calliditas 533
Hæretici vnde anſam calumniandi Pontificem Romanum ſumſerint 579. 580. & ſeq.
Hæretici in Reges debacchantur 173
Hæreticorum Scotiam pertentantium calliditas & progreſſus 218. 219
Hæretici cur in Reges his temporibus inuecti 402. 403
Haymo Epiſcopus Halberſtatenſis quid de Regibus ſentiat 382. Diui Pauli de non reſiſtendo poteſtatibus ſententiam interpretatur 387
Henricus IV. Imperator & alii Principes, in quos poſteriores Pontifices ius ſibi temporale arrogarunt, potuere ab Eccleſia ſine populi detrimento contineri 36
Henrici II. in priuato homine accuſando modeſtia 554
Henricus III. abdicatus nullo modo dici poteſt 595. nec aſſaſſinus 690. eius ingenium 675. 701. ei per maximam calumniam à Boucherio affingitur hæreſeos crimen 701. & ſeq. Anglum ille, qui perſecutiones Anglicanas Pariſiis excuderat, carcere emitti iubet 704. 705. Metenſibus hæreticis concionem in vrbe concedere noluit 704. Non errauit in eo, quod clerum Gallicanum Clerum ſuum vocarit 708. non ei vitio vertẽdum, vt facit Boucherius, ſed laudi, quod pileum Cardinalibus volente Papa impoſuerit 708. 709
Hẽricus VIII. Anglus licet excommunicatus, regno toto vitæ tempore potitus eſt 698. 699
Henricus Stephanus legem regiam, cuius meminit Vlpianus, vt adulterinam damnat 333. refutatur 324. 335. Vlpiani ſenſum de Principis Poteſtate contorquet 423. refutatur ib. & ſeq.
D. Hieronymi de abſolutiſſima Principum Poteſtate ſententia 340
Hilarii in Conſtantium Imperatorem Arianum ſumma in ſcriptis obſeruantia 606. 609
Hilarii cum Boucherio, qui eum ſe imitari profitetur, colla-

collatio 608

Hippomachi de populi iudicio *ſententia* 223. 224

Hoſius vt Conſtantium hæreticum nihilominus Imperatorem agnoſcat 606

Hoſii & Boucherii, quantū ad reuerentiam malis Principibus exhibendam, differentia 608

Homicidium ne Eccleſiaſticam quidem dignitatem ipſo iure clerico anfert: multò minus regnum Principi 695

Cur præſtantiorem Hoſtiam pro peccatò ſacerdotis quàm populi, populi verò quàm Principis offerri in Leuitico iubeatur: & qui illic Principum nomine intelligēdi 650 651

Hotomanus confutatus 542. 543

Hotomanus non is eſt, qui ſub Bruti nomine Vindicias cōtra tyrannos ſcripſit 546

Hotomanus refutatus, qui conſilium populi ſupra Regem eſſe aſſerit 328. 329

Hotomani de ordinum poteſtate, commentum refutatum 752. 753. de Placiti vocabulo 754

I.

Iacobi prophetia, non auferendum ſceptrum de Iuda &c. ante aduentum Chriſti, quomodo intelligenda 657

Iacobi Clementis Monachi perfidia & ſcelus 340. 341. 810

Iacobus III. Scotiæ Rex, Duglaſium data fide de libero acceſſu diſceſſuque, propria manu interficit 687

Iacobus verò Scotiæ Rex propter nimiam legum & iuſtitiæ obſeruantiam, quibusdam exoſus 437

Iannæus Alexander Iudæorum Rex, populo exoſus 665. eius crudelitas. ibi mortuum populus luget & magna pompa tumulat Phariſæorum oratione delinitus 666

Idumæi vnde ortum traxerint 484. non fuerunt Iudæi ibi, nec rebellarunt in Toramū religionis ergo ibi. & 485

Imbellem eſſe, & tyrannidis patientem diuerſiſſima ſunt 252

Imperatori diuinitus poteſtas data ſuper ipſum Papam 14

Imperatoris nomen magna fraude à Bruto ambiguè vſurpatum 568. 569

Imperatores Romani Reges nōnunquam fuerunt appellati 294. 295

Imperatorum edictis, decretis, reſcriptis iura conſtituuntur 256. & ſeq.

Infamia duplex eſt, altera iuris, altera facti 688

Iniuriam homini etiam ſceleſtiſſimò facere nemo ſine peccato poteſt 487. 488

Inuidia cæca eſt 176

Ioan. Andr. fons & tuba iuris Canonici vocatur 111

Iorami cadaueri populus illuſit, ac illud regali ſepultura prohibuit 489. argumenti

 inde

Digitized by Google

*inde in Reges ſumpti diſſo-
lutio* ibi.
*Iordanes Inſulanus Parlamen-
ti ſententia in furcam ſub-
latus* 531
*Iſrael quare puniri dicatur pro-
pter peccata Hieroboam* 767
Iubere, de quo dicatur 152
*Iudæorum multitudo vt pecca-
uerit in Chriſti morte* 504.
505.
*Iudæis Regibus ius in ſynedriũ
fuit* 517. 518
*Iudæorum Regum, etiam ne-
quiſſimorum, vindicata cõ-
tinuo cædes* 243
*In Iudæos nullus alienigena le-
gitimum imperium habuit
ante Chriſtum natum* 673.
674
*Iudæi Regum vel nequiſſimo-
rum filios etiã infantes, Re-
ges ſupra ſe conſtituerunt,
quod iis regnum naſcendi
ſorte deberetur* 322
*Iudæorum plurimi Reges ne-
quiſſimi ac idololatræ fue-
runt, nemo abdicatus* 384
*Iudices populi Iſraelitici Reges
non fuerunt* 248. 249
Iudices legibus adſtringuntur
281. 282
*Iudices ſub Regibus cur & quo-
modo inſtituti* 282
*Iudiciarius ordo eſt, vt quilibet
à ſuperiore coerceatur* 393.
394
*Iuliano Apoſtatæ milites Chri-
ſtiani militant & parent*
378. 472. 473. 474
*Iuris Canonici Interpretum de
Romano Pontifice ſententia*
584. 585
*Iuriſconſulti Romani Impera-
torem lege regia legibus ſo-
lutum, condendarũ legum
poteſtatem habere profiten-
tur* 296. 297
*Iuriſperiti in eo conſentiunt,
Principem ſoli Deo debere
innocentiæ reddere rationem*
398
*Iuris interpretum concordes de
abſolutiſſima Principum po-
teſtate ſententia* 307
*Ipſo iure aliquid fieri, quid ſi-
gnificet* 454
*Iuriſiurandi officiariorum in
Gallia formula* 538
*Ius Regis eſt ea facere quæ po-
pulo à Samuele recenſentur,
quomodo intelligẽdum* 262.
268. 352
*Ius non magis Regis quam cu-
iuslibet latronis aut poten-
tis, eſt id de quo Samuel, niſi
ratione impunitatis* 262.
263. 266. 267
*Ius Regis ſeu regni lex, non ſo-
lum ad timorẽ propoſitum
populo Hebræo à Samuele
fuit* 262. 265
*Iuſiurandum quando non im-
plendum* 513
*Iuſtinianus Belliſarium, cui
maximis beneficiis teneba-
tur, oculis & bonis priuat*
664.

L.

*Lacedæmonii in Agis Regis
interitu Remp. euerterũt*
198

Lacedæmoniorum regnum, etiã infantibus, iure ſucceſſionis delatum 322
Lacedæmonii Reges ante conſtitutos Ephoros verè Reges fuere 254. poſtea, neutiquã 98. 254. 346. 575
Laurentius Medices Raphaelem Cardinalem, & Fr. Saluiatum Archiepiſcopum patibulis affixit 633
Legem ſibi aut ſucceſſorib. ferre poteſt nemo, à qua ei non liceat recedere 571. 572
Lex regni promulgata à Samuele, & repoſita in arca coram Domino, non ea fuit, quæ in Deuteronomio à Moyſe præſcripta habetur 265. 266. 267
Lege regia populus omnem ſuam in Principem poteſtatem contulit 334. 335
Leges vi directiua non compulſiua in Principem dominantur 573
Leges omnium populorum à natura neutiquam proſluunt 191. 192
Leges non ad coercendos Reges quæſitæ fuere, vt falsò aſſerit Buchananus 271. 272. 282. 283. & ſeq.
Leges multa permittunt, quæ ſine ſcelere committi nequeant 259
differentia inter Legis interpretationem, quam Rex adhibet, & eam quam priuati Iudices adhibent 306. 307
Leges rebus non verbis imponuntur 7
Legum omnium & conſuetudinum diuiſio 194
Legum ferendarum cauſa & modus in Ariſtocratiis & Democratiis 274. 275. 276
Legum in Monarchiis ferendarum cauſa 218
Legitima defenſio eſt condonatum à Principe crimen oſtendere 552
Legitimi nomen parùm aptè à Buchanano vſurpatũ 245. & ſeq.
Legitimi Reges qui dicantur 241 242. 253
Lex à Mauricio lata, iniqua licet, à Gregorio ad varias regiones promulganda tranſmiſſa 15
Literæ regiæ cur à Secretario ſubſignentur & à Cancellario obſignentur 549
Liuius de Dictatoris imperio 343. & ſeq.
Lucifer libellos in Conſtantium edidit: nihil tamen iis aut de rebellione, aut de eo abdicando ſcribens 607
Ludouicus XI. Cardinalẽ Baluam de proditione delatum in carcerem coniicit 697
Lutherus tumultum ruſticorum in Germania excitat 558. eius in Principes opprobria 697
Lyſias Philoſophus Tarcenſis Tyrannide opprimit 214

M.

Magiſtratus multi abſoluta Regum poteſtate apud

pud diuerſas nationes vſi 350

Magnates qui à priſtino more viuendi deſfluxerint, qui Reges 210

Maria Scotiæ Regina, fratris Iothi & hæreticorum calumniis atque inſidiis regno eiicitur 599. 600

Matrimonium carnale non ad ordinationem Eccleſiæ, ſed tantùm ad procreationem ſobolis inſtitutum eſt 110

Medicus & Rex in quo conueniant 196. 200

Melchiſedec Rex Salem 253

Monarchia cæteris Reip. formis præcellit, vt maximi homines docuerint 220. 222

Monarchiæ moleſtia (ſi qua Principum vitio ſunt) multò maioribus bonis compenſantur 213

Monarchia nil habet durum præter nomen: populare contrà regimen nihil lene præter nomen 222

Monarchica gubernatio omnium antiquiſſima 272. 277. 280

Monarchia amplectenda cauſa quadam abſtruſior hominibus congenita 277. 280. & ſeq.

Monarchia optimum imperium eſt 315. diuinum inuentum ib. & 316.

Monarchica & democratica gubernatio ab iis confunditur, qui populo ius in Reges tribuunt 338

Moſcouitarum mulierum ingenium, quæ quò à maritis cæduntur frequentiùs, eo illos amant ardentius 292

Moyſis exemplo Principes conſiliariis vti debent 228

Moyſes an Iudæorum Rex fuerit 246. 247

Moyſes Regum officium deſcribit 256. 257

Moyſis de Regum officio, & Samuelis de eorundem iure & poteſtate, non diſcrepat ſententia 256. 257. & ſeq.

Moyſes & Samuel de iiſdem Regibus locuti 256. 257

Multitudinis inconſtantia 88

ex Multitudinis concurſu turbamentum non temperamentum oritur 219. 220

Multitudo citius corrumpi poteſt quàm Rex 226

Muſtapha Solymanni filius à Chriſtianis non multùm abhorrens 635

N.

Natura ipſa leges adinuenit, & quas 191. 192

Natura & vtilitas nunquam diſſident 191

ex Nominandi ordine in Scripturis friuolum eſt Boucherii argumentum, nec minus contra eum quàm cum eo faciunt 652. 653

Normanus Leslaus Iacobum Betonium Cardinalem & Archiepiſcopum priuato odio interemit 697

Off.

O.

Officiariorum cur alii Regis, alii regni vulgò dicantur 539
Officiariorum dignitates olim in Gallia non fuerunt perpetuæ 545
Officiarii creantur à Rege, & ab eo authoritatem ſuam omnem capiunt 541. 542
quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari 595
Optatus Afer quid de Dauide Saulem ex ſpecu incolumem dimittente ſentiat 363
Optimates non Regibus à populo adiuncti, ſed à regibus ipſis ſponte acciti 571
Optimatibus vix fidendum, dum in Regum vitia inuehuntur 214
Oratores ac præcipuè concionatores, populi animos in quoſcunq; volunt habitus transformant 663. 664
Ordines regni ſeu ſtatus quando maiorem palatii, aut eiuſmodi aliquem officiarium creaſſe dicantur 543. 544
Origenis de Principibus ſententia 396. 397
Ozias Rex Iudæorum abdicatus nunquam fuit, vt falsò ſcribit Boucherius 634
Ozias Rex manebat, quamdiu vixit 149

P.

Papa in Principes & populos infideles, qui multitudine Chriſtianos ſuperant, neque temporalem neque ſpiritualem poteſtatem habet 15
Papa inconſideratè facit, qui ſubditos communione Principum interdicit, quoties inde ſeceſſio, & turba non mediocris Eccleſiæ vel Reip. impendet 20
Pares Franciæ vnde dicti 546
Pares ſiue ὁμότιμοι apud Perſas qui dicerentur 522
Parlamenta ſingulari Regum beneficio in regia indicta inquirunt 533. 534. quare 535. 536
Parlamenti Pariſienſis origo 527. 528. laudes, poteſtas 528. 529. 530
Parlamentorum poteſtas à Rege eſt 528. & ſeq.
Patrum exempla, qui filios propter leuem affectati regni ſuſpicionem morte multarunt 692. 693
Parthorum Regis ſuperbia & in ſubditos poteſtas 290
Parthorum de ſuis Regibus ſententia 292. 293
Patres ſenſerunt tolerandam Principum legitimorum ſine rebellione tyrannidẽ 471 & ſeq.
Patrum Romanorum de Pontifice Romano ſententia 579 580
Patrum orthodoxorum in Cõſtantium Arianum reuerentia 606
Patrum teſtimonia quibus abſolutiſſima Regum authori-

tas probatur 395.& *ſeq.*
Patres antiqui nunquam eos reprehenderunt, qui Principibus etiam peſſimis ſubditorum officia exhibebant 613.663.664
Patruo Regis non licuit, Rege adhuc impubere, conſtituere Coneſtablum 541
D. Paulus præceptum de non reſiſtendo poteſtatibus præmii repromiſſione delinit 388 389
D. Paulus malitiam non obeſſe debere, quin honoretur Principes, clarè oſtendit 378. 379
ex Pauli doctrinâ Regum poteſtas demonſtratur 369. & *ſeq.*
D. Pauli locus perversè ab aduerſariis explicatus 387
D. Pauli præceptum non de bonis tantùm, ſed de malis etiam Regibus intelligendum 385
Pelagius 2. Synodi, quæ vniuerſalis nomen Ioanni Conſtãtinopolitano tribuerat acta reſcidit 581
Periurii nulla pœna legib. conſtituitur 686
Perſarum Reges abſolutiſſimè regnarunt 286.287 293. 521.671.672
Perſarum Reges legum obſeruantiſſimi fuerunt 253
Perſarum de ſuis Regibus ſententia 293
Perſei in fratrem Demetrium accuſatio 224.225
D. Petri authoritate Regum confirmatur authoritas 276 & *ſeq.*
D. Petri authoritas ab aduerſariis nequaquam ſoluta 377.378
D. Petri præceptum de Regibus honorandis vel ſuperuacaneum eſt, vel de malis etiam Regibus intelligendum 380
D. Petrus non de Regibus tantùm bonis, ſed de malis etiam eſt locutus 377.378.& *ſeq.*
D. Petrus docet, nullum ſibi ius fuiſſe in res tẽporales Chriſtianorum præter illas, quas ipſi ſponte contulerant Eccleſiæ 66
Phocionis de populi iudicio ſententia 223
Platina iuſſu Sixti IV. Pontificis, aliorum Pontificum Vitas conſcripſit 160
Politicæ poteſtatis finis abſolutè complectitur felicitatẽ temporalem, commune ſcilicet bonum, & vitæ degendæ ordinem tranquillum 52
Polonicum Regnum propriè nõ eſt Monarchia 524.525
Pontifex Romanus cur vniuerſalis noluerit appellari 579. 580
Pontifex non poteſt infamiam irrogare, niſi ſuæ iuriſdictionis hominibus 688
Pontificis Nicolai confeſſio 6
Pontifices poſtremis Eccleſiæ ſeculis temporalem illam in Principes poteſtatem ſenſim ſibi vſurparunt, quam nemo omnium deceſſorum vnquam

quam

quam agnouit 20

Populus dum in Principem inſurgit, plura bellis & ſeditionibus patitur, quàm Principis tyrannidem pertuliſſet 200.201

Populi nomen impropriè à Boucherio vſurpatum 643

Populus, Reſp. & regnum, non idem ſunt, contrà quàm aſſerit Boucherius 643

Populus legitimum regni ſucceſſorem reiicere non poteſt 646.647

Populus quo ſenſu cauſa Regis dicatur 318.319

Populus ius Regi in auguratione collatum auferre non poteſt 319 320

Populus ius Regis eligendi non habet aliquo regii ſanguinis ſuperſtite 327

Populus iudex legitimus eſt duobus vel pluribus de regno iure ſanguinis ſibi debito cõtendentibus 327

Populus lege regia omnem ſuã in Principem poteſtatem cõtulit 335 336

Populus Deo iniuriã facit, cùm Regem ad iudicium rapit, qui ſolius Dei iudicio ſubiacet 353.354.388

Primogeniti parentibus in imperio ſuccedere iam inde ab omni antiquitate ſoliti 325.326.327

Poteſtates, Eccleſiaſtica & Politica alterius, ſuis concluſa terminis, inuadere fines nequeunt 5

cur cùm Poteſtatibus vniuerſim non reſiſtendum Paulus dicat, magiſtratus tamen minores legib. & pœnis ſunt obnoxii, Reges neutiquam 392.393

Poteſtatis vocabulo apud Paulum non ipſe magiſtratus, vt volunt aduerſarii, ſed eum, qui magiſtratum gerit, intelligitur 382.383

Propter peccatum vnius multi ſæpè etiam innocentes puniuntur 501.502

Principes, ne ſuis reſcriptis pareatur, interdum prohibent 536.537

Principes poteſtatem magiſtratibus renunciare poſſunt 529

Principes decet legum ſuarum præcepta ſeruare 574.577

Princeps poteſt abſoluere eum, quem lex damnarit 577

Principum vitia Monarchiæ detrahere non debent 213.214.215

Principum vitia vix vnquam in occulto ſunt 213

Principes maximè opprimi & poſſunt & ſolent calumniis 595

Principibus etiam peſſimis ſubditorum officia exhibenda 611 664

Princeps poteſt legum ſententiam vel mitigare vel mutare 418.419

Princeps num teneatur ſuis legibus, ita vt conueniri & cogi inſtar aliorum poſſit 421.422

Principes pœnalibus maximè legi

legibus ſunt ſoluti 419. 626
Principes directiuè non coactiuè ſubiacent legibus 432. 626
Principes cui infamiæ ſubiaceant, & cui non 688
Priuato nulla cõceditur defenſio aduerſus Principis violẽtiam 775.776
Prophetæ populum nunquam in Reges, etiam ſceleſtiſſimos excitarunt 503
Prophetæ multi nulla Eccleſiaſtica dignitate præditi, ac ne ſacerdotes quidem fuerunt 636
Val. Publicola vt à ſe affectati regni ſuſpicionem remoueret, legem de prouocatione ad populum aduerſus conſules tulit 669

R.

Rex quo ſenſu vaſallo comparari poſſit reſpectu Dei 456
Reges legi Dei ſeruandæ obligati 662
Reges in temporalibus nullum ſuperiorem agnoſcunt 231. in ſpiritualibus ſummo Pontifici ſubiiciuntur ibi. & 628
Reges non ideo populo inferiores quod ab eo conſtituantur 507. 508
Regibus non obtemperandum in eo, quod contra Dei legem imperant 463. 495. 496. Neque ideo tamen rebellandum 463
Rex & Iſrael rei promittendi nõ fuerũt in fœdere quod cũ Deo ictum eſt 492. 493. Neque ſi cõcederetur illud quicquam in Reges efficeret 493. 494
Reges Romani magiſtratus ſui temporis omnes crearunt 522
Regibus primis conſiliarios ſibi aſciſcere in more fuit 228. 527
Regis iudicium inter Britanniæ ducem & Cliſſonum Coneſtablum 548
Rex reum mortis poteſt abſoluere 552.553
Reges ſponte aliquando ſe legibus ſubiiciunt 554.555
Regi vim facere quare nõ poſſint 572
Reges Dii vocantur 572
Reges in ἀδιάφοροις iuſtum & iniuſtum legibus conſtituunt 572
Reges Spartæ poſt conſtitutos Ephoros Regei propriè nõ fuerunt 198. 254. 346. 573
Rex reſpectu regni non poteſt magis in ſuum officium peccare, quàm medicus reſpectu ægroti 230
Regem legiſlatorem eſſe, quare Buchananus nolit 205
Reges primi omni cum poteſtate populis ſuis, etiam ex aduerſariorum ſententia, pro fuerunt 206
Regum primorum conſtituendorum cauſa 206
Reges quare & quomodo legib. aſtrictos fuiſſe aduerſarii ve-

velint 207. 208
Reges eo loco ac ordine à Buchanano habentur, quo Roma Conſules aut Prætores 231. 232
Rex, non tyrannus, vt vult Buchananus, à Iudæis fuit potitus 239. 240
Reges alii, alii tyranni populi Hebræi dominati 239. 240
Reges legitimi, licet nequiſſimi, in ſcripturis tyranni nunquam vocantur 242. 243
Reges Deum habent iudicem, qui eorum ſcelera vlciſcatur 178. 257. 260. 261. 263
Reges primi qui fuerint, quare paucis compertum 272
Regum olim multitudo fuit maxima 278
Reges legum, in ſuis quiſq; prouinciis, authores. 248. 283. 284
Regio abutentes imperio Regibus cæteris præiudicare non debent 288
Rex ſi ſupra populum optimateſve agnoſcat, propriè non eſt Rex 288. 289
Reges ſocordes & ignaui libertatem regnandi nihil ominus retinuerunt 289. 290
Regibus non malis modo, ſed bonis etiam & Catholicis, metuẽdum eſt à Monarchomachis 188. 622. 623
Regna à Deo dari, teſtimonia 21. 22
Regum & monarchiæ ius antiquiſſimum, non ad nouas eaſque parum certas, feudorum conſuetudines reuocandum 660
Rex nemo eſt, antequam populus in eũ conſenſerit 315. 316
Regnum à Deo eſt, Reges à Deo conſtituuntur, per Deum regnant, quomodo intelligendum 317. 318
Regem eligendi facultas populo eripitur iure ſucceſſionis 321
Reges legitimè conſtituti neque abdicari à populo, neque in ordinem cogi poſſunt, paſſim toto opere.
Regum abſoluta poteſtas probatur à Rerũpubl. differentiis & natura 332. 333. 338
Rex ſupra populum eſt, paſſim toto opere.
Reges Deum habent iudicem, qui eorum ſcelera vlciſcatur, & eum ſolum 178. 184. 257. 260. 261. 263.
Rex ſi quid contra Dei legem imperet, quid ſit ſubditis faciendum 368. 369. 370
Rex ſi populum nimia tyrannide vexet, quid multitudinẽ ſit faciendum 375
Regi ſimul & Deo ſubditi debitum obſequium deferre & poſſunt & debent 367. 368. 374
Regum hoſtes VVicleffianam hæreſin ſapiunt 385. 386. 400. 401
Rex legibus non ſubiicitur, rationi cõſentaneum & è Rep. eſt 435. 436
Rex ni abſolutam poteſtatem habet, vix poteſt vel à multitu-

titudine vel à nobilitate non timere 436. 437
Regum authoritas ex ſacris literis confirmatur 353. 354
Reges licet indigni regno reſpectu diuinæ Maieſtatis, regno tamen per populum eiici non debent 685 687
Reges multorum odiis expoſiti ſuſpicionibus mouētur 692
Reges omnem magnam potentiam ſuſpectam habēt 692. 693.
Regum fauor perquā lubricus eſt 693. 694.
Aliud eſt peruerſo Regi principatum adimere aliud gladium furioſo 578. 759
Regni adminiſtratio omnis Regi commiſſa eſt 586. 587
Regni & principatus differentia 556
Regna apud nationes iure ſucceſsionis delata, etiam pueris 322. & ſeq.
Quem Reip. ſtatum deſcripſerit Cicero in ſuis de Rep. libris 668. 669
Reip. non conducit, vt Rex à populo iudicari poſsit. 438. 440
Reſpubl. quare Regem iudicare non poſſit 777
Romulus officia in vrbe & extra vrbem diſtribuit, liberrimeq; regnat 282. 571. 574 575
Romanorum Reſp. ad regnum ſub Imperatorib. rediit 294
Romani in grauioribus periculis ad Dictatoriam poteſtatem, quæ monarchia ſemeſtris erat, confugerunt 545

S.

SAbæorum Regis mollities, poteſtas, iudicandi modus 290. 291
Sacerdotes Baal cuius imperio occiſi 500
Samuel contrà quàm credit Buchananus, Rex Iudæorū non fuit 245. 248. 249
Samuel neque Pontifex neque ſacerdos fuit 249
Samuel Regis ſolutiſſimam populo poteſtatem denunciat 256. 257
Samuel non ordinaria iuriſdictionis poteſtate, ſed extraordinaria legatione functus eſt, cùm iram Dei & comminationes Sauli denunciauit 638
ex Samuelis rebus geſtis ſumma Regum probatur authoritas 355. 356. 357
Sanderi error 145. & alibi.
Saresberienſis à Bouchério incaſſe citatus 787
Saul Ionatham filium populo precibus non imperio contēdenti permiſit 513
Saul poſt denunciationem Samuelis de transferēdo regno, Rex nihilominus & de iure & de facto ad mortem manſit 355 639
Saulis ſerui vt debitum Deo ſimul & Regis obſequium detulerint 352. 358
Scita in trium ordinum conuētu facta quare firmiſſima 747. 748

Scoto-

Scotorum Regũ liberrima poteſtas 541.542
Scotia Reges, ratio Scotici regni fidem Regibus Angliæ nunquam dedit 442
in Scotiâ leges non à populo, ſed à Regibus latæ ſunt 300. 301
Scotia regnum Europæorum pœnè antiquiſſimum 103. 300
Sedecias Hieremiam defectu non poteſtatis, ſed voluntatis inimicis permiſit 513
Seditione ac tumultus certiſſimè orituri, ſi populo Regem abdicandi, atque alium quemlibet eligendi poteſtas detur 198.199
Seguſiani Cardinalis error 4
Sellus tyrannidem in populum Iſraeliticum occupat 243. 244
Seneca Ciceronis de Rep. libros iniuſtitiæ & mendacii arguit 555.556
Solon Athenienſium legiſlator 274
Sozomeni hiſtoria in multis eſt mendax 791
Subditis non expedit vel peſſimo Principi vim afferre, etiamſi maximè liceret 167. 168. & ſeq.
Subditi & vaſalli cum excommunicatis Principibus cõmunicare poſſunt 611.612

T.

Tartari Principis in Moſcos ſuperbus & inſolens dominatus 298
Tertulliani ſeculo quid de Regibus ſenſerint Chriſtiani 563.564
Tertulliani de Principibus ſententia 315
Tertulliani, Ambroſii, aliorũque teſtimonia, Principem in temporalibus ſolũ Deum Iudicem habere, licet in ſpiritualibus Eccleſiæ iudicio ſubiiciatur 33
Theodericus Mediomatricum Rex Mundericum iureiurãdo de reconciliatione interpoſito ad ſe euocatum interfici curat 687.688
Theologorum ſententia de Poteſtate Papa 3
D. Thomæ ſententia de lege regni Samuele à ꝓpoſita nullatenus cum Regum aduerſariis facit 267.268
Tribuni plebis ipſos Conſules ac Cenſores in vincula coniecerunt 231.232
ex nouem Tribunis apud Romanos vnus reliquos, ne quid ſciſcerent, impediebat 395.396.595
Tyrannus qua ſignificatione Regi opponatur, & qua minimè 506.507
Tyranno, vbi ſemel populus in eum conſentit, acquieſcendũ 509

V.

Valentiniano Hæretico Catholici parent 475
Valentiniani ad milites dictum 510

Valentis Imperatoris tyrannis 474. 475. *mors* 475
Vaſalli & Regis reſpectu domini proprietarii & Dei differentia 457
Vaſallus propter feloniam feudum ipſo iure non committit 456
Vayuoda olim regni Polonici administratores 226
Venatio mira admodum & magnifica Maria Scotorum Regina exhibita 279. 280.
Verba futuri temporis ad pœnas irrogãdas quomodo intelligenda. 460. *Res ex ſe viles alicuius facti gratia celebres & glorioſa ſunt* 744
Vitia latent multorum, quod ea prodendi facultatem minimè nanciſcantur 214
Vlpianus quomodo intelligendus cum dicit, Principem legibus eſſe ſolutum 424. 425. *& ſeq.*
Vnius ſapientia frequenter emicuit præ tota multitudine 222. 223
VVincleffus propter eam ſententiam è Conſtantienſi Synodo damnatus, quam nũc Regum hoſtes tuentur 400. 401
VVinzeti Abbatis de abſolutiſſimo Regũ imperio ſentẽtia 404. 405. *& ſeq. & alibi paſſim.*

X.

Xerxis inſolens ad Optimates dictum 258

Z.

Zambri tyrannidem in populum Iſraeliticum occupat 243. 244
Zenon Imperator non propter hæreſin principatu deiectus, ſed vxoris Ariadnæ dolis peremptus occidit 724
Zelo bono & pietatis feruore etiam à viris cæteroquin optimis, quod agitur, nõ ſemper rectè & ex Dei voluntate fit 37

FINIS.

ANT 1317995

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8330

Digitized by Google

Digitized by Google